
Digitized by Google

XII
F
29

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
F
29
NAPOLI

GREGORIVS CARAFA
CLER. REG.
DE
MONOMACHIA
SEV
DVELLO.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI


SIGNO
IN HOC
VINCES
CARDINALIS CARAFA PETRUS ALOYSIUS
DE MONOMACHIA
SEV
DVELLO
OPVS THEOLOGICO-MORALE
AVTHORE
GREGORIO CARAFA
CLER REGVLARIV
PRÆP.º GNLI
Romæ

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI PETRO ALOYSIO CARAFAE S. R. E. CARDINALI.

GREGORIVS CARAFA CLER. REG. PRÆPOSIT. GENERAL.

Felicitatem Perennem.

DVELLICVM in Pace peractum OPVS, in Litterariæ Reipublicæ Palæſtram producturus, eius à Te, EMINENTISSIME PRINCEPS, Patrocinium expoſcere non auderem, niſi Sacris ex Litteris, Mihi in mentem rediret, Dauidem ſumma cum laude abſoluto Duello; & victrici manu, obtruncata Superbi ceruice Gigantis, Duellica Arma, Philiſtino cruore madentia, in Domini Tabernaculo repoſuiſſe: vt nimirùm, quo auſpice Deo, Duellum inierat; eidem fauſtum Duelli euentum referret acceptum: ibique inter byſſina, ac purpurea vela, purpurata hoſtili ſanguine, fulgida penderent Arma; armis vbi Cæleſtibus armatus, in Dei Exercituum nomine proceſſerat in Hoſtem: & quo tuente Numine, Goliathi contempſerat minas, eodem protegente, Saulis declinaret Inuidiam, Inuidiæque ſobolem ſuperaret Calumniam, leniret odia, ludibria par-

Lib. 1 Reg. cap. 17. Aſſumens autẽ Dauid caput Philiſtæi, attulit illud in Hieruſalẽ: arma verò eius poſuit in Tabernaculo ſuo, hoc eſt, in Tabernaculo Domini. Vgo Cardinalis, & Gloſſa ibi.

uipenderet. Ideoque (ſi licèt in paruis, exemplis grandibus vti) Dauidis Ego admonitus exemplo, DVELLICVM hoc OPVS, licèt Arma, Cædes, ac Sanguinem ſpirans; ad EMINENTIAM TVAM, tanquàm ad Aram, ac Virtutum omnium Tabernaculum, humili obſequio libenter defero, ac deuotè ſuſpendo. Regularis Ego Clericus à Te, qui es animata Cleri Regula, meo Patrocinium Operi quæro. Conſanguinei, cæterique Affines à Te, qui hac ætate Carafææ Gentis (quaſi alter priſtini Sęculi Splendor, IOANNES PETRVS CARAFA, dictus indè in PETRI Sede PAVLVS IV. Inclytus Noſtri Ordinis INSTITVTOR) es Luminare Maius, minora veluti à Sole Aſtra ſplendorem mutuantur; mutuabor & meum, vt in huius Libelli Fronte, Tuæ Lucis coruſcantè radio, clarior pateat Legentibus aditus, & inoffenſo pede, quæ ſunt hìc explanata, percurrant. Pro Noſtris Neapolitanæ Vrbis Conciuibus, hos de Duello ſcribendi Labores ſuſcepi; eat igitur Te Duce, Teque Patrono Libellus in Patriam, quæ Te Patre gloriatur Purpurato. Ad eliminanda Chriſtiano ex Orbe Duella, hoc fuit elimatum Opus; Tibi ergo Eccleſiaſtico Caduceatori, Paciſque amatori Principi, meritò offeratur. Ea omnia, quæ hìc formantur Argumenta, & Dei, & Naturæ; & Petri, & Cæſaris nituntur Iuribus: Iure igitur ſuo ad eum deuoluuntur, qui, & Diuina, & Humana, & Canonica, & Ciuilia illibato labore Iura peruoluit. Teſtis eſt Parthenopęa, ac Romana Academia, quæ Tuis vtraque Vocibus vocalior, Tua Eloquentia facundior, Tua Doctrina Sapientior, Tuis Moribus ornatior reddita, nihil habuit, quod pro accepto (Te Auditore) munere, par referret, quàm

Quibus ex Progenitoribus ortus fuerit hic Eminẽtiſſimus, & an Ipſe ſit decim⁹ Carafææ Gẽtis Cardinalis Vide Silueſtrũ Petraſancta Soc. Ieſu, *de Symbolis Heroicis*, Angelum Conſtantium, *in Hiſt. Familia Caraf.* Antoniũ Caracciolum *in Vita Pauli IV.* Nec deeſt, qui alios ſex ex Antiquis Monachis S. Benedicti Caſſinatib⁹, ſuper enumerẽt in Carafęa Gẽte Cardinales.

Neapoli, & Romæ Humanioribus Literis, Philoſophiæ, Theologię ac gemino Iuri operam dedit Eminẽtiſſimus, ac Doctoratus Lauream eſt adeptus.

vt contextis Philoſophicis, ac Theologicis, & gemino ex Iure Laureis, Tuum, dignum Sapientię Domicilium, redimiret Caput, Romanis Infulis exornandum. Patuit, ac placuit Tua Virtus PAVLIS, GREGORIIS, VRBANIS, INNOCENTIIS. His quatuor ex Eccleſiæ Paradiſo Fluuijs emanantibus, continuò fuiſti Gratiarum Aquis irrigatus: His quatuor ſpirantibus Auris, Tua ſemper fecundis velis Fama velificauit: His albis inuecta Quadrigis Tua Virtus, propitio Innocentij Sidere aurigante, in Vrbe modò purpurata triumphat. Eccleſiaſtica munera (vbi Te Romana Aula excepit) felici Burgheſiæ Aquilæ auſpicio es auſpicatus, PAVLO V. Ferrariæ Prolegationem Tibi decernente. Primam FERRARIENSIS PROLEGATVS, quaſi ferream inuerſo ordine duxiſti ætatem, vt poſtremam, maiori cum Eccleſiæ fœnore, ac incremento duceres auream. Concepta in omnium animis de Tua ſingulari Prudentia firma opinio, magis magisq; firmata eſt, vbi FIRMI PROVINCIAM à GREGORIO XV. moderandam accepiſti; at firmata tunc non eſt præceps Fortunæ Rota, vt ad ſublimiora voluentibus annis euolueretur, VRBANO VIII. Te cum poteſtate Legati à Latere Nuncium mittente, geminis & Charitatis, & Prudentiæ munitus alis, vt ab Ioue miſſus, Sacer euolaſti Mercurius, feros hominum cultus voce formaturus: Tuæ facundiæ dulcedine in GERMANICA LEGATIONE, ſaxea Hæreticorum corda ad conſtruendam Beatam Hieroſolymam, quæ viuis conſtruitur ex lapidibus, traxiſti: Traxiſti immò & Flumina, dùm ad Tractum Rheni Te APOSTOLICI LEGATI munus obeunte, Rhenus Tiberim obſequioſus adorauit. Decennio

Fuit primùm à Paulo V. cõſtitutus Ferrariæ Prolegatus.

Greg. xv. Firmi Prouinciã Moderandam Ei dedit, eamq; integro bienno eſt moderatus.

Ab Vrbano viij. Legatus Apoſtolicus ad Tractũ Rheni, atque ad Prouincias Inferiores Germaniæ miſſus, Legationẽ decennio ſũma cum laude peregit.

Vide Legationem Apoſtolicã ab eodem Emi nent. Dño edita Leodij, anno 1634.

Troiam illam obſediſti, vt in cinerem, ac fauillam redacta Hæreſi, noua Catholicæ Fidei mœnia ædificares, ac veræ Religionis Arcem extrueres. Redijſti de Legatione (vt cum Bernardo loquar) *fatigatus quidem, ſed non ſuffarcinatus: ſimul & glorians, non quòd curioſa, ſeù precioſa quæque Terrarum attuleris; ſed quòd reliqueris Pacem Regnis, Legem Barbaris, Quietem Monaſterijs, Eccleſijs Ordinem, Clericis Diſciplinam, Deo Populum acceptabilem, Sectatorem bonorum operum*. TRICARICENSEM hic non memoro ECCLESIAM, quæ Te Sponſo, Virtutum omnium ſuffulta floribus, ac ſtipata malis, Diuinò languebat Amore: Quę Te Parente, innumeris Gratiarum dotata diuitijs, modò in Spirituale Connubium à Primarijs eſt expetita Pręſulibus: Quę Te Paſtore, Paſcua inuenit fertiliſſima; aberrantes reuocauit Oues, & inuadentes non formidauit Lupos. Tuis ſunt hęc omnia meritis inferiora. Me TVÆ rapit PVRPVRÆ ſplendor, ad quam Tuorum Innocentia morum Te duxit; vocauit, adſciuitque, Re & Nomine INNOCENTIVS. Huic Apoſtolico ATLANTI; Catholicum Orbem iàm ſtrenuè portanti, Tu, Cęterique Eminentiſſimi Purpurati, tot veluti Sacri Hercules ſemper adeſtis: Tot veluti Euangelici Aarones huic Romano MOYSI, feliciter nunc regnanti aſſiſtitis: Huic pro Domino Deo Exercituum, Zelo Zelanti ELIÆ, Eliſæi Spiritu miniſtratis. Eccleſiaſticum Cælum Tuo quoque Sidere coruſcat: abſconditus Regni Cælorum Theſaurus, Tuo etiam flammas imitante Pyropo fulget, ac diteſcit: Tuis Sponſæ Hortus purpuraſcit ac fragrat Roſis: Tuo pariter vniuerſa denique Terra Cardine fulcitur. Conceptam ab INNOCENTIO de Te expectationem

iàm

Bernard. ad Eugenium Papam, de Conſideratione lib. 4 cap. 6.

Ad Tit. ij

Ab eodem Pontifice Tricaricenſis Eccleſiæ Antiſtes creatus, eam Eccleſiã xx. annos rexit.

Fulcite me florib' ſtipate me malis, quia amore langueo. Voces ſunt languētis Eccleſiæ ad Antiſtites, Doctores, ac Sacerdotes. Ghiſlerius in Cantica c. 2. verſ. 5. expoſ. 2.

Fuit ab Innocent. X. Presbyter Card. Tit. S. Martini in Montibus creatus die 6. Martij 1645.

Intereſt Congreg. de Propaganda Fide, de Immunitate Eccleſiaſtica, Sac. Côc. Trid. cuius Sigillum quoq; retinet; Signaturę Gratiarũ, &c.

Summus Pontifex Innocentius X. Atlãti, Moyſi, & Eliæ cõparatur ob Fortitudinem, Poteſtatẽ, ac Zelum. Cardinales omnes Herculi, Aaroni, & Eliſæo ſimiles. Purpuratorũ Collegium inſtar Cæli, Theſauri, & Horti, quot Purpuratis, tot fragrat Roſis, diteſcit Pyropis, coruſcat Sideribus.

iàm æquaſti, multiſque quotidiè inter Romanæ Aulæ negotia laboribus confirmas, nè dicam, ſuperas. Si vniuerſum per Orbem diſſeminanda eſt Catholica Fides, Tu cæteris cum Propagandæ Fidei Collegis, manum extendis: Si Tridentini Senatus-Conſulta ſunt euoluenda, ac euoluta obſignanda, Tu Sigillum admoues: Si pro Eccleſiaſtica pugnandum eſt Immunitate, Tu, ac reliqui Militantis Eccleſię Eminentiſſimi Principes Clypeum opponitis, Gladium euaginatis: Si Gratiarum deſignanda ſunt Dona, Tu inter cæteros deſignaturus accedis: Te Patrono, Te Mecœnate adoleſcit in Collegijs Doctrina: Te Cuſtode, Te Cherub, in delicioſos Cœnobiorum Paradiſos, Tartarea non ingrediuntur Monſtra: Te Cenſore viget in tuæ Aulæ moribus Diſciplina. Talem denique Te videre Mihi videor, qualem Bernardus votis optauit, & calamo delineauit Summi Pontificis Collateralem Purpuratum, quales, inquam, ſingulari Diuinæ Prouidentiæ beneficio, nunc in Vaticano Senatu omnes intuemur Eminentiſſimos Patres, *Compoſitos ad Mores, Probatos ad Sanctimoniam: Paratos ad Obedientiam, Manſuetos ad Patientiam: Subiectos ad Diſciplinam, Rigidos ad Cenſuram: Catholicos ad Fidem, Fideles ad Diſpenſationem: Concordes ad Pacem, Conformes ad Vnitatem: in Iudicio Rectos, in Conſilio Prouidos, in Iubendo Diſcretos, in Diſponendo Induſtrios, in Agendo Strenuos, in Loquendo Modeſtos, in Aduerſitate Securos, in Proſperitate Deuotos, in Zelo Sobrios, in Miſericordia non Remiſſos, in Otio non Otioſos, in Hoſpitio non Diſſolutos, in Conuiuio non Effuſos, in Cura rei familiaris non Anxios, Alienæ non Cupidos, Suæ non Prodigos, vbique & in omnibus Circumſpectos.* Multa hic in Tui ſingularem laudem enumeranda (EMINENTISSIME PRINCEPS)

Protector eſt multorū Ordinum Regularium, & Collegiorum in Vrbe, &c.

Bernard. vbi ſuprà.

Vera S. R. E. Card. Idea, ex D. Bernardo delineata.

Tua

GREGORIVS CARAFA

CLER. REG.

DE

MONOMACHIA

SEV

DVELLO.

NAPOLI


Regul.m Fundator
Clericor
B. Ioannes C.R. B. Andreas C.R. B. Caietanus
Paulus IV Clericor
Regul.m
Fundator Paulus Card. de Aretio C.R.
IN HOC SIGNO VINCES
CARDINALIS CARAFA PETRVS ALOYSIVS
DE MONOMACHIA
SEV
DVELLO
OPVS THEOLOGICO-MORALE
AVTHORE
GREGORIO CARAFA
CLER. REGVLARIV
PRÆP.O GNLI

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

EMINENTISSIMO,

ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI

PETRO ALOYSIO

CARAFAE

S. R. E. CARDINALI.

GREGORIVS CARAFA CLER. REG. PRÆPOSIT. GENERAL.

Felicitatem Perennem.

DVELLICVM in Pace peractum, OPVS, in Litterariæ Reipublicæ Palæſtram producturus, eius à Te, EMINENTISSIME PRINCEPS, Patrocinium expoſcere non auderem, niſi Sacris ex Litteris, Mihi in mentem rediret, Dauidem ſumma cum laude abſoluto Duello; & victrici manu, obtruncata Superbi ceruice Gigantis, Duellica Arma, Philiſtino cruore madentia, in Domini Tabernaculo repoſuiſſe: vt nimirùm, quo auſpice Deo, Duellum inierat; eidem fauſtum Duelli euentum referret acceptum: ibique inter byſſina, ac purpurea vela, purpurata hoſtili ſanguine, fulgida penderent Arma; armis vbi Cæleſtibus armatus, in Dei Exercituum nomine proceſſerat in Hoſtem: & quo tuente Numine, Goliathi contempſerat minas, eodem protegente, Saulis declinaret Inuidiam, Inuidiæque ſobolem ſuperaret Calumniam, leniret odia, ludibria par-

Lib. 1 Reg. cap. 17. Aſſumens autẽ Dauid caput Philiſtæi, attulit illud in Hieruſalẽ: arma verò eius poſuit in Tabernaculo ſuo, hoc eſt, in Tabernaculo Domini. Vgo Cardinalis, & Gloſſa ibi.

uipen-

uipenderet. Ideoque (ſi licet in paruis, exemplis grandibus vti) Dauidis Ego admonitus exemplo, DVELLICVM hoc OPVS, licet Arma, Cædes, ac Sanguinem ſpirans; ad EMINENTIAM TVAM, tanquàm ad Aram, ac Virtutum omnium Tabernaculum, humili obſequio libenter defero, ac deuotè ſuſpendo. Regularis Ego Clericus à Te, qui es animata Cleri Regula, meo Patrocinium Operi quæro. Conſanguinei, cæterique Affines à Te, qui hac ætate Carafææ Gentis (quaſi alter priſtini Sęculi Splendor, IOANNES PETRVS CARAFA, dictus indè in PETRI Sede PAVLVS IV. Inclytus Noſtri Ordinis INSTITVTOR) es Luminare Maius, minora veluti à Sole Aſtra ſplendorem mutuantur; mutuabor & meum, vt in huius Libelli Fronte, Tuæ Lucis coruſcantè radio, clarior pateat Legentibus aditus, & inoffenſo pede, quæ ſunt hic explanata, percurrant. Pro Noſtris Neapolitanæ Vrbis Conciuibus, hos de Duello ſcribendi Labores ſuſcepi; eat igitur Te Duce, Teque Patrono Libellus in Patriam, quæ Te Patre gloriatur Purpurato. Ad eliminanda Chriſtiano ex Orbe Duella, hoc fuit elimatum Opus; Tibi ergo Eccleſiaſtico Caduceatori, Paciſque amatori Principi, meritò offeratur. Ea omnia, quæ hic formantur Argumenta, & Dei, & Naturæ; & Petri, & Cæſaris nituntur Iuribus: Iure igitur ſuo ad eum deuoluuntur, qui, & Diuina, & Humana, & Canonica, & Ciuilia illibato labore Iura peruoluit. Teſtis eſt Parthenopęa, ac Romana Academia, quæ Tuis vtraque Vocibus vocalior, Tua Eloquentia facundior, Tua Doctrina Sapientior, Tuis Moribus ornatior reddita, nihil habuit, quod pro accepto (Te Auditore) munere, par referret, quàm

Quibus ex Progenitoribus ortus fuerit hic Eminentiſſimus, & an Ipſe ſit decim⁹ Carafææ Gẽtis Cardinalis Vide Silueſtrũ Petraſancta Soc. Ieſu, *de Symbolis Heroicis*, Angelum Conſtantium, *in Hiſt. Familia Caraf.* Antoniũ Caracciolum *in Vita Pauli IV.* Nec deeſt, qui alios ſex ex Antiquis Monachis S. Benedicti Caſſinatib⁹, ſuper enumerẽt in Carafęa Gẽte Cardinales.

Neapoli, & Romæ Humanioribus Literis, Philoſophiæ, Theologię ac gemino Iuri operam dedit Eminẽtiſſimus, ac Doctoratus Lauream eſt adeptus.

vt contextis Philoſophicis, ac Theologicis, & gemino ex Iure Laureis, Tuum, dignum Sapientię Domicilium, redimiret Caput, Romanis Infulis exornandum. Patuit, ac placuit Tua Virtus PAVLIS, GREGORIIS, VRBANIS, INNOCENTIIS. His quatuor ex Eccleſiæ Paradiſo Fluuijs emanantibus, continuò fuiſti Gratiarum Aquis irrigatus: His quatuor ſpirantibus Auris, Tua ſemper ſecundis velis Fama velificauit: His albis inuecta Quadrigis Tua Virtus, propitio Innocentij Sidere aurigante, in Vrbe modò purpurata triumphat. Eccleſiaſtica munera (vbi Te Romana Aula excepit) felici Burgheſiæ Aquilæ auſpicio es auſpicatus, PAVLO V. Ferrariæ Prolegationem Tibi decernente. Primam FERRARIENSIS PROLEGATVS, quaſi ferream inuerſo ordine duxiſti ætatem, vt poſtremam, maiori cum Eccleſiæ fœnore, ac incremento duceres auream. Concepta in omnium animis de Tua ſingulari Prudentia firma opinio, magis magiſq; firmata eſt, vbi FIRMI PROVINCIAM à GREGORIO XV. moderandam accepiſti; at firmata tunc non eſt præceps Fortunæ Rota, vt ad ſublimiora voluentibus annis euolueretur, VRBANO VIII. Te cum poteſtate Legati à Latere Nuncium mittente, geminis & Charitatis, & Prudentiæ munitus alis, vt ab Ioue miſſus, Sacer euolaſti Mercurius, feros hominum cultus voce formaturus: Tuæ facundiæ dulcedine in GERMANICA LEGATIONE, ſaxea Hæreticorum corda ad conſtruendam Beatam Hieroſolymam, quæ viuis conſtruitur ex lapidibus, traxiſti: Traxiſti immò & Flumina, dùm ad Tractum Rheni Te APOSTOLICI LEGATI munus obeunte, Rhenus Tiberim obſequioſus adorauit. Decennio

Fuit primùm à Paulo V. cõſtitutus Ferrariæ Prolegatus.

Greg. xv. Firmi Prouinciã Moderandam Ei dedit, eamq; integro biẽnio eſt moderatus.

Ab Vrbano viij. Legatus Apoſtolicus ad Tractũ Rheni, atque ad Prouincias Inferiores Germaniç miſſus, Legationẽ decennio ſũma cum laude peregit.

Vide Legationem Apoſtolicã ab eodem Eminent. Dño editã Leod. an. 1634.

Troiam illam obſediſti, vt in cinerem, ac fauillam redacta Hæreſi, noua Catholicæ Fidei mœnia ædificares, ac veræ Religionis Arcem extrueres. Redijſti de Legatione (vt cum Bernardo loquar) *fatigatus quidem, ſed non ſuffarcinatus: ſimul & glorians, non quòd curioſa, ſeù precioſa quæque Terrarum attuleris; ſed quòd reliqueris Pacem Regnis, Legem Barbaris, Quietem Monaſterijs, Eccleſijs Ordinem, Clericis Diſciplinam, Deo Populum acceptabilem, Sectatorem bonorum operum.* TRICARICENSEM hìc non memoro ECCLESIAM, quæ Te Sponſo, Virtutum omnium ſuffulta floribus, ac ſtipata malis, Diuino languebat Amore: Quę Te Parente, innumeris Gratiarum dotata diuitijs, modò in Spirituale Connubium à Primarijs eſt expetita Pręſulibus: Quę Te Paſtore, Paſcua inuenit fertiliſſima; aberrantes reuocauit Oues, & inuadentes non formidauit Lupos. Tuis ſunt hęc omnia meritis inferiora. Me TVÆ rapit PVRPVRÆ ſplendor, ad quam Tuorum Innocentia morum Te duxit; vocauit, adſciuitque, Re & Nomine INNOCENTIVS. Huic Apoſtolico ATLANTI; Catholicum Orbem iàm ſtrenuè portanti, Tu, Cęterique Eminentiſſimi Purpurati, tot veluti Sacri Hercules ſemper adeſtis: Tot veluti Euangelici Aarones huic Romano MOYSI, feliciter nunc regnanti aſſiſtitis: Huic pro Domino Deo Exercituum, Zelo Zelanti ELIÆ, Eliſæi Spiritu miniſtratis. Eccleſiaſticum Cælum Tuo quoque Sidere coruſcat: abſconditus Regni Cælorum Theſaurus, Tuo etiam flammas imitante Pyropo fulget, ac diteſcit: Tuis Sponſæ Hortus purpuraſcit ac fragrat Roſis: Tuo pariter vniuerſa denique Terra Cardine fulcitur. Conceptam ab INNOCENTIO de Te expectationem

Bernard. ad Eugenium Papam, de Conſideratione lib. 4 cap. 6.

Ad Titū ij

Ab eodem Pontifice Tricaricēſis Eccleſiæ Antiſtes creatus, eam Eccleſiā xx. annos rexit.

Fulcite me florib⁹ ſtipate me malis, quia amore langueo. Voces ſunt languētis Eccleſiæ ad Antiſtites, Doctores, ac Sacerdotes. Ghisleriꝰ in Cantic. c. 2. verſ. 5. expoſ. 2.

Fuit ab Innocent. X. Presbyter Card. Tit. S. Martini in Montibus creatus die 6. Martij 1645.

Intereſt Congreg. de Propaganda Fide; de Immunitate Eccleſiaſtica, Sac. Cōc. Trid. cuius Sigillum quoq; retinet; Signaturę Gratiarū, &c.

Summus Pontifex Innocentius X. Atlāti, Moyſi, & Eliæ cōparatur ob Fortitudinem, Poteſtatē, ac Zelum. Cardinales omnes Herculi, Aaroni, & Eliſæo ſimiles. Purpuratorū Collegium inſtar Cæli, Theſauri, & Horti, quot Purpuratis, tot fragrat Roſis, diteſcit Pyropis, coruſcat Sideribus.

iàm æquaſti, multiſque quotidiè inter Romanæ Aulæ negotia laboribus confirmas, nè dicam, ſuperas. Si vniuerſum per Orbem diſſeminanda eſt Catholica Fides, Tu cæteris cum Propagandæ Fidei Collegis, manum extendis: Si Tridentini Senatus-Conſulta ſunt euoluenda, ac euoluta obſignanda; Tu Sigillum admoues: Si pro Eccleſiaſtica pugnandum eſt Immunitate, Tu, ac reliqui Militantis Eccleſię Eminentiſſimi Principes Clypeum opponitis, Gladium euaginatis: Si Gratiarum deſignanda ſunt Dona, Tu inter cæteros deſignaturus accedis: Te Patrono, Te Mecœnate adoleſcit in Collegijs Doctrina: Te Cuſtode, Te Cherub, in delicioſos Cœnobiorum Paradiſos, Tartarea non ingrediuntur Monſtra: Te Cenſore viget in tuæ Aulæ moribus Diſciplina. Talem denique Te videre Mihi videor, qualem Bernardus votis optauit, & calamo delineauit Summi Pontificis Collateralem Purpuratum, quales, inquam, ſingulari Diuinæ Prouidentiæ beneficio, nunc in Vaticano Senatu omnes intuemur Eminentiſſimos Patres, *Compoſitos ad Mores, Probatos ad Sanctimoniam: Paratos ad Obedientiam, Manſuetos ad Patientiam: Subiectos ad Diſciplinam, Rigidos ad Cenſuram: Catholicos ad Fidem, Fideles ad Diſpenſationem: Concordes ad Pacem, Conformes ad Vnitatem: in Iudicio Rectos, in Conſilio Prouidos, in Iubendo Diſcretos, in Diſponendo Induſtrios, in Agendo Strenuos, in Loquendo Modeſtos, in Aduerſitate Securos, in Proſperitate Deuotos, in Zelo Sobrios, in Miſericordia non Remiſſos, in Otio non Otioſos, in Hoſpitio non Diſſolutos, in Conuiuio non Effuſos, in Cura rei familiaris non Anxios, Alienæ non Cupidos, Suæ non Prodigos, vbique & in omnibus Circumſpectos*. Multa hìc in Tui ſingularem laudem enumeranda (EMINENTISSIME PRINCEPS)

Protector eſt multorũ Ordinum Regularium, & Collegiorum in Vrbe, &c.

Bernard. vbi ſuprà.

Vera S. R. E. Card. Idea, ex D. Bernardo delineata.

Tua

Tua me prohibet Modeſtia in medium proferre; calamum proindè libenter contraho. Supplex tamen TVAM rogo EMINENTIAM, vt HOC qualecumque eſt OPVS, ſi quid à tot gerendis negotijs, Tibi otij ſupereſt, aliquandò peruoluas: & quàmuis Arma, ac Duella loquatur; alienum tamen non videtur omninò ab Eccleſiaſtico Principe, Arma in Ore habere; cùm & ipſe CHRISTVS, cuius in terra ſimulacrum ſunt Principes, Duellicum veluti gladium in ore habentem, ſeſe oſtenderit: *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*. Erit non vltima mei Libelli Laus, ſi tanto Principi placuerit:

Apocalyp. 2.

Principibus placuiſſe Viris non vltima Laus eſt.

Horatius lib. 1. Epiſt. 17.

Vale EMINENTISSIME PRINCEPS, Teque diù Chriſtiano Orbi Incolumem ſerua. Romæ, in noſtra Quirinali Domo: Recurrente, Collatæ Tibi ab INNOCENTIO Purpuræ, memoranda, alboque lapillo ſignanda Die Sexta Martij. Anno XXXXVII. Sæculi ab Orbe Redempto XVII.

Petri

Petri Aloyſij Emin.[mi] Cardinalis Carafæ

I C O N.

ABijce Phœbe lyram, argutumque imitata Timanthem
Fingat Romulei Principis ora manus.
Magna ſed in paruo ſignet, vultuſque teramlos
Contrahat anguſto margine tela breuis.
Maior in exiguo labor eſt, & gloria: punctum,
Plurima qui paucis dixerit, ille tulit.
Inclyta quos oculis, frontique afflauit honores
Parthenope, hos bellè linea prima notet.
Regia mox vultu Maieſtas ſpiret Auorum,
Et totum in roſeo ſplendeat ore Genus.
Immixtus grauitate lepor ſtet fronte, venuſtas
Mulceat & comis grande ſupercilium:
Innatet atque genis candor ſincerus, aperti
Exprimat ingenuas pectoris ille niues.
Oraque deſcribat facundæ gratia linguæ,
Gui parca, at quæ fert grandia vena fluit.
Iam, Caput auguſtum, doctæque ſacraria mentis
Pingere qui valeat carmine nullus erit.
Par Orbi ingenium; complectitur ardua Mundum
Vis animæ, culta & pectora nulla latent.
Sæpè alſit, iuuit ſæpè impalleſcere chartis,
Suetus Iura hominum voluere, Iura Dei.
Nec grauior Pallas, rigidumque induta Catonem,
Reppulit à ſtudijs otia amœna ſuis.
Ingenij fauet illecebris, Muſiſque diſertis;
Flos latius, graiæ munditiæque placent.
Perge. renidenti diues ſtet fronte Thiara,
Et religet ſacrum vitta latina Caput.
Pendula & ex humeris fluat Infula, fulgeat auro
Luſa chlamys, quaſſet ſceptraque torta manus.
Hoc Paſtor Lucanus Oues hoc diuite cultu
Rexit, & hoc Populis publica Iura dedit.
Munifica Princeps dextra, fuit ore verendo
Antiſtes, Cenſor fulmine, amore Pater.

Quà vitrea Eridani Phaëton tumulatur in vrna,
Gemmea & Heliadum lachryma ditat aquas,
Aſtræam Cælo reuocat, reducemque tuetur,
Pendit, nec pendet pondere libra pari.
Fax ſcelerum, recti vindex, myſta inclytus æqui,
Quæ torquet Themidis tela vel ipſa placent.
Artibus his pulchrè Picenis regnat in oris,
Temperat & facili ſceptra Quirina vice.
Aurea frana manu ſed dum moderatur, ab axe
Cæſam Auſonio Gens peregrina vocat.
Itque ardens gelidam vittatus Præſul ad Arcton,
Belgica vt Vrbanis faſcibus aſtra regat.
Viuidet, vt frontem veneratur mitior Vrſa,
Et flagrare ſuas gaudet amore niues.
Murmure plaudit, Io, Rhenus, patrioque reuinctas
Frigore, in amplexus ſoluere viſus aquas.
Genti grata Viri probitas, mentiſque profundæ
Conſilium, & niueo in pectore cana fides.
At iam Cæſaries Romano fulgurat oſtro,
Et tyrius merito crine ſuperbit apex.
Purpura at erubuit, ſeris quòd pigrior annis
Venerit, & lento murice dona tulit.
Gloria PAMPHILIO nempè hæc ſeruata Quirino eſt,
Auxerit Is tanto ſydere Romulidas.
Magna dedit, maiora refert: hoc pulchrius oſtro
Ardua PAMPHILIVM fertur ad aſtra decus.
Contrahe Phœbe manum: ſat linea docta loquuta eſt,
Et vetat ingenuus longiùs ire pudor.
Tantùm ſiſte bono vultus in lumine, & inter
Pendeat Effigies ſydera, digna loco.

D. Ioſeph Sylos Clericus Regularis.

Bellè

ELOGIVM

Bellè. Appoſitè. Ingenioſè.
GREGORI. CARAFA.
Regularium. Proto-Præſul. Clericorum.
Eorumque. exacta. Forma.
Prophanam. Inſanam. Væſanam.
MONOMACHIAM.
Abs. Te. Tenebris. eductã. maculis. expiatã. nodis omnib. exſolutã.
SACRAS
EMINENTISS. PETRO. ALOYSIO. CARAFÆ.
Myſtarum. Proto-Myſtæ.
Pietatis. Vindici.
In. quo.
De. Purpuræ. Præmio. DVELLO. certant.
Splendida. Nobilitas. &. Viuida. Virtus.
Illa. Huic. ſupergredienti. vel. non. cedens. Honorem. addit.
Hæc. Illi. Prælucenti. vel. reluctans. ſplendorem. auget.
Modeſtia. Magnitudinem. Animi.
Humilitas. Celſitudinem. Spei.
Comitas. Maieſtatis. Decus.
Nititur. Supplantare.
Cum. Probitate. Vis. Ingenij. Congreditur.
Humanis. Philoſophica.
Theologicis. Iurium. Vtrorumque. Studia.
Cedere. Renuunt.
Exantlati. Labores. Præclara. Facinora.
In. Prolegatione. Ferrarienſi. &. Præfectura. Firmana;
In Legatione. ad Inferiorem. Germaniã. & Epiſcopatu. Tricaricenſi.
De. Primatu. Meritorum. Decertant.
O SACRAM MONOMACHIAM.
Cui
PAVLVS. GREGORIVS. VRBANVS. INNOCENTIVS.
PP. MM.
Certatim. Conſpirantes. Præmia. Contulerunt.
Congrua. Non. Condigna.
Hoc. Vnus. Tandem. DEVS. Optimus. Maximus.
Se. Ipſum. Pro. Corona. exhibens.
Cumulatè. Præſtabit.

Hæc Vota Fundebat ex Animo ſupplicabundus
D. Petrus Campana Cler. Reg.

ANAGRAMMA.

PETRVS ALOYSIVS CARDINALIS CARAFA.

Anagramma

SACER FILIVS PACIS AD CLARIORA NATVS.

Explicatur Elogio

Ad componendos Duellantium animos
Præclarum hoc de Duello compoſuit Opus
GREGORIVS CARAFA
Digniſſimus in Regularium Agmine Clericorum Anteſignanus,
Ioannis Petri Carafæ Succeſſor;
Eiuſque non Familiæ tantùm, ac Dignitatis,
Sed & Virtutum pariter Hæres;
Heros eſt ſiquidem almo Parenti ſuo tàm ſimilis,
Vt his duobus è Caraſæa ſtirpe Præſulibus,
Duobus velut in Polis,
Theatinæ Religionis Cœlum hactenùs obfirmatum effulſerit.
Cùm igitur ad deprimendas Duellantium iras fuerit hoc Opus im-
Nemini aptiùs dicari poterat, quàm TIBI, preſſum,
EMINENTISSIME PRINCEPS,
Quem Pacis teſtantur Filiũ non modò pręclari tui Nominis apices,
Sed eximiæ quoque virtus,
Qua bellicos in Germania compoſuiſti tumultus,
Tuus animi candor tunc maximè pacis amans apparuit,
Cùm cruentis conſuluiſti diſſidijs
Veriùs tamen dictus es Filius Pacis,
Cùm candida Te Columba oliuifero procreauit ore Purpureum,
Ex quo nõ Pacis tantùm, ſed & Columbę Filiũ iure merito dixerim.
Felix euentus; vt qui Petri gerebas nomen, Filius Columbæ fieres;
Nullus enim Mortalium & Petrus dici poteſt, & Filius Columbæ,
Te dumtaxat, & Principe Apoſtolorum exceptis.
Clauditur hoc in ipſo tuo nomine Myſterium,
Cuius ſi alio diſponantur ordine litteræ,
In hoc incides Vaticinium;
SACER FILIVS PACIS AD CLARIORA NATVS.

D. Ioannes Montoya Clericus Regularis
R.mi P. Generalis à Secretis.

PETRVS ALOYSIVS CARDINALIS CARAFA.

Anagrammata.

I.
Aurifer Hortus das cana Lilia Pacis.

II.
Aurea Chryſtallus, ac Paradiſi Fons.

III.
Auis præclara, ac nitidus Flos Agri.

IV.
Fauus eris à Roſa aprica diſtillans.

V.
Roſas, ac Lilia Frons tua ſacra videt.

VI.
Curris; quaſi Apis inclyta ad flores.

Explicantur Carmine.

Heſperides ſileant rutilans in fructibus Aurum;
Nec ſua Iapetus germina ficta canat.
Iam nouus in noſtris efflornit aureus oris
Hortus, & alma nouis eſt ſata Roma roſis.
AVRIFER eſt HORTVS CARAFA ter inclytus Heros,
Purpura quem decorat, ſit licet intùs Olor.
Hortus, quem nitidis CHRYSTALLINVS irrigat vndis
FONS, cùm de placido pectore verba fluunt.
FLORIBVS ornatur millenis; cùm ſua virtus
Vndique perrumpens germina mille parit.
Ceù ROSA APRICA FAVVM DISTILLANT Labra iucundum,
Mollior hyblæis eſt ſua Lingua roſis.
Si niueam FRONTEM decoratam murice ſpectes,
Cernes purpureis LILIA mixta ROSIS.
Exhilaratque ſuis AVIS INCLYTA cantibus Auras,
Et thyma peruolitans ceù noua carpit APIS.
Delicias igitur, verus quibus affluit HORTVS,
Nobile CARAFÆ Nomen, vt HORTVS, habet.
Quique ſuum Nomen profert, hæc omnia nectit;
MEL, ROSA, FONS, & AVIS, LILIA, FLOS, & APIS.

Idem D. Ioannes Montoya Clericus Regularis.

PETRVS ALOYSIVS CARDINALIS CARAFA.

Anagrammata.

I.

Vir Pius, ac Fortis ad clara ſaliens

II.

Lucis es Radius, ac Frater Apollinis.

III.

Aſtro nátus ſuprà alia Sydera ſelici.

IV.

Ad ipſa curris Aſtra felicia volans.

V.

Fulges clarior Aſtris, ac ipſa Diana.

VI.

Vt Sol irradians Sydera clara facis.

Explicantur Exaſtico.

Æthereum celebrare Virum iam deſinat audax
Terra, nec herbiferis miſceat Aſtra plagis.
Semideum conferre ſuis quid nititur Hortis
CARAFAM? hunc Terris Aſtra dedere Virum!
Fulgeat ergo hilaris cæleſti lumine vultus,
Aſtraque dent blando quidquid in Ore nitet.
Clauditur aſtriferum CARAFÆ in nomine Cælum,
Luceque certatim fulget vtrumque pari:
Vertitur aſſiduis in gyrum motibus Æther;
LVNAque mox radiat, SOL modò, & ASTRA micant.
Sic quoque ſuccedet SOL ASTRIS, LVNAQVE SOLI;
CARAFÆ at nomen vertere ritè ſcias.

Idem D. Ioannes Montoya Clericus Regularis.

ELOGIVM.

In PETRO ALOYSIO CARAFA Neapolitano
Nobilitate Doctrina Eloquentia Integritate Titulo
Eminentiſſimo
Splendorem, non tàm à Maioribus
Militia Magiſtratibus Sacerdotijs ijsque ſummis
Inclytis,
Quàm ſibi factis præclariſſimis comparatam
Recognoſcito.
Is enim
Dum pro Paulo V. Ferrariæ ageret Prolegatum
Sacram Præturam ita illuſtri geſsit modo,
Vt Aureum mox reddiderit quicquid ibi Ferreum
Vel inueniſſet vel reperiſſet.
Tùm à Gregorio XV. Firmanæ Prouinciæ Præfectus
Iudicia dictauit tam iuſta tam Firma,
Vt à Populo Ciuibus Magiſtratibus
Inanibus procul abactis,
In ijſdem
Solida Firmaret & augeret,
Dein ab Vrbano VIII. Tricaricenſium Epiſcopus inauguratus
Forma & Ductor gregis factus ex animo,
Nil prætermiſit quo omnes ab impedimentis Extricatos
Redderet expeditos promptos alacres
Ad viam ſalutis ineundam, currendam, percurrendam,
Mox Legatus ab eodem ad Tractum Rheni
Et ad Prouinciam Germaniæ inferioris,
Tam præclarè ſe Tractauit:
Vt cùm omnes Germanè eum dictitarent
Hæreſum Auerruncatorem acerrimum,
Chriſtianæ Fidei Propagatorem eximium,
Pauperum Patronum largiſſimum,
Diſcordiarum Pacatorem ſeduliſſimum,
Nullus vnquàm falſus haberetur.
Demùm ab INNOCENTIO X.
Inter PVRPVRATOS ſacros Senatores cooptatus,
Nullus eſt qui non fateatur
In eo faſtigio collocatum:
Vti eſſet in quo
S. R. E. Maieſtas,
Vera in Deum Diuoſque Pietas,

Pru-

Prudentiæ ſimulacrum,
Virtutum omnium imagines
Vbique, ſemper, cuicumque
Omnibus penè numeris ſeſe oſtentârent.
Tanto Viro
Voce publica voce vniſona
Celebrato
Hoc qualecumque Elogium
Tantulus licèt ſiet
L. M.
D. D: D.
D. Iacobus Dentice Clericus Regularis.

EPIGRAMMA.

SOrdibus exemptum Princeps INNOXIVS effert
PETRVM gaudentem corde litaſſe pio.
Puniceo inſontem regnanti deſtinat Oſtro.
Vt roſeo aſperſum munere Terra colat:
Dum PATER ex altis obiectat mente COLVMBAM,
Dat plauſum inſonti candidioris amans.
Ridet Olorinus propiùs contingere lucem
Dijs carus palla nobiliore color.
Palladiæ ſyluæ prætendens vndique ramos
Deligit ardentem culmina Pacis auens
Moribus INNOCVVS, MVREX, PALLASque DVELLO
Annuat: Accipitrem ſancta COLVMBA fugat.

D. Petrus Campana Cler. Reg.

ELOGIVM.

PETRO ALOYSIO CARAFÆ
S. R. E. Cardinali Ampliſsimo
Qui ſub Summis Pontificibus Paulo v. Gregorio xv. & Vrbano viii.
Ad Præcipua Munera euectus,
Præcipuas Laudes promeruit,
Quem Innocentiæ gloria conſpicuum,
Petri Cathedram INNOCENTIA obtinente,
Ad Eminentiam Purpuræ Eminentia Merita euexerunt,
Qui auctis Auitæ Nobilitatis Titulis,
Non tàm à Dignitate fulgorẽ ſumit, quàm nomen Dignitati facit,
Cuius Merita roſeam dum florent in Purpuram,
Florida reddunt, ac beata Sæcula.
Quo ad ſupremum Cardinalatus apicem exaltato
In ſuprema iure, ac meritò effuſus gaudia
Vniuerſus vbique Terrarum Orbis eſt gauiſus,
Cui omnia Sapientiæ arcana ſcrutanti
Omnium Sapientum animi deuinciuntur,
Meritò
De Singulari Prælio ſapientiſsimum Volumen offertur,
Dum præliatus Bella Domini
Acies Eccleſiaſticas toties direxit,
Fortes Chriſtianæ Reipublicæ Milites rexit,
Debiles ſumma pietate erexit,
Et Militantem Eccleſiam
Totius Vrbis, & Orbis admiratione,
Præclara Romanæ Aulæ Munera obeundo
Singulari Prudentia moderatur.
D. Chryſanthus Solarius Cler. Reg.

PETRVS ALOYSIVS CARAFA
Paſtoralis Regiminis Idea.
Purpuratæ Dignitatis Splendor.
Pontificum Munificentiæ Illex.
Magnarum Virtutum Index.
Summæ Prudentiæ Apex.
Scientiarum Omnium Vertex.
Literarum Omnigenarum Muſeum.
Sanctimoniæ non ſimulatæ Simulacrum.
Vrbis Amor; Orbis Delitiæ
FERRARIÆ
Dùm Prolegati munus obijt, Impietas abijt.

Nempè

ELOGIVM.

Nempè Ferrum commiſceri nequiuit Auro.

FIRMI

Prouinciam moderatus, firmiter Iuſtitiam eſt conſpicatus in

Parùm Prouinciam moderari; moderaturus cum Collegis Orbem.

TRICARICENSIS ECCLESIÆ

Infulis donatus, Inſulatam Eccleſiam reddidit.

Admirabilem Paſtorem ſe præbuit, cùm ſe Ouem exhibuit.

Pauit Gregem verbo Dei; qui ſuam mentem pauit Verbo Deo.

Totus fuit Suis, cùm totus Dei, nihil Sui.

GERMANIA

Cùm Legatum Apoſtolicum illum vidit, quaſi Apoſtolum vidit.

Cùm Legatione præfuit, Admirationi fuit.

Ablegauit Nequitiam; profligauit Hæreſim; colligauit Erebum

Ligatus Ipſe Religione, Pietate.

Poſtremò

Talis Meritorum Eminentia, in Eminenti Cardine eminet

AB INNOCENTIO DECIMO,

Summa totius Vrbis lætitia,

Totius Orbis gratulatione

PVRPVRATVR

Vt Innocentia, perfectò numero abſoluta,

Non niſi Purpurata videretur.

Dignus Purpura

Qui à Purpura non expetita, expetitus.

Imò

Nunquàm ſine Purpura, quiá nũquam ſine Eminentiá Meritorum

Ideò

Purpuraſcit Virtus, cùm in eo Purpuraſcit Habitus

Ità vt iure dubites

Maiorem ſplendorem Purpura contulerit, an retulerit.

Ad Eum

Tanquàm ad proprium Domicilium Purpura aduolauit,

Vt à Purpura labes auolarent:

Auxit in Dignitate Dignitatem.

Cogitauit ſemper

Magnam fabricam conſtruere celſitudinis Meritorum.

Timuit nunquàm

Mundialium Ventorum impulſu impelli.

Fundatus enim erat ſuprà firmam PETRAM.

D. Ioannes Azzolinus Cler. Reg.

LECTORI MEO.

Occaſio ſcribendi de Duello

COMMORANTI Mihi præteritis Menſibus Neapoli, Noſtroque Clericorum Regulárium Ordini viſitándo, vt Mei Muneris ratio poſtulabat, intento; quadam die præter expectationem nunciatum eſt, Meum ex Sorore Nepotem MARCELLVM, dignam AVRILIÆ Gentis Sobolem, Beneuenti cùm ANDREA SANFELICIO (ſunt ambo prima florentes ætate, Patricij Neapolitani ambo) Singulare iniuiſſe Certamen. Cùmque certioribus Nuncijs, Duelli euentum ſollicitè præſtolaremur; cœptum eſt interim à multis Nobilibus, qui fortè tunc mecum in Noſtra Paulina aderant Domo, de Duello miſceri Colloquium. Sciſcitabantur Quidam, Quis Duelli Auctor extitiſſet? Vbinàm Gentium magis Eius vſus vigeret? Quot Cladibus Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Orbem denique Vniuerſum funeſtaſſet? Nonnulli, quorum animos Pietás, ad Religio tetigerat, nùm ſemper, quærebant, pro venia impetranda, Romani Pontificis expectandum foret Diploma, an verò ſat eſſet; Ordinarios Locorum Antiſtites, vel etiam conſuetos Conſcientiæ Moderatores adire Regulares? Alij alacrioris Ingenij, qui ſub Scholaſtico Parthenopææ Academiæ Cœlo adoleuerant, addebant; Quid ſi Formale non iniretur Duellum, non loco, non tempore indicto? Quid ſi Pugna non ſequeretur? Quid ſi non ſe occidendi, nec vulnerandi animo, ſed læſo tantùm conſulendi Honori, ad Duellicam properarent Palæſtram? Singuli demùm, vt in huiuſmodi Moralium rerum colloquijs contingere ſolet, Singula propoſuere Dubia, quibus omnibus, iuxtà mei Ingenioli Vires, ſatis conabar facere.

Rogantibus Neapolitanis Patricijs, hoc de Duello eſt Opus exaratum.

Verùm Illi enixè Me rogarunt, vt de Duello in Lucem aliquid ederem: Id Sibi, Cæteroque Nobilium Cœtui gratiſſimum fore atteſtantes. Haud difficile fuit tunc petentibus Amicis promittere. Itàque pollicitus ſum Eis, vbi Romam rediſſem, quicquid Mihi à gerendis Noſtri Or-

dinis Negotijs, otij ſupereſſet, huiuſmodi Studijs, vt Eis morem gererem, impendere. Quod, Deo adiuuante, præſtiti, & huius labentis Anni Quadrageſimiſexti, Iulio, Auguſto, ac Septembri Menſibus, hoc qualecumque eſt, Opus abſolui, & Kalendis Octobris, ſub fauſto Sanctiſſimorum auſpicio ANGELORVM, quorum feſtus dies tunc inciderat, hic Romę imprimendum tradidi.

Tacitæ Obiectioni ſatisfit.

A' Scriptoribus non exercitiũ, ſed doctrina eorũ, quæ ſcribunt, requiritur.

Hęc Te admonitum volui, Amice Lector, vt ſi qui Meos in hoc Duelli Opere ſcribendo ſuſceptos carpent labores, Tu meas benignè partes tuearis. Siquidem non defuturos credo, qui indignam, atque indecoram Regulari Clerico, iampridem Sacris initiato, atque Generali Ordinis Pręposito eſſe putabunt, Duellica hęc Argumenta tractare. Quibus reſpondeas velim; non Omnes, qui de Bello ſcripſere, fuiſſe Bellica Signa ſequutos: Qui de Matrimonio, Vxores duxiſſe: Qui de Homicidio, humano, atque hoſtili in Sanguine intinxiſſe calamum: Qui de Furto, & Rapina, rapuiſſe aliena: Qui de Schiſmate, ac Hęreſi, à Catholicę Fidei Gremio auulſos: Qui de Magia, Magicis Artibus operam dediſſe: Nec demùm Scriptores reliquos in Litterarię Reipublicę Luce florentes, Ijs, de quibus ſcripſerunt, agendis rebus fuiſſe intentos; ſed tamen ſtuduiſſe, vt docerent; Calamo, & Lingua docuiſſe, vt Alijs prodeſſent.

Duellicũ Hoc Opus non promouet, ſed remouet Chriſtiano ex Orbe Duella.

Horum Ego exemplo edoctus, de Duello ſcribere, haùd alienum à Religioſi calamo exiſtimaui. Pręſertìm, cùm Noſtris huiuſmodi Duellicis laboribus non promoueantur Duella, ſed remoueantur: Duellica non acuantur Arma, ſed retundantur: non Duellatorum Corporibus vulnera inferri, ſed Conſcientijs medelam adhiberi doceatur. Interrogatus olim Iphicrates: *Quis Tu es, qui tantos Spiritus tibi ſumis? Vtrùm Eques, an Sagittarius, an Veles, an Legionarius? Nihil horum*, inquit, *ſed qui his omnibus noui imperare*. Æmulabor in parte, & dicam; Non Ego Duellator, non Patrinus, non Duelli Iudex, aut Spectator, ſed qui horum omnium Conſcientijs conſulere aliquid poſſim, & ſuadere.

Plutarc. in Apophteg.

Non deerunt Alij, quibus Noſtrũ videbitur Opuſculum,

rudis

——— *rudis indigeſtaque Moles;*
Nec quicquam, niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum: (Ouid. Metamorph. lib. 1.)

Sed nouerint Hi, *Trimeſtre* hoc *Opus* eſſe. Quid trimeſtre? immò paucis intrà trimeſtre, non dicam diebus, ſed horis ſubceſiuis conceptum; atque abſolutum Opus. Neque vltrà illud differre licuit, nec eam ſeruare Scriptorum Legem, quibus præcipitur, vt ſi quid olim ſcripſerint, diù in lucem edi differatur (Tribus Menſibus fuit hoc Opus abſolutum.)

——— *nonumque prematur in annum.* (Horat. de Arte Poët.)

Non licuit, inquam, Sic poſtulantibus Amicis, per Litteras Mihi ſæpè in mentem reuocantibus illud: *Qui citò dat, bis dat.*

Conquerentur Alij Theologico-Moralium grauitatem Argumentorum, nonnullis amœniorum Litterarum floribus, præter morem ornari. Quibus tamen reſpondere ſit ſatis, Duellicum hoc Opus, vt Nobiliſſimis morem gererem Equitibus, exaratum à Me fuiſſe; quibus continuata illa Scholaſtici Styli ſeueritas, gracilitas, atque aſperitas, faſtidio potiùs, quàm oblectamento eſſe ſolet; ideòque nonnulla admiſcere operæ pretium fuit, quibus nobilium Lectorum animi deliniti, magis magiſque Theologico-Moralem hanc apprehenderent Doctrinam. (Tacitæ obiectionis ſolutio.)

Quòd ſi quos in Re Duellica hîc commendatos reperies, ſcias mi Lector, eorum Me Facinus deteſtari; Prudentiam tamen, aut Fortitudinem commendaſſe, non ſecùs ac *Lucæ* 16. *Laudauit Dominus Villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet, quia filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua;* vbi Gloſſa, *laudat* (inquit) *prudentiam eius, non quòd aduersùm Dominum fraudulenter egerit, ſed quòd pro ſe prudenter fecerit.* Et Auguſtinus, *laudat,* ait, *Villicum iniquitatis, non de fraude, ſed de prudentia.* (Quo ſenſu ſint hic quorundã laudes in Re Duellica intelligendæ. — Lucæ 16. — Gloſſa. — Auguſt.)

Demùm Alijs diſplicebit, nihil à Me hîc dici, quin aliorum nitatur teſtimonio Doctorum (Quos de induſtria proprio aliquando loquentes ore hùc introduximus, nè diminutæ, aut in alium ſenſum à Nobis detortæ, eorum Sententiæ viderentur.) Verùm in decidendis Conſcientiæ Dubijs, communem hunc Scriptorum imitari ſtylum opor- (In Moralibus plus Doctorũ Auctoritati, quàm ſubtilibus creditur ſpeculationibus.)

tuit, qui tertio quoque verbo, innumeros in ſuam ſententiam conglobare Doctores, non probro, ſed laudi eſſe arbitrantur. Idque præſertim in his Duellicis agendum erat Quæſitis, cùm de Animarum pernicie, ac Corporum ſimul Interitu ageretur.

Hieron. ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani

Præterea Mihi, vel ab ipſo Regularis Diſciplinæ Tyrocinio, Illud Sanctiſſimi Viri Nepotiani ſemper arriſit, ſemper alta mente repoſitum manſit: *Qui* (vt Hieronymus ſcribit) *ingenuo pudore ætatem ornante, Quid cuius eſſet, ſimpliciter confitebatur, atque in hunc modum Eruditionis gloriam declinando, Eruditiſſimus habebatur. Illud aiebat Tertulliani, Iſtud Cypriani; Hoc Lactantij, Illud Hilarij eſt. Sic Minucius Felix, Ità Victorinus, In hunc modum eſt loquutus Arnobius. Me quoque* (nempè Hieronymum) *quia pro ſodalitate Auunculi diligebat, interdùm proferebat in medium.*

Mos citãdi Auctores, vetuſtiſſimus.

Colligi hinc poteſt verum vtentes citari poſſe Auctores, exẽplo Nepotiani citantis Hieronymũ, dũ adhuc viueret.

Non erubeſcimus igitur huius Sancti, Doctique Viri exemplo, pariter aſſerere, Hoc D. Thomæ eſt, Illud Scoti; Iſtud Caietani, Illud Alenſis. Ità Armilla, Sic Nauarrus, In hunc modum loquutus eſt Sotus, alijque Theologicæ Academiæ Doctores, Quibus cùm hæc noſtra quoque Ætas abundet, Illos etiam libenter audire, & in medium proferre libuit.

Supereſt ergo, Mi Lector, vt ſi quid, hoc in Opere ſcribendo, errauerim, id partim mei Ingenij tenuitati, partim temporis inopiæ, ac feſtinanti calamo adſcribas; proindè Te rogo

Martial. ad Cæſarem Epig. 82.

Da veniam ſubitis: non diſplicuiſſe meretur,
Feſtinat, LECTOR, qui placuiſſe Tibi.

IM-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. M. S. P. A.

A. Sacratus Epiſc. Comacl. Viceſg.

OPus Theologico-Morale de Monomachia, ſeù de Duello inſcriptum, ac per Reuerendiſſimum Patrem D. Gregorium Carafam Clericorum Regularium Præpoſitum Generalem, paruo tempore, ſed grandi ſapientia elaboratum; Cenſoriæ Virgæ in nullo obnoxium; Orthodoxæ Fidei, Morumque pietati percongruum, Scientiæ profunditate ſingulares Iudicij firmitate perfectum; magna Eruditione, maiori Doctrina, maximoque Ingenio, ſupra fidem mirabile; Regiam in Sententijs viam tenens, & verè tanto ſuo dignum Auctore; Si placeat Reuerendiſſimo Patri Fratri Vincentio Candido, cuius Iuſſu lubens perlegi, digniſſimum eſt, quod in lucem detur; ſplendidiſſimum enim omnibus præſtabit lumen. Romæ in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, Die 22. Septembris 1646.

Frater Thomas Aquatiua Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſter; Epiſcoporum Examinator, ac Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

IVbente Reuerendiſſimo Patre Vincentio Candido, Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtro, perlegi Opus hoc vniuerſum de Monomachia conſcriptum à Reuerendiſſimo Patre Gregorio Carafa, Inclyti Ordinis Clericorum Regularium Præpoſito Generali; nihilque, aut Fidei, aut Moribus contrarium offendi; niſi quantùm prætergreditur communem Fidem, ac Mores, quòd Vir tantam horarum partem negotijs debens, potuerit paucis menſibus Librum abſoluere, mole non paruum, ſed eruditione, ac doctrina longè maiorem. Romæ in Collegio Romano, &c.

Ità cenſeo Sfortia Pallauicinus è Societate Ieſu.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Candidus S. P. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

INDEX AVCTORVM

Qui in hoc Opere citantur.

A

ABBAS Panormitanus
Abraham Bzouius
Accurſius
Adamus Tannerus
Ægidius Boſſius
Ægidius Coninck
Æmilius Ferretus
Æmilius Probus
Æneas Syluius
Albericus Gentilis
Albericus Roſatius
Albertus Brunus
Alexander Alenſis
Alexander ab Alexandro
Alexander Carrerius
Alexander de Imola
Alexander Iuriſperitus
Alexander de Næuo
Aloyſius Riccius
Aloyſius Turrianus
Aloyſius de Vega
Alphonſus Azeuedo
Alphonſus de Caſtro
Alphonſus Ciaconius
Alphonſus Toſtatus
Alphonſus Vega
D.Ambroſius
Ambroſius Marlianus
Ammianus
Andreas Alciatus
Andreas Duuallius
Andreas Tiraquellus
Andreas Victorellus
Angelus Aretinus
Angelus de Clauaſio. Summa Angelica.
Angelus Conſtantius
D.Antoninus
Antonius de Butrio
Antonius de Eſcobar
Antonius Fernandez
Antonius Gomez
Antonius Maſſa
Antonius Raguccius
Apuleius
Ariſtoteles Stagyrita
Arthemidorus
D.Auguſtinus
Auguſtinus de Ancona
Auguſtinus Barboſa
Aulus Gellius
Aurelius Prudentius.

B

Baldus Vbaldus
Balthaſar Gomez
Bartholomæus Fumus in Summa dicta Armilla
Bartholomæus de Ledeſma
Bartholomæus Medina
Bartholomæus Salonius
Bartholomæus Salycetus.
Bartholomæus Socinus
Bartholomæus Vgolinus
Bartholus
Baſilius Pontius
D.Baſilius Seleucienſis
D.Bernardus
Bernardus Diaz
Bernardus Saccus
D.Bonauentura
Bullarium Romanum.

C

Caius
Caius Plinius Secundus
Cæleſtinus Sueſſionenſis
Cæſar Baronius Cardinalis
Cæſar de Graſsis
Cæſarius
Calphurnius
Carolus Macignus
Caſsiodorus
Chriſtophorus Anguianus

Clau-

Claudianus Poëta
Codex Iuſtiniani
Compendium Priuilegiorum Fratrum Minimorum
Compendium Priuilegiorum Mendicantium
Concilium Bracarenſe
Concilium Lateranenſe
Concilium Nicænum
Concilium Tridentinum
Conradus Brunus
Cornelius Tacitus
Crantzius
Cynus Piſtorienſis
D.Cyprianus
D.Cyrillus Alexandrinus

D

Didacus Couarruuias
Didacus Nugnus
Dio Hiſtoricus
Diogenes Laërtius
Dominicus Bañes
Dominicus Soto
Dominicus Tuſchus Cardinalis
Durandus à S.Portiano.

E

Egeſippus
Emmanuel Rodriquez
Emmanuel Sà
Ennius Poëta
Euripides
Euſebius Cæſarienſis.

F

Famianus Strada, de Bello Belgico
Felinus Sandæus
Ferdinandus Caſtropalaus
Ferdinandus Rebellius
Feſtus Aurelius
Flauius Cherubinus
Flauius Vegetius
Franciſcus Alcozer
Franciſcus Aretinus
Franciſcus de Auila
Franciſcus Baldus
Franciſcus Burſatius
Franciſcus Connanus
Franciſcus Corona
Franciſcus Feuardentius
Franciſcus Garzias
Franciſcus Guicciardinus
Franciſcus Lopez de Texeda
Franciſcus Merolla
Franciſcus Pitigianus
Franciſcus Ripa
Franciſcus Suarez
Franciſcus Syluius
Franciſcus Toletus Cardinalis
Franciſcus Torreblanca
Franciſcus Victoria
Franciſcus Zabarella.

G

Gabriel Vaſquez
Gaſpar Hurtadus
Gaſpar Paſſarellus
Georgius Obrechtus
Gregorius Lopez
D.Gregorius Nazianzenus
D.Gregorius Papa
Gregorius Sayrus
Gregorius de Valentia
Guido Papa
Guillelmus Alanus
Guillelmus Durandus
Guillelmus Mercerus.

H

Henricus Catharinus
Henricus Gandauenſis
Henricus Henriquez
Henricus de Seguſio Cardinalis Hoſtienſis. Summa Hoſtienſis
Henriquez Villalobos
D.Hieronymus
Hieronymus Cenedo
Hieronymus Rodriquez
Hieronymus Zurita
Hippolytus de Marſilijs
Homerus Poëta
Homobonus de Bonis
Horatius Poëta.

I

Iacobus de Arena
Iacobus de Caſtillo
Iacobus Graffius
Iacobus Granadus
Iacobus Mancinus
Iacobus Menochius
Iacobus Salianus
Iacobus Simanca
Iacobus Puteus
Iaſon
S. Ignatius Martyr. Epiſtolæ
Ioachinus Miſingerus
Io: Andreas
Io: Azeuedo
Io: Azorius
Io: Ægidius Trullench
Io: Euſebius
Io: Baptiſta Conradus
Io: Baptiſta Larrea
Io: Baptiſta Lezana
Io: Baptiſta Scorzia
Io: Baſſolis
D. Io: Chryſoſtomus
Io: à Cruce
Io: Duns Scotus
Io: de Eſcobar
Io: Faber
Io: Figuerius
Io: Franciſcus Suarez
Io: Garzias
Io: Gerſon
Io: Gutierez
Io: Imola
Io: de Lignano
Io: de Lugo Cardinalis
Io: Maior
Io: Malderus
Io: Maria Bellettus
Io: Maria Nouarius
Io: Mariana
Io: Medina
Io: Paulus Lancellottus
Io: Præpoſitus
Io: Puteanus
Io: Salas
Io: Sanctius
Io: Tabiena
Io: Tarcagnota
Io: Turrecremata
Io: Valerus
Io: Viguerius
Io: Yribarne
Ionas Abbas. Vitæ Patrum
Ioſeph Hebræus
Ioſeph Maſcardus
D. Iſidorus
Iulius Capitolinus
Iulius Clarus
Iulius Ferrettus
Iulius Lauorius
D. Iuo. Epiſtolæ
Iuſtinus Hiſtoricus
Iuſtus Lipſius
Iuuenalis Poëta

K

Kirchouius. Communes opiniones

L

Lactantius
Lambertus Scaffnaburgenſis
Lancellottus Conradus
Laurentius de Franchis
Laurentius Peirinus
Laurentius Portellius
D. Leo Papa
Leonardus Leſſius
Leontius
Lucanus Poëta
Lucas Floronus
Lucas de Petra
Lucianus
Ludouicus Carrerius
Ludouicus Gomez
Ludouicus Lopez
Ludouicus Lucenſis
Ludouicus Miranda
Ludouicus Molina.

M

Macrobius
Manilius Poëta
Marcus Alterius
Marcus Tullius Cicero
Marianus Socinus
Marinus Barletta

Mar-

Martialis Poëta
Martinus Azpilcueta Nauarrus
Martinus Becanus
Martinus Bonacina
Martinus Ledeſma
Martinus del-Rio
Matthæus de Afflictis
Matthæus Brunus
Melchior Lotterius.

N

Nauclerus
Nicephorus
Nicolaus Baldellus
Nicolaus Cauſſinus
Nicolaus Damaſcenus
Nicolaus Eymericus
Nicolaus Garzia
Nicolaus de Lyra
Nicolaus Serarius
Nonius Marcellus

O

Olaus Magnus
Otho
Ouidius Poëta.

P

D. Pantaleon apud Suriũ tom. 5.
Paris de Puteis
Paulus de Caſtro
Paulus Comitolus
Paulus Diaconus
Paulus Iouius
Paulus Laymann
Paulus de Palatio
Petronius Arbiter
Petrus Aloyſius Carafa Cardinalis. Liber inſcriptus, Legatio Apoſtolica, &c.
Petrus Ancharanus
Petrus de Aragonia
Petrus Barboſa
Petrus Binsfeldius
Petrus Cenedo
Petrus Cornejo
Petrus Follerius
Petrus Gregorius Gyraldus
Petrus Hurtadus
Petrus de Ledeſma
Petrus Lorca
Petrus Meſſia
Petrus Monchada
Petrus à Nauarra
Petrus de Ochagauia
Petrus Paludanus
Petrus de Soto
Philippus Decius
Philippus Faber
Philippus Francus
Plato
Plutarchus
Polybius
Polydorus Virgilius
Pragmaticæ Regni Neapolitani
Propertius Poëta
Proſper Farinacius
Prudentius Sandoualius
P. Virgilius Maro.

Q

Quintilianus Mandoſius
Quintilianus Orator.

R

Rabanus Maurus
Ranucius Pictus.
Raphaël Fulgoſius
Raphaël Volaterranus
Riccardus de S. Victore
Rituale Romanum
Robertus Bellarminus Cardinalis
Rota Romana.

S

Sabellicus
Salluſtius
Saluianus
Saxo
Sebaſtianus Couarruuias
Sebaſtianus Vantius
Seneca, Moralis Philoſophus
Seneca Tragicus
Seruius Comment. Virg.
Seuerus Sulpitius

Silius Poëta
Silueſter Petraſancta
Simon Maiolus
Simon Strauolſcus de Bello in genere
Socinus Iunior
Spartianus
Statius Poëta
Stephanus Auila
Stephanus Facundez
Stephanus Quaranta
Strabo
Suetonius Tranquillus.

T

Tertullianus
Theatrum Vitæ Humanæ
Theodoretus
D. Thomas Doctor Angelicus
Thomas Cantipratenſis
Thomas Grammaticus
Thomas de Mercato
Thomas Sanchez
Thomas de Vio Caietanus
Thomas Zerola
Thucides Philoſophus
Tibullus Poëta
Titus Liuius
Tullius Chriſpoltus

V

Valerius Maximus
Valerius Reginaldus
Velleius Paterculus
Vgo Cardinalis
Vgo à S. Victore
Vincentius Filliucius
Vlpianus
Volfangus à Vorburg
Vopiſcus
Vvolterius Steuerſdorf.

Z

Zaſius
Zenzelinus.
Et Alij.

AVCTORES IN HOC OPERE CITATI,

Ex Noſtro Clericorum Regularium Ordine.

Alexander Peregrinus
Aloyſius Nouarinus
Alphonſus de Leone
Andreas Molfeſius
Antoninus Diana
Antonius Agellius Epiſcopus Acernenſis
Antonius Caracciolus
Antonius Naldus
Franciſcus Boluitus
Franciſcus Ceſpedes
Leonardus Duardus
Marcellus Megala
Michaël Ghislerius
Paulus Areſius Epiſcopus Dertonenſis
Thomas Dol-Bene
Zacharias Paſqualigus.

MONITA AD LECTOREM,

Pro corrigendis Erratis, quæ in hoc Opus ſub Prælo irrepſerunt.

QVÆ in Litterariæ Reipublicæ Lucem quotidiè Volumina prodeunt, neſcio quis naſcentibus ſimillima eſſe hominibus,dixit(Amice Lector) Homines enim Materna in Aluo ſuas contrahunt labes; contrahunt & ſuas Volumina ſub Prælo; & ſicutì ex hominibus, nemo mundus à ſorde, neque Infans vnius diei reperitur, itá nec vnius pagellæ Libellum ab errorum ſorde mundum reperies. Mirum ergo non erit, ſi hoc in Opere áliquot inuenies errata, quæ Me inuito, in hæc folia irrepſerunt: Illud tamen Te admonitum velim, meum Opus in eam incidiſſe Typographiam, quæ acuti Accentus Characteribus indiga erat: hinc factum eſt, vt neceſſitate compulſi, quandoque graui pro acuto vteremur Accentu. Mutata etiam ſæpè eſt Accentuum ſedes; at illud in cauſa fuit, quòd prima, quę corrigenda traduntur Exemplaria, non ſub Pręlo, ſed leui manuum impulſu imprimuntur; ideòque latitant Accentus, qui poſteà altiùs impreſſi, vbi opus non erant, apparent. Cętera deniquè, quę hic inuenies errata, facilè poteris càlamo oblitterare; ſic enim fiet, vt magis Tuis Lituris, quàm meis Litteris formoſior noſter appareat Libellus.

SERIES TRACTATVVM HVIVS OPERIS.

Opus hoc vniuerſum in Quinque diſtributum eſt Tractatus.

I. De Duelli Natura inſcribitur; in eoque Duelli Origo, Progreſſus, Vſus, Exitus, Arma, Rituſque priſtini indagantur; multaque alia ad Rem Duellicam ſpectantia, ex Hiſtoriarum monumentis repetita, breuiter, ac eruditè exponuntur. Duelli Eſſentia explanatur, varijſque ſolutis Caſibus, oſtenditur in quo Vera Duelli Ratio conſiſtat: quod eſt apprimè neceſſarium; multa enim, quæ Duella putantur, reuera non ſunt, ſed Nudæ Rixæ.

II. De Duelli Prohibitione. Excurritur per Iura omnia Diuina, & Humana, Canonica, & Ciuilia Duellum prohibentia. Quid Summi Pontifices, Quid Tridentini Senatus Patres circà Duella prohibuerint, Quid non: Quas pœnas contrahant Prouocantes, Duellatores, Patrini, Fautores, Conſulentes, Mandantes: Quas Spectatores, Complices, Cæterique ſeſe Duello immiſcentes, latè explicatur.

III. De Duelli Speciebus in Communi. Vbi Nonnulla Circà licitam Defenſionem, ac Moderamen inculpatæ Tutelæ, cum Duello affinia tanguntur.

IV. De Duelli Speciebus in Particulari. Ibi de Duello Purgatiuo, Virium Oſtentatiuo, Honoris Cauſſa; Criminalis, aut Ciuilis litis Terminatiuo; De Duello Terminatiuo Belli, Defenſiuo propriæ Vitæ, Bonorum, Diuinique Honoris, ac Catholicæ Fidei, quicquid deſiderari poteſt, habetur.

V & Vltimus eſt de Ignorantia, Metu, ac Ætate à Duelli Cenſuris excuſantibus: Deque facultate ab ijſdem Cenſuris abſoluendi. Tractatus in Sectiones, Sectiones in Quæſita ſunt diſtributæ, vt in ſequenti Indice clariùs patebit.

INDEX OPERIS

TRACTATVS PRIMVS

DE NATVRA DVELLI.

SECTIO I. De origine Duelli. pag. 1

1 Quæſitum I. Quis primus Duellum inuenerit? 2

2 Quæſitum II. Quis ludicra Duella, ſeu Gladiatorios ludós inſtituerit? 5

3 Quæſ. III. Apud quas Nationes Duella in vſu fuerint? 7

4 Quæſ. IV. Quos euentus habuerint diuerſa Duella? 10

5 Quæſ. V. An temeritatis, & audaciæ nota arguendus ſit Dauid, vltrò ſe exhibens ad ineundum ſingulare certamen cum Goliath Gigante? 15

6 Quæſ. VI. Quibus olim cum Perſonis, quo Ritu, & Armis Duella committerentur? 19

7 Quæſ. VII. Quibus cum Perſonis, Ritu, & Armis ludicra Duella, ſeu Gladiatorij ludi olim committerentur? 24

SECTIO II. De definitione Duelli. 28

8 Quæſ. I. Quænam ſit Duelli Notatio, ſeu Etymologia? 28

9 Quæſ. II. Quænam ſit Duelli Definitio? 30

10 Quæſ. III. Quodnam ſit diſcrimen inter Duellum, & Bellum? 33

SECTIO III. De Quæſitis circà Definitionem Duelli. 35

11 Quæſ. I. An poſſit Duellum committi abſq; deſignatione Temporis, & Loci: *ſeu*, An Loci, & Temporis deſignatio, ſit de formali conceptu Duelli? 35

12 Quæſ. II. An ſi quis alterum ad pugnandum prouocet, dicens: *Tecum pugnabo, vbicumq; & quandocumq; Te per Vrbem deprehendero*, incidat in Duelli pœnas? 38

13 Quæſ. III. An ſi quis viſo Inimico in Eccleſia, aut in Regia, aut alio in loco ſibi periculoſo, eò quòd illè adiuuantes ibi habeat Amicos, Coniunctos, aut Famulos, diceret ei: *Exi indè ad pugnandum*, nullum deſtinans locum, Duellum committeret? 40

14 Quæſ. IV. Vtrùm ille, qui ſuum inimicum domi exiſten-

a tem

tem prouocat, dicendo: *Exi inde, deſcende huc ad pugnandum*, & de facto pugnaret, in Excommunicationem contrà prouocantes ad Duellum incideret? 41

Quæſ. V. Vtrùm in Excommunicationem incidat prouocans alium ad Duellum, certò in loco, & tempore, & Determinatis armis committendum, miſſo etiam ad ipſum libello prouocatorio cum Teſtibus, &c. abſq; animo tamen pugnandi, pro certo habens non ſecuturam eſſe omninò pugnam, impedientibus vtrinque Amicis? 41

Quæſ. VI. An ſint Excommunicati Duellatores, ad deſignatum Duelli locum accedentes, abſque verè pugnandi animo, ſed tantùm ſtrictis enſibus, ictus aliquot inferendi, cum morali certitudine nullius damni futuri, ſed potiùs pacis indè oriturae? 44

Quæſ. VII. Vtrùm cenſeatur Duellum committere, qui occurrenti inimico dicit: *Diſtringe nunc enſem; hoc in loco* pugnemus? 45

Quæſ. VIII. An ſi orta inter aliquos Rixa, alter alterum Iracundia motus ſtatim ad dimicandum prouocet, certo in loco, ibique illicò dimicantes, in Excommunicationem incurrant? 46

Quæſ. IX. Vtrùm ſi duo Inimici obuiam facti, ſe inuicem ad aliquem prouocent locum, quò ſtatim tendentes pugnent, incidant in Excommunicationem? 48

Quæſ. X. An ſi ex duobus inuicem contendentibus, alter inermis in vicinam properet domum, arma arrepturus, & armatus deindè rediens, armato cum hoſte pugnet, Duellum committat? 49

Quæſ. XI. Vtrùm habeant rationem Duelli, Pugnæ illæ initæ inter duos, qui in naui, vel alibi exiſtentes, ſic ſe inuicem prouocant: *In tali loco te expecto: vel deſcendamus in terram ad pugnandum*; vbi poſteà pugnent; nec alijs ad ſpectandum concurrentibus, nequè alia interueniente ſolemnitate? 50

Quæſ. XII. Vtrùm in Excommunicationem inciderit Petrus, qui vbi accepit Caium eius famæ, & honori obloquendo detraxiſſe, illum adiuit dicens: *Mentiris, ſi quæ mihi relata fuerunt, dixiſti*, & ſimul manum enſi ap-

poſuit: At negante Caio ſe vnquàm contrà eum loquutum fuiſſe, Petrus proindè acquieuit, & à pugnando deſtitit? 51

23 Quæſ. XIII. An ſi eodem tempore, quo Duellum offertur, euaginetur enſis, & inuadatur inimicus, Iſte, ob ſui defenſionem denudando ſimiliter enſem, Pugnam ſuſcipiat, in Excommunicationem incidat? 53

24 Quæſ. XIV. Vtrùm non ſolùm verbis, ſed etiam factis prouocare inimicum, ſit ſub Excõmunicatione prohibitum? 53

25 Quæſ. XV. An ſi prouocatus præfixo tempore ad condictum locum acceſſerit, ibique fruſtrà cum animó digladiandi, expectato inimicó, tandem diſceſſerit, in Excommunicationem inciderit? 54

26 Quæſ. XVI. Vtrùm quandò aliquis ad deſignatum Duelli locum venit, ſed impedito ab Amicis Duello, non pugnauit, inciderit in Excommunicationem? 55

27 Quæſ. XVII. Vtrùm ſi facta duellandi conuentione inter Petrum, & Paulum, Petrus ſibi ſocium adiungeret, inuito Paulo, eſſet Duellum? 55

28 Quæſ. XVIII. Vtrùm caſu, & quocumque pacto Duellantes adiuuans, ſit Excommunicatus? 57

29 Quæſ. XIX. Vtrùm inter centenos, & centenos committi poſſit Duellum formaliter acceptum? 58

30 Quæſ. XX. Vtrùm Dauidicum cum Golia Certamen, fuerit in rigore, formale Duellum? 59

TRACTATVS SECVNDVS
DE PROHIBITIONE DVELLI.

SECTIO I. Quibus Iuribus ſit prohibitum Duellum? 65

31 Quæſ. I. Vtrùm Duellum ſit prohibitum Iure Diuino? 66

32 Quæſ. II. Vtrùm Duellum ſit prohibitum Iure Canonico? 67

33 Quæſ. III. Vtrùm Martinus IV. permiſerit Duellum, inter Carolum Siciliæ, & Petrum Aragoniæ Regem? 69

34 Exemplar Epiſtolæ Martini IV. ad Eduardum Regem An-

gliæ, prohibentis celebri inter duos Reges Duello, locum permitti, &c. 71
Quæſ. IV. Vtrùm Duellum ſit prohibitum Iure Ciuili? 73
Quæſ. V. Vtrùm Duellum ſit prohibitum Iure Naturali? 74
Quæſ. VI. Vtrùm Duellum ſit prohibitum Iure Gentium? 74
Exemplar Pragmaticæ Sanctionis, Duellum in Neapolitano Regno prohibentis. 76
SECTIO II. De Pontificijs Diplomatibus contrà Duellantes, &c. 77
Diploma I. Iulij II. Pontificis Maximi, contrà Pugnantes in Duello, aut illud permittentes in Statu Eccleſiaſtico, Datum Romæ Anno MDIX. 78
Diploma II. Leonis X Pontificis Maximi, contrà Pugnantes in Duello, aut illud permittentes in Statu Eccleſiaſtico, Datum Romæ Anno MDXIX. 80
Diploma III. Clementis VII. Pontificis Maximi contrà Pugnantes in Duello, aut illud permittentes, &c. Datum Romæ Anno MDXXII. 81
Diploma IV. Pij IV. Pontificis Maximi, contrà Pugnantes in Duello, & illud vbiquegentium Permittentes, Spectantes, &c. Datum Romæ Anno MDLX. 83
Decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 25. de reformatione, cap. 19. 85
Diploma V. Gregorij XIII. Pontificis Maximi, contrà Pugnantes in Duello, &c. Datum Romæ Anno MDLXXXII. 86
Diploma VI. Clementis VIII. Pontificis Maximi contrà Pugnantes in Duello publicè, vel priuatim, Mittenteſq; Scribentes, aut Diuulgantes chartulas prouocatorias, aut ſcripta, quæ dicuntur Manifeſta, eorumque Complices, & Fautores. Datum Romæ Anno MDXCII. 87
SECTIO III. De Quæſitis circà Prohibitionem Duelli. 92
Quæſ. I. Vtrùm Pontificijs Duelli Prohibitionibus, omnes, & vbique Chriſtiani adſtringantur? 92
Quæſ. II. Vtrùm Pontificiæ Conſtitutiones, cum Tridentino, Duellum prohibentes, de omni Duello ſint intelligendæ, an verò tantùm de Duello ad veritatem eruendā? 94

Quæſ.

48 Quæſ. III. Vtrùm ex vi Tridentini Decreti, & Summorum Pontificum Conſtitutionum, ſit etiam prohibitum Iudæis Duellare? 94

49 Quæſ. IV. An Duellum ſit neceſſariò Armis committendam, vt Duellatores in Excommunicationis pœnam incidant? 96

50 Quæſ. V. Quænam Duellicæ Actiones ſint ſub Excommunicationis pœna prohibitæ, ex vi Tridentini Concilij, & Conſtitutionum Summorum Pontificum? 96

51 Quæſ. VI. An Excommunicatio, contrà Duellum committentes, à Pio IV. lata, ipſo facto contrahatur? 98

52 Quæſ. VII. Vtrùm priuatio Beneficiorum obtentorum, & inhabilitas ad cætera obtinenda, quæ in Motu proprio Pij IV. ſtatuitur, requirat Iudicis Sententiam? 98

53 Quæſ. VIII. Vtrùm pœnę à Pio IV. contrà Duellantes ſtatutę, locum habeant in omni Duello, ſiuè ſolemni, ſiuè priuato? 99

54 Quæſ. IX. Vtrùm ex vi Decreti Tridentini Concilij, Duellatores, eorumque Patrini, ipsò facto contrahant Excommunicationem, Perpetuam Infamiam, ac Bonorum Proſcriptionem? 100

55 Quæſ. X. Vtrùm Magiſtratus, eorumque familiares, ac Satellites Duellum ſpectantes, Duellicas pœnas ex Tridentino incurrant? 101

56 Quæſ. XI. Vtrùm Sacerdos Duellicam Pugnam ſpectans, ſit puniendus tanquàm Duelli Spectator? 101

57 Quæſ. XII. Quid dicendum de cæteris Duelli Spectatoribus, an ſcilicet quomodocumque Duellum ſpectauerint, in Tridentinas pœnas incurrant? 102

58 Quæſ. XIII. Vtrùm Princeps ſit obnoxius pœnis, contrà Duellantes inflictis, quandò permitteret Duellum, vt grauiora euitaret damna, quę aliter, niſi grauiori incommodo, vitari non poſſent? 103

59 Quæſ. XIV. Vtrùm prohibitum ſit Chriſtiano Principi, inter Chriſtianum, & Infidelem, Duellum permittere? 104

60 Quęſ. XV. Vtrùm ſub Excommunicatione prohibitum ſit Chriſtiano Principi, duobus Infidelibus locum in ſuo Territorio permittere ad Duellandum? 105

61 Quæſ. XVI. Vtrùm Duellatores, & Patrini ſint priuandi Eccleſiaſtica Sepultura, etiamſi in ipſo conflictu deceſſerint, à Duellica Excommunicatione abſoluti? 105

62 Quæſ. XVII. Quid veniat hìc nomine priuationis Eccleſiaſtice Sepulturę? 106

63 Quæſ. XVIII. Vtrùm pro Mortuis in Duello, Cum ſignis Contritionis; ſepultis tamen extrà Eccleſiam, & non in locis ſacris, poſſint offerri Sacrificia? 107

64 Quæſ. XIV. Vtrùm Duellatores, qui vno, aut altero die, poſt completum Duellum ſuperuixerint, ſint etiam priuandi Eccleſiaſtica ſepultura, poſitò, quòd Contritionis ſigna dederint, vel Sacramentaliter confeſſi, à Cenſuris, & Peccatis abſoluti fuerint? 108

65 Quæſ. XX. Vtrùm Duellatores non in loco Conflictus, ſed in propinquiori Domo, vel Eccleſia, poſt Duellum morientes, ſint priuandi Eccleſiaſtica ſepultura; etiamſi contriti, vel confeſſi moriantur? 110

66 Quæſ. XXI. Vtrùm ex vi Gregorianę Conſtitutionis, ſit etiam ſub Excommunicatione prohibitum, accedere ad Duelli locum, cum animo Duellandi, licèt non ſequatur Duellum? 111

67 Quæſ. XXII. Vtrum in Excommunicationem incideret, qui Amico Duellaturo cum armis minùs idoneis, aut Equo minùs apto, alium Equum, aut arma magis idonea ad Duellicam Pugnam accomodaret? 114

68 Quæſ. XXIII. Vtrum Serui Duellantium, in Gregorianę Excommunicationis pœnam incidant, ſi Duellaturo Domino, Equum, arma, aut alia ſeruilia obſequia exhibeant, vel Eum comitentur? 116

69 Quæſ. XXIV. Vtrum Amico eunti ad Duellum pręberi licitè poſſit pecunia, vt poſt Duellicam Pugnam fugiens, nummos ſecùm deferat? Et ſimiliter quęritur, vtrum poſſit ei licitè accomodari equus, vel aliquod aliud exhiberi obſequium, quo tamen ſit vſurus poſt Duellum commiſſum? 117

70 Quæſ. XXV. Vtrum abſque Excommunicationis pœna poſſint Aurigę, vel Baiuli, ſeu Lecticarij, deducere Duellatorem ad locum Duelli? 118

Quæſ.

71 Quæſ. XXVI. Vtrum ad contrahendas Duelli Cenſuras, opus ſit, vt Conſilium, vel Mandatum in ordine ad Duellum, ſit efficax; itàut ex tali Mandato, vel Conſilio ſequatur Duellum? 119

72 Quæſ. XXVII. Vtrum Mandantes, aut Conſilium Dantes in ordine ad Duellum, vel Prouocationem, incidant in Excommunicationem, ſi Conſilio, vel Mandato reuocato, etiam Prouocatio, aut Duellum ſequatur? 120

73 Quæſ. XXVIII. Vtrum fauorem, aut auxilium Dantes in ordine ad Duellum, ſint etiam Excommunicati, ſi fauore, aut auxilio ſubtracto, nihilominùs Prouocatio, vel Duellum ſequatur? 123

74 Quęſ. XXIX. Vtrum ratam habens Prouocationem, vel Pugnam, vel aliam Actionem Duellicam, ſuo nomine factam, incidat in pœnas contrà Duellantes inflictas? 124

75 Quęſ. XXX. Vtrum Excommunicatio, & aliç pœnç in Bulla Clementis VIII. expreſſç, ſtatim incurrantur, ac prçſtita eſt aliqua Actio Duellica, etiamſi Duellum non ſequatur? 126

76 Quęſ. XXXI. An ſi quis Libellum Prouocatorium ad Duellum publicè affigit, vel intimat alicui, etiamſi pugna non ſequatur, incidat ipſo factò in Excommunicationem? 128

77 Quęſ. ZXXII. An qui animo Duellandi, Prouocatorium Libellum Compoſuit, vel Scripſit, ſed non Affixit, nec Intimauit, nec per ſe, nec per alium, in Duellicas Cenſuras incurrat? 129

78 Quęſ. XXXIII. Vtrum ille, qui in locis publicis, vel priuatis, facit *Verbis* aliquam teſtificationem, vel declarationem ſub prçtextu proprij, vel alieni honoris, &c. ſtatim incidat in Excommunicationem? 129

79 Quęſ. XXXIV. An ſint Excommunicati Facientes, Intimantes, vel Publicantes Duellica *Manifeſta*; etiamſi nec Duellum, nec ad Duellum prouocatio ſequatur? 130

80 Quęſ. XXXV. Vtrum ſit ſub Clementina Excommunicatione prohibitum, narrare aliquod factum, ex quo Duelli occaſio ſit oritura? 131

81 Quęſ. XXXVI. Vtrum Famuli ſcribentes tantùm, & non

deferentes ſcripta ad Duellum Prouocantia, incidant in Excommunicationem? 132

82 Queſ. XXXVII. Vtrum Actiones ordinatę ad faciendas Duellicas denunciationes, narrationes, declarationes & teſtificationes *oretenùs* ſinè ſcriptura; ſimiliter ad faciendam Prouocationem *oretenùs*, ſinè ſcriptura, ſint abſolutè, vel conditionatè prohibitę? 133

83 Quæſ. XXXVIII. Quomodò reſponderi poſſit argumentis, contrà hanc diſtinctionem Actionum, in Principales, & Secundarias, Abſolutas, & Conditionatas? 133

84 Quæſ. XXXIX. Vtrum prohibitum ſit ſub eadem Clementis VIII. Excommunicatione, audire, vel legere narrationes, vel declarationes, vel teſtificationes ad Duellum pertinentes? 135

85 Quæſ. XL. Vtrum eſſent Excommunicati Duellatores, qui gerentes arma defenſiua, Duellum committerent: itaut nullum eſſet mortis, nec vulneris periculum? 137

86 Queſ. XLI. Vtrum Duellantes Subulis, vel Gladiolis, incidant in Excommunicationem? 137

87 Queſ. XLII. An Duellantes tot contrahant Cenſuras, quot fuerunt Summi Pontifices, prohibentes ſinguli Duellum ſub Cenſuris? 138

88 Quæſ. XLIII. Vtrum Duellatores tot contrahant Cenſuras, quot Duellicas actiones exercent, quarum ſingulæ ſeorſim ſub Excommunicationis pœna prohibentur? 139

89 Quæſ. XLIV. An ſi eodem tempore daretur Vnum Conſilium, vel Auxilium multis in ordine ad multa Duella, contraheretur Vnica, vel multę Cenſurę? 142

90 Queſ. XLV. An Vulnerans, vel Occidens in Duello Clericum, vel Monachum Ordinibus initiatum, Vnam, vel Plures contrahat Excommunicationes? 145

91 Queſ. XLVI. Quas pœnas contrahant Clerici Pugnantes in Duello? 146

92 Queſ. XLVII. Vtrum Occidentes, vel Vulnerantes in Duello, teneantur in foro Conſcientię ad aliquam reſtitutionem faciendam, iuxtà Aliorum opinionem? 147

93 Queſ. XLVIII. Vtrum Occidentes, vel Vulnerantes in Duello, teneantur in foro Conſcientię ad aliquam reſtitutio-

nem

nem faciendam, iuxtà Auctoris ſententiam? 149
94 Quæſ. XLIX. Vtrum Duellatori coactè oblatum Duellum acceptanti, ſint illata damna compenſanda, etiamſi illicitè Duellum acceptaſſet? 150
95 Quæſ. L. An redacto in Duellum Bello, ſuſceptaque Monomachia ad Prælia dirimenda, Princeps iniuſtè belligerans teneatur de damno illato? 152
96 Quæſ. LI. Vtrum Duellantes in Ludicro Duello, hoc eſt in Haſtiludio, cęteriſque publicis Ludis, teneantur ad reſtitutionem damni illati? 153
97 Quæſ. LII. An pueriliter Duellantes iaciendo inuicem ſaxa, Mala medica, luteos Globulos, niueas Pilas, aut quid ſimile, teneantur ad reſtitutionem damni illati? 153
98 Quæſ. LIII. Vtrum Duellatores Duello oblato, & acceptato, quàmuis Pugna non fuerit commiſſa, pœnas contrà Duellantes à Clemente VIII. inflictas contrahant? 154
99 Quæſ. LIV. Quo tempore Duellici Cooperatores Excommunicationis pœnam contrahant? 158
100 Quæſ. LV. & vltimum. Vtrum Morientes extrà Duellicum Conflictum, priuandi ſint Eccleſiaſtica Sepultura, quandò tamen eorum mors ſequuta non eſt ex lethali vulnere accepto in Conflictu, ſed ex imperitia, vel defectu Chirurgi, vel ex aduerſo medicamine, vel ex melancholia, &c.? 160

TRACTATVS TERTIVS

DE DVELLI SPECIEBVS,

Ac licitæ defenſionis modis in communi.

SECTIO I. De ſpecifica Diuiſione Duelli, 161
101 Quæſitum I. Quot ſint Duelli Species? 163
102 Quæſ. II. Vtrum omnes Duelli Species ſint illicitę, ac prohibitę: ſeù vtrum Duellum, vt ſic, quocumque fine commiſſum, ſit illicitum; itàut Duellantes Excommunicationem, cęteraſque Duellicas pœnas contrahant? 164

103 Quæſ. III. Vtrum Duellum ſit malum ex ſuo genere? 172

SECTIO II. De Quæſitis circà licitam Defenſionem, in ordine ad Duelli ſpecies explicandas, neceſſariò premiſſis, 173

104 Quæſ. I. Vtrum defenſio ſit aliquo Iure licita? 174

105 Quæſ. II. In quonam conſiſtat Moderamen Inculpatę Tutelę, in licita Defenſione? 176

106 Quæſ. III. Vtrum ad Moderamen inculpatę tutelę requiratur æqualitas; itàut inermis cum inermi, armatus cum armato; nec diſpari, ſed pari telorum genere congrediatur? 177

107 Quæſ. IV. Vtrum ad Moderamen inculpatę tutelę requiratur, vt propulſatio in continenti fiat, non autem ex temporis interuallo. 179

108 Quæſ. V. An Modum licitę Defenſionis ſeruet, qui non illatam, ſed imminentem vim repellit? ſiue an in ſui Defenſionem licitum ſit præuenire eum, qui paratus eſt Te iniquè aggredi? 180

109 Quæſ. VI. Vtrum Moderamen inculpatę tutelę ſeruaretur, ſi cùm iàm accepta eſſet iniuria, ac contumelia, & non vlteriùs impenderet, repercuteretur Aggreſſor? 186

110 Quæſ. VII. Vtrum aliquis in licita Defenſione poſſit per ſe, & principaliter intendere mortem Inuaſoris? 192

111 Quæſ. VIII. An ſi Aggreſſor eſſet Ebrius, vel Phreneticus, vel etiam ſi eſſet Sui Compos, ſed aliundè conſtaret, Eum reperiri in ſtatu peccati, licitè ob Defenſionem occidi poſſet ab Eo, qui dum inuaditur, moraliter credit ſe eſſe in Statu Gratię. 199

112 Quæſ. IX. Vtrum licita ſit Defenſio cum Moderamine inculpatę tutelę, reſpectu cuiuſcumque Perſonę, ſiue Aggreſſor ſit Rex, ſiue Dux, ſiue alia Perſona Reipublicæ valdè neceſſaria? 204

113 Quæſ. X. Vtrum qui Togatam vitam profitentur, moderamen Iuſtę Defenſionis excedant, ſi reſiſtendo, Inuaſorem occidant? 207

114 Quæſ. XI. Vtrum quandò Inuaſus dedit cauſam Iniuſtam grauem Inuaſionis, teneatur fugere? 209

115 Quæſ. XII. Vtrum Vir Nobilis, vel Miles, &c. Modum De-

fenſionis

fenſionis non ſeruet, ſi cùm euadere poſſit, reſiſtere potiùs, quàm fugere velit? 211

116 Quæſ. XIII. Vtrum Clerici, ac Religioſi modum Defenſionis non ſeruent, ſi potiùs reſiſtere velint, quàm fugere? 214

117 Quæſ. XIV. Vtrùm Clerici, vel Religioſi non fugientes, peccent contrà Iuſtitiam, Inuaſorem occidendo? 215

118 Quæſ. XV. Vtrum in Defenſione occidens alium cum Moderamine Inculpate Tutele, ſit Irregularis? 216

119 Quæſ. XVI. Vtrùm in Defenſione occidens Aggreſſorem cum Moderamine Inculpatę Tutelę, ad defendendum Honorem, ac Bona ſua, ſit Irregularis? 221

120 Quæſ. XVII. Vtrùm in defenſione occidens Inuaſorem Proximi cum Moderamine Inculpatę Tutelę, contrahat Irregularitatem? 223

121 Quæſ. XVIII. Vtrùm pro neceſſaria Pudicitię defenſione, liceat Puellis, atque Adoleſcentulis Aggreſſorem occidere? 224

122 Quæſ. XIX. Vtrùm pro neceſſaria Defenſione liceat Filio occidere Patrem, vel Matrem, ſi ab Eis Iniuſtè inuadatur? 228

123 Quæſ. XX. Quænàm prętereà licitę Defenſioni aduerſentur, itàut Inculpatę Tutelę Moderamen non ſeruetur? 231

SECTIO III. De Quæſitis circà illicitam offenſionem Sui ipſius, ad Duelli Species explicandas, neceſſariò premiſſis? 233

124 Quæſ. I. An licitum ſit Seipſum directè interimere? 234

125 Quæſ. II. Vtrùm poſſit Capite Damnatus haurire venenum, iubente Iudice? 246

126 Quæſ. III. Vtrùm Capite Damnatus teneatur cibos comedere, ſi damnatus eſſet, vt fame periret, poſito quòd ei ab Amicis, vel Conſanguineis, occultè oblati forent cibi? 247

127 Quæſ. IV. Vtrùm aliquis ex Ignorantià inuincibili excuſetur ab homicidio Suiipſius? 249

128 Quæſ. V. An liceat Militibus in Nauali Pręlio, propriam Nauim incendere, & ſe in mare proijcere, nè Ipſi ſimul cum Naui in Hoſtium poteſtatem redigantur? 250

129 Quæſ. VI. Vtrùm liceat Reo manifeſtare ſua delicta Iudici, & petere ab Eo, vt Capitali pœna puniatur? Et an idem liceat agere Innocenti cum Tyranno? 252

130 Quæſ. VII. Vtrùm liceat Sepipſum mutilare? 254

131 Quæſ. VIII. Vtrùm liceat non defendere propriam vitam, immò permittere ſe potiùs occidi, quàm occidere Inuaſorem? 256

132 Quæſ. IX. Vtrùm liceat exponere propriam vitam, pro conſeruanda vita Amici? 258

133 Quæſ. X. Vtrùm in naufragio licitum ſit mihi habenti tabulam, qua poſſim ſaluus euadere, eam alteri periclitanti dare, nè pereat? 265

134 Quæſ. XI. An liceat exponere propriam vitam pro alio inferiori bono Amici, vt pro Honore, vel Facultatibus? 267

135 Quæſ. XII. Vtrum cum aliqua iactura, ac propria moleſtia, teneatur quis defendere Proximum ab Iniuſto Aggreſſore, ſeu Bonorum, ſeu Vitę? 268

236 Quæſ. XIII. An qui debet alium ex officio defendere, teneatur vitam exponere in defenſionem illius? 269

137 Quæſ. XIV. Vtrum illi, qui ex officio tenentur alium defendere, & impedire eius mortem, ſi id non faciant, ſequuta morte, ſint Irregulares? 270

138 Quæſ. XV. Vtrùm teneamur vitam exponere, pro Salute Spirituali Proximi? 272

139 Quæſ. XVI. Vtrùm Princeps teneatur Proximo prouidere cum vitę periculo? 274

140 Quæſ. XVII. Vtrùm Peccator teneatur propriam vitã exponere pro Spirituali Salute Proximi, quandò ſentit ſe in mortali peccato eſſe? 275

141 Quæſ. XVIII. Vtrùm Parochi teneantur mortis periculo ſe exponere, vt Sacramenta miniſtrent extremè indigentibus? 276

142 Quæſ. XIX. Quibus pœnis afficiantur, qui Seipſos occidere, vel mutilare attentauerint, metu pœnę, propter commiſſa delicta debitę in Foro Externo? 278

143 Quæſ. XX. Quibus pœnis afficiantur, qui Seipſos occidere, vel mutilare attentauerint ex tędio vitę, dolore, ac impatientia ex quocumque infortunio, aut ex quacumque alia cauſa, quę non ſit condemnatio, ac pœna futura ob delictum? 280

TRA-

TRACTATVS QVARTVS

DE DVELLI SPECIEBVS,

Ac licitæ defenſionis modis in particulari.

SECTIO I. De Quæſitis in ordine a Primam Duelli Speciem, hoc eſt ad Duellum Purgatiuum. 283

144 QVæſitum I. Vtrum peccaret aliquis, qui ſciens Se iniuſtè Capite damnari à Iudice, vt ſuam Innocentiam manifeſtaret; ad Diuinum Tribunal appellans, diceret Iudici: *Cito Te ad comparendum coram Deo intra certum tempus?* 285

145 Quæſ. II. Quid agere deberet Iudex, ſi poſt datam Sententiam citaretur ab eo, quem Capite damnauit, ad comparendum ante Diuinum Tribunal? 288

146 Quæſ. III. An ſi quis de obiecto crimine ſe purgare vellet, tactu ferri cadentis, peccaret? Et an Iudici id præcipienti obedire teneretur? 289

147 Quæſ. IV. An ſuſpectus de crimine cogi poſſit ad ſumendam Euchariſtiam pro Delicti, vel Innocentię manifeſtatione? 295

148 Quæſ. V. Vtrùm aliquis ad purgandum ſe de obiectis Contumelijs, dicere poſſit Contumelioſo, *Mentiris?* 297

149 Quæſ. VI. An licitè poſſet aliquis Se de obiectis criminibus purgare, obijciendo vicisſim alias Contumelias, & vera crimina Contumelioſo? 299

150 Quæſ. VII. An ſi alicui obijcerentur vera Crimina, ſed occulta; liceret ei ad Se purgandum, dicere Contumelioſo, *Tu mentiris?* 300

151 Quæſ. VIII. Vtrùm ad Criminis occulti, vel Innocentiæ manifeſtationem, liceat Sortibus vti? 301

SECTIO II. De Prima Duelli Specie, hoc eſt de Duello Purgatiuo? 303

152 Quæſ. I. Quid ſit Duellum Purgatiuum? 303

153 Quæſ. II. Vtrum Duellum ad Delictum purgandum, ſeù ad Innocentiam probandam, vel ad Veritatem manifeſtandam, ſit licitum? 305

Quæſ. III. An ſi quis Innocens ab Iniquo Iudice damnaretur, vt vel in Duello pugnaret, ad obiecti Criminis Purgationem, vel mortem ſubiret, liceret Ei Duellum acceptare? 306
Quæſ. IV. Vtrùm Princeps duobus Reis Capitis Supplicium commeritis, mutuum Duellum indicere poſſit: & num Reis acceptare licitum ſit, ea conditione, vt Victor tanquàm Innocens abſoluatur? 308
Quæſ. V. Vtrùm quandò illicitè ſuſcipitur Purgatorium Duellum, illicita ſit etiam illa Conditio, ne aliquis ex Circumſtantibus, alterutri ex Duellantibus opem ferat? 309
SECTIO III. De Quæſitis in ordine ad Secundam Duelli Speciem, hoc eſt, ad Duellum Oſtentatiuum Virium. 310
Quæſ. I. An licita ſint Tauriludia, ſeu Ludicra Duella cum Hominibus, & Tauris inita? & An qui ea permitterent, vel ſectarent, peccatum committerent? 310
Exemplar Diplomatis Pij V. Pontificis Maximi, prohibentis Agitationem Taurorum, aliarumq; ferarum Beſtiarũ? 313
Quæſ. II. Vtrùm prędicta Conſtitutio Pij V. contrà Tauriludia, fuerit ab alijs Summis Pontificibus abrogata? 315
Quæſ. III. Vtrum Torneamenta ſint licita? 317
SECTIO IV. De Secunda Duelli Specie, hoc eſt de Duello Virium Oſtentatiuo. 318
Quęſ. I. Vtrùm Duellum ad Viriũ oſtentationem ſit licitũ? 319
Quæſ. II. Vtrùm quandò aliquis iter faciens, preuidit occupatum eſſe tranſitum à Duellatore, neminem permittente tranſire, niſi pugnet, poſſit hic licitè acceptare Duellum, vt incœptum iter proſequatur? 320
Quęſ. III. Vtrum Viatori liceret oblatum Duellum acceptare, quandò ei Tranſitus fortuitò denegaretur ab aliquo Duellatore, nec poſſet vltrò tranſire, niſi Duello pugnaret? 322
Quęſ. IV. Vtrum inter Milites vtriuſque Exercitus, liceat in Bello ex conſenſu Ducum, Spectaculi, & voluptatis causâ, atque ad robur militum oſtendendum, committere Duellum Oſtentatiuum Virium? 323
Quęſ. V. Vtrum poſſint mutuò pugnare duo Homines Iu-

uſtè damnati ad necem, ſi Iudex det illis optionem, vt vel mutuò pugnent, Victorq; euadat Incolumis, vel vt Tortor eos trucidet, Iudexque velit experiri vtriuſque vires, & dexteritatem? 324

166 Quęſ. VI. Vtrum liceat duobus Reis Capite Damnatis, Duellum, iubente Iudice, committere; non quidem ad euadendam mortem, ſed ad grauiorem mortis pœnam vitandam? 324

SECTIO V. De Quæſitis in ordine ad Tertiam Duelli Speciem, hoc eſt, ad Duellum Euitatiuum Ignominię. 325

167 Quęſ. I. Vtrum Inuaſorem, qui Fuſte, vel Alapa minatur malum contrà Honorem, ſi alia nón ſuperſit defendendi ratio, occidere liceat? 326

168 Quęſ. II. Vtrum poſt impactam Alapam, vel Fuſtem, liceat ad Honorem recuperandum, Inuaſorem repercutere, vel Fugientem Inſequi, vel etiam occidere? 327

169 Quæſ. III. Vtrùm pro Honore, Fama, & Gloria conſeruanda liceat Inuadentem non Armis, ſed Lingua, hoc eſt, Detractorem occidere? 336

170 Quæſ. IV. An licitum ſit Cædem, aut Vulnera inferre Contumelioſo, ad Contumeliam depellendam? 338

171 Quæſ. V. An Contumelioſum dicentem, *Tu mentiris*, licitum ſit occidere, vbi hoc verbum *Mentiris*, eſt valdè ignominioſum? 341

SECTIO VI. De Tertia Duelli Specie, hoc eſt, de Duello Ignominiæ Euitatiuo, ſeù Honoris cauſa. 341

172 Quæſitum Vnicum An licitum ſit Duellum Honoris cauſa committere? Vbi multa alia ad hoc Quęæſitum pertinentia, ſoluuntur Dubia. 342

Prima, & Secunda Reſponſio ad Quæſitum. 342

Soluuntur duo Dubia circà obligationem, quandò teneatur Prouocatus domi ſe continere, nè Prouocatori occurrat, & quandò poſſit licitè egredi. 343

Tertia Reſponſio, quoàd ſimplicem Duellandi Complacentiam. 345

Quarta Reſponſio, quoàd abſolutam Duellandi Voluntatem. 345

Quinta Reſponſio, quòad conditionatam Duellandi Voluntatem. 346
Sexta Reſponſio, quòad Duelli Acceptationem. 346
Opinio Leſſij. 348
Hurtadi Opinio. 348
Septima Reſponſio ad principale Quæſitum, Affirmans Acceptari poſſe Duellum. 352
Octaua Reſponſio ad principale Quæſitum, Negans acceptari poſſe Duellum. 353
Nona Reſponſio, Aſſerens nullam ſequi infamiam ex non acceptatione Duelli. 355

SECTIO VII. De Quæſitis in ordine ad Quartam Duelli Speciem, hoc eſt, ad Duellum Terminatiuum Litis Criminalis, aut Ciuilis. 357

Quæſ. I. Vtrum licitum ſit occidere Eum, qui vadit ad Iudicem, vt imponat falſum teſtimonium, propter quod ſim occidendus, & infamandus? 357
Quæſ. II. Vtrum Iniuſtus Litigator, qui Calumnijs, & Falſis Teſtibus, conatur in Iudicio, Te tuis rebus ſpoliare, poſſit licitè à Te occidi, quandò aliter non potes ſpoliationem illam effugere? 365
Quæſ. III. Vtrum, quandò Miniſtri publici iniuſtè aggrediuntur interficere, aut comprehendere aliquem, vt iniuſtè interficiatur, licitè poſſint occidi? 366

SECTIO VIII. De Quarta Duelli Specie, hoc eſt de Duello Terminatiuo Litis Ciuilis, aut Criminalis. 367

Quæſ. Vnicum An ſi Innocens Iniuſtè accuſatus, & damnatus, vel ad mortem damnandus, prouocaretur ab Accuſatore ad Duellum; poſſet certam Mortem, quam per Iudicem ſubiturus eſſet, in Duelli periculum commutare? 368

SECTIO IX. De Quæſitis in ordine ad Quintam Duelli Speciem, hoc eſt ad Duellum Terminatiuum Belli. 375

Quæſ. I. An licitum ſit in Bello iuſto non modò palam, & apertè, ſed etiam per inſidias, & ſtratagemata varia; procurare Victoriam? 375
Quæſ. II. An ſi in Bello Aduerſarij offerant ſatisfactionem

poſt

poſt incœptum iàm Bellum, debeat pars læſa illam acceptare, & ab incœpto Bello deſiſtere? 379

179 Quæſ. III. An liceat occidere Obſides, ſi qui eos tradiderint, pactum violauerint? 381

180 Quæſ. IV. An liceat ad redimendam propriam vexationem, tradere Innocentem Tyranno, Vrbis excidium comminanti, niſi talis Innocens tradatur? 382

181 Quæſ. V. An liceat ad terminandum Bellum, die feſto inire Certamen? 385

182 Quæſ. VI. An ad terminandum Bellum liceat in Bellico Conflictu occidere eos, qui ſunt, aut præſumi debent eſſe Innocentes? 389

SECTIO X. De Quinta Duelli Specie, hoc eſt, de Duello Terminatiuo Belli? 391

183 Quæſ. I. An liceat Bellum terminare Duello? 392

184 Quæſ. II. Vtrùm Catholicus Princeps cum Hæretico, aut Pagano, aut Tyranno Bellum gerens, poſſit rem committere Singulari Certamini? 395

185 Quæſ. III. Vtrùm Reges per ſe poſſint inire licitè Singulare Certamen, ad Bellum dirimendum? 395

186 Quæſ. IV. Vtrùm quandò Bellum reſoluitur in Duellum, liceat ex parte vtriuſque Duellantis, circumſtantiam illam apponere, vt nullus ex Adſtantibus opem alterutri ferat? 396

SECTIO XI. De Quæſitis in ordine ad Sextam Duelli Speciem, hoc eſt, ad Duellum propriæ Vitæ, Bonorum, ac Diuini Honoris Defenſiuum. 397

187 Quæſ. I. Vtrùm pro Defenſione Bonorum, Inuaſorem liceat occidere? 397

188 Quæſ. II. Vtrùm Furem fugientem liceat interficere? 401

189 Quæſ. III. Vtrùm quandò ablata Bona nequeunt iuridicè recuperari, dùm adhuc in ſpecie exiſtunt, liceat Ea per Vim recuperare, occidendo Latronem, pacificè ea Bona poſſidentem? 403

190 Quæſ. IV. Vtrùm liceat Clericis, pro Defenſione Rerum ſuarum, Furem interficere? 404

191 Quæſ. V. Vtrùm Religioſis liceat interficere Furem pro Rerum Defenſione? 405

Quæſ. VI. Vtrùm pro Defenſione alterius liceat occidere Inuaſorem? 406
Quæſ. VII. Vtrùm Priuatus teneatur defendere Vitam alterius Priuati, quandò non poteſt ſinè occiſione Inuaſoris? 407
SECTIO XII. De Sexta, & vltima Duelli Specie, hoc eſt, de Duello propriæ Vitæ, Bonorum, ac Diuini Honoris Defenſiuo. 409
Quæſ. I. An liceat acceptare Duellum ad tuenda Bona temporalia, quandò periculum amittendi Vitam, eſt magis, vel æquè certum, ac Spes recuperandi Bona? 409
Quæſ. II. Vtrùm Accuſatore Offerente Duellum, poſſit Innocens acceptare Certamen ad tuenda Bona temporalia? 410
Quæſ. III. Vtrùm, dùm Petrus v.g. Paulum ad Singulare Certamen prouocat, illum occiſurus, vel Bonis ſpoliaturus, niſi Illud acceptet; poſſit licitè Paulus tale Certamen acceptare? 412
Quæſ. IV. Vtrùm Innocens poſſit Criminatori offerre Singulare Certamen, quandò alia ratione non poteſt Se, Suaque tueri? 412
Quæſ. V. An liceat ad Duellum prouocare Eum, qui Tibi Innocenti iniuſtam Mortem molitur? 413
Quæſ. VI. Vtrùm, quandò ob Defenſionem Vitæ, vel Bonorum, ab aliquo Innocente, cùm Iniuſto Duellatore Duellum committitur, poſſit conditio illa apponi, vt nullus ex circumſtantibus alterutri opem ferat? 414
Quæſ. VII. An offerre liceat Duellum ex Odio, & Inimicitia? 416
Quæſ. VIII. Vtrùm acceptare liceat Duellum ex Odio, & Inimicitia oblatum? 417
Quæſ. Vltimum. Vtrùm ſi quis ab Infideli prouocaretur ad Duellum, ob Defenſionem Honoris Dei, vel ob cauſam Fidei, vel veræ Sectæ cognoſcendæ, liceret ei Duellum acceptare? 418

TRACTATVS QVINTVS, ET VLTIMVS

DE EXCVSATIONE, ET ABSOLVTIONE

à Duelli Cenſuris.

SECTIO I. De Ignorantia, & Metu excuſantibus à Cenſuris Duelli. 419

203 QVæſitum I. An inuincibiliter Ignorans ſub Cenſuris prohiberi Duella, Excommunicationem contraheret, ſi Duellum iniret? 420

204 Quæſ. II. An Duellatores Scientes Duella prohibita quidem eſſe Diuino Iure, at inuincibiliter Ignorantes, ea ſub Cenſuris ab Eccleſia prohiberi, Duellum ineuntes ſint Excommunicati? 421

205 Quæſ. III. An Duellatores Vincibili, Craſſa, & Affectata Ignorantia laborantes, Duellum ineundo, ſint Excommunicati? 422

206 Quæſ. IV. An ſi quis ſciret ab Eccleſia prohiberi Duella, ignoraret tamen Ea ſub Excommunicatione prohiberi, Duellum committens, foret Excommunicatus? 425

207 Quæſ. V. An excuſandus eſſet à Duellicis Cenſuris, qui ignorans Duella eſſe prohibita, Duellum committeret; ſed ità tamen eſſet animo paratus, vt etiamſi ſciret Duellicam Prohibitionem, Duellare vellet? 426

208 Quæſ. VI. An Pugnans in Rixa, quam ex errore putet eſſe formale Duellum ſub Cenſuris prohibitum, ſit à dictis Cenſuris excuſandus? 428

209 Quæſ. VII. Quidam Vir Nobilis in condicto Duelli loco, Inimicum, quocum Pugnare condixerat, expectans; Pugnauit interim cum altero Inimico, caſu illàc tranſeunte, quæritur an ſit à Duelli Cenſuris excuſandus? 429

210 Quæſ. VIII. Miles quidam cum Inimico Commilitone ſuo galeatus Duellare condixerat; ſed de Duelli locum accedens, cum alio Milite galeato, ibi inuento Pugnauit, ex errore putans ſuum eſſe Inimicum, quæritur an ſit ab Excommunicatione excuſandus? 430

211 Quæſ. IX. Vtrùm metus grauis, ſeù cadens in conſtantem

Virum

Virum, excuſet ab incurrendis Duelli Cenſuris? 432
212 Quæſ. X. Duo Impuberes condicto loco, & tempore, ſtrictis pugionibus Duellum inierunt; Quæſitum eſt, an Duellicas incidiſſent in Cenſuras? Erant enim Doli capaces. 434
SECTIO II. De Abſolutione à Duelli Cenſuris. 436
213 Quæſ. I. An quandò Duellum eſt occultum, poſſit Epiſcopus à Pontificijs Cenſuris abſoluere Duellatores? 436
214 Quæſ. II. Vtrùm quandò Epiſcopus occultum Duellatorem abſoluere poteſt, poſſit etiam Illum extrà ſuam Diœceſim exiſtentem abſoluere à Cēſuris Duelli, occultè initi in ſua Diœceſi? 438
215 Quæſ. III. An poſſit Epiſcopus abſoluere Publicos Duellatores; quandò adire non poſſunt Sedem Apoſtolicam pro Abſolutione? 439
216 Quæſ. IV. An poſſit Epiſcopus abſoluere Duellatorem iuſtè impeditum, etiamſi poſſit Sedem Apoſtolicam per Procuratorem adire? Et an poſſit Alteri in tali Caſu abſoluendi Facultatem committere? 441
217 Quæſ. V. Vtrùm poſſint Regulares Priuilegiati, abſoluere ab Excommunicatione ex Duello contracta? 442
218 Quæſ. VI. Vtrùm poſſint Priuilegiati Regulares abſoluere à Duelli Cenſuris, quandò Delictum eſſet occultum? 443
219 Quæſ. VII. An poſſint Regulares Priuilegiati abſoluere à Cenſuris ex Duello, ſiuè occulto, ſiuè publico contractis; quandò tamen Duellatores adire non poſſent Sedem Apoſtolicam? 445
220 Quæſ. VIII. An Milites intrà Italiam abſolui poſſint à Duelli Cenſuris, abſque obligatione Apoſtolicam Sedem adeundi? 446
221 Quæſ. Vltimum. Vtrùm poſſit Duellator in Articulo mortis abſolui ab Excommunicatione, ab aliquo Clerico non Sacerdote, vel etiam Laico? 447

TRACTATVS PRIMVS
DE NATVRA DVELLI
SECTIO PRIMA
DE ORIGINE DVELLI.

DE Duello præſens Opus, quamuìs Theologico-morali calamo ſcribere aggrediar; nonnulla tamen de primæua eius origine, progreſſu, exitu, ab hiſtoriarum monumentis repetita, principio paucis exponam. Subit enim pleroſque noſcendi cupido, quo authore ſit tàm deteſtabile ſcelus inuentum, quoue, vt ita dicam, malo parente tàm peſſima prodierit ſoboles; quo ferino ab vbere lac, ſeu potius ſanguinem ſuxerit; quo ſub Cælo adoleuerit; qua ſub Politicorum diſciplina leges, rituſque acceperit; quo demùm ſub Principe impunè floruerit, tantùmque roboris acquiſiuerit, vt vbique gentium olim Theatro, Spectatoribus, Patrinis, Armis, ac Martiali die condictis, multos mortalium in hanc ſingularis Martis arenam, cum ingenti humanæ naturæ ſtrage, ac Chriſtianæ Reipublicæ detrimento laceſſerit, ac proſtrauerit. Donec gemino, & Petri, & Cæſaris gladio armata ſimul conſpirans, Pontificia, ac Imperatoria Maieſtas, Duellum Chriſtiano ex Orbe penitùs exterminandum curauit. Hinc enim Conſtantini, Theodoſij, Valentiniani, Honorij, aliorumque Imperatorum Edicto cautum eſt, nè Duello dimicetur, neuè Gladiatorum cædibus Vrbes polluantur. Illinc verò Iulij II, Leonis X, Clementis VII, Pij IV, Gregorij XIII, Clementis VIII, aliorumque Summorum Pontificum ſacratiſſimis Conſtitutionibus; nec non ſeueriſſimo Tridentini Senatus-conſulto vetitum eſt, ſingulari certamine congredi. Tanta autem eſt hominum ſuperbia, ac audacia, vt nec Deum

Euſebius lib. 4 de Vita Conſtantini.

Lex ipſa extat in Codice Iuſtiniani lib. 12. tit. 43.

Vide in Bullario Cõſtitut. 9. in ordine 29. 11. 25. 87.

Concil. Trident. ſeſſ.25. de reformat. cap.19.

timeant, nec Homines vereantur; ſed Pontificijs, Cæſarijſque legibus poſthabitis, ſub honoris, vel publicæ vtilitatis prætextu, hac noſtra quoque ætate paſſim digladientur; quorum frequentibus Monomachijs, cum multorum exerceantur ingenia, & calami acuantur ad hæc duellica argumenta diuerſimodè tractanda; Ego vniuerſam hanc de Duello materiam, non legali, aut politica, ſed theologico-morali methodo tractaturus, de Duello præſens Opus, à Duelli origine, Deo Duce, auſpicabor.

QVÆSITVM I.

Quis primus Duellum inuenerit?

SVMMARIVM.

1 *Adducuntur variæ ſententiæ circa Duelli inuentores.*

2 *Prima ſententia Alciati, Ferreti, & aliorum adſcribit Dæmoni duelli inuentionem.*

3 *Suadetur primò exemplo Luciferi præliantis in Cælo.*

4 *Suadetur ſecundò exemplo Diaboli altercantis cum Michaële de Moyſi corpore. Explanatur, cur altercaretur Diabolus.*

5 *Suadetur tertiò exemplo Principis Regni Perſarum reſiſtentis Angelo Gabrieli.*

6 *Reijcitur hæc ſententia Alciati.*

7 *Explicatur quid veniat nomine Principis Regni Perſarum, & quare reſtiterit Gabrieli.*

8 *Gentilitas ſuos Deos inuicem contendentes fabulatur.*

9 *Secunda ſententia; Torreblanca auctorem Duelli Caimum facit.*

10 *Reijcitur hæc ſententia. Cain proditionis, & rixæ, non Duelli auctor fuit.*

11 *Eſau, & Iacobi colliſio in Matris vtero quid ſignificauerit?*

12 *Tertia ſententia aliorum de Martinels Duelli auctoribus, adducitur & reijcitur.*

13 *Romulus apud Romanos primus Duelli inuentor extitit.*

14 *Concluditur vetuſtiſſimam eſſe Duelli originem, & veriſimiliter primum inuentorem fuiſſe Gigantem Goliath.*

1 DVELLVM à Diabolo malorum omnium Auctore originem traxiſſe, tradidit Alciatus *de ſingulari certamine cap. 2. n. 1.* Idem ſenſerunt Iacobus de Caſtillo *in procemio nu.* 22. Ferretus *in eodem tract. num.* 31. Azeuedo *in rubric. tit.* 8. *lib.* 8. *Recop.* Salcedo *in pract. cap.* 100. Alciatus. Iacobus de Caſtillo. Ferretus. Azeuedo. Salcedo.

2 Horum ſententia ſuaderi aliquo pacto poſſet, ſi *Duelli* rationem habuiſſe dixerimus varia certamina, ad quæ, vt ſacræ paginæ teſtantur, Diabolus reliquos Angelos, veluti prouocare quandoque auſus eſſe videtur.

3 Et primò. Apocalypſeos c. 12. *Prælium magnum factum eſt in Cælo, Draco pugnabat & Angeli eius*; ibi enim deſcribitur certamen illud, in ipſo creati Orbis primordio, inter Michaëlem præcipuè, ac Luciferum, duos veluti inter exercituum Duces acriter commiſſum. Nam Lucifero in Diuinitatis Aulam irrumpere conanti, ac ſuper aſtra Dei exaltare ſolium meditanti; *Quis vt* Primæ ſententiæ ratio prima.

Deus,

Deus, Quis vt Deus inclamans Michaël, Cæleſtis militiæ Princeps, occurrit, eumque è Cælis, ad Inferos præcipitem deturbauit.

Secunda ratio.

4 Secundò Iudas Apoſtolus in ſua Canonica epiſtola. *num. 9.* altercationem quamdam de Moyſi corpore, & ſepultura inter Diabolum, & Michaëlem contigiſſe refert. Nàm Diabolo corpus Moyſi in apertum profetre volenti, vt rudem Iudæorum populum, neglecto veri Numinis cultu, ad Idololatriam incitaret, Michaël, vt peccati cauſam remoueret, ſe ſe implorato priùs Diuino auxilio, totis viribus oppoſuit.

Tertia ratio.

D. Hier. D. Thom.

5 Tertiò Danielis 10. Princeps Regni Perſarum (hoc eſt Princeps aliquis Dæmonum, vt Hieronymus exponit, relatus à D. Thoma *prima parte q. 113. art. 8.*) reſtitiſſe dicitur Angelo Gabrieli; dum ad Iudaicum Populum, cui præerat, è captiuitate liberandum aduolaret: *Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, &c.*

Primæ ſententię impugnatio.

6 Verùm hæc alia ſeù bella, ſeu duella, impropriè, & metaphoricè inter bonos, malòsue ſpiritus exerceri dicuntur: in præſenti autem loquimur de rigoroſo Duello, quod, licet, Diabolo ſuggerente, ſit excogitatum, immediatos tamen & proximos auctores, homines fuiſſe certùm eſt.

D. Thom. D. Greg.

7 Porrò nec Princeps ille Regni Perſarum, Dæmon aliquis fuit; ſed vt idem D. Th. *loco citato* docet ex *Gregorio cap. 17. moral.* fuit Angelus Perſici Regni Cuſtos, qui credens futurum fuiſſe, vt Iudæis in Perſide remanentibus, Perſæ paulatim ab ipſis veri Dei cultum addiſcerent, viginti & vno diebus liberatori Angelo reſtitit, nè captiuos Iudæos in libertatem aſſereret. E contra Gabriel verens nè Iudæi Perſis immixti, eorum mores imbiberent, ac vero Deo relicto, ad Idola ſe conuertetent, citiſſimè illos è captiuitate vindicare conabatur, viguitque certamen iſtud viginti & vno diebus, vno quoque Angelo, donec Diuina pateret voluntas, ſui populi partes tuente.

8 Similem contentionem ipſos quoque inter Deos cæca Gentilitas excogitauit, illorumque alios vni Regno infenſos, alios propitios fabulata eſt, vt Sulmonenſis Cycnus ſua funera deflens triſti auena cecinit.

Ouidius de Triſtibus Elegia ſecunda.

Sæpè premente Deo, fert Deus alter opē.
Mulciber in Troiā, pro Troia ſtabat Apollo:
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Æneam proprior Saturnia Turnos
Ille tamen Veneris Numine tutus erat.
Sæpè ferox cautū petijt Neptunus Vlyſſem,
Eripuit patruo ſæpè Minerua ſuo.
Et nobis aliquid quamuis diſtamus ab illis,
Quis vetat irato, Numen adeſſe, Deo.

Secunda ſententia.

9 Duellum alij à Caino inuentum putant; quando Scriptura ſacra teſtante *cap. 4. Gen. Dixit Cain ad Abel Fratrem ſuum, Egrediamur foras, cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduersùs Fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*, ita Torreblanca *in tract. de Magia cap. 23. num. 3.*

Torreblanca. Sed impugnatur.

10 Sed proditionis potiùs, quàm Duelli auctorem Cainum, fuiſſe ex hoc textu colligitur, nàm fratri ſuo Abelo, non ſingulare indixit certamen, ſed relaxandi animi ergo, amæna camporum videnda propoſuit, eique in agro otianti, odio, ac liuore tabeſcens, proditoriè cruentam intulit necem. Quamobrem, etſi cum ipſis primò natis hominibus, inimicitia, inuidia, ac orta videatur æmulatio, non inde tamen patet ortum fuiſſe Duellum, vt optimè aduertit Pater Ioannes Euſebius *lib. Stromatum, ſtromat. 1. cap. 17.*

Io. Euſebius.

11 Similiter reſpondendum arbitror ijs, qui cum Eſau, & Iacob congenitum quodammodo fuiſſe Duellum exiſtimant, quoniam adhuc materno in vtero occluſi, colli-

debantur, & veluti cæco Marte pugnabant: *Collidebantur paruuli in vtero eius. Gen.25.nu.22.* Erant paruuli illi diuerſarum gentium, diuerſorumque populorum futuri Patres, ac Duces, venturaque bella, mutua collisione, Deo volente, præſignabant, vt idem Deus conſulenti Matri reſpondit: *Duæ Gentes ſunt in vtero tuo, & duo Populi ex ventre tuo diuidentur: Populuſque Populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Vndè, licet talis paruulorum colliſio futuræ diſcordiæ argumentum fuerit; Duelli tamen nec nomen meretur, vt fuſiùs infra ex Duelli definitione patebit.

12 Tradunt alij, vt refert Alciatus *loco ſupra citato*, Duellum in Græcia à Mantineis repertum, ea potiſſimùm ratione, quòd bellicum Sagum, ac veteres armaturas, Mantineas appellant, quo nomine, & Epheſtridem, quam vulgò ſupra veſtem vocamus, & conos, & pennas, & emblemata, huiuſmodique pugnantium ornamenta dicere in præſenti poſſumus.

Huic tamen ſententiæ aduerſatur Antonius Maſſa *contrà vſum Duelli num. 8.* qui à Barbaris nuent m ferinam, immanemque hanc pugnam arbitratur, & ſuadet illud Horatij *lib.1. Epiſt.*

Græcia Barbariæ lento colliſa Duello,
Stultorũ Regũ, & Populorũ continet æſtus.

13 Valerius Maximus *lib.3.c.2. num. 4.* Romulum Duelli auctorem facit; loquens enim de Cornelio Coſſo Equitum Magiſtro, qui Fidenatium Ducem interemit, ſubdidit: *Magnus initio huiuſce generis inchoatæ gloriæ* (ſcilicet Duelli) *Romulus.* Sed de primo Duelli auctore apud Romanos tantùm intelligendus eſt Valerius Maximus, quem Romulum fuiſſe, ex Liuio, aliiſque Hiſtoricis colligitur, & nos vltrò concedimus.

14 Ego tandem, etſi vetuſtiſſimum hunc duellandi vſum fuiſſe certò ſciam, cùm apud veteres Scriptores multa duellantium legantur exempla; præſertim apud Homerum, & Virgilium, Menelai cum Paride; Æneæ cum Diomede; Hectoris cum Aiace; Æneæ cum Turno, &c. tamen cum cruenti Duelli conditiones infrà explicandæ, in Goliathi Gigantis Duello cum Dauide, inueniantur, Goliathum Duelli Auctorem fuiſſe facilè dicerem: ipſe enim proprijs armis, ac viribus fiſus, in Terebinthi valle, veluti in aperto Martis campo, Iſraëlitarum Phalangibus exprobrans, fortiſſimum quemque illorum ad ſingulare certamen prouocabat, clamando: *Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen, ſi quiuerit certare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui: ſi autem ego præualuero, & percuſſero eum, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis* 1. *Reg. cap.* 17.

Homerus

Vltima ſententia, ac quæſiti ſolutio.

Cùm igitur in hac prima pugna à Gigante illo Iſraëlitis indicta, vmbratilis quædam Duelli ratio inueniatur, vt ſuppono ex infrà dicendis, reliquum eſt, vt Goliatho Giganti pernicioſa, ac deteſtabilis Duelli origo ferè adſcribenda videatur; qui ſuo demùm gladio perijt, ac Deo annuente, factum eſt (quod ſæpè accidit) vt malum inuentum in Auctoris perniciem verteretur: *Conuerſus eſt in caput eius, furor eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendit.* Vndè eleganter cecinit Claudianus *lib. 1. in Eutrop.*

Pſal 7.

Claudian.

Quã benè diſpoſitũ terris, vt dignus iniqui
Fructus Conſilij, primis auctoribus inſtet.

QVÆ-

QVÆSITVM II.

Quis ludicra Duella,ſeu Gladiatorios Ludos inſtituerit?

SVMMARIVM.

1 *Indagatur Origo ludicri Duelli, ſeu ludi gladiatorij.*

2 *Apud Romanos priuatim in Saturnalibus huiuſmodi ludi cæperunt.*

3 *Campani frequenter in conuiuijs digladiabantur.*

4 *In funere Illuſtrium Virorum, publicè dati ſunt Romæ gladiatores.*

5 *Olim apud Græcos Captiui immolabantur antè defuncti Principis rogum.*

6 *Tertulliani, & Seruij de hac priſtina Gentilium impietate teſtimonia.*

7 *Vbi, & quinam primum munus gladiatorium Romæ dederit.*

8 *In funere Illuſtrium Fœminarum etiam dati gladiatores.*

9 *Gladiatoria ſpectacula,voluptatis cauſa, paſſim exhibita.*

10 *Sub Traiano Principe decem millia gladiatorum, breui temporis interuallo, in arena pugnarunt.*

11 *Perſeus Macedonum Rex in Græcia gladiatoria ſpectacula edidit.*

12 *Herodes Rex apud Iudæos.*

Agrippa ſeptingenta paria gladiatorum vna commiſsione dedit.

13 *Priuati etiam Viri, imò & Artifices gladiatoria ſpectacula populo dederunt.*

14 *Fœminæ etiam in arena digladiabantur.*

15 *Sub Principe Seuero id poſtea fœminis prohibitum.*

16 *Honorius Imperator gladiatorios ludos fieri vetuit.*

Diuus Almachius Martyr huic Edicto cauſam præbuit.

17 *Explanatur Ethymologia Dirimachij, Almachij,& Telemachi.*

Cur Almachius Martyr,Dirimachius, vel Telemachus dictus ſit.

1 VNDE ludicra Duella, ſeù toties apud Hiſtoricos repetita Gladiatorum certamina originem traxerint, ſcitu dignum videtur; cùm illa, non inter hoſtes,& exteros, ſed ipſoſmet inter amicos, & conciues inita,eò pernicioſiora fuerint, quò frequentiora; adeò vt vicena quandòque, aut tricena capitum millia, vnius intra menſis ſpatium, mutuis gladijs ludendo occubuiſſe, lachrymabunda ſpectarit Europa.

2 Et quidèm apud Romanos gladiatorijs ludis priuatim initium datum eſt in Saturnalibus, vt Saturnus, cui ea feſta tutelæ erant, humano ſanguine propitius, pacatuſque redderetur: paulatim deindè vſus inualuit in lautioribus conuiuijs voluptatis cauſa, aliquot Gladiatorum paria in Triclinio exhibendi ad pugnam, vt Nicolaus Damaſcenus apud Lipſium his verbis teſtatur: *Spectacula Gladiatorum non per ferias tantùm, & in Theatris Romani exhibuerunt, ſed priuatim & in Conuiuijs. Quin & ad Cœnam ſæpè amicos vocare ſoliti, cùm ob alia, tùm, vt bina, aut terna paria Gladiatorum viderent, quos vino iam, & cibo madidi, intrò vocabant, atque ille quidem trucidabatur, iſti plauſum manibus dabant, tamquam in re læta.* (Gladiatorij ludi Origo in Saturnalibus.) (Nicolaus Damaſce nus apud Lipſium.)

3 Hunc autem morem poſt Conuiuia digladiandi, hauſerant Romani à Campanis, quibus, vt Silius *lib. 11. Punic. ſcribit* (Silius.)

Olim etiã exhilarare virûm conuiuia cade
Mos erat, & miſcere epulis ſpectacula dira
Certantum ferro, ſæpè & ſuper ipſa cadentũ
Pocula,reſperſis non parco ſanguine menſis. (Mos duel landi in conuiuio.)

4 Publicè verò Romæ conſeruere manus Gladiatores in funere illuſtrium virorum, ac Ducum, quibus anteà, Græcorum more, captiuos immolare ſolebant, illorum animas humano ſanguine propitia- (Publicè dati gladiatores.)

turi.

turi. Vnde Achilles apud Homerum in Patrocli rogum coniecit.

Bis ſenos iuuenes, Troiano ſanguine cretos.

5 Hanc impietatem poſteà voluptate aliqua adumbraturi, gladiatorios ludos ante extincti Principis rogū, celebrandos curauere, vt tàm cruento ſimul, & ludicro ſpectaculo, ſuperſtitis populi mæſtitiam lenirent, defuncti Principis animam propitiarent.

6 Audi Tertullianum, clariùs hæc omnia exprimentem: *Olim*, inquit, *quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari, creditum erat, captiuos, vel malo ingenio ſeruos mercati, in exequijs immolabant. Poſteà placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos parauerant, armis quibus tunc, & qualiter poterant eruditos, mox edicto die inferiarum, apud tumulos erogabant*. . .

Hæc Tertullianus, cui Seruium adnecto, qui explanans illud Virgilij carmen: *Viuentes rapit, inferijs quos immolet vmbris: Moris erat*, inquit, *in ſepulcris virorum fortium captiuos necari, quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit Gladiatores ante ſepulcra dimicare, &c.*

7 Funera igitur cauſa fuere Gladiatorij muneris publicè inſtituendi, quod quidèm prima vice datum fuit in foro Boario, anno ab Vrbe condita CCCCXC. vt ſcribit Valerius Maximus *lib. 4. de ſpectaculis nu. 7. Gladiatorum munus primùm Romæ datum eſt in foro Boario, Ap. Claudio & M. Fuluio Coſſ. dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria, Patris Cineres honorando*. .

8 Et non ſolùm in Illuſtrium funere Virorum, verùm etiam & Fœminarum dimicauere Gladiatores; Cuius rei Dux, & Auctor fuit Iulius Cæſar, qui, vt refert Sueton. *cap. 26. Munus gladiatorium populo, epulumque in filiæ memoriam promuntiauit, quod ante eum nemo*. Nec dubium eſt, quin Cæſaris exemplum imitati ſunt alij, & quidem in Spartiano legimus, *Hadrianum præcipuos honores ſocrui ſuæ, ludis gladiatorijs impendiſſe*. Adeò populus ille bellator è Marte genitus ſanguinis prodigus erat, vt ſuas quoque Veneres effuſo ſanguine lugeret, illiſque proprij corporis victima, parentaret.

Iulius Cæſar & Hadrianus Impp. ante fœminarum rogos ludicra duella fieri iubent

Spartian.

9 At cùm voluentibus annis gladiatoria hæc ſpectacula populo placerent, placuit & Principibus publicæ voluptatis ergò, frequentiùs ea celebranda permittere, tanta Gladiatorum frequentia, vt ſub Traiano Principe centum viginti dierum ſpatio decem millia gladiatorum in arenam deſcenderint.

Ingens gladiatorum numerus ſub Traiano principe.

10 Quod quidem cùm incredibile videatur, Dionis de Traiano ſcribentis verba referam: *Spectacula centum & viginti dierum edidit, in quibus feræ, cicureſque animantes, interdum mille, interdum ad decem millia interfectæ ſunt: gladiatorum autem decem millia pugnarunt*.

Dio.

11 Cùmque ea ætate Romanorum virtutes pariter, ac vitia æmulari, quiſque ſibi gloriæ adſcriberet, paulatim alias Prouincias ſtudium peruaſit ludicra hæc duella, ſeu gladiatorios ludos exercendi. Vnde Perſeus Macedonum Rex primus in Græcia, huiuſmodi ſpectacula edidit, quæ quidem prima vice terrorem potiùs, quàm voluptatem ſpectatoribus præbuere; deinde crebettimo vſu grata, ac familiaria ſpectantium oculis fuere, vt Liuius *lib. 41.* de Perſeo ſcribens his verbis teſtatur: *Gladiatorum munus Romanæ conſuetudinis primò maiore cum terrore hominum inſuetorum ad tale ſpectaculum, quàm cum voluptate dedit: deinde ſæpiùs dando, & vulneribus tenùs, modo ſine miſſione etiam, & familiare oculis, gratumque id ſpectaculum fecit, & armorum ſtudium pleriſque iuuenum accendit*.

In Græcia ludi gladiatorij inſtituūtur.

Liuius.

12 Hæc Perſeus apud Græcos Romanorum magnificētiam æmulaturus, ſpectacula edidit. Apud Iudæos verò Herodes Rex, Augu-

Romanorum ſpectacula apud Græcos & Iudæos apud quos Ingens gladiatorum numerus

ſto imperante, in ſingulis penè oppidis Romanorum Theatra, & Amphitheatra conſtituit. Quinimò Agrippa ipſos quodammodo Romanos exuperauit, vna enim commiſſione ſeptingenta gladiatorum paria dedit. Quod Ioſephus *lib. 19.* refert: *Dedicationem eorum operum magnificè celebrauit in Amphitheatro, copia gladiatorum, oſtendens animi ſui magnitudinem, vbi etiam, vt multitudine inter ſe pugnantium augeretur voluptas ſpectantium, ſeptingentos viros, cùm ſeptingentis commiſit, noxios quotquot habuit in hanc operam deſtinans: vt, & illi pœnas dignas luerent, & belli imago, oblectatio pacis eſſet.*

Ioſephus.

13 Sic etiam alias apud Prouincias, ac Regna, non Reges tantùm, Proconſules, ac Præſides, ſed etiam priuatorum multi popularem auram capturi, eumdem Martis ludum aperuere. Vnde Martialis iure tangit neſcio quem Cerdonem, qui proprio ære gladiatoria edere ſpectacula ambiebat.

Martialis.

Das gladiatores Sutorum Regule Cerdo
Quodque tibi tribuit ſubula, ſica rapit.

Et ſimilia alia extant apud Tacitum & Apuleium, aliosque ſcriptores teſtimonia, quæ conſultò prætereo, ad alia meo calamo properante.

Tacitus. Apuleius.

14 Hoc tamen non omittam, quod hac in re mirandum eſt, non viros ſolùm Romæ, ſed & fœminas in arenam deſcendiſſe, virili animo decertaturas. Teſtantur hoc Tacit. *lib. 15.* & Suetonius *in Domitiano*, de cuius ludis ita cecinit Statius *in Syluis.*

Tacitus. Sueton. Statius.

Hos inter fremitus, nouoſque luſus,
Stat Sexus rudis, inſciuſque ferri:
Et pugnas capit improbus viriles
Credas ad Tanaim, ferumque Phaſim
Thermodontiacas calere turmas.

15 Habuit Roma quoque ſuas Amazonas, & Martis ſui Parentis belligeros Spiritus in virilem, ac muliebrem ſobolem pariter transfudit. Sed demùm ſub Seuero Principe cautum eſt: *Non vltra fœminam vllam ad gladium depugnare.* Obtemperauerunt Cæſaris Edicto fœminæ, vtinam & viri quoque obtemperaſſent, quibus etſi ſæpè hæc cruenta vetita fuere certamina, ſæpiùs tamen, mutato Conſilio, permiſſa, prout Imperatorum animi pietate, aut crudelitate magis, minuſuè tangerentur.

Fœminæ gladiatorios ludos exercuerunt.

16 Tandem imperante Honorio gladiatoria ſpectacula Romano ex Orbe ſubmota fuere, occaſione Sancti Almachij Martyris, qui Calendis Ianuarij Dominicæ Circumciſionis die, Diuini honoris zelo in Gladiatores publicè ludentes inuectus eſt, à quibus impiè occiſus, eiuſmodi ludis finem impoſuit, ita annuente Deo, vt quos impios mores abolere non potuerat Conſtantinus Cæſar, aboleret Almachius conſtanter cæſus, vnuſque ſeriò moreretur homo pro populo, nè tot gentes ludendo perirent.

Spectacula gladiatorū quando, & qua ratione prohibita fuerint.

17 Ex hoc gladiatoriæ pugnæ fine impoſito, vt ſapientes viri tradunt, dictus eſt Martyr iſte ex Almachio Dirimachius, hoc eſt pugnas dirimens, vel Telemachus, hoc eſt, pugnas finiens; Telos enim Græcè, Latinè finis; machia, pugna dicitur. Atque hæc de Ludicri Duelli, ſeu gladiatorij Ludi origine dixiſſe ſufficiat, in hoc ſecundo quæſito, cui Telemachus ipſe pugnas finiens finem imponat.

Baronius in notis Martyrol. Ro. n. Calend. Ian. & tom. 4. A. 395. n. 20. & ſeq.

Theodoretus lib. 5. hiſt c. 26

Otho lib. 4. c. 19.

Caſſiodorus in Trip. l. 10. cap. 11.

QVÆSITVM III.

Apud quas Nationes Duella in vſu fuerint.

S V M M A R I V M.

1 *Ob diuerſos fines commiſſa fuerunt Duella apud diuerſas Gentes.*

Enu-

2 *Enumerantur variæ Prouinciæ, ac Regna ad teſtandum Duelli vſum.*
3 *In Italiam Duellandi mos à Longobardis introductus fuit.*
4 *Quare Longobardi duello vterentur.*
5 *Statutum Frontonis Regis Danorum circa Duellum.*
6 *Apud Moſchos etiam data ſententia, datur prouocatio ad Monomachiam.*
7 *In Germania ortæ in Comitijs diſcordiæ, duello dirimebantur.*
8 *Adducuntur pro Duelli vſu varij Duellatores in teſtimonium.*
9 *Imperatores, Reges, Principes, Priuati, Pueri, Fœminæ etiam ad ſingulare certamen prodierunt.*
10 *Inter cæteras creaturas continuò quædam Duelli imago exercetur.*
11 *In homine ipſo perpetuum eſt Carnis aduerſus Spiritum Duellum.*
Deſcribitur humanorum affectuum contentio, ac veluti Spiritualis Monomachia.

1 APVD omnes ferè Nationes, eaſque potiſſimùm belligeras, & equeſtres, Duella in vſu fuiſſe, hiſtoriarum monumenta peruoluētibus liquidò patet. Quandoque enim publicas vlciſcendi vrgo iniurias, militum fortiſſimi, redacto in compendium bello, Duellum libentèr committebant; cæteros commilitones incolumes ſeruaturi. Æquum nimirùm ducebant, paucorum diſcrimine, multorum ſecuritatem firmare, proprio ſanguine, alienis ſudoribus parcere, ſuaque morte illorum vitam redimere. Alij verò, quorum pectora non publicæ, ſed priuatæ rei cura momorderat, odio, amore, ambitu, inaniſque gloriæ ſtimulo agitati in arenam prodiere, Duello dimicaturi. Nonnulli ad roboris oſtentationem, ac ſpectantium oblectationem, hoſtiles conſeruere manus. Plerique pro veritate indaganda, pro obiecto crimine purgando, pro lite, belloque dirimendo, pro fama, diuitijs, ipſaque vita tuenda, vel ſponte obtulere, vel oblatum libenter ſuſcepere duellum.

Belligeræ nationes duello ſæpe minuerunt.

2 Teſtis eſt Dania, quæ Frontone Rege annuente priuatorum lites, priuato duello dirimebat. Teſtis eſt Germania, Burgundia, Pannonia, quæ ciuilium aut criminalium veritatem cauſarum, deficientibus alioqui teſtibus, ac probationibus, probare, ac teſtari duellis conſueuere: Sententiam non calamo, ſed gladio, non atramento, ſed ſanguine, non literis, ſed vulneribus ſubſcribere: Cauſarum merita non in Foro, ſed in Theatro, non Aſtræa, ſed Duellona, non Iuſtiniano, ſed Marte præſide expendere. Litem denique non iuſtiori, ſed robuſtiori adiudicare ſolitæ, vt ex Velleio Paterculo, Caſſiodoro, & ex Legibus Gordeualdi, & Germanorum, ſatis, ſuperque colligitur.

Olim lites duello dirimebantur.

Velleius paterculus.

Caſſiod.

Teſtis eſt Græcia, ac Troia, quorum non bella tantùm, ſed & inclyta duella toties à Latinis, Græciſque ſcriptoribus, ligata, ac ſoluta Oratione decantata fuere. Teſtis eſt Polonia, Moſcouia, Boëmia, teſtis eſt Gallia, Hiſpania, Italia, quæ ſingulæ non Proceres tantùm ſuos, ſed ſuos etiam Reges ad ſingulare certamen prouocatos, ac quandoque proſtratos gemebundæ ſpectauerunt.

3 Et quidem in Italiam Duelli vſum introduxere Longobardi, quos apud mos erat, ambigua de poſſeſſionibus Iura, obiecta crimina grauiora, quæ vel vitæ, vel famæ detrimentum afferre poſſent, duello decidendi. Cuius tàm barbari moris triplex affertur cauſſa.

Qui duella in Italiã introduxerint.

4 I. Ob legum defectum, quibus ancipites ſoluerentur caſus; cum enim nec diuinis, nec humanis acquieſcere vellent Legibus, tritum illud proponebant: Si non ſufficiunt Iura, veniamus ad Arma.

Quare Lõgobardi duello vterentur.

II. Quoniam à Maioribus ſuis in Scandia Inſula talem duellandi mo-

rem

Longobardis Monomachiæ vſus familiaris. rem receperant, eumque cùm bellis, & armis eſſent aſſueti, veluti familiariſſimam, & compendioſiſſimam æquitatis declarandæ rationem, amplexati fuerant.

III. Nè propter priuatas paucorum inimicitias, multos inter Conſanguineos & Affines, ipſoſque etiam inter Populos, cruenta inirentur prælia, remedij loco, Monomachiam, inter Capita contentionis permiſerant: ea tamen lege, vt ſi quis, vel ætate, vel morbo, vel ſexu impediretur in arenam deſcendere, alium ſuo loco conducere poſſet, eoque ſuccumbente, vel præualente, patronus cuius nomine pugnauerat, abſolutus, vel damnatus intelligeretur, non ſecùs ac ſi in Iudicio, illius cauſſæ merita, vel demerita ponderata fuiſſent: Ità Bern. Saccus *lib.9. Ticinenſis Hiſtoriæ*. Bern. Sac.

5 In Dania verò Frotho III. Danorum Rex, vt ſcribit Saxo *lib.* 5. quamlibet controuerſiam ferro decerni ſanxit, ſpecioſiùs viribus, quàm verbis confligendum exiſtimans. Quod ſi alter dimicantium, relato pede, circumſcripti Orbis gyrum excederet, perindè ac victus, cauſſæ detrimentum reciperet. Saxo.

6 Mirabilius tamen eſt, quod Olaus *lib.* 10. *cap.* 20. de Moſchis refert, ni mirùm, etiamſi Iudices, aut ipſemet magnus Dux ſententiam protulerit, ad ſingulare nihilominùs certamen prouocationem dari, eoſque cogi, vel cum aduerſario congredi, vel mercede conductos milites, inter ſe committere: quique duello vicerit, ille etiam cauſſa ſuperior exiſtat. Olaus.

7 Fuit etiam olìm in Germania vſitatum, vt ſi in Comitijs duo Imperatores renunciati eſſent, Duellum inter ſe committerent, & penès victorem Imperium maneret. Albericus Roſat. in dict.

8 Ipſi denique teſtes ſint duellatores, ipſi præteritũ duelli abuſum deteſtando, teſtentur, qui omni æuo, omnes ferè inter gentes duella Duella ab hiſtoricis celebrata.

ſuſceperunt, quorum etſi ingens ſit numerus, duos tamẽ, aut tres, è varijs Nationibus in mediũ affero; in eorum enim ore ſtabit omne verbum. Teſtes igitur ſint Pittacus Mitylenæus Philoſophus, è ſeptem Græciæ ſapientibus, cum Phrynone Athenienſium Duce; Melanthus Dux quòque Athenienſium, cum Rege Xanto Bæotio; Menelaus cum Paride; Æneas cum Diomede; Hector cum Aiace; Æneas iterùm cum Turno; Romani Imperij Conditor Romulus, cum Acrone Ceninenſium Rege; Cornelius Coſſus cum Larte Tolumnio, Fidenatium Regi; Marcus Marcellus cũ Rege Gallorum; Manlius Torquatus, cum Scipione Æmiliano; Tergemini Horatij, cum Tergeminis Coriatijs, & alij, quorum ſingularia certamina, Homerus, Virgilius, Liuius, Valerius Maximus, cæterique deſcripſerunt Auctores. Homer. Virgil. Liuius. Val.Max.

9 Teſtes ſint etiam tot prouocationes, & Duella inter Reges, Principes, interque Priuatos, Pueros, Fœminas, pro Regno, pro dignitate, pro pudore, ac pro Fide ergà Principem, non primis ſolùm, ſed ſequentibus etiam ſæculis inita; vt inter Petrum Aragoniæ, & Carolum Nonum Galliæ Reges: Renatum Ducem Andegauenſem, & Alphonſum V. Aragoniæ Regem, pro Regni Neapolitani poſſeſſione: Ferdinandum Caſtellæ, & Ioannem Luſitaniæ Reges: Stephanum Poloniæ Regem, & Ioannem Ducem Moſchorum: Radislaum Ducem Curmienſem, & Diuum Venceslaum Regem Boëmiæ: Franciſcum I. Regem Galliæ, & Carolum V. Imperatorem: inter Corben & Orſuan Hiſpanos: Edmundum Anglum & Canutum Danum Reges: Charellum, & Accuſatorem Reginæ Condibergæ: inter Gigantem, & Puerum, pro vxore Henrici III. Burchardum Saxonem, & Conradum, filium Comitis Eberhardi, iactàtem

ſe cum Regis Nepte concubuiſſe; & inter infinitos propemodùm alios, de quorum prouocationibus & Duellis, multa tradunt Æneas Syluius, Zurita, Prudentius Sandoualius, Iouius, Mariana, Vrrea, Liuius, Polydorus Virgilius, Crantzius, Saccus, Paulus Diaconus, Nauclerus, & ſexcenti alij veteres, ac nëoterici Scriptores, adeòvt ambigendi locus non ſit, duella non in Italia ſolum, vt quidam putant, ſed vbiquè gentium, paſsim frequentata fuiſſe.

Quin imò nec Viris ſolùm, ſed etiam Mulieribus, hęc peſſima duellandi cupido inceſſit. Et Ego huius labentis ſæculi anno, ni fallor, trigeſimoquarto, Neapoli mulierem vidi, natione Hiſpanam, nomine Catharinam, quæ virili animo, prævalidis viribus, ac militari habitu Virum ementita, tela inter media, & duri Martis in armis, ſigniferum agens, ſtrenuam ſeſe bellatricem oſtenderat, ac modò laceſſita, modò laceſſens, pluries in arenam deſcenderat, ſingulari certamine pugnatura, ſemperque victrix, ſumma cum laude, è duellari palæſtra redierat.

10 At Rualdus in Oratione pro Duellis, latè oſtendit non inter homines tantùm, ſed reliqua etiam inter animalia, ipſas quòque inter Plantas, Lapides, Ventos, atque Elementa, quamdam Duelli imaginem exerceri, pugnantibus inuicèm quandoque Elementis, primiſque qualitatibus inter ſe reluctantibus.

Frigida nã pugnant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cũ duris, ſinè pondere, habẽtia põdus.

11 Et in homine ipſo perpetuum eſſe Duellum, quotidiè experimur, carne aduersùs Spiritum, ſenſu contrà rationem, ſpe in metum, odio in amorem, veluti Euro in Zephyrum, Auſtro contrà Aquilonem duellantè.

Quatuor aduerſis miſcẽtur vt ęquora vẽtis,
Eoo, Zephyro, Libyco, gelidòque Aquilone,
Sic totidem noſtras ingenti turbine mentes
Subuerti furijs, pectuſq; in prælia mitti. (ctus
Spes leuat erectos, Metus alto à vertice flu-
Deijcit, hinc animũ pulſat furibũda Voluptas
Indè Dolor, fluctus ceù fluctibus, altum
Clamorẽ ingeminat, piceis abſcõdita nymbis
Nec radios fundit Ratio, nec vela gubernat.

Inter humanos affectus crebra Duella ſpiritualia.

Parthen. Marianæ lib. 1.

QVÆSITVM IV.

Quos Euentus habuerint diuerſa Duella.

SVMMARIVM.

1 *Varius, & incertus eſt Duelli euentus.*
2 *Pittacus Mitylenæus, Rete, & Tridente armatus in Duello victoriam retulit.*
3 *Diuo Venceslao Bo͂emiæ Regi duellaturo Angelus opem tulit.*
4 *M. Valerius Coruinus in Duello, Corui auxilio, & victoriam, & Coruini cognomen obtinuit.*
5 *Iacobi Piccolominei hoſtem, Miles Cæſarianus è longè interimere præoccupat.*
6 *Horatius tergeminos Curiatios, præter expectationem, ſolus occidit.*
7 *Melanthi Athenienſium Ducis ſtratagemma.*
8 *Duorum Hiſpanorum inſigne Duellum.*
9 *Iudæus in Duello à Sene proſtratus, grauiſſimi ſceleris reus conuincitur, & capite damnatur.*
10 *Eodem gladio vterque duellator confoſſus perijt.*
11 *Gallus pertinaciter ad Duellum prouocans, proprio ſanguine ſuæ pertinaciæ pœnas luit.*
12 *Inopina mors Ioannis Baptiſtæ Mirandulani.*
13 *Funeſtum Fatum Henrici II. Galliæ Regis in haſtiludio.*
14 *Crebra in dies Duella committuntur.*

Sele-

15 *Selectiores Patrum, & Scriptorum ſententiæ pro euitando Duello.*

1 NON Belli tantùm, ſed etiam Duelli varios fuiſſe euentus, quotidiano experimento didicimus: præualuerunt enim aliquando contrà robuſtos, imbelles; contrà innocentes, noxij; contrà milites, Philoſophi; contrà armatos, inermes; contrà perſequentes, fugitiui; contrà victores, victi; ac contrà Gigantes, vt ità dicam, Pygmæi. Hoc autem à prudentibus viris obſeruatum eſt, ſæpiſſimè in Duellis, iuſto Dei Iudicis iudicio, prouocantes ſuccubuiſſe, præualuiſſe autem prouocatos; ſæpè etiam ancipiti Marte diù dimicatum, donec præfinito duelli tempore elapſo; vtrinquè pari gloria diſceſſum eſt: modò ſtratagemmate deluſum hoſtem, occubuiſſe: modò Deo opitulante, viciſſe; adeò denique varios Duelli euentus fuiſſe, vt meritò ſint Chriſtiano ex Orbe exterminata Duella. In hanc ſententiam nonnulla ſubtexam exempla, vt alieno periculo diſcat lector, própria cauere pericula; eſt enim

Felix, quẽ faciunt aliena pericula cautum.

Pittacus Mitylenæus quibus armis ad Duellũ venerit.

Strabo l. 13.

Diogenes Laert. in vitis philoſoph. lib. 1

2 A Pittaci Mitylenæi duello, quem Græcia, ſeptem inter ſapientes, eſt venerata, hos narrare euentus duelli aggrediamur. Is, vertente inter Mitylenæos, ac Athenienſes bello, exercitus Imperator ſalutatus, hoſtem inſtructis copijs, profligare meditans à Phrynone Athenienſium Duce ad ſingularem pugnam prouocatus, in arenam libenter deſcendit, non alijs armis, quàm Rete, ac Tridente munitus. Riſit ad tale ſpectaculum hoſtis, & ſapientem inſipientem, philoſophum piſcatorem, Pittacum Neptunum euaſiſſe deridens, lætus ſibi victoriam ominabatur. At ille protinùs expanſis retibus, eum veluti piſcem circumuoluit, ac implicuit, implicitumque Tridente confodit. Ità Mitylenæis victoriam, ac laudem; Athenienſibus, tàm vilibus armis deuicto Duce, opprobrium peperit, ac ignominiam.

Hæc armorum genera adhibuerunt deindè Romani Gladiatores, & exinde Retiarij dicti, teſte Lipſio in *Saturnalibus lib. 2. cap. 10.*

Lipſius.

Diuus Vẽceslaus ab Angelo in Duello adiutus.

3 E Sapientibus ad Sanctos gradum faciamus. Diui Venceslai Boëmiæ Regis ſanctitas, vt bonos in amorem, ac admirationem traxerat, ità nequàm homines, ad illius odium, ac contemptum excitarat. Quippèqui Sancti humilitatem, animi deiectionem appellare; temperentiam, ſtupiditatem; liberalitatem, prodigalitatem; pacis ſtudium, ignauiam; cæterarumque virtutum ſplendorem, totidèm vitiorum nominibus obſcurare: & è contrà ſua vitia, virtutum titulo cohoneſtare ſolebant, *dicentes malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum in dulce, & dulce in amarum.* E quorum numero vnus infeſtior cæteris, Radiſlaus Dux Curmienſis, ratus mitem, piumque contrà Principem, ſuam audaciam, impietatemque ſuam, ſuaque arma præualitura, illum vt Boemiam occuparet, ad ſingulare certamen prouocare auſus eſt. Excepit Duellum Rex Sanctus, vt ſuo cruore, totius populi ſanguini parceret, bellumque duello dirimeret; quo facto patuit, quantam animi celſitudinem ſimplicitas illa mitis, & generoſa tegeret. Dùm ergo equum conſcendit, vidit eius Aduerſarius, illi ab Angelo haſtam porrigi, ſe verò hac voce cæleſti moneri, *Noli ferire:* quo viſo perterritus, omne pugnandi conſilium ſubitò deſeruit, tela proiecit, ex equo deſilijt, ſupplex ad Regis pedes prouolutus, veniam petijt, & impetrauit. Verſus eſt

Aenæs Syluius c. 15. Boëmiæ.

Iſaiæ 5.

ſtatim Lupus in Agnum, in Columbam Accipiter, ſuſceptoque mox baptiſmo, Chriſtianam puritatem, ac manſuetudinem induit.

4 Longè aliter accidit cuidam Gallo, aduersùs Marcum Valerium Tribunum militum, coràm Romanorum, Gallorumque exercitu, ex prouocatione pugnanti. Nam Coruus repentè in M. Valerij galea inſidens, hoſtem ſpectaculi nouitate primùm terruit, mòx roſtro & vnguibus, eius os, oculoſque tamdiù appetijt, donèc corpore, animoque turbatum, Valerius obtruncaſſet, eoque cæſo, Coruus Orientem versùs ſublimis euolauit. Exindè M. Valerio, Corui, ſeu Coruini cognomen factum.

5 Externo etiam, nec poſtulato auxilio adiutus, imò potiùs inopinato caſu præuentus Iacobus Piccolomineus, victor ex Palæſtra redijt. In arenam deſcenderat cum Friderico Regis Daniæ Filio, à quo fuerat laceſſitus: manus conſerturus, non gladium adhuc diſtrinxerat, quando gregarius quidam miles, è caſtris Cæſarianorum, à longè duellantes cõſpiciens, pugnam præoccupans, ſclopo exploſo, Danum Principem occidit. Accidit hoc præter omnium expectationem, ipſiuſque Piccolominei ſpem, ac votum, qui, etſi hoſtem cadere; ſuis tamen armis, illum iugulare optaſſet.

6 Deficientes aliquandò vires, & penè iam deſperatam victoriam, ad ſtratagemmata conuerſus animus reparauit, victoriſque è manibus, victoriæ palmam rapuit victus. Tullo Hoſtilio Romanum Imperium moderante, cum frequentibus prælijs, Albani, Romanique, pari robore dimicantes, comminuerentur, miſſo tandèm in compendium bello, Horatijs, Curiatijſque Tergeminis hinc, atque hinc fratribus, vtriuſque Populi fata commiſſa ſunt. In campum, vtroque coràm exercitu prodeuntibus, primo conflictu duo proſtrati fuere Horatij, tribus Curiatijs vulneratis. Sed tertius, qui ſupererat Horatius, addito ad virtutem dolo, vt hoſtem ſegregaret, fugam ſimulat, duoſque ſingillatìm, magnis interuallis, alium poſt alium perſequentes, occidit deindè; æquato Marte, Horatius tertium aggreditur Curiatium, gladio confodit, ſpolijſq; opimis detractis, ad ſuos victor reuertitur, eò maiori cum gaudio, quò propiùs metum res fuerat.

7 Melanthus quoquè Athenienſium Dux, Regem Xantum Bæotium, à quo fuerat prouocatus, ſtratagemmate deluſit; ad pugnam enim deſcendens, vt primùm cominùs ſtetit: *Iniquè*, inquit, *Xante & contrà pactum facis: aduersùs ſolum enim, cum altero proceſſiſti:* cumque admiratus ille, quiſnam ſe comitaretur, reſpexiſſet, auerſum, vno ictu confecit.

Melanthi ſtratagemma.

8 Sed hæc & ſimilia ſtratagemmata, non ſtrenui equitis virtutem, ſed artem, dolumque indicant; emicuit verò virtus, ac robur in illo ſolemni Duello inter Rodericum Paez de Viedma, & Paium Rodriquez de Auila, in Hiſpania, Alphonſo Rege regnante. Durarunt hi pertinacitèr in Duello tres dies continuos, à ſolis ortu, vſque ad occaſum; cumque neuter alteri cederet, etiamſi multis eſſent vulneribus ſaucij, tandèm elapſo triduo, quo ex legibus Hiſpaniæ, ſolùm poterat durare Duellum, declarante Rege neutrum viciſſe; & vtrumque æqualis eſſe fortitudinis, à Duelli Palæſtra iuſſu Regis exiuerunt.

Petrus Meſſia in ſylua variæ lectionis 2. par. cap. 10.

9 In Hannonia, tempore Guilhelmi tertij Comitis, Iudæus, cùm Chriſtianum ſe aliquantiſper ſimulaſſet, ingreſſus ædem Monaſterij Cambronenſis, Deiparæ Imagini quatuor plagas inflixit, vndè ſtatim riui ſanguinis manarunt, delatuſque ad Iudicem, cùm tormentis confeſſionem exprimere nollet, dimiſſus

Martinus Delrio diſquiſit. magic. l. 4. c. 4. q. 4. ſect. 2.

eſt;

eſt; ſed quadriennio poſt, ab Angelo apparente monitus ſenex paralyticus quidam; ſemèl & ſæpiùs monita negligens, tandèm Parochi iuſſu, & ipſius Deiparæ, ſe ei videndam præbentis cum plagis, quas receperat, minis adactus Iudæum accuſat, & Duello prouocat. Adeſt Iudæus ferox viribus. & tintinnabulis, tibialibus f. ſcijs affixis, ſenem explodit, ſed iuuit ſuum Athletam Virgo; ſenex Iuuenem, debilis fortem, æger ſanum, proſtrauit. Quo viſo Comes conuictum, & horrendè blaſphemantem, non pœnitentem, caudæ equinæ alligatum, trahi ad patibulum, & capite deorsùm, duobus ad latera moloſſis, eum rabidè lanianitibus, appen um, ſubitò ignis fumo interire iuſſit.

Ranutius Picus. 10. Narrat Ranutius Picus in vita Sancti Gontrani, hunc Regem, vt mirè venandi ſtudio captum, ità ſeruandorum nemorum, quò à nemine infeſtarentur, ſuæ deſtinata venationi, ſtudioſum fuiſſe; ſed cum in occiſæ feræ, die quadã, præſentia penè veſtigia incidiſſet, vocato nemoris cuſtode, ab eo additis minis quæſiuiſſe auctorem flagitij. Hic tremere, & nè ſilentio, ipſe crimine ſe damnaret, in quemdam Regis à cubiculis, culpam refundere: at negante illo quid eiuſmodi à ſe tentatum; dies Monomachiæ decernitur, vt hoc iudicio, liti finis imponatur: quia verò à Cubiculis ſeruus minùs aptum, quàm vt valenti armis hoſti par eſſet, ſe cognoſcebat, nepotem in ſui vicem ſubſtituit. Contulere manus, & vtrinque pari aliquantiſper ſucceſſu, nutante fortuna: tandem cuſtos ferociùs læſus in terram procidit, in quem dum ſummo impetu hoſtis inuehitur, vt cadentem conficiat, hoſtili enſe in altum reducto, ſeipſum occidit. Ita vterque, & victor pariter, & victus, occubuit.

11 Sed accidit frequentiùs, vt in prouocantis caput, Duelli exitium redundet. Natæ erant fortuitò rixæ in Gallia ad Aulam cubiculo Regio proximam inter Dominos Coqueinuillierium, & Bonuietum, hunc armis, & rebus geſtis inſignem; illum familiæ, quæ vetuſtiſſima fuerat, ſplendore tumentem, & iam eòuſque à verbis ventum erat, vt prior oblitus honoris debiti loco, alteri colaphũ impegerit, qui prudentiùs loci tractus ratione, iram tenuit, quoad ambo Regia egreſſi aula, & domum ab amicis deducti forent. Inde Bonuietus primus hoſtẽ in Campum prouocat, animo ſumendę vindictæ de iniuria recepta, at ille pœnitentia iductus pugnam recuſat, deprecari mauult, quàm decertare. Lubet amicis factum Coqueinuillerij, quòd Iuuenem noti animi, non ſpe victoriæ excidiſſe, ſed conſcientiæ cura ſollicitatum noſſent, extra vnum Bonuietum, qui cæptis inſiſtens, non niſi armis ſurias poſſe placari inquiebat, imò ſæpiùs laceſſens, diù cunctantem Coqueinuillierum expertus, tandem coactum ferè in locum ſolitarium traxit; quò adfuit non tàm animo pugnandi, quàm ſedandæ aduerſarij iræ: ſed cùm facinus ſuum deteſtaretur, à Bonuieto, capulo admouere manũ, adſtrictus, quantumuis inuitus, primùm hoſtiles ictus eludit, quò vitam tegat; deindè primo ſanguine ſat datum furijs putans, ibi ſiſtere conatur. Tandem nec hoc contentum Bonuietum audaciùs inſultare, & iteratis ictibus, torpentem ſibi iram mouere cernens, ſuæ vt ſalutis rationem haberet Coqueinuillierius, occurrit, & vnico confectum ictu, humi proſternit. Henricus Cathar. in Hiſt. Gall.

12 Claudam hæc duellaria exempla, funeſto fato Henrici II. Galliæ Regis, & Baptiſtæ Mirandulani. Is Ferrariæ in Duello aduerſarium equitem, eques aggreſſus, territum in fugam primo conflictus ſigno verterat; cùm ſtatim ipſe vi- Fulgoſus l. 9. c. 21.

ctor

ctor, ex equo corruens exanimis, ſinè vllo vulneris ſigno ſtatim exſpirauit. Obſtupuit ſpectatorum corona, quidam etiam dubitauere, nimianè ira, an nimio gaudio extinctus tàm repente fuiſſet Mirandulanus.

13 Henricus verò Galliæ Rex, cum in haſtiludio, vno, alteroque die, palmari ſemper laude decurriſſet, poſtridiè repetito tertiùm campo, cum prætorianæ cohortis Præfecto Gabriele Comite Mongomerio, contra ſuorum preces, ac vota, congrediens, læthali vulnere confoſſus, theatrum illud lætiſſimum, publicum in luctum, ac lamenta mutauit; quintoque poſt die, dignus vtique fato meliore, deceſſit. Eſt tamen hac in morte à ſapientibus obſeruatum, Regem, qui in ipſo Regni principio, ſerium duos inter Iuuenes ex præcipua nobilitate, Duellum approbauerat, ſpectaueratque cum aulæ proceribus, ludicro in Duello, iuſto Dei iudicio vitam, regnumque funeſto fine terminaſſe.

14 Ex his, alijſque funeſtis Maiorum in Duello euentibus non ſatis adhùc monita poſteritas, tàm pernicioſa euitare Duella didicit; ſed paſsìm, & leuioribus fortaſſe ex cauſis, & frequentiùs, quàm Maiores noſtri Duellà committit. Heu deplorãdum hìc eſt Venuſino cum Vate. *lib.3. Carm. Oda 6.*

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas Parentum peior Auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Quinimò multi hac noſtra reperiuntur ætate, qui cum mortis diſcrimen, ſemel, & iterum Deo opitulante, in Duello euaſerint; eidem tamen ſe periculo exponere, non formidant, Duelli palæſtrãm ſæpiùs repetentes, oſtenduntque ſemetipſos hac in re, ipſis brutis animalibus imprudentiores; illis enim præterita periculi euaſio, futura præcauendi diſcrimina documentum eſt.

Terretur minimo pennæ ſtridore columba, Ouid. Triſt. lib. 1 Eleg. 1.
Vnguibus accipiter ſaucia facta tuis.
Non procul à ſtabulis audet diſcedere, ſi qua
Excuſſa eſt auidi dentibus agna lupi.
Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo, Et de Ponto lib. 2. Eleg. 7.
Omnibus vnca cibis æra ſubeſſe putat.
Vitaret Cæli Phaëton, ſi viueret: & quos
Optauit ſtultè, tangere nollet equos.

15 In aliorum ergo duellantium exitio, quiſque imaginem ſui periculi conſideret: non temerè ſe Duello committat, *nec* (vt cum Auguſtino loquar) *tranſire contendat vbi conſpexerit alios cecidiſſe*. Nec Duello tantùm, ſed & *ira abſtineat*, inquit Seneca, *lib. 2. de Ira cap. 34. ſiuè par eſt qui laceſſendus eſt, ſiue ſuperior, ſiuè inferior: Nam cum pari contendere anceps eſt, cum ſuperiori furioſum, cum inferiori ſordidum*. Eademque rationem affert Hugo Cardinalis *in cap. 8. Eccleſ. num. 1. Contendere cum maiori eſt periculoſum, cum pari ambiguum, cum minore inhoneſtum*. At etiamſi victoriam conſequatur, non ſibi inaniter blandiatur, *erit enim*, vt inquit Bernardus, *infelix victoria, qua ſuperans hominem ſuccumbit vitio, & ira ſibi, aut ſuperbia dominante, fruſtrà gloriatur de homine ſuperato. Quis igitur finis, fructuſque ſæcularis huius, non dicò militiæ, ſed malitiæ ſi occiſor lethaliter peccat, & occiſus æternaliter perit?* Vnde Duellatoribus optimè Areſius noſter *Emblemate* 192. duarum auium ſeſe mutuò occidentium Emblemã applicat, cum hoc Lemmate: AMBO PARITER CONCIDENT, quod ipſe ex Hier. *cap. 46.* deſumpſiſſe teſtatur, vbi Propheta ait *n. 12. Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt*.

Augustinus lib. de ſing. Cler. — Seneca. — Hugo Card. — Bernard. ſerm. ad Milit. Templ. cap. 1. — Areſius. — Hierem.

Demùm Regis Theodorici verbis apud Caſſiodor. *lib. 3. epiſt.* huic capiti finem imponam: *Illud præterea,* inquit, *vos credimus admonen-* Caſſiod.

dos,

dos, vt non in vos, ſed in hoſtem ſæuire cupiatis: res parua non vos ducat ad extrema diſcrimina, acquieſcite iuſtitiæ, qua Mundus lætatur, cur ad Monomachiam recurritis, qui venalem iudicem non habebitis? deponite ferrum, qui non habebitis inimicum: peſſimè contrà Parentes erigitis brachium, pro quibus conſtat glorioſè moriendum. Quid prodeſt homini lingua, ſi cauſam agas manu armata, aut vnde pax eſſe creditur, ſi ſub ciuilitate pugnatur?

QVÆSITVM V.

An Temeritatis, & Audaciæ nota arguendus ſit Dauid, vltrò ſe exhibens ad ineundum ſingulare certamen cum Goliath Gigante.

SVMMARIVM.

1 *Primum argumentum affirmatiuæ ſententiæ, deſumptum ex iuuenili ætate Dauidis, eo tempore ſe ad Duellum exhibentis.*
2 *Secundum argumentum deſumi poteſt ex increpatione, Dauidi facta à fratre maiori natu.*
3 *Negatiuæ ſententiæ prima ratio, deducta ex explanatione diſcriminis inter audaciam, & fortitudinem.*
4 *Dauid mitis, & humilis, mitiſſimo Moyſi comparatur.*
5 *Zelo diuini honoris impulſus Dauid, ad tale Duellum ſe obtulit.*
6 *Dauidis fortitudo aduersùs Gigantem præliaturi.*
7 *Magnanimum ſe oſtendit Dauid, Regem, & Populum hortans ad metum deponendum.*
8 *Gregorij Nazianzeni, & Ambroſij teſtimonio Dauidis magnanimitas comprobatur.*
9 *Abulenſis explanatio circà interrogationem Dauidis, de præmio dando percuſſori Goliæ.*
10 *Soluuntur primò contraria argumenta vnica ſimul reſponſione.*
11 *Soluitur ſpecialiter primum argumentum, & Dauid pugnandi peritus oſtenditur.*
12 *Secundi argumenti ſolutio, & Dauidicæ humilitatis commendatio.*
13 *Dauid ſuam fortitudinem Deo acceptam retulit.*
14 *Magnanima aggredi facinora, commendabile eſt.*
15 *Concluditur negatiua ſententia, & Dauid iterùm cum Ambroſio commendatur.*

CVM adeò varius, & incertus ſit Duellorum euentus, vt iuſtam cauſam tuentes etiam quandoque ſuccumbant, temerarium nimis, nimiſque audax eſſe videtur, Duella tamquam certa ſuæ innocentiæ, ſuæ fidei, ſuique Iuris argumenta amplecti, ac committere velle; idque tantò magìs ita eſſe apparet, quando inæqualia ſunt Duellantium arma, inæquales vires, vt in Dauidico accidit Duello, Dauide aduersùs armatum Gigantem, funda, & lapidibus pugnante. Quapropter dubium inceſſit aliquibus vtrum prudenter, & bene egerit Dauid, ad tale Duellum ſe ſpontè exhibens; an verò; vt temerarius, & audax ſit reprehendendus. Hoc ergo dubium, adductis vtrinq; varijs rationibus, in præſenti quæſito examinemus.

1 Pro parte affirmante faciunt primò verba Saul Regis ad eumdem Dauid: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduersùs eum; quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua:* ex his namque verbis colligi videtur in Dauide fuiſſe id in quo temeritatis, ac audaciæ præcipua ratio ſita eſt, nempè imperitiam, vnde optimè Gregorius Nazianz. *Oratione de compoſita diſſe-* 1.Reg.17 33. Nazianz. or. de cōpoſ ditſer. ratione.

rendi ratione, aſſerit: Audaciam, ſobolem eſſe imperitiæ, quod eſt conſonum dicto Thucididis: *Imperitia reddit audaces cunctatores autem ratiocinatio;* ſicut & Socrates relatus ab Ariſtotele: *lib. 3. Moralium Eudemiorum cap. 30.* opinatus eſt, *ſcientiam fortitudinem eſſe:* ſcientiæ autem nomine, experimentalem intelligere, alijs nominibus peritiam, & prudentiam nuncupatam; quam eſſe non poſſe in Iuuene, multòque minùs in Puero, quo nomine Saulem vidimus compellaſſe Dauid, manifeſtè conteſtatus eſt Ariſt. *lib. 6. Moral. ad Nicomachum cap. 8.* hæc habens. *Iuuenes licet Geometrici, atque in eiuſmodi ſapientes euadant; Prudentes tamen euadere non videntur. Cauſa autem ea eſt, quòd particularium eſt prudentia, quæ ex experientia nobis innoteſcunt; iuuenis autem expertus non eſt; experientiam enim temporis afferet longitudo.* Quibus conſona ſunt, quæ multò antè modicis hiſce de ſemet aſſeruit Salomon: *Ego autem ſum puer paruulus, ignorans egreſſum, & introitum meum*, qua phraſi *egreſſus, & introitus* peritiam, atque prudentiam deſignat experimentalem.

2 Secundò verba Fratris maioris natu eiuſdem Dauid ad illum: *Ego noui ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium, deſcendiſti*: temeritas enim, & audacia eſt, cui ex ſuperbia ſuadetur, vires ſuppetere maiores, quàm illi inſint, iuxtà illud Iſaiæ 16. *Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius, pluſquàm fortitudo eius;* vbi obſeruanda tria, quæ Propheta recenſet; ſuperbiam, arrogantiam, & indignationem; ſuperbiam eſſe velut matrem, reliquas veluti peſſimæ parentis prolem.

Non prætereunda tamen ſubtilis conſideratio in præallata increpatione, verbis ijs, *quia vt videres prælium deſcendiſti*; inuſtam Dauid notam, in primis ſuperbiæ, in nimis audacter dimicando. Verbum enim *videre* vſurpatum aliquandò videtur pro præliari; ſicut 4. *Reg.* 14. 8. vbi Rex Amaſias prouocans ad bellum Ioas Regem Iſraël, hæc habuit: *Veni, & videamus nos*, quam phraſim meliùs expreſſit hiſtoria *lib. 2. Paral. cap. 25. 18. Aſcendit Ioas Rex Iſraël, & viderunt ſe ipſe, & Amaſias, &c.* vt tantundem ſit hoc loco, *vt videres, &c.* ac ſi dictum eſſet: ſuperbiam tuam noui, qua ductus deſcendiſti, vt præ temeritate, prælio te immiſceres, & temerè dimicares.

3 In contrarium pro parte negante, facit verus intellectus quidditatis audaciæ, & temeritatis, & veræ aliòquin fortitudinis: *Audaces* namque (inquit Ariſt. *lib. 3. Ethic. c. 7.*) *ſunt quidem prompti, voluntque antè ipſa pericula periclitari, in ipſis verò conſtituti, abſiſtunt: ſed fortes in operibus ipſis acres, ac celeres, anteà quieti ſunt*. & Cornelius Tacitus *lib. 1. Hiſtoriarum, fortiſſimus*, inquit, *quiſque in ipſo diſcrimine exercitus, qui antè diſcrimen quietiſſimus*: & è contrà, *Ignaui, & Temerarij*, vt ait Titus Liuius *lib. 7. in caſtris feroces ſunt, in acie pauidi*, quos ad litteram deſcripſiſſe videtur Regius Vates de Ephremitis agens. *Pſ. 77.* vbi ait: *Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum* (audacter ſcilicet antè occaſionem prælij) *conuerſi ſunt in die belli*. Sic in Euangelio legimus Petri audaciam: *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo:* mox ad oblatam cum muliercula contentionem, timore retuſam, ſecuta etiam Chriſti fœdiſſima negatione.

4 E contrà Dauid aliàs extrà dimicandi occaſionem humillimus, atque mitiſſimus, porrecta cum audaciſſimo hoſte congrediendi opportunitate, promptiſſimum ſe ad certamen exhibuit, vt verè fortem; ſicut & Moyſes, quem mitiſſimi Epitheto inſignitum à Deo legimus, fortiſſimum, data neceſſitate, ſe declarauit, teſte Ambroſio *lib. 1. Officiorum*

Ariſt. 3. Ethic. c. 7.

Tacit. 1. Hiſtor.

T. Liuius lib. 7.

Pſ. 77. 9.

Matth. 26 69.

Num. 23. 3.

Ambr. l. 1. Offic. c. 36

Exod. 2, 11.

*rum cap.*36. vbi ait: *Neque in ferenda, ſed in depellenda iniuria lex virtutis eſt; qui enim non repellit à ſocio iniuriam, ſi poteſt, tàm eſt vitio, quàm ille, qui facit; vnde ſanctus Moyſes hinc prius orſus eſt tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidiſſet Hebræum ab Ægyptio iniuriam accipientem, defendit, ita vt Ægyptium ſterneret, atque in arena abſconderet.*

5 Tantum igitur abeſt, vt Dauid temeritate deliquerit, vt dicendum potiùs ſit, illum ad huiuſmodi congreſſum, motum ex triplici virtute. Primò ex Zelo Dei, in quem maledicta congeri ab infami hoſte perceperat, iuxtà illud: *Pſalmi 68.* (Pſ. 68. 10.) *Zelus domus tuæ* (ſcilicet familiæ, & populi tui) *comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me*; quibus in verbis ponderandum verbum *comedere*, relatum ad ignem deuorantem, ac ſi dicatur: Zelus domus tuæ opprobrijs affectæ, velut ignis in viſceribus meis incluſus, comedit me, atque accendit, & ad repellendam tui iniuriam, me impulit. In eo verò quod ſubdit: *Et opprobria exprobrantium, &c.* cenſendum, hoc ſibi Prophetam voluiſſe, tuam iniuriam, meam putaui, &, vt à tua gloria improperiorum iacula auerterem, me tamquàm ſcutum oppoſui.

6. Secundò, ex indita ſibi naturaliter Fortitudine, diuino adiuta robore, quam virtutem in ipſo idem Deus comprobaſſe viſus eſt: *Pſ.* 88. (Pſ. 88. 20.) dicens: *Poſui adiutorium ſuper potentem*, Hieronymus *ſuper robuſtum*, quaſi Deus ſuæ potentiæ, & auxilij robur in viro præ cæteris præualido, repoſuerit ad Populi defenſionem, atque ſalutem, tamquam in maximè opportuno, ac tuto ſubiecto: *Et exaltaui electum*, ideſt excelſum, inſignem, ac fortem: iuxtà illud *Cantic.5.* (Cāt. 5. 10.) *Electus ex millibus*, ideſt magnus, procerus, *ex millibus*, ideſt præ millibus, præ & innumeris, *de plebe mea*.

1. Reg. 17. 32.

7 Tertiò, ex Magnanimitate, quam ipſemet 1. *Reg.* 17. explicaſſe, ac deſignaſſe viſus eſt, vt ſitam in animi celſitudine, ac cordis virtute, quando certamini ſe exponens, ad Regem Saul ait: *Non concidat cor cuiuſquam in eo* (Goliath ſcilicet) *ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo contrà Philiſtæum*: vbi pondera verbum illud: *Non concidat cor*; cùm enim quis ex indita magnanimitate ad aliqua ſe ſufficientem aſſerit, eleuatum profectò dicendum illius cor; ſicut è contrà, ſemet aliquo cenſente ad quid ineptũ, ei vt puſillanimo cor ipſum concidit, vt ſuccumbenti oneri: *Magnanimos*, inquit Seneca, (Sen. epiſt. 104. poſt medium.) *Epiſt.*194. *nos Natura produxit, vt quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pauidum; ità nobis generoſum, & excelſum Spiritum, quærentem vbi honeſtiſſimè, non vbi tutiſſimè viuat: ſimillimum Mundo* (melius diceret, Deo) *quem quantum mortalibus paſſibus licet, ſequitur, æmulaturque, profert ſe laudari, & aſpici geſtit. Dominus omnium eſt, ſuper omnia eſt. Itaquè nulli rei ſubmittit, nihil illi videtur graue, nihil quod viſum incuruet.*

8 Quæ rectè intelliges hæc Gregorij Nazianzeni verba ſubiungens (Gregor. Nazianz.) in præcitata Oratione, vbi de audacia: *Quæ generoſa ſunt natura, ſi quidem eas caſtiget, ac moderetur ratio, magnum ad virtutem adiumentum habent: ſin verò, tùm ſcientia, tùm ratio deſit, pari ad vitioſitatem impetu ferri deprehenduntur, nàm & equum eſſe animoſum, generoſumque conuenit, qui victorias reportaturus ſit, ſiue ad bellum, ſiue ad certamina comparetur: ſed idem fræno non coërcitus, nec exercitatione ſtudioſa manſuefactus, vſui nulli fuerit.* Quæ ad rem noſtram rectè aptabis, S. Ambroſij *lib.* (Ambr. l. 1. offic. c. 35.) 1. *Offic. cap.*35. addens ſententiam: *Maiores noſtri, vt Ieſus Naue, Ierobaal, Sampſon, Dauid ſummam, rebus quoque bellicis, retulere gloriam; eſt itaque fortitudo velut excelſior cæteris, ſed nunquam incomitata virtus; non enim ſeipſam committit ſibi, aliòquin fortitudo ſine iuſtitia*

iniquitatis materia eſt, namque Dauid niſi laceſſitus bellum intulit. Itaque prudentiam fortitudinis comitem habuit in prælio. Nam & aduerſus Goliam immani mole corporis virum, ſingulari certamine dimicaturus, arma quibus onoraretur reſpuit. Virtus enim ſuis lacertis magis, quàm alienis integumentis nititur. Deinde eminùs, quò grauiùs feriret, ictu lapidis hoſtem interemit.

9 Magnanimitatem iſtam ſuam ipſemet Dauid, repetita ſæpiùs eà interrogatione, ſignificaſſe viſus eſt, qua ad viros Iſraël conuerſus dicebat: *Quid dabitur Viro, qui percuſſerit Philiſtæum hunc, & tulerit opprobrium de Iſraël? Quis enim eſt hic Philiſtæus incircumciſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Quam interrogationem prouenisse ex ingēti deſiderio cum Golia manus cōſerendi, aſſerit Abulenſis *quæſt. 17. in cap. 17. primi Regum,* ſubdens: *Et quia non eſſet ſibi fas pugnare, niſi Rex iuberet, captabat modum: hoc autem putabat eventurum, ſi frequenter apud multos de populo iſta quæreret, & ſic factum eſt: quia cum plurimi audiuiſſent, introierunt ad Regem, & retulerunt ei de Dauid, qui fecit eum ad ſe introduci, & ſic habuit opportunitatem pugnandi.*

1.Reg.17. 26. & 30.

Abulenſ. q. 17. in cap. 17. 1. Reg.

10 Ad Argumenta in contrarium; & quidem ad vtrumque ſimul, vnica poteſt reſponſione ſatisfieri, ſententia nimirum ex *lib. 2. Regum cap. 23.* deſumpta, quam de Dauid intelligendam aſſerit Hieronymus *lib. Quæſtionum, ſeu traditionum Habraicarum in lib. Regum,* quicquid quidam alij cenſuerint: *Sedens in Cathedra ſapientiſſimus inter tres, ipſe eſt quaſi teneriimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno;* in qua ſententia commendatur Dauid ex triplici virtute, ſapientia nimirùm iuncta cum Prudentia, quam ab illo primum Argumentum remouebat; & ex Humilitate, iuncta cum fortitudine, ac robore per comparationem vermiculi tenerrimi; ſic enim Dauid in conuerſatione erat molliſſimus, omnibus tractabilis, & affabilis, ſimulque in bello fortiſſimus, ità vt deijceret octingentos viros vno impetu (vt exponit Gloſſa ordinaria, & Liranus) ſicut vermiculus, qui tametſi tenerrimus, lignum forte terebrat, ac perforat. Quibus & primum ſimul, & ſecundum argumenta conuulſa ſunt.

Hieron. lib quæſt. Hebr. 12. lib. Regū.

2.Reg.23.

11 Specialiter tamen ad primum reſpondendo, dicendum, quòd licet puero Dauid defuerit proeliandi Peritia tunc temporis, quando Saul ad ipſum ea habuit verba: *Non vales reſiſtere, &c. quia puer es:* optimè tamen calluit pugnandi peritiam cum ferociſſimis Belluis, inter quas adnumerari meritò poterat & ferus ille Gigas; id autem ſua reſponſione comprobauit; vbi ad eundem Saul reſpondit: 1.Reg.17. *Paſcebat ſeruus tuus Patris ſui gregem, & veniabat Leo, vel Vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos; nam & Leonem, & Vrſum interfeci ego ſeruus tuus; erit igitur & Philiſtæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis.* Quibus in verbis ponderanda locutionis phraſis in præterito imperfecto, quo deſignatur frequentia aliqua actuum, è peritia illorum certaminum. Quę peritia ex actuum orta frequentia iuncta fuit cum naturali fortitudine, quam habuiſſe legimus, & Banaiam virum fortiſſimum, quem interfeciſſe duos Leones, & deſcendiſſe, ac percuſſiſſe Leonem in media ciſterna in diebus niuis, ſacra narrat hiſtoria. Naturali etiam plurimum valuiſſe dexteritate in lapidibus funda iacendis, ex frequenti orta exercitatione; vndè certò ſibi permittere poſſet ſe non incaſſum ſaxum vibraturum contrà Gigantem præter aliqua prophana exempla, quæ poſſent adduci, illud per-

1.Reg.23. 20.

Teat. vit. hum. vol. 2. lib. 5. pag. 394.

ſuade-

ſuadere non incongruè poteſt, quod
Iud. 20. 16. in *Iudicum lib.* de quibuſdam legitur, ea valuiſſe dexteritate, vt *fundis lapides ad certum iacientes, capillum quòque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem, ictus lapidis deferretur.*

12 Ad ſecundum, quòd Dauid non fuerit ſuperbus, nec minimè arrogans, nec eius ſuperbia, pluſquam fortitudo eius, extiterit in ea ſui exhibitione; patet, quia reuera Ipſe validiſſima præcellebat fortitudine, itàut aliàs, quidam proponens illum Regi Saul in miniſterium pſallendi, contrà ſpiritum nequam, hiſce illum verbis deſcri-
1.Reg.16. 18. pſerit: *Ecce vidi filium Iſai Bethlemitem, ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.*

13 Quòd autem non ex ſuperbiæ arrogantia, hanc ſibi adſcripſerit fortitudinem; quin potiùs, vt verè humilis illam acceptam Deo retulerit, ipſemet faſſus eſt, Deum his
Pſ.58. 10. verbis interpellans: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam*, ideſt Tibi ſemper deferam, *quia Deus ſuſceptor*, ideſt adiutor *meus es*. Et quòd non ad iactantiã, ſe coràm Saule extulerit, verbis ſuprà relatis de Certaminibus cõtrà feras, ex deinde ſubiectis verbis patefecit: *Dominus qui eripuit me de manu Leonis, & de manu Vrſi, ipſe*
1.Reg.17. 37. *me liberabit de manu Philiſthæi huius;* & Goliath gigantem ipſo in certamine ità affatus eſt: *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera caſtrorum Philiſtijm hodie Volatilibus Cæli, & Beſtijs terræ, vt ſciat omnis terra, quia eſt Deus in Iſraël.*

14 Neque in hac ſui exhibitione, ſi quid extitit humanæ gloriæ appetitus, & audaciæ, damnandus proptereà fuiſſet: quandoquidem & audaciam aliquando commendabilem, illud Maronis indicat: *Audentes fortuna iuuat*, eaque Publij Mi- Virgilius Aeneid. x.
mi ſententia à Gellio relata, & à Gellius l.17. c.14.
Macrobio: *Numquam periculum ſinè periculo vincitur*: illud item Zenonis dictum, à Plutarco relatum, Macrob. lib. 1. c. 7.
ad Adoleſcentem quemdam, cui, Zeno to. 2 mor. lib. de vit. vir.
cùm fugeret amicum, à quo fuerat poſtulatus, vt falſum teſtimonium proferret: *Quid ais*, inquit, *ignaue? Ille auſus eſt te malo, iniuriàque afficere, & tu illi pro iuſtitia non audes obſiſtere?*

15 Et vt omnia concludamus; Ambroſius ad rem noſtram ſpecialiter deueniens citato loco *lib.* 1. *Of-*
fic. cap. 35. inquit, *In omnibus Dauid victor prælijs, vſque ad ſummam ſenectam manu promptus, bello aduersùs Titanos ſuſcepto, ferocibus bellator miſcebatur agminibus, gloriæ cupidus, incurioſus ſalutis.* Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 35.

QVÆSITVM VI.

Quibus olim cum Perſonis, quo priſtino Ritu, & Armis Duella committerentur.

SVMMARIVM.

1 *Reſponſum Caij Marij Duellum detrectantis.*
2 *Alciati, & Putei circà duellantium qualitatem, variæ ſententiæ.*
3 *Duellare detrectans cum delatore ignobili, delati criminis reus damnatus eſt.*
4 *An Miles quemcumque prouocare poſſit nobilem, nullo habito qualitatis diſcrimine.*
5 *Militaris virtus à Tullio celebri encomio commendatur.*
6 *Peculiaria dubia de milite prouocante ſoluuntur.*
7 *Decennio militaſſe, nobilitatis, ac*

ſplendoris cauſſa , & incrementum eſt.

8 *Prouocatus poterat alium, ſuo loco, prouocanti opponere.*

9 *Puer in Duello de Gigante victoriam retulit.*

10 *Ad Duellum prærequirebatur prouocatio.*

11 *Superioris auctoritas neceſſaria erat ad Duellum ineundum.*

12 *Patrinorum Munus in Duellis.*

13 *Duellatores Iuramentum præſtare tenebantur. Quanam iuramenti formula?*

14 *Variæ circa duellatorum arma conſuetudines, & ſtatuta.*

15 *Sine fraude, & dolo Duella committenda erant.*

16 *Franciſci de Bologna Patritij Neapolitani Obedientia ergà Parentem pro duello ineundo.*

17 *In Duello ſuccumbens, quomodo vita donatus, è campo diſceſſerit.*

1 ET ſi omnibus in rebus, ac conuentionibus æqualitas, & proportio à Maioribus olìm ſeruanda, curaretur; maximè tamen in Duello, cùm in eo, euidenti capitis diſcrimini, hominis vita exponeretur. Vndè vulgatum erat apud Politicos, Non debere imbellem cum forti; Pygmæum cum Gigante; cum loricato nudum; pedeſtrem cum equite; cum plebeio nobilem; cum ſubdito Principem; nec exercitus Imperatorem cum gregario Milite congredi. Quàpropter optimè olim Caius Marius Theutono cuidã ex Gregarijs, prouocanti eum ad ſingulare certamen, & poſtulanti, vt prodiret, reſpondit: *Si cupidus mortis es, laqueo vitam finire potes*, nec vllo pacto adduci potuit, ad tale Duellum acceptandum.

2 Hinc ſi magna valdè fuiſſet Duellantium inæqualitas, non erat inter ipſos admittendum Duellum ex doctrina Baldi in *l. filius familias ff. delegat.* 1. & Alciatus *de ſingulari certamine cap.* 31. & 33. traditâ quolibet Priuato quantumcumque diuite, non potuiſſe ad Duellum prouocari nobilem Titulatum, quia ex dignitate inæquales erant, & in certamine ſingulari, vt in alijs, æqualitas obſeruanda erat *l. obſeruandum ff. de officio Præſidis.* Puteus tamen *de re militari lib. 7. tit. An. Nobilis:* exiſtimat Nobilem Virum, nobilibuſque affinibus clarum, Titulatos ad Duellum prouocare, indecorum non fuiſſe, nec iuxtà Politicorum leges, inconueniens.

Alciatus.

Puteus.

Aequalitas in Duello olim ſeruata.

3 At neque hæc duellantium æqualitas, ità rigoroſè obſeruata fuiſſe videtur; cum multi inæqualis conditionis, & laceſſiuerint, & laceſſiti in campum venerint. Refert Vrſpergenſis caſum quemdam Duelli, ex quo liquidò apparet, diſcrimen iſtud inter Duellatorum qualitatem, apud Principes, excuſationis, & effugij loco non admitti, quò minùs, ſi neceſſitas coëgerit, euitari poſſit Monomachia, Apud Henricum IV. Imperatorem, à quodam infimæ ſortis homine, Otho Dux læſæ maieſtatis fuerat accuſatus, ac vt tanti criminis reus conuinceretur, ad Duellum quoque ab ipſomet accuſatore laceſſitus fuerat. Cùmque tali cum ignobili hoſte congredi, Dux nobiliſſimus renuiſſet, Maieſtatis reus damnatus eſt, ac Ducatu ſuo priuatus, quippè qui vano nobilitatis pretextu ſingulare certamen, ac Monomachiæ purgationem detrectando, ſe ſe tacitè reum fateri viſus eſt.

Vrſpergẽſis.

Duelli detrectatio dãnationis læſæ maieſtatis cauſa fuit.

4 Alciatus præterea *cap.* 33. & 34. rationem quamdam peculiarem affert de Militibus, à quibus etiamſi ignobilibus prouocari poſſe, ait, quoſcumque nobiliſſimos Viros, quia ſi Militi cuicumque, in belli conflictu, hoſtilem Regem captiuum facere licet, licebit etiam ad Duellum, Nobilem prouocare, quod ità etiam decidiſſe refert,

Alciatus.

Triuultij deciſio in militari Duello.

Ioan-

Ioannem Iacobum Triuultium, Franciſci Galliæ Regis exercitus Imperatorem, in caſu, quo Miles ad Duellum, nobilē laceſſiuerat. Quam enim ille Nobilitatem à Maioribus ſuis yllo accepit conatu, Miles proprio Marte, maiori cum gloria conſequitur; quoniam *ſatius eſt* (vt inquit Cicero *in orat. contrà Salluſtium*) *ſuis geſtis florere, quàm Maiorum opinione vti, & ita viuere, vt ſis poſteris tuis nobilitatis initium, & virtutis exemplum*.

Cicero.

5 Quin etiam idemmet Tullius *in Oratione pro Murena*, adeò militari virtute præditos extollit, vt illos cæteris omnibus anteferre videatur; ait enim: *Rei militaris virtus præſtat cæteris virtutibus: Omnia noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis: & ſimul atque increbuit ſuſpicio tumultus, artes illicò noſtræ conticeſcunt. Omnia denique quæ ſunt in Imperio, in ſtatu Ciuitatis, ab ijs defendi, & firmari putantur, qui militari virtute antecellunt, &c.* Et pergit Iuriſperito quoque Militem præferre, comparando vtriuſque labores, ac ſtudia; huius excubias, cum illius vigilijs; vnius calamum cum alterius gladio; ac militarem aciem cum legali actione: *Multò*, inquit, *plus affert dignitatis res militaris, quàm Iuris ciuilis gloria. Vigilas tu de nocte, vt tuis Conſultoribus reſpondeas, ille verò, vt eò, quò intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caues ne tui Conſultores, ille ne Vrbes, aut Caſtra capiantur. Ille tenet, & ſcit vt hoſtium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceantur; Ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis, &c.*

Cicero.

Iuriſperitus & miles comparantur, & commendantur amborum labores.

Cùm igitur militarium ſplendor armorum, obſcuræ familiæ militi ſplendorem, ac decus afferat immortale; idcircò Alciatus ignobili aduersùs Nobilem Virum, & prouocationem, & certamen ſingulare permittit. Ipſiſſima referam Alciati verba, quò clariùs eius eluceſcat ſententia.

6 Proponit ergo Alciatus *cap. 34. num. 5.* tale dubium: *Quid ſi Miles origine ruſticus, nobilem, qui tamen nullo dignitatis gradu honeſtatus ſit, prouocet?* Et reſpondet diſtinguendo tempora, quibus talis fieret prouocatio, nùm ſcilicet fieret antequàm Miles Sacramento ſolutus ſit, an verò poſt Sacramenti, & militaris cinguli pariter ſolutionem: & rursùs, vtrùm miſſione accepta poſt decennales militiæ exantlatos labores, an priùs. Ipſum audiamus Alciatum: *Si Miles adhuc ſacramento ſolutus nō ſit, nulla eſt Nobilis certamen deprecantis excuſatio; quandoquidem quod ipſe ex Progenitorum ſanguine conſequutus eſt, Miles propria virtute partum habet.* Militia enim homines nobilitat, & fortiſſimi ex ruſticis milites oriuntur, vt Fl. Vegetius ſcribit: *Cuius rei apud veteres clariſſimum exemplum in C. Mario fuit. Ex recentioribus Catamelata, Nicolaus Picininus, & plerique alij ab aratro ad arma feliciter tranſiere.*

Alciatus.

Ab aratro ad arma vocati C. Marius Q. Cincinnatus, & alij. Vegetius.

7 Pergit deindè ad aliam diſtinctionis partem: *Si verò Miles ſacramento ſolutus eſt, & honeſtam miſſionem habuit, idem Iuris arbitror; conſequitur enim Veteranorum Priuilegia.* Tertiò, & vltimò diſtinguit cauſam, & tempus, quibus militauerit, ac militia fuerit dimiſſus: *Quod ſi miſſus eſt, quia ampliùs Reſpublica eius opera, propter confectam pacem, vel alia de cauſa non indigeret, non certabit, niſi ſaltem per decennium militaſſe probetur.* Rationem aſſignat, ac Paridem citat, eiuſdemque ſententiæ ſe demùm adhærere teſtatur: *Qui enim*, ait, *decennio cum laude virtuti alicui operam dederit, nobilitatem acquirit. Atque ita etiam Paridi viſum eſt, cuius ſententiam nos probabilem hac in re arbitramur.* Hæc Alciatus dicto cap. 34. vbi etiam plura circà duellantium qualitatem dubia proponit, ad quem curioſos lectores cum facilè inuenire poſſint, remitto.

Miles veteranus nobilis.

Alciatus.

Pe-

8 Petrus Gregorius *lib. 48. ſynt. cap. 16. num. 21.* conſuetum fuiſſe aſſerit, ſi magnum inerat inter prouocatos diſcrimen, vt nobilior prouocatus alium ſuo loco ſubrogaret, non è contrà; quando enim nobilior ignobiliorem prouocauerat, videbatur quodammodo iuri ſuo cedere, ac prouocato ſe parem facere.

9 In caſu etiam quo Fœmina adulterij accuſata, ſuam Monomachia teſtari innocentiam voluiſſet, Vir aliquis accuſatori opponi ſolebat: imò etiam quandoque Pueri. Quare cum Filia Regis Anglorum, quam Henricus III. adhuc viuente patre in vxorem duxerat, adulterij rea argueretur, vt famam deuitaret, Puerum ſecum ex patria adductum, oppoſuit in Duello delatori Giganti: deſcenderunt ambo in arenam, ſed Puer victor redijt, nàm ſucciſo poplite, hoſtem præter omnium expectationem proſtrauit.

10 Circà Duellorum formam, multas fuiſſe olim cæremonias, & ritus ſeruatos legimus. Et primò, vt præcedēte diffidatione indiceretur inimico certamen, adeò vt proditoris notam incurreret, qui ſine hac denunciatione ad Duellum deſcenderet. ita Baldus *in l. ſi manumiſſus ff. de obſeq. patron. præſt.* Ioannes Andreas *in cap. 1. de homicid. l. 6.*

11 Secundò, vt Principis, vel Superioris auctoritate Duellum ſuſciperetur: vndè nec poterat Miles inconſulto Duce, nec Filius familias abſque licentia Patris duellare, vt tradit Alciatus *cap. 26.* & Lancellottus *de Duello 2. par. concluſ 3.* ideòque T. Manlius Duellum recuſauit, antequam licentiam obtineret, à Dictatore: idemque fecerunt L. Criſpinus, & Iubellius Taurea, qui non auſi ſunt ſe Duello committere, niſi prius Conſulem conſulerent, teſte Liuio *l. 1. de Bello Punico.*

12 Tertiò eligi ſolebant Patrini, quorum munus erat duellantes in Palæſtram inducere, & educere, arma illorum metiri, videre corpora eorum, ni aliqua fraude, vel ſuperioritate certamen fieret, Solem diuidere, & aërem, nè alterum eorum grauius offenderet, terminos palæſtræ ſtatuere, & tempus deſignare, quo in certamine durare deberent. vide Alciatum *cap. 4.* & Lucam de Penna *in l. 1. C. vt armorum vſus l. 11. & l. 4. & 5. tit. 4. p. 7.* Alciatus. Lucas de Penna.

13 Quartò iurare debebant Duellatores ſe iuſtam duellandi cauſam habere, refert iuramenti verba Petrus Greg. *l. 4. c. 16. num. 18.* nimirùm. *Iuro me habere, vt qui verè arbitror bonam, ſanctam, iuſtamque querelam. Et pœnas damnationis æternæ deligo in animam, vitam, & honorem meum, ſi ſciens fallo, & ni arbitror me iuſtam cauſam fouere, expugnandi talem impium, proditorem, aduerſarium, quem in conſpectu habeo, video, & manuteneo:* hæc enim dicens, aduerſarij dexteram manum tangebat. Plura de hoc Iuramento refert Viſcher *de Duello prouiſo ſect. 1. art. 7. membr. 7.* P. Greg. Viſcher.

Alios quoque Duellantium ritus, & Cæremonias tradunt, qui de Duello ſcripſere Politici, apud quos curioſus lector inquirere poterit, nunc de armis aliquid dicamus.

14 De armorum genere, quibus Duellatores vtebantur, non idem ſingulas apud Nationes obſeruatum; ſed aliæ alia adhibuere armorum genera, plerumque tamen vſu receptum eſt, vt arma militaria eiuſdem regionis, in qua Duellum fieret, adhiberentur. At Carolus Magnus, vt inquit Martin. del Rio *lib. 4. cap. 4. diſquiſit. magic.* voluit, vt fuſtibus vterentur Duellatores. Poſteà verò conſuetudo inualuit, in purgatorio Duello ea eligendi arma, quæ Reo placuiſſent. At ex Conſtit. Frederici, prouocatus poterat eligere arma, & iuxtà legem Longobardorum Iudex Duelli aſſignabat locum, & diem: verùm ex conſuetudine vniuerſali, teſte Martinus del Rio. Arma Duellatorū varia.

Alciato. *cap.6.* prouocanti incumbit onus aſſignandi diem, locum, & Iudices: prouocato autem arma, quod olim etiam Romani obſeruare conſueuerunt. Sicuti in Iudicijs Actor eligit Iudicem. & tēpus, quo proponere velit actionem, & Reus eligit exceptiones, quibus vti ſolet, & de quibus rebus Iudicium conteſtandum. Sed ex foro Hiſpaniæ Princeps Iudices, & arma, deſignabat ex *l. 2.tit.3.par.7.*

15 Semper autem in quocunque Duello æqualia debebant eſſe arma, ideòque ea Patrini metiri ſolebant, vtque ſinè dolo, & fraude ſingulare certamen iniretur, duellatores coràm Iudicibus, iurare debuiſſent, ſe non herbis, non maleficijs, non aſtrologicis obſeruationibus, nec alijs artibus ad vincendum vſuros fuiſſe in tali Duello: de quibus omnibus videnda eſt Conſtit. Imperatoris Friderici *in l. Finali tit. qualiter ſe quiſque defendat, lib. 2. Legum Longobardorum*, & Baldus *tit. de parte tenenda in principio*. Antonius Maſſa Galeſius *contrà vſum Duelli num. 27.* Alciatus *de ſingulari certamine c.39.* & Vrrea *de honore militari 1.pag.13.* Lancellott. Conradus *de Duello 1.p.concl. 8.& 3.p.concl.76. vſque* 81. Prud. Sandouallius in *Hiſtor. Caroli V. lib. 11. §.9.* Et ſæpè infrà redibit ſermo.

Baldus. Anton ius Maſſa. Vrrea. Lancell. Prud. Sandoualius.

Hæc omnia, iuxtà aliorum ſententiam, ac priſtinos duellandi ritus, hic breuiter attigi: quæ autem hac noſtra ætate inter Duellatores ſeruetur æqualitas, qui ritus, quæuè arma adhibeantur, meum non eſt in præſenti referre, ſed ad politicos Duelli profeſſores, talia ſciendi cupidum, remitto.

Celebre Duellum Neapoli commiſſum.

16 Et quoniam paulò antè diximus, ſub alterius poteſtate conſtituto facultatem olim impetrandam fuiſſe à Duce, ſi miles; à Parente, ſi filius familias eſſet &c. vt prouocationem acceptare poſſet. Ad hanc rem, memini hac noſtra etiam ætate, huiuſmodi obtinendæ facultatis conſuetudinem vigere. Quamobrem Franciſcus Bologna, Patritius Neapolitanus, nobiliſſimi Parentis digniſſima ſoboles, qui maiorum ſuorum præclariſſima geſta, ab ipſa penè infantia ſuis virtutibus cumulare cæpit, ad ſingulare certamen adhuc Adoleſcens ab Antonio Carafa laceſſitus, noluit Duelli Palæſtram, ſeu conditum adire locum, niſi ſuum ergà Parentem obſequium, ac obedientiam, conſilio, ac facultate petitis, teſtaretur. Itaque prouocatione ſtatim ad Cæſarem Patrem delata, eius ab ore, quid facto opus eſſet, ſollicitus expectabat. (Hic eſt Cæſar ille Neapolitano in Regno celeberrimus, qui ſummo cum vitæ, ac honorum diſcrimine, Patria, ac Regia Iura in dies conſtanter defendens, *Pater Patriæ* meritò ab omnibus eſt appellandus.) Non paſſus eſt generoſus Cæſaris animus, Duelli detrectatione, ſtrenuo Filio ignauiæ notam, ſplendido Generi dedecoris maculam inurere; quinimò ad acriter dimicandum eum hortatus, euntem etiam in Campum comitatus eſt. Vbi, & pugnæ proprijs oculis ſpectator, & vulnerum non corpore, ſed animo particeps interfuit. Diceres reuixiſſe hoc ſæculo Brutos, qui licèt diſſimili cauſa, filiorum tamen vulnera, & ſanguinem, etiam ſiccis oculis intuentur. finito tandem Duello, ſemetipſum Cæſar pro ſaucio filio, ſi hoſti libuiſſet pugnaturum obtulit, at ille graui adhuc vulnere affectus, in opportuniora tempora, vbi reparata fuiſſet ſalus, alacri ad pugnandum animo, nouam diſtulit prouocationem.

Filij ad Duellum prouocati obſequiū in patrē.

Patre ſpectāte filius Duellum iuit.

17 Addam poſtremò curioſum, ac lepidum Duelli factum, quod duos inter nobiliſſimos viros (ſilentio nomina prætereo) accidiſſe, à fide dignis Teſtibus accepi. Inter Duellandum, dum debilitatis viribus humi corruit vnus, Aduerſarius alter in eum nudato pugione pro-

Lepidum alterum Duellum narratur.

tinùs

tinùs irruit occiſurus: hic vbi imminentem proſtrato ſibi mortem vidit, conuerſo ad preces animo, veniam, vitamque deprecabatur. Cui Victor, *viues*, inquit, *ſi morieris; morieris, ſi viues*: mox ænigma ediſſerens, Te, ait, libenter vita donabo, ſi hoc ex loco, in feretro compoſitus, defuncti in ſpeciem diſceſſeris. Ille, vt diù viueret, breui mori, ſeù potius ſe mortuum ſimulare, haùd indignum ratus, in adducto ſtatim feretro, ſe veluti cadauer componendum præbuit, ac domum cum riſu, & ludibrio elatus, non ampliùs duellaturus, reuixit.

Victus Duellator in feretro elatus.

QVÆSITVM VII.

Quibus cum Perſonis, Ritu, & Armis ludicra Duella, ſeù Gladiatorij ludi olìm committerentur.

SVMMARIVM.

1 *Serui, & Captiui venditi, ac damnati ad ludum Gladiatorium. Hadrianus Imperator hanc venditionem prohibuit.*
2 *Deducti in Triumphum Captiui, ludo publico deſtinabantur.*
3 *Liberi, & Ingenui, ſponte, vel pretio conducti digladiabantur.*
4 *Viri nobiles ſe ſe inter viles immiſcebant Gladiatores.*
5 *Equites, ac Senatores Romani etiam ad gladiatoriam pugnam venerunt: ſed Vitellius id poſteà vetuit.*
6 *Gladiatores mercede conducti iurare cogebantur.*
7 *Formula dicti Iuramenti ex Petronio Arbitro.*
8 *Retiarij, Sequutores, Myrmillones, vnde dicti? eorum origo, & arma.*
9 *Eſſedarij, & Andabatæ quomodo pugnarent. Mos Polonorum cæca nocte digladiandi.*
10 *Dimacheri, & Laquearij, ex Arthemidoro, & Iſidoro explanantur.*
11 *Cæſariani, Fiſcales, Cateruarij, meridiani Gladiatores, cur ità dicti? Meridiani ſpectaculi, crudelitas, ac ſtrages apud Romanos. Georgij Caſtriotæ nudi cum nudo ſcytha Duellum.*
12 *Senecæ deploratio de continua Gladiatorum nece.*
13 *Arthemidori variæ obſeruationes circa ſomnia exercendæ artis gladiatoriæ.*
14 *Nuptiæ duellicæ, lites, ac linguæ prælia inter quoſdam Coniuges.*

De ludicri Duelli, ſeu Gladiatorij ludi Origine, & frequenti vſu apud veteres, multa in ſecundo Quæſito diximus. Supererat de Gladiatoribus ipſis, ipſorumque digladiandi ritu, & armis, aliqua referre, quæ hic in præſenti breuiter expediemus, nè antiquæ eruditionis ſtudioſos lectores aliquid lateat, quod ad ſerij, & ludicri Duelli cognitionem deſiderari poſſit.

1 Primùm igitur Gladiatores, qui publicè ludicra hæc exercuere Duella, Seruos, aut Captiuos fuiſſe legimus, eoſque ad tàm cruentum gladij ludum, venditos, aut damnatos eſſe, teſtatur Tertullianus: *Olim Captiuos, vel malo ingenio Seruos emercati, armis quibus tunc, & qualiter, poterant eruditos, apud tumulos erogabant.* Et Suetonius de Vitellio ſcribit, quod *Aſiaticum ob nimiam contumaciam, & ferocitatem grauatus, circumforanio Laniſtæ vendiderit.* Tertull. Sueton.

Adeò increbuit mos iſte ſeruos Laniſtis, & Ancillas Lenonibus ſæpè ob leuem cauſam vendendi, vt Hadrianus Imperator, teſte Spartiano, *vetuerit Lenoni, & Laniſtæ, ſeruum vel Ancillam vendi, cauſa non præſtita.* Hæc de ſeruorum venditione ad ludum Gladiatorium tradunt Scriptores. De damnatione autem paſſim Hiſtoriæ, & legum libri, vbi damnati ad gladium leguntur; vndè Capitolinus in Macrino ait: Spartian. Capitol.

Seruos, qui à Dominis fugiſſent, repertos ad gladij ludum deputabat.

2 Captiuos quoque, quos triumphaturi Imperatores ſecum in Vrbem deduxerant, peracta triumphali pompa in ludum dedere. Quarè Vopiſcus in Aureliani triumpho ſcribit, *per ordinem ducta fuiſſe Gladiatorum paria octingenta, præter Captiuos gentium Barbarum.*

Vopiſcus.

Sæpè etiam ſine triumpho Captiui ad ludum damnati, ſic legimus: *Claudium, omnes, qui rebelles animos extulerant, cepiſſe, atque in vincla Romam etiam miſiſſe, ludo publico deputatos.* Deplorat hos impios mores Tertullianus, & conqueritur ex aliorum Innocentium morte, publicam capi ſolere voluptatem: *Certè quidem*, ait, *& innocentes Gladiatores in ludum veniunt, vt voluptatis publicæ hoſtiæ fiant.* Et Cyprianus ad Donatum: *Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet: homo occiditur in hominis voluptatem: & quis poſſit occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt: ſcelus non tantùm geritur, ſed docetur.*

Tertull.

Cyprian.

3 At venia digni erant Gladiatores iſti, è Seruorum, aut Captiuorum numero ad ludum venditi, vel damnati; inuiti enim in arenam deſcendebant, non digladiaturi, niſi alterius vrgerentur Imperio.

Sed quid de ijs dixerim Liberis, & Ingenuis, qui nulla vi adacti, ſed pretio, vel mala pugnandi libidine inducti, ſe ipſos ſponte ad digladiandum obtulere? *Quot otioſos*, inquit Tertullianus ad Martyres, *adfectatio armorum ad gladium locat? certè ad feras ipſas adfectatione deſcendunt, & de morſibus, & cicatricibus formoſiores ſibi videntur.* Et Manilius *lib.4.*

Tertullianus ad Martyres.

Manilius.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ;
Atque hoſtem ſibi quiſque parat, cum bella quieſcunt.

4 Et quamquàm Gladiatorum conditio, viliſſima apud Romanos haberetur: *Neque enim*, vt Calphurnius ait, *conditione Gladiatoria quidquam eſt humilius in vulgo*; paulatim tamen Romanæ Reipublicæ moribus corruentibus, eò ventum eſt, vt primæ nobilitatis Viri, bonis ſpoliati, deſperatione adacti, vel Furijs, vel Principibus gratificaturi, inter viliſſimos gladiatores in arena pugnarent: *Aſpice illos*, inquit Seneca, *epiſt.100. aſpice illos Iuuenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria coniecit.* Et Iuuenalis de nobilibus ſui æui loquens.

Calphur.

Seneca.

Iuuenal.

Quanti ſua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone
Nec dubitant Celſi Prætoris vendere ludis.

5 Ex Equeſtri etiam, & Senatorio Ordine, multi, Iulio Cæſare annuente, vt ſcribit Suetonius in Iulio *cap.39.* in arena pugnarunt: at ſub Auguſto id Senatoribus vetitum, Equitibus permiſſum, alijs verò ſub Principibus, promiſcuè, modò prohibitum, modò indultum eſt, adeòut Caligula, vna commiſſione, viginti ſex Equites dederit: *& Nero exhibuerit ad ferrum, quadringentos Senatores, ſexcentoſque Equites Romanos, & quoſdam Fortunæ, atque exiſtimationis integræ ex iiſdem ordinibus*, eodem Suetonio teſte. Demùm Vitellius quamquàm ipſe infamis, infamiam hanc ſubſtulit, cauitque ſeuerè nè Equites Romani, ludo, aut arena polluerentur.

Sueton.

6 Præterea Gladiatores iſti, qui pretio, gladiatorio muneri addicebantur, ſolemni interpoſito iuramento, ſpondebant ſe omnia paſſuros, auſuroſque omnia, quæ legitimos Gladiatores pati, ius ac mos eſſet, nimirùm, *Vſtionem, Verbera*, *Necem*: hoc eſt, *Necem* cùm cecidiſſent, & ferrum iuberentur recipere: *Flammam, & Verbera* ſi quandò timidiùs pugnarent, & fugerent à ferro.

Iuramenta Gladiatorum.

Petronius Arbitr.

7 Extat inter Petronij Arbitri fragmenta, formula quædam huiuſce Iuramenti, quam curioſitatis gratia hic adnotare non grauabor: *In verba Eumolpi Sacramentum iurauimus, Vri, Vinciri, Verberari, Ferroque necari; & quidquid aliud Eumolpus iuſsiſſet, tanquam legitimi Gladiatores domino corpora, animoſque religioſiſſimè addicimus*. Ad idem alluſiſſe videntur Horatius, & Tibullus.

Horatius.

Tibullus.

Quid refert vri, virgis, ferroque necari?
Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intacto verbere terga ſeca.

Seneca.

Seneca epiſt. 7. tales ſæuientis ad hæc cruenta ſpectacula Romani Populi voces fuiſſe exprimit: *Occide, Vre, Verbera. Quarè tàm timidè incurrit in ferrum? Quarè parùm audacter occidit? Quarè parùm libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis, & obuijs pectoribus excipiunt*.

Lipſius.

Retiarij Gladiatores.

8 Quibus demùm Armis vterentur Gladiatores, fusè, ac eruditè tradit Lipſius *lib. 2. Saturnal. ſermon. cap. 7. & ſeqq.* Alij enim Tridente, & Retibus armati in arenam veniebant, eoſque *Retiarios* vocabant. Creditur hoc armaturæ genus à Pittaco Mitylenæo è Græciæ Sapientibus, inuentum, qui vt ait Strabo *lib. 13. ad ſingularem pugnam à Phrynone prouocatus, cum piſcatoria ſchema in eum pugnauit: & Retiaculo quidem hominem circumuoluit, Tridente vero, & Pugione impulit, occiditque*. Retiarij aduerſarius, vt placet Iſidoro, *Sequutor* ab inſequendo dictus eſt, vel *Myrmillo*; cumque *Retiarius*, aduersùs *Myrmillonē* (hoc eſt Gallum) qui inſculptam galeæ piſcis effigiem gerebat, digladiaretur, cantate ſolebat: Non te peto, piſcem peto, quid me fugis Galle? vt Feſtus his verbis ait: *Retiario pugnanti aduersùs Myrmillonem cantatur: Non te peto, piſcem peto, quid me fugis Galle? quia myrmillonicum genus armaturæ, Gallicum eſt, ipſique Myrmillones anteà Galli appellabantur, in quorum galeis piſcis effigies inerat*.

Strabo.

Iſidorus

Secutores, & Myrmillones cum Retiarijs pugnabant.

Feſtus.

Eſſedarij Andabatæ Adagiū, Andabatarum more pugnare.

D. Hier.

9 Pugnabant etiam alijs in Eſſedis, ſeu Curribus, & hi *Eſſedarij* dicebantur: alij verò in equis, ſed galea frontem oculoſque tecti, qui *Andabatæ* dicti ſunt: Hinc ortum eſt Adagium. *Andabatarum more pugnare*, quo vſus eſt D. Hieronymus contrà Iouinianum: *Melius, inquit, eſt quod dicitur clauſis oculis Andabatarum more pugnare, quàm directa ſpicula, clypeo non repellere veritatis*. Et contrà Rufinum: *Habetur Dialogus apud Græcos Origenis, & Candidi, in quo duos Andabatas digladiantes inter ſe, ſpectaſſe me fateor*. Idem eſt, ac ſi dixiſſet, Duos Cæcos.

Mos duellandi in tenebris apud Polonos.

Andabatarum in pugnando morem imitari quodammodò videntur Poloni, non bellicæ minùs, quàm duellicæ gentes, quippequæ, & ſæpiùs bella, & ſæpiſſimè duella ſuſcipiunt. Si quando enim apud illos inter conuiuandum, rixæ, & contentiones oriantur, ſtatim à cæna ſurgentes, extinctis ex induſtria facibus, ſolo micantium ſplendore armorum illuminati, cæca nocte Duella committunt. Sed ad reliquos Gladiatores redeamus.

Arthemidorus. Dimacheri.

Iſidorus.

Laquearij.

10 Præter Retiarios, Sequutores, Eſſedarios, & Andabatas, addit Arthemidorus alios, nempè *Dimacheros*, hoc eſt duplici machæra, ſeu duobus gladijs pugnantes. Et Iſidorus inter prædictos, *Laquearios* etiam enumerat, quorum pugna erat, fugientes in ludo homines, iniecto laqueo impeditos, conſecutoſque proſternere.

Cæſariani. Fiſcales. Cateruarij.

11 Alia denique erant Gladiatorum diuerſa genera, ac nomina, non autem armis, aut ratione pugnæ; ſed tempore, modo, vel alijs cauſis diuerſa, vt *Cæſariani*, & *Fiſcales*, quos Fiſcus, & Cæſar ad pugnam alebant; *Cateruarij*, qui confuſi, miſtiq; & per cateruas pugnabant;

Meri-

Meridiani.

Meridiani, qui meridie prodibant in arenam, nullo ſcuto, aut galea muniti. Eorum cædem, & veluti lanienam, Seneca *epiſt.7.* cum lacrymis exprimit: *Caſu in meridianum ſpectaculum incidi, luſus expectans, & Sales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquieſcant. Contrà eſt quidquid antè pugnatum eſt, miſericordia fuit, nunc omiſsis nugis mera homicidia ſunt: nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtrà mittunt manum. Non galea, non ſcuto repellitur ferrum. Quò munimenta? quò artes? omnia iſta mortis mora ſunt. Manè Leonibus, & Vrſis, homines, meridie ſpectatoribus ſuis obijciuntur. Interfectores interfecturis iubentur obijci, & victorem in aliam deſtinant cædem. Exitus pugnantium mors eſt.*

Seneca.

Seneca Epiſt. 96.

12 Hæc de meridianis Gladiatoribus, ſcribit Seneca *loc. cit.* At *epiſt. 96.* dum in omnia vitia, in hæc quòque gladiatoria ſpectacula inuehitur, ac tanta de crudelitate conqueritur: *Homo, inquit, ſacra res, homo iam per ludum, & iocum occiditur: & quem erudiri ad inferenda, accipiendaque vulnera nefas erat, is iam nudus, inermiſque producitur: Satiſque ſpectaculi in homine mors eſt.* Ad hanc rem nemini etiã nudum Georgium Caſtriotam Scanderbechum, ſingulare certamen commiſiſſe. Cùm enim obſidis loco apud Amurathem Turcarum Tyrannum detineretur, Scytha quidam ad Monomachiam, Tyranni familiam prouocabat; ea tamen conditione, vt in anguſto loco, pugione armati, cætera nudi penitùs concurrerent. Cunctantibus cæteris, Georgius pugnam ſuſcepit, & nudus nudi hoſtis caput obtruncauit, illudque Amurathi Tyranno, ſumma cum gloria, & admiratione obtulit.

Marinus Barlet. in Vita Caſtriotæ.

13 Non omittam in calce huius Quæſiti quædam ad prædictam Gladiatorum varietatem ſpectãtia, ab Arthemidoro obſeruata, & tradita *lib.2. cap.33.* quæ licèt ſomnia ſint, ſæpè tamen aliquid veri præſignare, ſe obſeruaſſe fatetur. Illius verba hæc ſunt.

Arthem.

Gladiatoriam exercere, ſignificat iudicium ſubire, aut aliud aliquod certamen, ſiuè pugnam pugnare. Semper autem fugientis armatura ſignificat in Ius trahi; perſequentis autem trahere.

Quid ſignificet artẽ gladiatoriam exercere.

Obſeruatum autem mihi, & ſępè tale hoc ſomnium Nuptias deſignare, eiuſmodi fæminæ, qualia arma erant eius, cum quo digladiari videbaris.

Nuptiarum deſignatio.

Si quis cum *Thrace* componitur, capiet Vxorem diuitem, callidam, & ambitioſam: diuitem quidem, quia tegitur armis: callidam, quia gladium haud rectum gerit: ambitioſã, quia aſſurgit, & inuadit.

Quid ſignificet cũ Thrace componi.

Si quis cum argenteis armis (ideſt *Samnitibus*, qui argenteis vtebantur armis) capiet vxorem ſatis diuitem, fidam, domus, & viri ſeruantem. Nam & inuadit, & tegitur, & pulchrior hæc armatura priore.

Alludit ad arma & digladiãdi modum.

Quid cũ Samnitibus pugnare præſiguet.

Si cum *Secutore*, formoſam quidem, & diuitem capiet vxorem; ſed ob opes ſuperbam, & virum aſpernantem, & malorum illi cauſam; ſemper enim inſequitur. Si cum *Retiario* capiet pauperem, & laſciuam, & fugacem, facilè volenti ſe vulgantem. *Eques* verò mulierem diuitem, & nobilem prædicit, ſed amentem. *Eſſedarius* ignauam, & fatuam, &c. Atque hæc non conijciens, nec ad probabilia ſermones accommodans, ſcribo, ſed ab experientia doctus, qua ſæpè hæc ſingillatìm, ſic eueniſſe obſeruaui.

Quid Cũ Secutore, Retiario, Equite, Eſſedario.

14 Hactenùs Arthemidorus, ex ludicri Duelli, ſeu ex gladiatoriæ artis exercendæ varijs ſomnijs, varios nuptiarum, futurique coniugij euentus coniectans: nec mirum, multa enim inter Coniuges iurgia, ac contentiones oriri ſæpiſſimè ſolent, vt meritò ex imaginario Duel-

Nuptiæ duellicæ.

lo, rixoſæ, ac duellicæ quodammodo nuptiæ præſignari poſſint. Quàm verè Iuuenalis *Satyra 6.* de nuptiali thalamo cecinit.

Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,
In quo Nupta iacet.

Et Ouidius, alternis litibus, & odijs vxores, viroſque ſæpè affici, & fugari tradidit.

Lite fugant Nuptæq; Viros, Nuptaſque Mariti.

Sic etiam ferrei ſæculi ſcelera deſcribens, & odia *lib. 1. metam.* alterum in alterius exitium conſpirantem inducit.

Non hoſpes ab hoſpite tutus,
Nec Socer a Genero, Fratrum quoque gratia rara eſt.
Lurida terribiles miſcent Aconita Nouercæ:
Filius ante diem Patrios inquirit in annos.
Imminet exitio Vir Coniugis, Illa Mariti.

Exacuunt enim, vt gladium linguas ſuas, ſe ſeque inuicem linguæ gladio quandoque vulnerant, ac perimunt. Quapropter pacis, ac mutui inter Coniuges ſeruandi cauſa amoris, lites, ac linguæ Duella primùm remouenda præcipit Vates amorum Præceptor.

Eſſe procùl lites, & amara prælia linguæ:
Dulcibus eſt verbis mollis alendus Amor.

Hæc autem iuxtà aliorum placita Scriptorum ſint obiter dicta: quæ verane, an falſa ſint, Somniorum videant Obſeruatores. Sed caueant nè talibus intendentes, Vmbras apprehendant, & Venros, iuxtà illud Eccl. 34. *Quaſi qui apprehendit Vmbram, & qui perſequitur Ventos, ſic qui intendit in Somnijs.* Nos Serijs indagandis addicti, ſeria proſequamur.

SECTIO II.

DE DEFINITIONE DVELLI.

HActenùs circà Duelli Originem, Progreſſum, Exitum, Arma, Rituſque præluſimus: modò nominis Etymon, Rei definitio, eiuſdemque à Bello diſcrimen, in hac præſenti Sectione, ſunt explananda. Ex his enim omnibus, ac præſertim ex adducenda, & examinanda Duelli Definitione, multorum pendet ſolutio caſuum, de quibus maximæ ortæ ſunt, & in dies oriuntur quæſtiones, & dubia inter Doctores, vt meliùs tertiam legenti Sectionem patebit. Sit igitur nunc.

QVÆSITVM I.

Quænam ſit Duelli Notatio, ſeu Etymologia.

SVMMARIVM.

1 *Nominis Origo, ſeù Etymologia à Scientiarum Sectatoribus indaganda eſt.*
2 *Duelli, & Monomachia Etymon in proprio rigore.*
Nominum contractio apud Antiquos ex Cicerone.
3 *Alia Duelli Etymologia latiùs patens.*
4 *Duellum quaſi durum Bellum dici poteſt. Eius durities, ſeù crudelitas oſtenditur.*
5 *Duelli deteſtatio ex Horatio Ciuile Bellum deteſtante.*
6 *Hoc nomen Duellum, quomodò Italicè, & Hiſpanicè reddatur?*
7 *Qui ſint Perduelles dicendi, qui Perduellionis Rei, & quod crimen dicatur Perduellio?*

Vocis

Etymologię cognitio vtilis, ac neceſſaria.

1 VOcis Notationem, ſeù Etymologiam non Grammatici tantùm, Rhetores, & Philoſophi: ſed etiam Iuriſperiti indagare conſueuerunt, vt arguit *l. Ita vulneratus* 51. *ff. ad leg. Aquil. l. ſen.* 35. *§.* 1. *ff. de Donat. & principium tit. inſtit. de teſtament. ord. Rutger. Ruland. de Commiſſar. & Commiſſionibus lib.* 1. *c.*2. *nu.*5. *&* 6. Imò, & Theologos quoque inſignes, nominum interpretationes perquiſiuiſſe, docet Philonis liber. Sicut enim tunc nobis ſcire videmur, cùm rerum cauſas cognitas, perſpectaſque habemus; ſic imperfectus erit Scientiæ Sectator, qui vocum natiuas ſignificationes, ac genuinas earum Origines ignorauerit. Cùm igitur præſens hoc Opus vbique Duellica contineat argumenta, Duellici nominis Origo opportunè præmittenda videtur, antequàm ad Duelli definitionem, prohibitionem, pœnas, ac cætera quæſita explananda accedamus.

Duellum, quaſi Duorum Bellum.

2 Conueniunt ferè omnes Doctores, *Duellum*, ſi Etymologiam, ac vim nominis inſpiciamus, eſſe *Duorum Bellum*. Antiqui enim nomina, quò aptiora forent, contrahere ſolebant, & ſic Duorum Bellum, dixere Duellum: & rursùs magis Duellum ipſum contrahentes, pro Duello, Bellum dixerunt. Hinc Cicero *de Orat.* ait, *Antiqui nomina contrahebant, quò eſſent aptiora, vt Duellum, Bellum.*

Cicero de Orat.

Dicitur *Duorum Bellum*; namlicèt in Duello plures quandoque decertare ſoleant, nimirùm Bini in Binos, Terni in Ternos, vt olim tergeminos Horatios, cum Tergeminis Coriatijs congreſſos fuiſſe diximus cum Liuio: Sic etiam Tredecim Galli totidem contrà Italos Neapolitano in Regno dimicarunt, victoria, & victoriæ præmijs penès Italos remanentibus; vt plurimùm tamen Duellum eſt vnius in alterum pugna, & idcircò *Monomachia* in Iure appellatur, quæ quidem græca vox eſt, *Monos* enim Græcè, Latinè *Vnum*: *Machia*, Pugna dicitur, *Pugna*, ſcilicet *Vnius* cum *Altero*.

Liuius. Iouius in Conſaluo Guicciardin. lib. 5.

Monomachię Etymon.

Duellum, quaſi Duarum partium Bellum.

3 Nonnulli *Duellum* non quaſi duorum hominum tantùm, ſed quaſi *Duarum partium Bellum* interpretantur. Sed reuerà non tàm largè accipiendum eſt Duellum, nè cum Bello confundatur; Duellum enim à Latinis ſingulare Certamen appellatur, quia vt plurimùm inter vnum, & alterum committitur.

Duellum, quaſi Durum Bellum.

4 Alij *Duellum*, quaſi *Durum Bellum* interpretantur nàm valdè durum, & aſperum, valdè noxium, ac crudele eſt, hominem homini ſingulari certamine vulnera, & necem inferre. Satis humani ſanguinis funditur, tot in Europæis, imò totius Mundi Bellis, adeò vt, verè hac noſtra ætate, cùm Latij Poetarum Principe dicere poſſimus.

Virg. lib. 1. *Georg.*

Tam multæ ſcelerum facies, tot Bella per Orbem:
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania Bellum.
Vicinæ ruptis inter ſe legibus Vrbes
Arma ferunt: ſæuit toto Mars impius Orbe.

Homerus Iliad. 6.

5 Vt quid Duellis hoſtilem ſitiunt ſanguinem Mortales, proprium forſitan alijs propinaturi? *Communis* enim, vt ait Homerus, *Mars eſt, & interfectorem interficit.* Vt quid tacito venientem pede Mortem, Monomachijs prouocant, ac ſollicitant? *Ferina iſta rabies eſt, ſanguine gaudere, & vulneribus, atque abiecto homine, in ſylueſtre animal tranſire.* Quàm benè noſtri æui Duellatoribus cum Horatio inclamandum eſſet.

Seneca de clementia ad Neronem.

Horatius Epodon lib. ode 7.

Quò ſceleſti ruitis, aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parum ne campis, atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?

Neque

Neque hic Lupis mos, nec fuit Leonibus
Vnquam, niſi in diſpar, feris
Furor ne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? Reſponſum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Menteſque perculſæ ſtupent.
Sic eſt: acerba ſata Romanos agunt,
Sceluſque fraternæ necis,
Vt immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

6 Dicitur tandem Duellum, Italicè *Disfida*, & Hiſpanicè, *Deſafio*, quaſi diffidatio à Fide, fœdere, & amicitia, quæ inter nobiles intercedunt, quippequi diffidati, vt ita dicã alterius fidei, & amicitiæ non fidant, ſed ſibi ab illo tamquàm ab inimico præcaueant. Traditur hæc Etymologia à Sebaſtiano Couar. *in Theſauro linguæ Caſtellæ, verbo Deſafiar*.

7 A Duello, Reipublicæ hoſtes, *Perduelles*, quaſi pertinaciter retinentes Bellum (vt Feſto placet) dicti ſunt; Sic etiam Proditores, ſeù Rebelles, Patriæ hoſtes, læſæ maieſtatis rei, Perduelles appellantur, vt tradit Caius *in leg. quos nos hoſtes ff. de verb. ſignif. Quos nos hoſtes vocamus, eos Veteres Perduelles vocabant*. Et ex Sexto Pomponio, Feſto, Cicerone, & alijs, tradit Petrus Gregorius *lib. 48. Syntag. Iur. cap. 16. num. 2.* Sic & *Perduellio* crimen læſæ maieſtatis dicitur: Hinc Vulpianus *leg. vlt. ff. ad leg. Iul. Maieſt.* ait. *Qui Perduellionis reus eſt, hoſtili animo aduersùs Rempublicam, vel Principem animatus eſt.*

Hæc quoad quid nominis.

QVÆSITVM II.

Quænam ſit Duelli Definitio.

SVMMARIVM.

1 *Prima definitio Oſtienſis adducitur.*
2 *Secunda Duelli Definitio à Ioanne de Lignano tradita, explicatur.*
3 *Sed vtraque vt inadæquata reijcitur.*
4 *Tertia Duelli Definitio, ſeù potiùs Deſcriptio etiam refellitur.*
5 *Pro definitione tradenda, variæ Duelli acceptiones præmittuntur.*
6 *Traditur optima, adæquata, & communis Duelli Definitio.*
7 *Mulieres altercantes, capilloſque ſibi inuicem euellentes, duellare non dicuntur. Pugnis, fuſtibus, alioque non periculoſo inſtrumento, an intelligantur rigoroſa committi Duella?*
8 *An ſaxa ioco inuicem iaculantes Duellum committere dicantur?*
9 *Reliquæ Duellicæ Definitionis particulæ explanantur.*

1 DVellum Definiturus, traditas ab alijs Duelli definitiones examinandas præmitto, eſt enim inter Doctores in hac definitione tradenda, aliqua controuerſia. Oſtienſis *in ſumma de Clericis pugnantibus*, ita definit *Duellum*, ſcilicet, eſt *Singularis pugna inter aliquos ad probationem veritatis inuenta; nam qui vicit, probaſſe intelligitur; etſi non vicerit, in probatione defeciſſe, non ambigitur.* Definitionem hanc refert, & ſequitur Ioannes de An. *rubr. ti. 5.* alleg. Verùm diminuta videtur, vt mox patebit. Oſtienſis.

2 Aliter Ioannes de Lignano *in tract. de Duello*, & fuſiùs tali pacto definit: *Eſt pugna corporalis deliberata hinc inde duorum, ad purgationem, vel gloriam oſtendendam, vel odij exaggera-*

Ioannes de An.

Ioannes de Lignano.

tio-

Secundæ definitionis explicatio.

tionem, tendens. Dicitur *Pugna duorum*, ad differentiam Contractuum, qui inter duos ex mutuo conſenſu, celebrantur: *inſtitut. de oblig. & conſen.* Dicitur, *Corporalis*, ad differentiam pugnæ Iudiciorum, quæ fit inter Actorem, & Reum, *vt l. Rem non nouam §. Patroni*, non enim ibi Corporum, ſed Iurium robore, ac virtute contenditur. Additur: *Hinc indè deliberata*, ad differentiam pugnæ, quæ ob neceſſariam ſui defenſionem ſuſcipitur, de qua *in l. Vt Vim §. de Iuſt. & Iur. & l. 1 C. Vnde vi cum alijs*. Nam in tali pugna regulariter non eſt ex parte Inuaſi deliberatio, ſed ex parte Inuaſoris tantùm, vel Neutrius, vt probatur *in Clem. ſi furioſus extrà de homic.* in Duello autem, eſt vtriuſque Duellatoris deliberatio. Dicitur tandem, *Ad Purgationem, vel Gloriam oſtendendam, vel Odij exaggerationem*, vt finalis Duellorum cauſa oſtendatur, ex qua plures Duelli ſpecies eliciendæ ſunt, vt infrà videbimus.

Vtriuſque allatæ definitionis refutatio.

3 Sed neutra hæc allata definitio, eſt adæquata; non enim *Loci*, atque *Temporis* deſignatio exprimitur, quæ ad Duelli rationem, ſiue eſſentiam, per ſe ſpectat, & à Doctoribus ſæpè hac voce explicatur, *Ex Condicto*, hoc eſt in tali, & tali loco; tali, & tali tempore, certo, & determinato, ab vtroque Duellatore condictis, ſimul ſcilicet dictis, atque præfixis, vt ſuo loco magis explicabitur.

Antonius Maſſa.

4 Antonius Maſſa Galleſius *in tract. contrà vſum Duelli*, aliam tradit Duelli definitionem, nimirùm: *Duellum eſt ſingulare certamen, quod Homines quidam legum contemptores, ſpecie, ac nomine conſeruandi, recuperandiue honoris, & ignominiæ propulſandæ, re autem vera pecuniarum, aut falſa gloria, ſeù affectatæ vindictæ, vel æmulationis cauſa, miſſis citrò, vltròque libellis, ad locum, & diem certum conuenientes, armis à prouocato electis committunt*. Hæc tamen, vt verum fatear, ornata potiùs deſcriptio, quàm bona Definitio videtur, idcircò alia, eaque communiter recepta, eſt in medium adducenda.

Præmittuntur quædam notanda.

5 Vt autem diſtinctè progrediar, præmitto tribus modis accipi poſſe Duellum. Primò largè pro concertatione duorum ex conuentione etiam licita, & lege non prohibita: quo pactò, & ludus qui dicitur Italicè *Scherma*, Haſtiludium, Ludus Troianus, & ſimiles, qui eo exercentur moderamine, vt pericula & illicitæ caueantur cædes, vocari ſolet largè *Duellum*, ſed *Incruentum*; cùm nec ad vulnera, nec ad mutilationem, nec ad interitum, ſed ad militares artes, vireſq; exercendas ſit directum; idcircò inter Conciues, Commilitones, Propinquos, & Fratres iniri quoque ſolet, nullo prorsùs mortis periculo imminente.

Variæ Duelli acceptiones.

II. Strictè pro certamine Duorum ex condicto, ad veritatem eruendam, vel ad purgationem oſtendendam, quod quidem apud Longobardos familiariſſimum erat, & ab iiſdem in Italiam inductum, & legibus etiam permiſſum, ad multorum criminum purgationem. Eſt tale *Duellum*, ſic ſtrictè acceptum, *Cruentum*, cùm ad ſanguinis effuſionem, mutilationem, ac cædem etiam tendat.

III. Pro concertatione Duorum ex conuentione, cum occiſionis, vel vulneris diſcrimine, quacumque ex cauſa, etiamſi ex vindicta ſuſcipiatur. Hoc quoque *Duellum* meritò *Cruentum* dicitur, ſed hæc Tertia eius acceptio medio modo ſe habet.

Duellum Incruentum non prohibetur.

Duellum primo pactò largè acceptum, hoc eſt *Incruentum*, nomen potiùs, quàm Duelli naturam retinet, nec Cæſarijs, nec Pontificijs legibus prohibetur, cùm & omni careat culpa, & paſſim commiſſum ab vllo Sapiente Viro reprehendatur, quinimò cōmendetur: intereſt

enim

enim Reipublicæ Viris dimicandi diſciplina, atque armorum vſu peritis florere.

Duellum autem tàm ſtrictè, quàm medio modo acceptum, cùm ſit *Cruentum*, ab vniuerſa Chriſtiana Republica eliminatum eſt, pœnis, atque Cenſuris iure meritò prohibitum.

Rursùs *Duellum Cruentum*, in Publicum, & priuatum ſubdiuiditur: *Publicum*, ſeu Solemne illud eſt, quod determinato loco, vndique circumſepto, tempore, armis, Patrinis, alijſque ſpectatoribus vtrinque deſignatis, committitur. *Priuatum* autem his ritibus, legibus, atque ſolemnitatibus caret, & ſatis eſt, ſi loco quidem, & tempore determinato *Ex Condicto* committatur.

6 *Duellum*, itaque *Cruentum*, ſiue Publicum ſit, ſiue Priuatum, ſic breuiter definitur: *Eſt Pugna Duorum, vel plurium ex condicto*. Ita Caietanus *in Summula, verbo Duellum*. Salonius 2.2. *quæſt.*64. *art.*3. *Contr.*3. *fol.* 355. Peregrinus *de Duello pag.* 1. *num.*1. Reginaldus *lib.*21. *cap.*7.*nu.*3. Laymann. *tract.* 3.*p.*3. *cap.* 5. Filliucius *tract.*15. *cap.*5. *num.*107. *fol.*550. Bonacina *diſp.* 2. *quæſt.*6. *punct.*1. *propoſ.* 1. & nouiſſimè Alphonſus de Leone, *de Cenſuris, recollect.* 4. *fol.* 307.

7 Dicitur *Pugna*, ſubintellige non ſine periculo vulnerum, vel mutilationis, vel occiſionis, ad differentiam ludicræ (vulgò ſcherma) Ludi Troiani, Haſtiludij, & huiuſmodi.

Vndè Duellum non committunt Mulieres, non tantùm verbis, ſed capillorum quoque euulſione interſe altercantes. Idemque ſentiendum de Viris, pugnis, calcibus, vel inſtrumento non periculoſo, interſe quandoque contendentibus; huiuſmodi enim Pugnam ab omni grauiori remotam periculo, vnquam, aut ſaltem rarò vulnera mutilatio, aut cædes aliqua ſubſequi ſolet. Fit ergo Duellum inſtrumentis, armiſque ad vulnera, mutilationem, necemque inſtitutis. Ità communiter Filliucius *tract.*15. *cap.* 5. *quæſt.*5. *num.* 107. Lucas Floronus *de Duello cap.*5. §.8. Bonacina *diſp.* 2. *quæſt.*6. *propoſit.*1. *num.*11. Peregrinus *quæſt.*9. Filliuc. Floronus. Bonacina. Peregrin.

Multò magis à fortiori, ſi fiat haſta, ſclopo, & alio ſimili armorum genere, etiamſi Duellatores ſint defenſiuis armis muniti, vt galea, lorica, & ſimilibus, dummodò alicui corporis parti vulnus infligi poſſit. Idem etiam dicendum, ſi fiat cultellis, vel etiam baculis, & fuſtibus, cùm ad necem tendant.

8 Quid verò ſentiendum ſit, ſi ſaxis fieret? Vgolinus, Floronus, Peregrinus, & Bonacina *locis ſuprà citatis*, abſolutè affirmant committi Duellum, quibus cum, Ego quoque affirmatiuè reſpondeo, dummodò talis contentio ſaxis commiſſa viriliter, & acriter exerceretur: ſi verò pueriliquodammodo, & veluti per iocum ſaxa inuicem iacerent, minimè quidem Duelli pœnis, atque cenſuris taliter contendentes ſubiacere dicerem; Licet enim ſic ſaxa iniecta vulnus quandoque infligant, rarò tamen id euenit, & de rarò euenientibus lex non curat. Vgolinus, & alij ſupra citati. Saxorum iniectio, quandò dici poſſit Duellum.

9 Dicitur *Duorum*, vel *Plurium*; quia accidit aliquandò Duellum plures, quàm inter duos committi, vt de Tergeminis Horatijs, & de Tredecim Italis ſæpè diximus, & de alijs dicturi ſumus infrà. In hunc ſenſum Duelli Etymologia explicatur à Iacobo de Caſtillo, *in tract. de Duello, num.* 8. *Duellum*, hoc eſt, *Duarum Partium Bellum*. Dicitur etiam Duorum, vel Plurium ad differentiam Belli, de quo peculiare erit Quæſitum. Sic etiam particula illa, *Ex Condicto*, cum longiori indigeat explanatione, pluribus diſtincta quæſitis, paulò infrà clariùs innoteſcet *Sectione Tertia*. Sed priùs de Iacobus de Caſtillo.

diſcri-

diſcrimine inter Bellum, & Duellum aliqua dicamus.

QVÆSITVM III.

Quodnam ſit diſcrimen inter Duellum, & Bellum?

SVMMARIVM.

1 *Belli, & Duelli, Bellonæ, & Duellonæ Synonymia ex Liuio, & Cicerone.*
2 *Belli duplex Etymologia explicatur.*
3 *Tertia Belli Etymologia ex Feſto, reijcitur, & vera adducitur.*
4 *Varia Belli ſignificatio ex Nonio Marcello, & Gellio.*
Triplex Belli Definitio ex Lipſio, Alberico Gentili, & Alijs.
5 *Explanatur communior Belli definitio, & quid veniat nomine Exercitus.*
6 *Diſcrimen Belli à Duello ex Bonacina, & Hurtado.*

1 EA eſt inter *Duellum*, & *Bellum* affinitas, vt Veteres *Duellum* pro *Bello*, & è conuersò *Bellum* pro *Duello* quandoque vſurpauerint. Sic Liuius *lib. 6. Belli Macedonici* ſcripſit: *Populum Romanum Duellum iniiſſe cum Rege Antiocho*, quo cùm non ſingulare certamen, ſed publicum initum eſſe Bellum eodem Liuio teſte, liquidò patet. Idem ex Cicerone de *Oratore & 2. de legib.* clarè colligitur. Sic etiam *Bellonam* Belli Deam, Martiſque Sororem, *Duellonam* appellari ſolitam ab Antiquis, legimus, vt Petrus Gregorius *lib. 48. Syntagm. Iuris cap. 16.* adnotauit, quaſi parum intereſſet Pugnam, & Bellum plures inter hoſtiles Exercitus, aut paucos inter Milites, duoſue Duces iniri, cùm *Duella* propter *Bellum* ſæpiùs committerentur, vt pericula, & damna communis, & publici Belli, paucorum diſcrimine eluderentur.

Liuius.
Cicero.
Duellum, & Bellum olim ſynonyma.
Petrus Greg.

Verùm in propria acceptione, *Duellum* à *Bello* maximè differt, quod vt magis pateat, nonnulla de Belli Etymologia, ac Definitione præmittenda ſunt; Extremorum enim diſcrimen perfectè dignoſci nequit, niſi extrema ipſa abſolutè accepta prænoſcantur.

2 Quidam *Bellum* dictum putant per antiphraſim, ex eo quòd minimè *Bellum*, ſeu Bonum ſit, cùm multa incommoda, ac mala ex eo oriantur. Alij verò è contrà exindè appellatū volunt Bellum, quod Bellum, ſeu Bonum, ſiquidèm ad pacem habendam comparatum ſit: Vndè Auguſtinus *in lib. de Verbis Domini*: *Non quæritur Pax, ut Bellum exerceatur, ſed Bellum geritur, vt Pax acquiratur. Eſto ergo bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vtilitatem, vincendo perducas.* Et profectò neutrà hæc allata *Belli* Notatio, ſeu Etymologia contemnenda eſt, cùm diuerſo reſpectu Bellum, & *bonum* ſit, & *malum*; *bonum* ratione finis, cuius gratia ſuſcipitur; *malum* reſpectu eorum, quæ contingere ſolent detrimenta, ſcilicet depopulatio, rapina, cædes, & alia. *Finis* verò *Belli* eſt tùm *Pax*, & *Vitæ tranquillitas*, quæ Bellum, veluti tempeſtatem ſerenitas, noctem dies, ſubſequi ſolet. Geritur namque Bellum, vt pax acquiratur, coërceantur mali, ſubleuentur & boni: *Can. noli exiſtimare 23. quæſt. 1. & Can. apud 23. quæſt. 2.* Tùm etiam bonorum recuperatio, quæ per vim rapuit, vel iniuſtè poſſidet hoſtis, qui nullo alio cogi poteſt modo, ad ablata reddenda; *Can. Dominus noſter verſ. ſic gens, & Ciuitas 23. quæſt. 2.*

Belli Etymologia.
Auguſt.
Bellum, & malum, & bonum eſt.

3 Quidam, vt Feſtus, Quique eum ſequuntur; *Belli* vocem originem traxiſſe aiunt, *à Bellua*, quòd Belluarum ſit, non hominum in mutuum exitium congredi, & mutuo ſe conficere laniatu. At quia Bellum

Feſtus.
Bellum an à Bellua dicatur?

in vtilem ſuſcipitur finem, vt modò oſtenſum eſt, & omni Iure permittitur, haud veriſimile videtur, à Bellua, dictum eſſe Bellum.

Cæterùm probabiliùs eſt Belli nomen à Græcis petitum eſſe, quibus Βέλος telum ſignificat, ὑπὸ τῦ βάλλειν: *§. item lex Cornel. verſ. & ſi hanc ſignificationem. Inſtitut. de public. Iudic.* Bellum enim telis gerebatur, antequam hæc bellica tormenta, & alia armorum genera inuenta eſſent. Hanc notationem placuiſſe quoque video Franc.Connano *lib.9. Comment. Iuris Ciuilis c. 5. num. 1.*

4 Hac poſita notatione, Bellum quandoque ſignificat ipſam *armatam duorum Exercituum Pugnam*, quæ fit in Bello, vt arguit Textus *in l.vlt. ff. de vacat. & excuſat. muner. iunct. leg. Bello 18. ff. de excuſat.* & teſtatur Nonius Marcellus ſcribens, quòd *Bellum* ſit ipſa *Congreſſio*, ſiue *Pugna*. Interdùm verò denotat ipſam duorum *Exercituum Diſſenſionem*, *abſque Pugnæ conflictione* iuxtà Gellium *lib. 1. cap. 25.* ſcribentem: *Induciarum tempore Bellum manere, licèt Pugna ceſſet*. Patet idem ex Iuris Conſultis *dict. leg. Bello 18. ff. de excuſat. & §. Sed ſi in Bello Inſtit. d. 1.* Attamen poteſt Bellum ſic definiri, vt Lipſio placet: *Bellum eſt vis, & arma in Principem, aut Populum alienum:* vel, vt Albericus Gentilis definit: *Bellum eſt publicorum armorum Congregatio*. Vel tertiò, ex ſuo genere, ſuaque forma: *Bellum eſt diſſidium armatum duorum contrariorum exercituum ritè priùs indictum*.

5 *Diſſidium armatum* ſe habet tanquàm *Genus hoſtilis*, & *ciuilis*, & ſignificat Bellum, ſiuè pugnetur, ſiuè non. Verbis, *Duorum exercituum contrariorum*, Diſtinguo *Bellum* à *Duello*: Duellum enim eſt tantùm duorum, vel plurium hominum, qui Exercitum non conſtituunt; at Bellum eſt duorum Exercituum: *leg.2. in princ. verſ. Et ſi ergo Dux cum exercitui præeſt, & §. 1. ff. de his, qui not. infam. & l. 1. in fin. ff. de teſtament. militis.*

Eſt autem *Exercitus tota militum collectio*, *dict. leg. 2. §. 1. & ibi gloſ. in verb. Exerc. ff. de his, qui not. infam.* ità ab Exercitatione dictus *dict. leg. 1. in fin. ff. de teſtam. militis*: quia numerus militum, vt Vegetius ſcribit, exercetur ſubindè, vt exercitio melior euadat. Vegetius.

6 His ergo ad intelligentiam Belli neceſſariò præmiſſis. Ad principale Quæſitum reſpondet Bonacina *diſp. 2. q. 6. punct. 1. propoſ. 1. num. 3.* *Bellum non eſſe Duellum*, eò quòd *non ſit ſingulare certamen*, *nec* in Bello adſit Pugna, *ex condicto*, nec idem perſonarum numerus, vt ſeruatur in Duello, in quo Singuli in Singulos, vel Bini, in Binos decertare ſolent. Bonacina. Quæſiti ſolutio.

Aliud Adderem, eſſentiale *diſcrimen* inter Duellum, & Bellum ex *Auctoritate*, & *Cauſa*, vndè *Duellum*, vel *Bellum* oritur, eſſe deſumendum: ſi quidem ad *Duellum* non requiritur neceſſariò eſſe inter Singulos, & Singulos, vel inter Binos, & Binos Pugnam; ſed *Priuata Auctoritate* ſiue *Cauſa* inter paucos, aut multos committi: *Bellum* verò *publica auctoritate* inter armatas hoſtium acies ſuſcipi. Ità Hurtadus *de Duello vol.2. diſp. 170. ſect. 1. §. 4.* & ſic in præſenti de *Duello pro Priuata Pugna*, hoe eſt priuata auctoritate ſuſcepta, vt *publico Bello* opponitur, diſputamus. Aliud diſcrimen iuxta Auctoris mentem. Hurtad.

SECTIO III.

DE QVÆSITIS CIRCA DEFINITIONEM DVELLI.

CIrcà explanatam Duelli Definitionem, multa occurrere poſſunt Dubia, quæ ſub hanc Sectionem, pluribus diſtincta Quæſitis, ſoluenda reduximus. Magna namque Duellantium pars, non ex conſilio, ac præmeditata duellandi intentione, ſed caſu, prout iniqua ſors tulerit, ac Dæmon inſtigauerit, aut prouocant, aut prouocati veniunt ad Duellum: excitato nimirùm repentè odio, ac vlciſcendi deſiderio ex repentino inimici occurſu. Modò etiam ex vno in alterum verbum prolabente lingua, ventum eſt ad arma, vt illatæ vltrò, citròque iniuriæ, mutuo vulnere, ac ſanguine delerentur. Accidit quòque, vt orta duos inter Nobiles contentione in Templo, vel Regia, alter alteri, ne loci Maieſtas, aut Sanctitas lædatur, egredere hinc inquiat, deſcende hinc, extrà Eccleſiam, extrà Regiam ad talem perge locum, illuc tecum pugnarurus ibo. Multos etiam reperies, qui abſque verè duellandi animo, ſed tantummodò, vt famæ, honorique ſuo conſuluiſſe videantur, ad Duellum prouocant hoſtem, quem ſciunt fortaſſe, vtpotè timidæ, vel Religioſæ vitæ hominem, detrectaturum prouocationem, vel ſi non detrectauerit, mox intercedente Principis, aut Iudicis mandato, impeditũ iri Duelli euentum; & pacis, ac amicitiæ fœdus ineundum. Simillimi circà Duella frequenter accidunt caſus, de quibus Quæſtio eſt inter DD. Vtrum verè Prouocationes, ac Duella, dicenda ſint, ac proindè Excommunicationi, cæteriſque Cæſareis, ac Pontificijs pœnis ſubiecta. Huiuſmodi ergo tantùm Dubia in præſenti ſoluenda ſunt Sectione, varijs propoſitis caſibus, vt clariùs, ac faciliùs tradenda percipiatur doctrina. Reliqua verò dubia ad prohibitionem, & pœnas Duellatoribus impoſitas, ſpectantia, in ſecundo ſoluentur Tractatu.

QVÆSITVM I.

An poſſit Duellum committi abſque deſignatione Temporis, & Loci: *ſeu*, An Loci, & Temporis deſignatio, ſit de formali conceptu Duelli.

SVMMARIVM.

1 *Prima Sententia affirmatiua Peregrini adducitur.*
2 *Expenduntur rationes pro Peregrini Sententia.*
Eadem eſt virtus Taciti, & Expreſſi.
3 *Vota perſoluenda ſunt ſtatim ac commodè perſolui poßunt.*
4 *Secunda Sententia negatiua plurium DD. auctoritate firmatur.*
5 *Triplex fundamentum dictæ Sententiæ negatiuæ.*
6 *Soluuntur Argumenta in contrarium adducta.*
7 *Ad Voti eſſentiam non pertinet temporis determinatio.*
8 *Secundi, & Tertij argumenti peculiares ſolutiones.*
9 *Bulla Clementis VIII. quo ſenſu ſit intelligenda.*

1 TEMPORIS, ac *Loci* deſignationem ſub poſteriori illa Duellicæ Definitionis parte (*Ex Condicto*) latenter incluſam, ac implicitè contentam, ad Duelli pertinere Eſſentiam, vnanimi Sententia vniuerſus Doctorum cætus acriter tuetur. Adeòut ad ſingulare

certamen Prouocantes, non *loco*, nec *tempore condicto*, à duellicis pœnis ſubeundis, eximendos eſſe exiſtiment; deficiente nimirùm vltimo *Duellicæ Eſſentiæ conſtitutiuo*, ac proindè *Duelli à Rixa diſtinctiuo*.

Huic communi omnium Sententiæ vnus eſt, qui refragari velit Peregrinus *in ſuo de Duello Tractatu q.* 15. vbi *Temporis, Locique* deſignationem non ad *Eſſentiam*, ſed ad *Propria Duelli Accidentia* reducendam fore arbitratur. Ac propterea Prouocationes, Pugnaſque abſque Temporis, Locique deſignatione commiſſas, iiſdem Duelli pœnis puniendas eſſe, ſeuerè nimis, ac nimis peregrinè, ſequentibus probare rationibus conatur. Eas quanti ponderis ſint expenſurus, ac breuiter impugnaturus, hìc, fideliter excerptas referre non grauabor.

2 I. Si Titius v. g. (verba ſunt Peregrini) prouocaret ad Duellum Caium in eodem *Loco* & *Tempore*, clarum eſt, quod acceptante Caio Titij prouocationem, & cùm eo pugnante, ambo in excommunicationem, aliaſque duellantium pœnas inciderent. Sed *Eadem eſt virtus taciti & expreſſi l. cum quid. ff. ſi cert. pet. & ibi DD.* Et Titius prouocando Caium *nullo* ſtatuto *tempore*, & *loco*, & Caius voluntariè acceptando prouocationem, & pugnando ex communi, & libero conſenſu in eodem loco, tacitè videntur elegiſſe illud *tempus*, & *locum*. Ergo incidunt in excommunicationem, & aliàs Duellantium pœnas, quamuis nulla *Loci*, & *Temporis* facta ſit mentio.

3 Hanc rationem vlteriùs confirmat à pari de *Voto*. Quando enim aliquis abſolutè aliquid vouit, non determinando *tempus* pro voti ſolutione, ſtatim ac, commodè poterit, votum ſoluere tenetur, vt docet Siluester, Angelus, Petrus de Aragon. Gregor. de Valentia, & alij, quos refert, & ſequitur Sayrus *lib.* 6. *Clauis Regiæ cap.* 8. *num.* 8. Ergo Titius prouocando Caium ad Duellum, nullum determinando *locum*, & *tempus*, videtur ſtatim in eodem loco prouocaſſe, & ſic tacitè expreſſiſſe *locum & tempus*. Et ſimiliter Caius ſpontè acceptando, & pugnando in *eodem loco*, videtur tacitè determinaſſe, & elegiſſe præſentem *locum & tempus*.

Petrus de Arag.

Greg. de Valent.

II. *Duellum cruentum* ſpontè, & *ex condicto* factum nullo ſtatuto *tempore*, & *loco*, eſt proprium & verum Duellum, vt patet ex Duelli definitione: ergo idem dicendum de *priuato Duello*, cum non ſit minùs cruentum, & animæ & corpori noxium, quàm *publicum Duellum*.

Secunda ratio.

III. Clemens VIII. generaliter loquitur, & ſub cenſuris, ac pœnis prohibet Duellum quouis modo, & ſub quacunque forma fiat: nec vllam mentionem facit de *temporis, locique* deſignatione. Ergo ad contrahendas cenſuras, pœnaſque in Clementis VIII. Bulla expreſſas, *temporis*, ac *loci* deſignatio non requiritur. Hæc ſunt fundamenta, quibus Peregrini ſententia innititur.

Tertia ratio.

4 At cùm ſeuera nimis hæc videatur ſententia, nullos ſibi, vt dixi, conciliauit Doctores, nec Patronos, nec Aſſeclas habet, quorum Patrocinio, ac Comitatu per Theologorum Academias, & ora tuta volitare poſſit: ſed vt video, ſola ſuo Peregrino cum Patrono peregrè profecta eſt; tot, tantiſque Doctoribus, oppoſitæ potiùs ſententiæ ſuffragantibus. Ità Thomas Sanchez *in præceptis Decalogi lib.* 2. *cap.* 39. explanans quid ſibi velit: *Duellum ex Condicto*, ſcilicet, *Ex pacto inuicem inito*; *Condictum enim*, inquit, *id ſignificat* plura Duelli dubia propoſita ſoluit, omnibus tamen in illis *locum*, *tempuſque* deſignandum fore requirit, vt citatum locum peruoluenti liquidò patebit. Hæc etiam Do-

Secunda ſententia negatiua.

Thomas Sanch.

Floronus.

Reginald.

ctrina fusè traditur à Florono *in Tract. de probib. Duelli cap.* 5. *§.* 1. *verſ. Tertium eſt*. Sic quoque à Reginaldo *in ſua praxi lib.* 21. *cap.* 8. *num.* 73. Definiente Duellum eſſe Pugnam Duorum, vel Plurium, ad cædem, ſeu vulnera inſtitutam, eamque *Ex condicto*, ac certo pugnantium numero conſtituto, ac *Tempore*, & pugnæ *Loco* deſignato.

Filliuc.

Si itaque *Temporis*, ac *Loci* deſignatio ſub duellica definitione includitur, profectò non ad *Accidentia*, ſed ad Duelli *Eſſentiam* ſpectare cenſenda eſt. Ità Filliucius *tract.* 15. *cap.* 5. *num.* 107. *vſque ad* 112. ſæpè admonet, ac repetit inter Conuentionem, & Pugnam, temporis aliquid interponi opus eſſe, ad diſcrimen *Rixæ*, non præuio mutuo pugnandi pacto, nec inter pactum, & pugnam Tempore aliquo interpoſito (*En Temporis Deſignatio*) ſed inflammante animum ira, illicò commiſſæ.

Bonacina.

Bonacina *diſput.* 2. *quæſt.* 6. *propoſ.* 1. *num.* 15. Ad pugnandum ſe inuicem prouocantes, *loco nullo, nulloque Tempore* ſtatuto, Excommunicatione non affici docet, cum non ſit propriè Duellum, de quo Summi Pontifices in ſuis loquuntur Conſtitutionibus.

Diana.

Nec alia eſt Patris Dianæ ſententia, dùm *par.* 3. *tract.* 6. *reſolut.* 1. *§. Dico tertiò*. Duellicis pœnis afficiendum non eſſe ſenſijt prouocantem alios, *nullo loco, ac tempore* ad pugnandum ſtatuto; ſubdens, quia hæc actio, non habet requiſita conſtituentia Duellum.

Alphonſ. de Leone.

Meminit etiam in Definitione Duelli *temporis, ac loci* deſignationem Alphonſus de Leone *de Cenſuris verb. Duellum, pag.* 308. *colum.* 2. & communiter omnes. Sed neque leuiora ſunt rationum, quàm teſtimoniorum momenta ad prædictam ſententiam probandam infrà adducta, ac propptereà.

Negatiuæ ſententiæ rationes.

5 Secundò ratione probatur: nam aliòquì inter *Rixam, & Duellum* nullum fore diſcrimen ſequeretur, ac proindè omnes repentino odio, ſubitaque ira ad pugnam concitati, nec *loco*, nec *tempore* ſtatuto, Duelli Cenſuras, aliaſque pœnas contraherent.

Rationes deductæ ex Bulla Greg. xiij.

Ex Conſtitutione etiam Gregorij XIII. incipiente *Ad tollendum verſ. Auctoritate Apoſtolica, &c.* noſtram confirmamus ſententiam; in ea enim omnes illos Cenſuris, & pœnis in Tridentini Concilij Decreto cōtentis, ligari Summus Pontifex decreuit, qui non quomodocumque, ſed *ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco conuento Monomachiam commiſerint*.

Ex eodem Gregorio XIII. ibidem ſtatutum eſt incidere in dictas Cenſuras, & pœnas: *Monomachiam committentes ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco conuento, etiamſi nulli Patrini, ac ſocij ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita ſit*: ergo ex Bulla Gregorij XIII. non committitur *Monomachia*, ſiue *publica* ſit, ſiue *priuata*, niſi ſit *ex condicto, ſtatuto tempore, ac loco deſignato*. Ergo cùm reſtringenda ſint Odia *cap. Odia de reg. Iur. in* 6. non extendendendæ ſunt pœnę illæ odioſæ ad pugnam ſine *temporis, locique* deſignatione committentes.

Soluitur primum argumentum oppoſitum.

6 Ad oppoſitæ tamen ſententiæ primum argumētum reſpondetur, Pugnam illam inter Titium, & Caium, *eodem in loco, eodemque* ſuſceptam *tempore*, non *Duellum*, ſed nudè *Rixam* fuiſſe, eodem Peregrino teſte *quæſt.* 18. aſſerente, non poſſe animum deliberatum intelligi, qui *ex temporis interuallo* non procedat. Quonam pactò igitur, *eodem in loco, & tempore* Titij prouocationem, acceptante Caio, & vtroque manus conferente, *Duellum* commiſſum fuiſſe dici poterit, ſi nec *temporis* aliquod *interuallum* inter prouocationem, & pugnam, nec *animi* præceſſerit *deliberatio*?

In allato caſu nec tacita intelligitur temporis, & loci deſignatio.

Addit prætereà: *Eamdem eſſe virtutem taciti, & expreſſi*: At dato hoc, negandum eſt tamen ſuppoſitum; ſuppoſit enim in propoſito caſu,

nullo

nullo temporis interuallo inter prouocationem, & pugnam intercedente, tacitam ſubintelligi *temporis, locique* deſignationem, quod falſum eſt; cùm per ipſummet Pereginum eodem in loco, & tempore, prouocante Titio, & annuente Caio inita fuit Pugna: quomodò ergo *temporis, ac loci deſignatio* intelligi poterit?

Reſponſio ad confirmationē.

Quid ſit de eſſentiali conceptu voti.

7 Confirmatio deducta ex paritate Voti, ſoluitur reſpondendo, Diſparem eſſe *Voti*, ac *Duelli* rationem, ad *Voti* namque eſſentiam *temporis determinatio* non pertinet, non aliud in ſuo eſſentiali conceptu includente Voto, quàm *Promiſſionem de bono, Deo factam*, vt communis eſt DD. ſententia, & ad *Votum* temporis deſignatio accidentaliter tantummodò ſe habet: ad *Duellum* verò per ſe ſpectat, cùm, & *loci*, & *temporis* determinatio eius ingrediatur *eſſentiam*; ac propterea abſq; tali *temporis, locique deſignatione Duelli eſſentia definiri nequit*. Cùmque nulla ſupponatur temporis mora interceſſiſſe, neque in caſu poſito ad tempus, locumque tacitè ſubintelligendum, vt modò diximus, confugiendum erit.

Soluitur ſecundum argumētum.

8 Secundi Argumenti negandum eſt ſimpliciter Aſſumptum, ac *Principij petitio* eſſe videtur; quod enim probandum eſſet, vt certum aſſumitur. Enimuerò, ſi in propoſita videndum eſt quæſtione, An *Duellum* abſtrahens *à publico, & priuato, temporis*, ac *loci* determinationem eſſentialiter includat, cur modò ad probandum, talem non includi determinationem, abſolutè aſſumitur *temporis, locique* deſignationem *ad publicum* non requiri *Duellum*? Hoc profectò eſt *Petere principium*, vt in Dialecticis dicitur.

Bonacina. Floronus. Diana. Clem. iij.

9 Poſtremò cum Bonacina, Luca Florono, Reginaldo, Filliucio, Diana, & Alijs in præcitatis locis, reſpondendo ad tertium, dico *Conſtitutionem* Clementinam iuxtà communem loquendi vſum, aliarumque Conſtitutionum ſenſum, quæ per illam confirmantur, intelligendam eſſe. Cùm igitur in alijs Conſtitutionibus de pugna *ſtatuto loco, & tempore* commiſſa, ſermo habeatur, idipſum de Clementina Conſtitutione omninò eſſe ſentiendum, nec ab ea cum Peregrino peregrè proficiſcendum eſſe videtur.

QVÆSITVM II.

An Siquis alterum ad pugnandum prouocet dicens: *Tecum pugnabo, vbicumque, & quandocumque Te per Vrbem deprehendero*, incidat in Duelli pœnas.

SVMMARIVM.

1 *Sic prouocans incidit in Excommunicationem. Quinam Doctores hoc aſſerant? Et quanam ſint huius affirmatiuæ ſententiæ rationes?*
2 *Non incidit in Excommunicationem iuxtà oppoſitam ſententiam.*
3 *Authoris Iudicium circà vtramque opinionem.*
Quænam deſignatio Loci, & Temporis requiratur ad Duelli pœnas contrahendas.
Quid probet Scriptura incerta? Quid valeat Donatio incerta?
4 *Ad Duellum non requiritur indiuiſibilis deſignatio loci:*
Tempus, & Locum copulatiuè, non diſiunctiuè deſignare ſatis eſt ad Duellum.

1 MVLTORVM eſt Doctorum ſententia, Prouocātem ad *Duellum, vbicumque, & quandocumque per Vrbem inimicum deprehenderit* in duellicas pœnas incidere, Bonacina affirmatiuam ſententiam amplectitur.

cùm

cùm verè in tali prouocatione, per ipſos *temporis*, *locique* aſſignatio adſit, nempè, cum ſeſe obuiàm habuerint. Ità Bonacina *de Cenſur. tom. 1. diſput. 2. queſt. 6. punct. 1. propoſ. 1. num. 7.*

Filliucius.

Et Filliucius *tom. 2. diſp. 25. in 5. præcept. Decalogi* aliquandò etiam abſque *loci*, & *temporis* determinatione eſſe poſſe *Duellum* aſſerit, vt ſi duo conuenirent (ipſius verba ſunt) vt vbicumque ſibi inuicem occurrerint prima vice in Ciuitate, Pugnam capeſſant. Hoc enim eſſet *Duellum*, hoc eſt, *Pugna ex condicto*, proh bita etiam ſub Cenſuris.

Hurtad.

Similiter Hurtadus *de Spe, & Charitate volum. 2. diſput. 170. ſect. 1. §. 8.* Pone, inquit, duos inimicos ità paciſci: *Pugnemus mutuò quocumque in loco nos inuenerimus, nullo deſignato loco*: Rogas, vtrum hoc ſit ſatis ad Duellum? Reſpondeo, eſſe ſi illi ſe mutuò quærant. Eſt res ſinè controuerſia, quia Pugna eſt deliberata, reiecta ad aliud tempus: locus autem eſt item condictus, condicitur enim tota Vrbs, aut Pagus, aut Regio. Idem cenſeo quandò ſe fortè fortuna offenderint in aliquo loco, ſi in eo pugnent; quia ille locus eſt condictus ab vtroque ſub conditione, ſi in eo ſe offenderint; ex ſuppoſitione autem quod ibi ſe offenderint, iam conditio loci, ex conditionata fit abſoluta. Hæc Hurtadus.

Diana.

2 Oppoſitam tamen ſententiam amplectitur Diana, *par. 5. tract. 13. reſol. 59.* illamque ſe in praxi habuiſſe fatetur, pro ſe Iacobum Mancinum, *in pract. viſitand. Infirm. pract. 4. num. 16. dub. 9.* adducens; quo etiam Teſte ita ſenſerunt nonnulli Viri docti ab eo conſulti. Huic etiam adhæret ſententiæ Alphonſus de Leone *de Cenſuris. verbo Duellum. circà medium.*

Mancin.

Alph. de Leone.

Fundamentum negatiuæ ſententiæ.

Fundamentum eſt, quia totius Vrbis nomine non propria, ac determinata, ſed indifferens, ac confuſa *loci* aſſignatio intelligitur: nullus enim certus ad pugnandum *locus* aſſignatur, nec eſt propria temporis deſignatio, *cum ſe ſe obuios habuerint*; enimuerò incerto remanente tempore, in tali prouocatione verè *certum* fuiſſe *tempus deſignatum* dici nequit.

Iudicium Authoris de vtraque ſententia allata.

3 Et quàmuis Bonacinæ, Filliucij, & Hurtadi prima hæc *opinio* allata, horum auctoritate Doctorum Mihi *probabilis* videatur; ſecunda tamen Dianæ, Mancini, &c. *Sententia* vtpotè *probabilior* mihi magis arridet; quoniam ad Duellicas pœnas contrahendas, quemcumque *locum*, aut *tempus* ad Pugnam *in genere* aſſignaſſe, non ſufficere exiſtimo, ſed vtrumque ſimul *in indiuiduo* aſſignatum fuiſſe requiri, v.g. extrà talem Vrbis Portam, trans Pontem, hodie, in craſtinum te ad pugnandum prouoco &c.

Ratio.

Confirmatio.

Firmo hanc rationem, ex eo quòd idem ſit aliquid incertum eſſe, ac nõ eſſe: Quarè *Scriptura incerta nihil probat, leg. duo ſunt Titij, vbi DD. ff. de teſtamentar. tutel. & qui dat incertum, nihil tradere videtur leg. 3. §. incerta ff. de acquir. poſſeſſ.*

Duo notanda pro pleniori intelligẽtia dictæ ſententiæ.

4 Moneo tamen cum Hurtado *de Spe. & Char. vol. 2. diſp. 170. ſect. 1. §. 5. in fine.* *Locum* indiuiſibiliter deſignandum, ac veluti palmis commenſurandum non eſſe. Sumus enim in moralibus; Satis autem eſſe *locum*, vbi mutuò reperiri poſſint, deſignare: vt ſi quis dixerit (inquit Hurtadus) Pugnemus vltrà Pontem, aut in Agro; extrà muros, aut in Galliam ad petendum campum eamus.

Moneo etiam cùm de *loci*, & *temporis* deſignatione ſermo eſt, non *disiunctiuè*, ſed *copulatiuè* intelligendum eſſe: Siquidem ad Duellicas pœnas contrahendas, *tempus*, & *non locum*; *locum*, & *non tempus* duellandi aſſignaſſe, ſatis non eſt; ſed *vtrumque ſimul copulandum eſſe*, prout verbis Gregorianæ Bullæ copulantur, Nec

vn-

Sanchez. Delrio.

vnquam, vt benè admonet Sanchez *tom.* 1. *in præcepto Decalogi, lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 28. & Delrius *lib.* 4. *Diſquiſit. Magic. cap.* 4. *quæſt.* 4 *ſect.* 2. *num.* 26. has duas temporis, locique deſignationes inuicem in Duello *ſeparandas eſſe*.

QVÆSITVM III.

An Siquis viſo Inimico in Eccleſia, aut in Regia, aut alio in loco ſibi periculoſo, eò quod ille adiuuantes ibi habeat Amicos, Coniunctos, aut Famulos, diceret ei: *Exi indè ad pugnandum*, nullum deſtinans locum, Duellum committeret?

SVMMARIVM.

1 *Non committi Duellum, ſed Rixam, aſſeritur ex Sancio, & Filliucio.*
2 *Aliud eſt locum deſignare: aliud in locum tutiorem reducere inimicum.*
3 *Tres alij ſimiles deciduntur Caſus ex Filliucio, Hurtado, & Molfeſio, &c.*
4 *Reuocans Inimicum ex publico in priuatum locum, vt liberiùs pugnam committat, in Duelli pœnas incidit.*

Reſponſio negatiua.

1 IN hoc caſu *Duellum* non committi videtur ſiquidem, nec propriè *locus* deſtinatur, nec cùm dicitur, *Exindè ad pugnandum* prouocantis animus eſt Pugnæ *locum* deſtinandi, ſed tantùm ſacri loci irreuerentiam, aut proprium præcauendi periculum. Tùm etiam quia incohatam forſitan in Eccleſia, aut Regijs in Ædibus altercationem, continuata quodammodò actione moraliter proſequentes in loco tutiori propè Templum duellando, egreſſi perficiunt; & ſic *Rixam*, ac exortam ſubitò *Contentionem*, non verò *Pugnam ex condicto* fore cenſeo. Initium enim reſpiciendum eſt maximè in operibus. Ità Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 28. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 5. *num.* 111. Sanchez. Filliucius.

Soluitur ſimilis caſus.

2 Idem cenſendum eſt ſi exiſtenti Vni in loco, vbi Amicos, Socios, vel adiuuantes haberet Famulos, Alter ſuum præuidens periculum, diceret: *Ex hoc loco egredere*, cum eoque egrediente pugnaret: *nullo aſſignato loco*, neutrum inquam, in Excommunicationem incidiſſe, cēſendum eſt; hoc enim non eſſet *locum* deſignare, ſed à loco periculoſo in non periculoſum reuocare inimicum. Ità Sanchez *loc. cit.* & Molfeſius *in ſumma tract.* 7. *c.* 19. *n.* 20. Sanchez. Molfeſ.

Quandò cēſeretur eſſe verè Duellum.

3 Quod ſi in Eccleſia, vel in Regia conuentio, & pactum in tali, & tali *loco*; tali, & tali *tempore* pugnādi initum eſſet, vt ſæpè contingere ſolet, eſſet abſque dubio *Duellum*; inter conuentionem, & pugnam tempore aliquo intercedente, & pugna *ex condicto* commiſſa, vt docet Filliucius *loc. cit.* Alphonſus de Leone *de Cenſuris verb. Duellum*. Filliuc. Alphonſ. Leon.

Verùm ſi in Templo cæpta non ſit *Pugna*, ſed ad *locum diſtantem condicta*, quamuis continuò pugnaturi egrediantur, erit profectò *Duellum*, vt in ſimili caſu dicit Sanchez *loc. cit.* & pariter Hurtadus *de Spe, & Char. vol.* 2. *diſp.* 170. *ſect.* 21. *ſubſect.* 5. *§.* 204. *propè finem*. Hurtad.

Intercedente tēporis interuallo etia eſſet Duellum.

Quando etiam inter prouocationem, & pugnam temporis aliquod poneretur interuallum, vt ſi donec Miſſa perageretur, Concioni finis imponeretur, vel quid ſimile expectaretur abſoluendum; quo peracto, propè Templum pugnam committerent, verè *Duellum* eſſet, ex Hurtado *loc. cit.* Hurtad. Sanchez.

Alius caſus ſoluitur.

4 Prætereà Sanchez *eodem n.* 28. huiuſmodi alium adiungit caſum

nimirùm, ſi ab Inimico, in Platea v. g. exiſtente, peteret alter, vt indè diſcedens ad alium pergeret locum, cùm ibi ob circumſtantes, quorum opera ſtatim in mutuam gratiam reuocarentur, liberè pugnare nequirent, ambo in Excommunicationem inciderent, ſi progrediente illo ad Pugnam, Pugna ipſa ſequuta eſſet: hoc enim eſſet verè *locum deſignare*, nempè extra Plateam illam, liberiùs pugnandi cauſa. Requiritur verò non ſubitò in *Rixæ* calore, ſed præmeditatè, *& ex conſilio* prouocationem ad Pugnam fieri, hoc namque eſt *ex condicto* ad Pugnam laceſſere, vt docet Farinac. Farinacius *conſil.9.in fine*. Molfeſius. Molfeſius *in ſumma tract.7.cap.19.n.20.*

QVÆSITVM IV.

Vtrum ille, qui ſuum inimicum domi exiſtentem prouocat, dicendo: ***Exi indè, deſcende huc ad pugnandum***, & de facto pugnaret, in Excommunicationem contrà prouocantes ad Duellum incideret?

SVMMARIVM.

1 *Reuocare inimicum è propria domo in Plateam ad pugnandum ſub Cenſuris vetitum non videtur.*

2 *Ob periculum præcauendum, alterum locum eligere non eſt vera loci condictio.*

1 QVAMPLVRIMOS ſæpiſſimè reperiri certum eſt, qui exiſtentem domi inimicum ad digladiandum extrà domum prouocent; at an cenſuris ligandi ſint, indubium vertitur.

Ego cum Sanchez, & Filliucio ligandos non eſſe exiſtimo; ſi quidem *loci deſignatio* illa, *non Duelli intuitu*, ſed ad propria præcauenda *diſcrimina* indicta fuit; ſi enim prouocans inimici domum digladiaturus ingrederetur, ſe ſe manifeſto vitæ diſcrimini exponeret, circumſeptum forſitan anguſto in loco, & ſui inimici Famulis, Conſanguineis, Amicis, prouocantem ad necem vſquè dirè oppugnantibus. Sanchez. Filliucius. Negatiua reſponſio ad Quæſitum.

2 Dùm ergo tanti *præcauendi* cauſa *periculi*, illum extrà domum laceſſit ad pugnam, *nec in Cenſuras, nec cæteras in duellicas incidere pœnas cenſendus eſt*, vt paulò antè etiam diximus, Eum, qui inimicum ex Eccleſia, aut ex Regia, aut aliundè, imminente periculo, tutiorem reuocaret ad locum, *excommunicatum non fore*, cùm *deficiente* rigoroſa *loci deſignatione*, rigoroſum *committere Duellum* non æſtimetur. Ità Sanchez *lib.2.cap.39. num.28.* Filliucius *tom.1. tract.15.cap.5.num.111.* Ratio. Cõfirmatio à pari.

QVÆSITVM V.

Vtrum in Excommunicationem incidat prouocans alium ad Duellum certo in loco, tempore, & Determinatis armis committendum, miſſo etiam ad ipſum libello prouocatorio cum Teſtibus, &c. abſque animo tamen pugnandi, pro certo habens non ſecuturam eſſe omninò pugnam, impedientibus vtrinque Amicis.

SVMMARIVM.

1 *Contrahitur Excommunicatio ratione annexi periculi iuxtà primam ſententiã.*
2 *Proponitur ſecundum argumentum aſſerentium committi Duellum.*
Scripta, & Manifeſta quarè prohibita?
3 *Qui vult Antecedens, quomodò cenſeatur velle Conſequens?*
4 *Finis operis, & finis operantis, quomodo in actione diſtinguantur?*
5 *Non contrahi Excommunicationem ex alijs DD. tuetur Auctor.*
6 *Licet Excommunicatio non contrahatur, committitur tamen læthale peccatum. In externo foro verus reputatur Duellator.*
7 *Quid verò in foro interno ſentiendum?*
8 *Fundamentum oppoſitæ ſententiæ ab Auctore tradita.*
9 *Proferens verba hæreticalia ſinè pertinacia, & errore; & prouocans ſinè duellandi voluntate comparantur, quòad non ſubeundam Excommunicationis pœnam.*
10 *Solutio primi argumenti affirmatiuæ ſententiæ.*
Quænam ſcripta, & manifeſta in Clementina prohibeantur?
11 *Alterius argumenti reſponſio.*
12 *Explicatur quo ſenſu intelligendum ſit Axioma: Qui vult Antecedens, cenſetur velle Conſequens.*
13 *Actio externa phyſica, & finis operantis, morale compoſitum formant.*
14 *Actiones externæ ab internis actibus ſpecificantur.*

1 IN hoc etiam, vt in cæteris Quæſitis, varia eſt Doctorum ſententia, affirmantibus alijs, alijs verò negantibus in caſu propoſito, incidi in Excommunicationem.

Affirmat primò Peregrinus *in tract. de Duello quæſt.* 24. ſequentibus rationibus eius mentem permouentibus, quarum

Prima eſt, talem prouocationem, *abſquè pugnandi animo* indictam, habere etiam *annexum periculum*, ſeu proximam periculi cauſam ad *verum* deueniendi *Duellum*: Siquidèm & poteſt eam prouocatus acceptare, quinimmò ipſemet prouocans illicò ſuam mutare poteſt ſententiam, & quam *fictè induxit* Pugnam, *realiter exequi*: Ergo annexam etiam Excommunicationis pœnam habere debet. Primò aſſirmatiuæ opinionis argumentum.

Illatio patet à pari de *Scriptis, & Manifeſtis*, etiam abſque expreſſa ad certamen prouocatione, quæ *ſub Excommunicationis pœna* fieri prohibentur, cùm verè duellandi *occaſionem* præbere poſſint: ergo etiam (ait Peregrinus) prohibitæ cenſendæ ſunt prouocationes, abſque duellandi intentione factæ, quippequæ *committendi Duelli cauſa*, & *occaſio* eſſe poſſunt. Probatio Illationis à pari.

2 Altera Peregrini ratio eſt, quia prouocatio ad Duellum, etiam non ſecuto effectu, à Pio IV. & Clemen. VIII. ſub Excommunicationis pœna vetita fuit, non aliundè, niſi quia proximam occaſionem, & duellandi materiam dare poſſit: Idem ergo dicendum eſt de prouocatione abſque duellandi animo facta. Secũdum argumẽtũ ex Cõſtit. Pij IV. & Clem. VIII.

3 Affert tertiò Axioma illud, Qui vult Antecedens, cenſetur velle ipſum Conſequens, quod per ſe tali ex Antecedenti emanat: ergo volens prouocationem, Duellum, quod ex prouocatione oritur velle cenſetur: ac proindè tàm verè, quàm fictè prouocans, eſt pariter etiam Excommunicatus, non minùs enim ex ficta, quàm ex vera prouocatione verum oriri poteſt Duellum. Commune Axioma.

4 Poſtremò. Finis operis eſt intrinſecus actioni, finis verò operantis extrinſecus eſt, & accidentalis, ex D. Thoma 2.2. *quæſt.* 141. *art.* 6. *in reſponſ. ad* 1. Ergo cùm actio illa, ſcilicet prouocatio, inquit Peregrinus, D. Thom. Duplex finis, Operis, & Operantis.

nus, ex fine Operis ad Duellum ordinetur, quàmuis deſit finis Operantis, adhùc tamen ſub Excommunicationis pœna prohibita erit, vtpotè ex ſe intrinſecè ad Duellum directa.

Proponitur ſecunda ſententia negat.

Filliucius. Bonacina. Naldus. Floronus. Volfang à Vorburg. Diana.

5 E contrà alteram oppoſitam ſententiam, quam Ego libenter amplector, tuentur quàm plurimi Doctores, Filliucius *tom.1. tract.15. cap. 5.num.113.* Bonacina *de Cenſuris to.1. diſp.2.quæſt.6. propoſit.1.num.14.* Naldus *verbo Duellum, num. 2.* Floronus *de Duello cap. 6.§. 2.* Volfang à Vorburg. *in Rudim. Iuris Canon. de Excommunicat. art.5. fol. 196.* Diana *par. 3. Miſcell.reſol.1.concl.1.* & alij.

Negatiuã ſententiã cum cõmuni tenet Auctor.

Cum his ergo DD.dico,ad Duelli pœnas cõtrahendas, verè duellandi animum in prouocante requiri, adeò vt nullo pactò excommunicati forent prouocantes, ſi abſque tali animo inimicos prouocarent.

Cur ſic prouocãs mortaliter peccet?

In foro externo verus reputatur Duellator.

6 Non nego tamen in propoſito caſu, & ſi non contrahatur Excommunicatio, tamen læthale peccatum committi, tàm graui ſcandalo alijs exhibito, ſuſceptoque periculo verum committendi Duellum: Sic etiã in externo Foro Duelli Cenſuras, ac reliquas Duelli pœnas contractas eſſe putari; enimverò in externo Foro verum fuiſſe Duellum æſtimatur; aliter ſic prouocando,honori ſuo minimè ſatisfeciſſe videretur Prouocator, ſuoque fruſtraretur fine, vt benè Filliucius *loc. cit.*

Filliucius.

Quid in foro interno?

7 In Foro tamen interno, & apud Deum humani cordis inſpectorem, ſi verè pugnandi defuit animus,& moralis etiam adfuit certitudo, huiuſmodi Pugnam vtrique Duellatori innoxiam fore, quinimmò eam prouocationem futuram eſſe medium ad pacem componendam, probabile eſt in duellicas non incidiſſe pœnas: fictè enim prouocans,non verè ad verum prouocare Duellum dicitur, quod ſolum in Pontificijs contrà prouocantes latis Conſtitutionibus comprehenſum videtur.

Diana. Alterius ſimilis caſus deciſio.

Idipſum docet Diana *par. 2. tract.16. reſol. 55.* tali pacto: Non grauabor hìc apponere caſum de quo olim interrogatus fui. Quidam offenſus ab N. illum prouocauit ad Duellum certo in loco, &c. non tamen habebat animum pugnandi, & certò ſciebat pugnam non ſecuturam; Amici enim vtriuſque hoc impediſſent, ſed hoc efficiebat ad ſatisfaciendum honori læſo: *Reſpondi* tunc, ſupradictum *non incurriſſe* in *Excommunicationem*, & ità docet in ſtrictiori caſu Filliucius *to.1.tract. 15. cap. 5. num. 114.* nempè etiamſi venirent in locum deſignatum, ſed Amici vtriuſque iſtos conuentos reciperent in ſe, dummodò priùs Duellantes de hoc ſecuri eſſent, & animum pugnandi non haberent. Hactenùs Diana.

Filliucius.

Probatur ſecunda ſententia negatiua.

8 Sed præter has DD. auctoritates,adeſt etiam in promptu ratio, qua noſtra nititur ſententia, nimirùm: *Ad contrahendas Duelli pœnas* requiri prouocationem eſſe *ex condicto* cum vulneris, mutilationis, aut cædis *periculo*; ideò enim ſub Cenſuris prohibita ſunt Duella, & Prouocationes. Cùm ergo in prædicto Caſu *nullum* tali prouocationi *periculum* ſubeſſet, *nulla* quoque ſubeſſe debet *Excommunicationis pœna*.

Cõfirmatur.

9 Vlteriùs à pari de proferente verba hæreticalia, meam firmo ſententiam: ſicuti enim *hæreticalia verba proferens* abſquè opinione,& errore aliquo in intellectu retento, *non* eſt verè *hæreticus*, neque *excommunicatus*; ità etiam dicendum eſt *ſimulatè prouocantem* abſque duellandi animo *excommunicatum non eſſe*, cùm non *formaliter*, ſed *materialiter* tantùm contrà Summorum Pontificum Conſtitutiones deliquerit, quorum *formalis* tenor verborum, & non *materialis* inſpiciendus eſt.

Paritas de hæretico, & ficto Duellãte.

Soluitur primum argum.

10 Quæ autem Peregrinus argumenta propoſuit in ſuæ præſidiũ

ſententiæ, ſoluo, reſpondendo ad Primum, dato Antecedenti, negatur Illatio, quoàd *Excommunicationem*: aliud enim ex præmiſſis non infertur, niſi *prouocationem* illam abſque pugnandi animo factam, eſſe quidem *peccaminoſam*, quod vltrò concedimus, *non* verò *Excommunicationi obnoxiam*.

Rursùs ad alteram Illationis rationem reſpondeo, in Clementina Conſtitutione non quæcumque *Scripta, & Manifeſta* ſub Cenſuris *prohiberi*, ſed ea ſolùm, *quæ cum duellandi animo exarantur*. Verùm in noſtro Caſu, *nec* talis, vt ſupponimus, *intentio, nec animus adeſt*, ac proindè nec *radix*, nec aliquod eſt *Pugnæ ſemen*, ac propterea *nec excommunicationis pœnæ* ſubeſſe debet.

11 Corruet deindè altera principalis ratio Peregrini, ſi dixerim *Prouocationem* illam *ad Duellum*, etiam Duello non ſecuto, ideò à Summis Pontificibus ſub Cenſuris prohiberi, quia verè *duellandi voluntas* etiamſi Duelli euentus euanuerit, interueniſſe ſupponitur. Verùm in adducto Caſu non vera, ſed tantummodò *ficta* quædam *voluntas*, & *ſimulata* ſupponitur digladiādi *intentio*. Ergo &c.

12 Axioma autem illud in tertiæ rationis Antecedenti poſitum, verum eſt, quando *Conſequens neceſſariam ſequelam, ſeu connexionem cum Antecedenti habet*. Exemplum pono in Fornicario, qui fornicationē volens, etiam peccaminoſam malitiam cum tali fornicario connexam actu, velle cenſetur. *At Duellum cum ficta, & ſimulata prouocatione* neceſſariò *connexum non eſt*, ac propterea *nec fictus* prouocator *Duellum* velle dici poterit, nec proindè *duellantium pœnis* ſubijciendus erit.

13 Poſtremò alteram Antecedentis partem in quarto poſitam argumento, ſic diſtinguo: *Finis operis* eſt *extrinſecus actioni*, hoc eſt, *phyſicè diſtinctus*, ac ſuperadditus, & concedo: Extrinſecus, hoc eſt, moraliter diſtinctus, & nego. Enimuerò ex *externa actione phyſica*, & ex operantis *fine*, vnum *morale* quodammodo formatur *Compoſitum*, in quo externa actio phyſica, *Materiæ* locum gerit; finis verò operantis eſt veluti *Forma*, actionem illam *ſpecificans*, hoc eſt in tali ſpecie morali conſtituens.

14 Quapropter falſa eſt Illatio, accidentalem eſſe operantis finem, cùm verè ſit *ſubſtantialis* ad ipſam ſubſtantiam, & actionis eſſentiam pertinens, eam ſpecificando. Et ſicuti ab *externis* obiectis *interni* ſpecificantur *actus*, ità & *externæ* operationes *ab interno* actu, ſeù *ab intrinſeco* operantis *fine* ſpecificandi ſunt. In quo ſenſu intelligendus eſt D. Thomas *loc. cit.* Quarè cùm operantis *finis*, ſeu prouocantis *animus* non ſit ad ſingulare certamen deueniendi, proindè talis *ficta prouocatio*, mali, ac prohibiti finis expers, prohibita ſub Excommunicationis pœna iudicanda non erit.

Internæ, & externæ actiones, vndè ſpecificetur.

D. Thom.

QVÆSITVM VI.

An ſint Excommunicati Duellatores ad deſignatum Duelli locum accedentes abſque verè pugnandi animo, ſed tantùm ſtrictis enſibus, ictus aliquot inferendi, cum morali certitudine nullius damni futuri, ſed potiùs pacis indè orituræ.

SVMMARIVM.

1 *Non contrahi Duelli Cenſuras à prædictis Duellatoribus.*

2 *Duellum euidenter abſque periculo initum pœnarum expers eſt.*

An

3 *An ex Clementina Conſtitutióne aliquid in oppoſitum colligatur?*

1 LEVIORI frequẽter inita Pugna non ad necem inferendam, ſed ad componendam potiùs pacem directa, conciliantur inimicorum animi, nec vlla ſequi ſolent detrimenta. Quapropter frequens eſt hoc duellandi genus, ſed *Sic duellantes in Excommunicationem non incidere*, Reſpondeo cum Filliucio *tract.* 15. *cap.* 5. *num.* 113. Bonacina *diſp.* 2. *quæſt.* 6. *propoſ.* 1. *num.* 114. Volfang à Vorburg. *in Rudim. Iur. Canon. de Excommun. art.* 5. *fol.* 196. Diana *par.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 1.

Reſpóſio negatiua.

Filliucius. Bonacina. Volfang à Vorburg. Diana.

Ratio.

2 Ratio, qua cum his Doctoribus moueor ad hoc aſſerendum, eſt, quia huiuſmodi *Pugna*, vt ſupponitur, eſſet *ſine* effundendi ſanguinis, mutilandi, aut occidendi *periculo*. Licèt *in externo Foro Duellum* fuiſſe *præſumatur*, ſiquidem ex externa actione, externi Fori Iudicia formari ſolent, internis animi cogitationibus non inſpectis, ſolo Deo hominum corda ſcrutante.

Quid de tali Duello in externo foro ſentiatur?

Cle. viij.

3 Nec ex Clementina Conſtitutione *de dirimendo certamine*, oppoſitum habetur, cùm in ea, vt aduertit Filliucius *loc. cit.* de *vero certamine*, vero pugnandi animo, & cum periculo inito, ſermo habeatur.

QVÆSITVM VII.

Vtrum cenſeatur Duellum committere, qui occurrenti inimico dicit: *Diſtringe nunc enſem, hoc in loco* pugnemus.

SVMMARIVM.

1 *Rixæ Etymon ex Iſidoro. Significatio ex Cicerone, & Liuio. Definitio ex D. Thoma. Diſcrimen Rixæ à Duello explanatur.*

2 *Reſponſio negatiua ad quæſitum. Quando Rixari, quandò Duellare intelligatur? Quæ animi deliberatio ſit requiſita ad Duelli pœnas ſubeundas.*

3 *Concluditur non cenſeri commiſſum Duellum, & præter rationem, ſeptem DD. auctoritas refertur.*

1 INTER *Duellum*, & *Rixam*, & ſi magna videatur ſimilitudo, maximum tamen *diſcrimen* eſſe animaduertendum eſt; ideòque his, quæ in ſecunda Sectione de Duelli nomine, & eſſentia diximus, quædam pariter de Rixæ Etymo, ac Definitione ſubijcere oportet. *Rixa*, vt placet Etymologicis, à verbo *Ringor* originem trahit; eſt enim ringi roſtrum torquere, quod Canes faciunt latraturi, vt l. 10. *Etymologiarum, cap.* 17. eruditè adnotat Iſidorus. Si verò eius ſpectemus eſſentiam, alia non eſt, niſi *priuatarum Pugna Perſonarum ex mutua excãdeſcentia, & Ira concitata*; qualis Canum Pugna, cùm irritantur eſſe ſolet. In hac acceptione, non modo in ſacris Litteris ſumitur *Rixa*, vt *Prouerb.* 10. *Odium ſuſcitat Rixas*; & alibi paſſim; ſed etiam à Latinis Scriptoribus, vt à Cicerone in Verrem: *Ecce autem noua turba, atque rixa*: à Liuio *lib.* 2. *Conſulum intercurſu rixa ſedata eſt*. Vt verò 2.2. *quæſt.* 41. *art.* 1. docet D. Thomas, *Rixa eſt quoddam Bellum inter priuatas Perſonas*. Quibus ſic breuiter præmiſſis.

Rixæ etymon.

Iſidorus.

Cicero.

Liuius.

D.Thom.

2 Reſpondeo igitur ad Quæſitũ: *Dicentem obuio inimico diſtringe nunc enſem, non Duellum, ſed Rixam committere* Ratio eſt quia *Loci*, & *Temporis* propriè, & ex conſilio *deſignatio* non interuenit; nec inter mutuam conuentionem, & pugnam aliqua *temporis mora* interponitur, quæ *mora* ad *Duelli eſſentiam*, nè cum *Rixa* confundatur, neceſſariò *pertinet*: eſt enim *Duellum Pugna deliberata*:

Reſpóſio ad Quæſitum negatiua.

Particula, Delibera-ta, in defi-nitione Duelli, quomodò ſit accipiē da?

Vbi velim notes particulam illam, *deliberata*, nō pro ea ſolummodò *deliberatione* accipiendam eſſe, quæ ad liberum, & humanum actū requiritur, ad hoc, vt volitus, vel nolitus; bonus, maluſuè dicatur: ſed pro ea *deliberatione, quæ* inter mutuam pugnandi conuentionem, & pugnam ipſam, *temporis moram neceſſariò connotet*.

Hurtad.

Hoc ipſum Hurtadus *de Spe, & Charit. vol.2. diſput.* 170. *ſect.* 1. *§*.10. rectè innuit: Aduerte, inquiens, ad *Duellum exigi*, vt *Pugna* ſit ex pacto præterito, ſiue *ex deliberatione*, per quam condictus eſt locus; ſi enim duo pugnent nō ex pacto ſuperiori, ſed ex accidentali aliqua occaſione, iam non *duellant*, ſed *rixantur*.

Concluſio negatiua.

3 Cùm igitur in præſenti caſu, pactum de pugnando non fuerit præteritum (inter pactum, & pugnam ipſam *nulla temporis mora intercedente*) ſed peracta mutua pugnandi conuentione, protinùs ad arma ventum ſit; idcircò *non Duellum*, ſed *Rixam commiſſam eſſe opinor, ac propterea huiuſmodi Rixatores, Duellatorum pœnis puniendos non eſſe*. Ità Sanchez *lib.* 2. *cap.*39. *num.*28. Filliucius *tom.*1. *tract.* 15. *cap.*5. *num.* 110. Bonacina *tom.*1.*diſp.*2. *quæſt.*6.*punct.* 1. *prop.* 1.*num.*6. Alphonſus de Leone *de Cenſuris verb. Duellum fol.*308.

Sanch. Filliuc. Bonacin. Alphonſ. de Leone. Hurtad.

Et Hurtadus *vbi ſuprà ſect.* 21. *ſubſect.*5. *§*.208. Si quis alicui dicat (illius verba ſunt) *Vis mecum pugnare? alius verò reſpondeat, volo;* & ibi congrediantur, non eſt *Duellum*. Haud aliter docet Molſeſius *in ſumma, tract.* 7. *cap.*19. *num.*21. Farinacium adducens *conſil.* 9. *num.* 35. *& ſeqq. vol.* 1. teſtantem, ſic in Romana Curia pluries fuiſſe deciſum. Si in *Rixa*, inquit Molſeſius, vnus prouocet alium in eodem loco, vt communiter fieri ſolet, dicendo: *Diſtringe enſem, vt pugnemus*, non incurrunt in Excommunicationem, nec in pœnas Bullæ Clementis VIII. Quæ omnia cum ità ſint, dubium non eſt, quin huiuſmodi *Rixator à Duellatorum Cenſuris, ac pœnis eximi debeat*.

Molſeſ. Farinac.

QVÆSITVM VIII.

An ſi orta inter aliquos Rixa, alter alterum Iracundia motus ſtatim ad dimicandum prouocet, certo in loco, ibique illicò dimicantes, in Excommunicationem incurrant?

SVMMARIVM.

1 *Non ſubiacent Excommunicationi prædicti Rixatores.*
2 *Expenduntur Riccij rationes. Calor Iracundiæ an ſit iuſta cauſa minuendi pœnas?*
3 *Vota, & Iuramenta in Iracundiæ calore præſtita, an obligent?*
4 *Diſcrimen inter deliberationem requiſitam ad Rixam, & ad Duellum.*
5 *Impugnantur paritates de Voto, & Iuramento à Riccio adductæ.*
6 *Aſſignatur ratio, cur temporis mora ad Duellum requiratur.*
7 *Diſtinctio Auctoris pro Quæſiti ſolutione.*
8 *Satisfit breui quæſito de loci diſtantia ad Duellum neceſſaria.*

1 AESTVANTE Iracundiæ calore, confeſtim prouocato cum inico manus conſeruntur, nullo temporis ſpatio interim labente, ac propterea in Caſu poſito.

Negatiuam partem ſequitur Flauius Cherubinus *in Bull. Pontific. tom.* 3. *Conſtitut.* 11. *Clementis VIII. ſchol.*1. pro ſe Ludouicum Lucenſem, Farinacium, & Thuſcum adducens.

Fla. Cherub. Farinac. Thuſc.

Hanc

[Diana. Suarez. Riccius.]

Hanc eamdem ſententiam amplectitur Diana *par. 3. tract. 6. reſol. 1. §. Dico vndecimo,* citans ibidem Suarez *in Enchirid. Caſ. Conſcient. lib. 7. verb. Duellum*, & Riccium *in Praxi tom. 3. reſol. 51.*

[Hi omnes docent non incurrere in excommunicationem. Cle. viij. Riccij rationes.]

2 Et quidem Riccius *loc. cit.* circà propoſitum Dubium olìm conſultus, vt ait, ſic prouocantes à Clementinæ Conſtitutionis pœnis excuſandos fore reſpondit, *ex defectu diſcurſus*, ex quo talis *pugna* non fuit *deliberata*. Suffragari putat ſuæ reſponſioni verba illa Clementinæ Bullæ, *Ex propoſito ineuntes:* tùm etiam, quia calor Iracundiæ iuſta eſt cauſa minuendi pœnam, vt ex pluribus conglobatis Textibus probat.

[Paritates de Iuramentis, & Votis.]

3 Ex quibus prætereà deducit Iuramenta prǽſtita, ac Vota Iracundiæ calore nuncupata, nullam in Iurantes, ac Vouentes inducere obligationem, ac proindè nec etiam prouocationes, æſtuante Iracundia inimico indictas, in ipſummet prouocantem Excommunicationis pœnam refundere poſſe; deficiente nimirùm in illo Iracundiæ turbine, perfectè deliberantis animi ſerenitate, ac rationis lumine, quod latentes in humanorum actuum pelago, & nequitiæ, & pœnarum ſcopulos, voluntati oſtendere poſſit.

[Refelluntur rationes à Riccio adductæ. Alia eſt deliberatio ad actum humanū. Alia ad Duellum requiſita.]

4 Verùm diſtinguere non videtur Riccius, nec diſcrimen aliquod ponere inter *deliberationem ad actum* perfectè *liberum* requiſitam, ad hoc vt volitus, vel nolitus; bonus, maluſuè dicatur, & inter *deliberationem*, quæ præter actus libertatem *moram connotet temporis*, moraliter inter prouocationem, & pugnam labentis. Et quidem in *Rixa* pugnanti, primo pacto ſumpta *deliberatio* non deeſt, aliter nec læthale peccatum committeret: *Deliberatio* verò in altero poſito ſenſu accepta, *Rixam à Duello* diſtinguit; In Rixa enim poſt indictum prouocationem, illicò ſubſequitur Pugna, nulla, vt in Duello, temporis mora interlabente. Non eſt igitur Nobis inter *Rixam*, & *Duellum* diſcrimen aſſignaturis, ad *diſcurſus defectum* in præſenti recurrendum.

[In Rixa non adeſt diſcurſus defectus.]

[Vota & Iuramenta quando non obligent.]

5 Nec quas de *Voto*, ac *Iuramento* rationes affert à pari, ad rem facere puto; ſiquidem *Vota*, ac *Iuramenta* Iracundiæ calore præſtita, ac emiſſa, nullam pariunt obligationem ex *libertatis defectu*, nam irato in homine, & obruto iracundia Intellectu; ſeu Ratione, ac quacumque Iudicij indifferentia impedita, obruitur etiam ipſa libertas, & omnis voluntarij actus, ac meriti, vel demeriti perfecta ratio deficit, & euaneſcit. Vndè vulgatum eſt aqud Theologos: In motibus primo primis, nequè mereri, nequè demereri.

[Meritum, vel demeritum nō eſt in motu primo primo.]

[Etiāſi Rixator perfectum habeat tunc rationis vſum non tamē erit dicendus Duellator nec puniēdus pœna Duelli.]

At verò poſiti Caſus difficultas non eſt, ex ſuppoſitione *defectus libertatis*, & diſcurſus in Rixante, ſed poſito etiam illum ſua libertare, ac ratione vti, adhùc quærimus an talem pugnam committendo, in Duellicas pœnas incideret? quod Nos quìdem cum Flauio Cherubino, Ludouico Lucenſi, Farinacio, Tuſcho, Diana, & Suarez, locis ſuprà citatis, proculdubio *negamus*, *non ex defectu diſcurſus*, vt Riccius aſſerit, ſed *ex defectu moræ temporis*, inter prouocationem, & pugnam nullo pacto intercedentis.

[Temporis mora eſt neceſſariò requiſita non ad volendum Duellum, ſed ad eligendum. Tempus ineundi Duelli.]

6 Quod ſi petas, cur talis *mora* neceſſariò ad *Duellum* requiratur? Reſpondeo, cum ad *Duelli* eſſentiam, & *loci*, & *temporis* electio requiratur, vtique ſi indicta prouocatione, immediatè, & illicò perpetraretur pugna, nulla *temporis* ſubintelligeretur *electio:* idcircò *moram* iſtam, ſeu moralem temporis diſtinctionem, inter prouòcationem, & pugnam ponimus, ſic namque dilata pugna, determinato tempore, & loco committenda, non *Rixa*, ſed *Duellum ex condicto* dici iure merito poterit.

[Diſtinctionis prima pars negatiua.]

7 Quamobrem pro noſtri ſolutione Quæſiti adhùc diſtinctione

Mihi

Semper inſpicienda eſt diſtãtia, vel propinquitas loci ad quem pugnaturi tendunt.

Mihi opus eſſe videtur, inſpiciendo condicti loci ad pugnam diſtantiam; aut enim *locus* ille ad pugnam *condictus* propè ſit, vel ſaltim parùm diſtet, & ſic neque ad Monomachiam prouocatio, *nec Monomachiæ pœna contraherentur*. Inſpecta enim tàm exigua *loci* diſtantia, ac feruida iracundia, ad pugnam illicò excitante, continuari potiùs *Rixam*, quàm committi *Duellum* dicerem.

Altera diſtinctionis pars affirmatiua.

At ſi diſtantem in *locum* pugnaturi progrederentur, profectò in hoc caſu, tanto temporis interuallo, inter prouocationem, & pugnam labente, perfecta *animi deliberatio* appareret, nec ampliùs repentina *Rixa*, ſed *ex condicto Monomachia* committeretur, ac proindè Duellatores iſti *Excommunicati*, aliarumque pœnarum rei proculdubio forent.

8 Tandem, ſi ſcire velis quantamnam *loci diſtantiam* requiri oporteat, ad hoc, vt *Rixa* dici poſſit *Duellum?* Reſpondeo, quantam iuxtà prudentis Viri exiſtimationem poni ad *temporis deſignationem* oporteret; ac proindè, ſi locus ille ſit *propinquus*, reuera, *mora* intercedere non videtur: at ſi paulùm *diſtet*, morã inter prouocationem, & pugnam inuoluit; ac propterea, *temporis* deſignatione tandem poſita, & *loco*, vt iam ſupponitur, deſignato, nihil ſupereſt, quominùs pugna illa in ratione *Duelli* vltimò conſtituta dicatur.

Tanta ponenda eſt diſtantia, quanta ſat eſſe iudicabitur ad Temporis electionẽ.

QVÆSITVM IX.

Vtrum ſi duo Inimici obuiàm facti ſe inuicem ad aliquem prouocent locum, quò ſtatim tendentes pugnent, incidant in Excommunicationem?

SVMMARIVM.

1 *Probabile eſt ex quibuſdam DD. non incidere in Excommunicationem.*

2 *Probabilius eſt ex Aliis quòd incidant, niſi excuſet ignorantia.*

3 *Iuxtà duplicem diſtinctionis partem reſpondetur ad quæſitum, & vtraque conciliari poteſt ſententia.*

1 PROPOSITI quæſiti difficultas, quamuis præcedenti ſimilis videatur, non nihil tamen reuera differt, vt videre eſt apud Dianam *par. 3. tract. 6. reſol. 1. §. Dico vndecimò*, neque in ea ſoluenda concors eſt DD. ſententia. Graſſius *lib. 1. cap. 7. num. 22.* negatiuè reſpondet. Siquidem cum nulla *temporis*, ac *loci* deſignatio interceſſerit, *negat* illos *in Monomachiæ pœnas incidere*. Idem ſentit Suarez *in Enchir. Caſ. Conſc. lib. 7. verb. Duellum*, relatus à Diana *loc. cit.*

Diana. Graſſius. Prima ſententia negatiua. Suarez.

2 Verùm Bonacina alteri *affirmatiuæ ſententiæ* probabiliùs inhærendum eſſe opinatur (niſi ob ignorantiam excuſandi eſſent) adeſt enim *loci*, ac præſentis *temporis* aſſignatio. Huic quoque ſententiæ patrocinantur Sanchez *in opere Morali lib. 2. cap. 39. num. 28.* & Filliucius *tom. 1. tract. 15. cap. 5. num. 112.* ab eodem Bonacina relati. Suffragatur etiam Hurtadus *de Spe, & Charit. vol. 2. diſp. 170. ſect. 21. ſubſect. 5. §. 203.* Quoniam talis *Pugna* eſt *præmeditata* in *loco condicto*, & *tempore* futuro; & ſic etiam in omnium Confeſſorum Praxi eſſe aſſerit. At Pater Diana *loc. cit.* ſuam non aperiens mentem, circà propoſitum Quæſitum anceps eſſe videtur.

Bonacina. Aſſerit incidere in Excõmunicationẽ. Sanchez. Filliucius. Hurtad. Diana neutram approbat, nec reprobat opinionem.

3 Ego autem hanc quoque, vt præteritam difficultatem huiuſmodi diſtinctione ſoluerem: Vel *locus* ad Pugnam *condictus*, & quò ſtatim pugnaturi tendunt, reuera iuxtà prudentis Viri exiſtimationem *diſtare* cenſetur, & proindè, cùm *ex con-*

Auctoris diſtinctio pro dubij ſolutione.

Quando talis Pugna Rixa, quando Monomachia dicenda ſit?

dicto, ac etiam *deliberatè* pugnam cōmitterent, illos à *Monomachiæ poenis immunes non fore arbitror*. At ſi *parua ſit diſtantia loci*, quinimmò locus ille veluti moraliter coniunctus cenſeatur, verè eorum *pugna Rixa, non Monomachia, nec Monomachiæ poenis ſubiecta*, dicenda eſſet.

QVÆSITVM X.

An ſi ex duobus inuicem contendentibus, alter inermis in vicinam properet domum arma arrepturus, & armatus deindè rediens armato cum hoſte pugnet, Duellum committat?

SVMMARIVM.

1 *Si pactum præceſſerit ſe inuicem expectandi, eſt Duellum; ſin aliter, Rixa.*
2 *Alterius dubij ſolutio ex Sanchez, de inermi properante ad arripienda arma.*
3 *Prouocatus inermis illicò accipiendo arma ab adſtantibus, pro pugna ibidem ineunda, non erit excommunicatus. Quid ſi in alium locum tenderet ad pugnandum?*

1 NON rarò mutuas inter contentiones, excitatis ad vltionem animis illicò arripiuntur vtrinq; ab hoſtibus arma, & Rixa committitur. At ſi alter fortaſsè repertus inermis, ad arripienda, vt dixi, arma properet, altero interim expectante, eſſet ne Rixa, an Duellum?

Si pactum præceſſerit, Duellū reputatur.

Equidem *Duellum eſſe, & in Duelli Excommunicationem incidi puto, dummodò* ambo ante conuenerint, vt armatus inermem præſtoletur ibidem, vbi ſe inuicem altercando prouocauerant, quoniam pugna erit *ex condicto*, nec eadem continuata, vt de *Rixa* diximus, ſed *interpolata* eundo, & redeundo, receſſu à prouocationis loco, & ingreſſu in domum commodantis arma.

Si verò huiuſmodi non præceſſerit pactum, inermem inimicum expectandi, donec armatus ad pugnam redierit, ſed tantùm inermis ille, nè alteri armato inter pugnandum, vtpotè inferior, ſuccumberet, ad arma arripienda proceſſerit, illicò rediturus ad pugnam, potiùs *Rixa*, quàm *Monomachia*, *temporis*, ac *loci* condictione deficiente, dicetur. Ità Filliucius *tom. 1. tract. 15. de Cenſuris cap. 5. num.* 112. Bonacina *de Cenſuris tom. 1. diſp. 2. quæſt. 6. propoſ. 1. num.* 13. & Alij.

Sin aliter, nudè Rixa.

Filliucius.

Bonacina.

2 At quid dicendum ſi non ſponte, ſed ipſomet inſtigante inimico, ad arma arripienda progrederetur? Sanchez *lib. 2. cap. 29. num.* 28. Simile proponens dubium de eo, qui iniuria ab altero inermi affectus, diceret illi: *Abi, affer enſem, hìc te, vel in tali loco expecto*, eoque redeunte pugna committeretur, *verum committi Duellum* aſſerit, verè *tempore, & loco*, prout ad Monomachiam requiritur, deſignato.

Quid ſi inimici impulſu pergeret ad capiēda arma?

Sanch.

3 At ſi ab adſtantibus commodatum enſem acciperet, Molfeſius *in Summa tract. 3. cap. 19. num.* 21. cùm pugna *incontinenti* ſequatur, *rixari* potiùs, quàm *duellare* eos dicit. Nec refragatur Sanchez *loc. cit.* immò ſubdit, ſi *calore Iracundiæ* ad enſem accipiendum accederet, & eodem calore ad locum reuerteretur, diceretur continuare *Rixam*, vt docent communiter Doctores *in leg. vt vim. ff. de Iuſt. & Iur.* & ſic aliqua excuſatio adeſſet. At ſi vterque ad alium deſtinatum *locum* accederet, vterque, *ſequuto certamine*, in Excommunicationem incideret.

Quid ſi ab adſtantibus acciperet?

Molfeſius.

QVÆSITVM XI,

Vtrum habeant rationem Duelli, Pugnæ illæ initæ inter duos, qui in naui, vel alibi exiſtentes, ſic ſe inuicem prouocant: *In tali loco te expecto: Vel deſcendamus in terram ad pugnandum;* vbi poſteà pugnent; nec alijs ad ſpectandum concurrentibus, nequè alia interueniente ſolemnitate?

SVMMARIVM.

1 *Declaratio Capitis 19. Concilij Tridentini de Duellis, facta à Cardinalibus S.Congregationis Concilij in Vrbe.*

2 *Non ſunt à Duellorum pœnis eximendi, qui tali pacto prouocant, ac duellant.*

3 *Afferuntur Reginaldi, & Dianæ ſententiæ circà propoſitum quæſitum, qui etiam aſſerunt incidi in Excommunicationem.*

4 *Alphonſus de Leone cum Afflicto etiam per horas durare poſſe Rixam putat.*

5 *Prædictæ pugnæ veram Monomachiæ rationem habent.*

6 *Concluditur committi Duellum, & Duelli pœnas contrahi, ſi temporis mora interſit.*

1 CVM Eminentiſſimis DD. Cardinalibus Sacræ Congregationis Concilij in Vrbe, propoſitum fuiſſet dubium, Vtrum pœnæ, ac Cenſuræ à Trident. Concilio Duellatoribus inflictæ, etiam in priuatis Duellis, quouis pacto initis, locum haberent, Eminentiſſimi PP. re maturè inſpecta in hæc verba (vt refert Molina) affirmatiuè reſponderunt: *Dictum Caput 19. Concilij, locum etiam habet in priuatis Duellis, quæ ſine alicuius Principis auctoritate, conſenſuue, & abſque Patrinis fiunt.*

Molin. to. 4. de Iuſt. & Iur. tract. 3. diſp. 17. num. 4.

Occaſio dubitandi ex Molina, & eiuſdem reſponſio.

2 Hac arrepta occaſione, examinandum à Nobis præſens Quæſitum obiter tangens Molina *loc. cit.* à pœnis à Concilio Tridentino contrà Duellantes inflictis, ſic pugnantes eximere non audet, ſicuti nequè ex Eminentiſſimorum CC. Reſponſo, priuatim Duellantes excipiuntur: *Non auderem* (inquit Molina) *excipere hos ab illis pœnis*, præſertim cùm audiam eos, qui interrogauerunt, hos etiam intendiſſe comprehendere ea Interrogatione, & cùm in rigore, hoc etiam ſit *Duellum priuatum*.

3 Hanc eandem doctrinam amplectitur Reginaldus *in ſua Praxi Fori Pœnitentialis tom. 2. lib. 21. cap. 7. de Duello, num. 73. circà finem*, vbi, ex definitione Duelli aliqua deducendo, aſſerit licere etiam deducere cum Molina, non poſſe in rigore dici, quin *Duella* ſint Pugnæ initæ ab ijs, qui cùm eſſent in *naui*, aut alio in loco incommodo ad Pugnam ipſorum iudicio, vnus alteri dixit: (Reginaldi verba ſunt) *Egrediamur in terram, vel te expectabo in tali loco, vel quiſque noſtrum eat quæſitum enſem ſuum, pugnaturi in tali loco;* & tandem pugnant; neque concurrentibus alijs ad ſpectaculum, neque interueniente alia ſolemnitate, in quibus *ratio* quidem *Solemnis Duelli* minimè cernitur, *priuati* tamen *Duelli* non eſt obſcura.

Reginaldus aſſerit in rigore eſſe veras prouocationes, & Duella.

Idem docet Diana *par. 2. tract. 16. reſol. 55.* Notandum eſt obiter, inquiens, Excommunicationem incurrere, ſi quis diceret: *Vade quæſitum gladium, hic te expecto*, vel *veni ad talem locum, te ibi expecto*, vel ſi exiſtens in naui, vel alibi dicat; *Egrediamur in terram*, *vel foras*, *te expecto in tali loco*, vel quiſque *noſtrum abeat quæſitum enſem, in tali loco mox pugnaturi:*

Ponitur idem dubium à P. Diana, & concluditur in Excommunicationem incurri.

turi: Secùs ſi quis offenſus dicat offendenti, diſtringe enſem, tecum enim pugnare volo.

Alphonſ. de Leone.

4 Alphonſus de Leone *de Cenſuris, verb. Duellum* tantiſper diſſentire videtur; loquens enim de propoſito à nobis Caſu, ſemper ſpectandum eſſe, ait, an *ex iracundia Calore* facta ſit talis prouocatio, & acceptatio, ac proindè ſit *Rixa*, vt per Vvlpem *cap. 1. ſuæ Praxis num. 49.* & Graffium *lib. 1. de Caſibus cap. 7. nu. 28. & conſil. 5. de homicidio,* expreſsè ibi dicentem, Nec in hoc caſu *in Excommunicationem* Clementinæ Conſtitutionis *incidi*. Vndè quandò Caſtropalaus *tom. 1. de Charit. tract. 5. par. 7. num. 18.* hos in Clementis VIII. Bullam incidere, aſſerit, intelligendus eſt pro ſimilibus caſibus, ceſſante ratione *Rixæ*, quæ etiam durare poteſt per horas. Afflictus *Conſtit. ſi Maritus, Rubr. 46.* Hæc citatus Auctor.

Graffius. Caſtropalaus. Afflictus. Quamdiù Rixæ calor durare intelligatur.

5 Verùm aliud eſt per Pugnam, quæ *Rixæ* rationem habeat, in *Monomachiæ* Cenſuras incidi, quòd quidem ab omnibus negatur. Aliud verò eſt de *Pugna* in propoſito à Nobis caſu de exiſtentibus in *Naui* ſermonem habere: non dubito enim, quin illa vera ſit *Monomachia*, quamuis priuata, nō ſolemnis, *prouocatione, loci, ac temporis deſignatione, deliberante animo*, cæteriſque Duellicis requiſitis concurrentibus. Siquidem cùm exiſtentes in Naui ſe [illegible]ùs prouocent, deindè in arenam deſcendant, mox vbi ad deſtinatum tetenderint locum, digladientur; nihil profectò reliquum eſt, quominùs eorum *Pugna*, non *Rixa*, ſed *Monomachia*, ac proindè duellicis pœnis, ac Cenſuris obnoxia dici poſſit.

Auctoris diſtinctio. Cum in prædictis pugnis omnia inueniuntur requiſita ad Duellum: verè duella ſunt dicenda.

6 Adhùc tamen vlteriùs, hac breui vterer diſtinctione. Aut in *Naui* tanquàm in anguſto loco exiſtentes, extrà *Nauim* ampliorem ad locum pugnaturi; nulla *temporis mora* interiecta, protinùs tendunt, & tunc non erit *Duellum*: Vel *mora* quidem inter prouocationem in *Naui*, & *Pugnam* in terra perpetratam intercedit; & tunc quidem cum Mendozza *de Spe, & Charit. vol. 2. diſput. 170. ſect. 21. ſubſect. 5. §. 204. in fine*: nulla duellica deficiente conditione, *Duellum* perpetrari, *Duellique pœnas* contrahi proculdubiò aſſerimus.

Altera diſtinctio, pro ſuprema quæſiti ſolutione. Cōcluſio. Mendoz.

QVÆSITVM XII.

Vtrum in Excommunicationem inciderit Petrus, qui vbi accepit Caium eius famæ, & honori obloquendo detraxiſſe, illum adiuit dicens: *Mentiris, ſi quæ mihi relata fuerunt dixiſti*, & ſimul manum enſi appoſuit: At negante Caio ſe vnquàm contrà eum loquutum fuiſſe, Petrus proindè acquieuit, & à pugnando deſtitit.

SVMMARIVM.

1 *Refertur prima ſententia affirmatiua, & rationes expenduntur.*
Apponere manum ad enſem eſt tacitè prouocare ad Duellum, iuxtà Peregrinum.

2 *Textus Clementinæ Conſtitutionis, & Pij IV. ſuffragari videntur huic ſententiæ.*

3 *Altera ſententia negatiua Auctoris probabilis eſt, & benignior.*

4 *Non punitur affectus, niſi ſequatur effectus.*

1 IN hoc etiam, vt in cæteris Quæſitis affirmant Alij, Alij negant in Excommunicationem incidiſſe; inter quos Peregrinus *quæſt. 26. de Duello* affirmatiuæ parti adhæret, & etiamſi duellandi animus Petro defuerit, eum tamen in *Excommunicationem incidiſſe* triplici ratione oſtendit, quarum

Prima eſt, vt ipſe ait, quia illa poſitio manus ad enſem ex cōmuniter accidentibus, eſt quædam *tacita prouocatio ad Duellum*, & denotat velle cum armis ſubſtinere, & probare Caium dixiſſe mendacium; quod per Clementinam Conſtitutionem *in verſ. Vel denique offert ſe.* prohibitum eſt.

2 Aliam rationem ex eadem Clementina Conſtitut. *verſ. Et ſi ex ſimili abuſu*, deſumit Peregrinus, vbi hanc actionem expreſsè his verbis, ait, prohiberi. *Vel ex ſimili abuſu hac de cauſa aliquid tale. adeò firmiter aſſeritur, aut negatur, vt qui contradixerit, is ſiue nominatim, ſiue in genere, mendacij arguatur, aut mentiri dicatur.*

Poſtrema ratio Peregrini deducta eſt ex Pij IV. Conſtitutione, incipiente: *Ea quæ. verſ. Illoſquè tàm ad pugiles taliter pugnantes, quàm eos ad id tentantes, & prouocantes &c.* Vndè deducit Peregrinus: Quamuis non fuerit Petro animus ineundi Duelli, verè tamen tali actione, ac talibus verbis Caium tentauit, ac *ad Duellum prouocauit*; vt plurimùm enim ex ſimilibus actionibus ſequi ſolet *Duellum*. Ergo in Excommunicationem, aliaſquè Duellantium pœnas huiuſmodi prouocator incidit.

3 Oppoſitæ tamen ſententiæ inhærendo, aio, Petrum in propoſito caſu *in Excommunicationem non incidiſſe*. Enimuerò appoſita ſolummodò enſi manu, nec prouocatione, nec *temporis, lociquè* deſignatione, nec ex parte Caij acceptatione, nec demùm cæteris ad Duelli eſſentiam requiſitis præcedentibus, nequit in rigore talis actio *prouocatoria ad Duellum* dici.

Præterea actio illa apponendi manum ad enſem, non eſt tacita ad *Duellum*, ſed expreſſa ad *Rixam prouocatio*, dummodò tamen eodem tempore liceat Caio enſem euaginare, alioquin, nec ad Duellum, nec ad *Rixam* prouocatio, ſed repentina *Aggreſſio* diceretur, non relicto temporis ſpatio, quo ad ſui defenſionem ſaltim euaginare gladium inimicus potuiſſet.

Apponere manum ad enſem non eſt tacitè ad Duellum, ſed ad Rixam prouocare.

4 Et dato etiam Petrum duellandi, vel ad Duellum prouocandi animum habuiſſe, gladium denudando, &c. nequit tamen inferri in Duellicas pœnas incidiſſe; ſiquidem regulariter, *non punitur affectus, niſi ſequatur effectus. cap. Cogitationis, extrà de pœnis, leg. qui falſam monetam. ff. de falſis*: quamobrem, licèt ad *Duellum* prouocare inimicum decreuiſſet Petrus, actio tamen illa externa, fuit tantùm *aggreſſio*: ergo aggreſſionis, non autem prouocationis ad Duellum pœna puniendus erit Petrus, nè pœna culpam excedat, ſed iuxtà delicti menſuram, ſit & plagarum modus.

Habere animum duellandi non eſt cauſa cōtrahendi Excōmunicationē dùmodò deſit actio externa duellica.

Quas verò ex Pontificijs Conſtitutionibus rationes adducere conatus eſt Peregrinus, ſoluo reſpondendo, eas locum habere, dummodò *loci*, & *temporis deſignatio* fiat; vt ex earumdem Conſtitutionum [illegible] Contextu [illegible] li[illegible] quidò habe[illegible] [illegible]tur [illegible]

Breuis ad oppoſitas Rationes reſponſio.

QVÆSITVM XIII.

An ſi eodem tempore, quo Duellum offertur, eua ginetur enſis, & inuadatur inimicus, Iſte, ob ſui defenſionem denudando ſimiliter enſem, Pugnam ſuſcipiat, in Excommunicationem incidat?

SVMMARIVM.

1 *Tali pacto digladians ob ſui defenſionem, non eſt excommunicatus.*

2 *Quid dicendum ſi excederet moderamen inculpatæ Tutelæ?*

In pugna ſemper principium eſt attendendum.

3 *Nec cenſetur excommunicatus ipſemet Aggreſſor ad pugnam cum talibus circumſtantijs prouocans inimicum.*

Reſpóſio negatiua.

Non eſt duellare ob proprii defenſionem cum altero pugnare.

Propria defenſio eſt de iure Naturæ.

1 BREVIS eſt negatiua reſponſio: *Inimicum ad ineundam pugnam ſic coactum, Duellicis Cenſuris non ſubiacere*, cùm non fuerit propriè ad ſingulare certamen prouocatus, ſed inuaſus; nec talem pugnam *ſponte*, prout ad *Duellum* requiritur, ſuſceperit, ſed coactè, cogente nimirùm neceſſitate propriæ defenſionis; quam abſque crimine, & pœna, & Diuina, & Humana Iura circumque permittunt. *leg. vt vim. ff. de Iuſt. & Iur. cap. Significaſti* 2. *de homicid.* ergo, nec in tali ineunda pugna ex parte inuaſi inimici, crimen aliquod eſt perpetratum, nec duellicæ Cenſuræ contractæ.

Extenditur dicta reſponſio.

2 Idque locum habet etiamſi inter pugnandum excederetur propriæ defenſionis modus; nàm ſemper in Pugna principium eſt attendendum: quarè ſi ab initio Pugna aliqua *ex condicto*, & data opera inchoëtur, cætera etiam, quæ ſequentur, *ex condicto* etiam, & data opera præſumentur facta. At ſi initium fuerit in *Rixa*, ſimiliter ſequentia Rixoſa ſupponuntur; ac proindè, cùm in poſito caſu, certamen iſtud ex parte inuaſi non fuerit duellicum, nec voluntariè ſuſceptum, quę deindè ſequentur, nec duellica, nec ſpontanea, nec Clementinæ Conſtitutionis ſubiecta Cenſuris ſunt dicenda, cùm præſertim in talis Pugnæ furore nequeat ità quis ſe limitatè defendere, quin iuſtæ defenſionis modum, ac inculpatæ tutelæ moderamen excedat: quod excedens in culpæ foueam incideret. Suffragatur huic ſententiæ Peregrinus *q.* 23. *de Duello*.

Inter pugnandum nequit rigoroſè attendi moderamen inculpatæ tutelæ.

Cle. viij.

Peregrin.

Quid de ipſomet Aggreſſore dicendum?

3 Ipſum autem *Aggreſſorem*, ſimiliter aſſero cum Peregrino in *Excommunicationem non incidiſſe*, cùm abſque temporis interuallo, denudando enſem, offerendo Pugnam, nullam inimico temporis moram relinquendo ad deliberationem, non *Duellator*, ſed *Aggreſſor* potiùs dicitur, ac propterea Aggreſſoris non Duellatoris pœnis afficiendus erit.

QVÆSITVM XIV.

Vtrum non ſolùm verbis, ſed etiam factis prouocare inimicum, ſit ſub Excommunicatione prohibitum.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi orta ex Verbis Clementinæ Conſtitutionis. Lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda.*

2 *Prouocatio facta quibuſdam actionibus, geſtibus, ac ſignis directis ad Duellum, cenſetur duellica, & eſt prohibita.*

3 *Quædam actiones indifferentes, vel etiam tendentes ad excitandam Ri-*

xam,

xam, *non ſunt prohibitæ*, *vt duellica*.

Cle. viij. in ſua Cõſtitutione loquitur generaliter & videtur omnes voluiſſe comprehendere.

1 CVM in Clementina Conſtitutione generaliter omnes quibuſcumque *modis*, & *formis* ad ſingulare certamen prouocantes, Summus Pontifex ex parte Omnipotentis Dei Excommunicet, anathematizet, maledicat, & execretur, vt patet ibi, verſ. *Quinimmò*. Oritur hinc Dubium, an etiam excõmunicati intelligantur, qui *ſignis*, vel *nutibus* ad Monomachiã prouocant inimicos. Et ratio dubitandi eſt; quia *Lex generaliter loquens*, *generaliter itidem eſt intelligenda. leg.* 1. *§. in infinitum. ff. de legat. praſt.*

Ratio dubitandi in præſenti quæſito.

Diſtinctio

2 Pro cuius ſolutione Dubij, duo diſtinguenda ſunt actionum genera: Aliæ enim ex hominum Inſtituto, ac communi omnium ſenſu directè ad Duellum prouocatoriæ eſſe poſſunt: Aliæ verò indifferentes, nec ex hominum placito ad Monomachiam indicendam inſtituta.

Prima pars reſponſionis affirmatiua.

Et quidem, ſi ſermo ſit de actionibus illis primo modo ſumptis, vt *ſigna*, *nutus*, vel quid ſimile in prouocationis Signum ab inimicis inter ſe Condictum, & dubium non eſt, quin tali pacto prouocare, ſit etiam ſub *Excommunicatione* prohibitum; nàm cùm *ſigna* illa *verbis* æquipolleant, idem eſt ac ſi verbis, vel ſcriptis facta eſſet prouocatio, ac proindè de ſignis iſtis eadem, ac de vocibus, vel ſcriptis, debet eſſe Iuris diſpoſitio. Ità Bonacina *de Cenſur. tom.* 1 *diſp.* 2. *quæſt.* 6. *propoſit.* 1. *num.* 2. & Peregrinus *de Duello quæſt.* 22. *num.* 2.

Bonacina.

Peregrin.

Altera pars reſponſionis negatiua.

3 At ſi ſermo ſit de actionibus ex ſe ad Duellum non prouocatorijs; vt ſi quis v.g. toruo viſu inimicum intueretur, ante ipſum audacter deambularet, aut contumelioſis illum verbis afficeret, vel diſtringeret enſem, aut ſimiles ad Pugnam irritantes actus promeret, vtique Cenſuris non ligaretur, cùm actus illi non prouocantis ad *Monomachiam ſtatuto loco*, & *tempore*, ſed inuitantis potiùs ad Pugnam, *Rixam*, Altercationem, & Conflictum videantur, qui nec Duelli pœnas, nec nomen quidem merentur. Ità Bonacina, & Peregrinus *locis ſuprà citatis*.

QVÆSITVM XV.

An ſi prouocatus præfixo tempore ad condictum locum acceſſerit, ibiquè fruſtrà cum animo digladiandi expectato inimico, tandem diſceſſerit, in Excommunicationem inciderit?

SVMMARIVM.

1 *Probabile eſt non contractam eſſe Excommunicationem.*

2 *Ex Bulla Gregorij XIII. non ſunt excommunicati Duellatores, niſi ſequuto Duello.*

Greg. xiij.

LOQVIMVR hic iuxtà Gregorianæ Conſtitutionis prohibitionem, non autem de Clementina prohibente Duellum, de qua infrà redibit ſermo, ac proptereà

Reſponſio negatiua. Scortia.

1 Reſpondeo cum Scortia *in Selectis Epit.* 155. *Theor.* 392. *verſ. Dubitabis an ſi quis præmiſſa prouocatione*. Megala *in* 3. *par. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 11. Diana *par.* 2. *tract.* 16. *qui eſt* 2. *Miſcellan. reſol.* 55. Prouocatum, qui prædicto modo ad ſtatutum locum, præfixo tempore ſe ad Duellandum contulit, tandem Pugna non ſequuta diſceſſit, probabiliter in Grego-

Megala. Diana.

rianæ Conſtitutionis *Excommunicationem minimè incidiſſe*.

Ratio.

2 Rationem affero, quia ad contrahendam Gregorianæ Bullæ Excommunicationem reſpectu Duellantium, requiritur *effectus Pugnæ*; nec ſatis eſt prouocaſſe, acceſſiſſe ad Pugnæ locum, pugnandi animum habuiſſe, niſi Pugna ipſa, ſeù *Monomachia commiſſa* fuerit, vt patet ex verbis illis, *Monomachiam commiſerint*. Quarè non erit caſus reſeruatus ijs, qui excepta Duelli cauſa, iuxtà Tridentinum Concilium, & Gregorianam Conſtitutionem abſoluere poſſunt.

An ſit caſus reſeruatus?

QVÆSITVM XVI.

Vtrum quando aliquis ad deſignatum Duelli locum venit, ſed impedito ab Amicis Duello non pugnauit, inciderit in Excommunicationem?

SVMMARIVM.

1 *Conſcius impediendi Duelli, etiamſi ad Duelli locum acceſſerit, non eſt excommunicatus.*

2 *Quinam acceſſus ad locum Duelli ſit prohibitus ex Conſtitutione Gregorij XIII?*

Greg. xiij.

Reſponſio negatiua.

1 NEGATIVE' ad hoc etiam Dubium iuxtà Gregorianam Conſtitutionem propoſitū, cum Filliucio, & Diana reſpondeo, nimirùm etiamſi iſte talis, Caius v. g. ad deſignatum *Duelli locum* veniſſet, abſque tamen verè duellandi animo, & certus impediendum fore Duellum ab Amicis, vt de factò impeditum fuit, adhùc probabile eſſe, Caium in prædictas Cenſuras, aliaſque pœnas in foro interno non incidiſſe: nam per ipſummet, moraliter loquendo, ſtetiſſe videtùr quominùs committeretur *Duellum*: erat enim futuri impedimenti, & conſcius, & certus Caius, aliter, abſquè tali certitudine, nunquàm prouocare auſus eſſet inimicum.

Ratio.

2 Et quamuis in Gregoriana Conſtitutione comprehendatur ad deſtinatum *Duelli locum accedentes*, etiamſi ab alijs impediti non pugnauerint, ſubdidit tamen Summus Pontifex: *Si per ipſos non ſteterit, quominùs Pugna committatur*: Sed in noſtro caſu, per ipſummet Caium prouocantem ad Duellum, & Duelli impediendi conſcium, & certum, ſtetiſſe videtur, vt diximus, ne ſequeretur Duellum: ergo etiamſi ad deſignatum acceſſerit locum, quia per *ipſum ſtetit, quod Pugnam non commiſerit*, in Excommunicationem non incidit. Ità Filliucius *tom. 1. tract. 15. num. 113.* Diana *par. 2. tract. 16. qui eſt 2. Miſcellan. reſol. 15. in fine, & par. 3. tract. 6. Miſcellan. reſol. 1. in princip.*

Ex contextu Bullæ Gregorij xiij. colligitur confirmatio noſtræ ſententiæ.

Filliucius. Diana.

QVÆSITVM XVII.

Vtrum ſi facta duellandi conuentione inter Petrum, & Paulum, Petrus ſibi ſocium adiungeret inuito Paulo, eſſet Duellum?

SVMMARIVM.

1 *Afferuntur rationes pro parte affirmante eſſe Duellum.*

2 *Oſtenditur non eſſe Duellum iuxtà alteram negatiuam opinionem.*

3 *Pugnantium certus numerus, & certa loci, ac temporis determinatio pertinent ad eſſentiam Duelli.*

4 *Ex allata ab alijs Duelli definitione confirmatur opinio negatiua.*
5 *Concluditur non fore verum Duellum, & oppoſitis rationibus ſatisfit.*
6 *An huiuſmodi Duellatores in foro externo cenſerentur excommunicati? Et An eſſent abſoluendi à Cenſuris?*

ET ſi contingere aliquandò Caſus iſte poſſit, apud Doctores tamen hactenùs agitari non video: quarè adductis vtrinque rationibus, meam deindè ſententiam breuiter ſubijciam.

Prima opinio affirmatiua.

1 Et primò quidem *Duellum* eſſe videtur, cùm talis Pugna *ex condicto* commiſſa fuerit, quod exindè liquet, quia ly *ex condicto* nō inuoluit aliud, niſi pugnam ex præuia conuentione inter pugnantes, cum *loci*, ac *temporis* determinatione, initam: At Petrus in tali loco, & tempore conſtituto, iam pugnare cum Paulo conuenerat: ergo etiam altero adſcito ſocio perpetrari *Duellum*, ac duellicas pœnas ſubiri dicendum eſt.

Primum argumentum pro parte affirmante.

Præterea ſi *Duellum* non eſſet, eſſet igitur aggreſſio: ergo Excommunicationis pœna effugeretur: at valdè abſurdum eſt, creſcente Petri malitia, ob adſcitum ſibi ſocium, decreſcere, immò euaneſcere Excommunicationis pœnam. ergo &c.

Secūdum argumentum.

2 Altera negatiua opinio ex oppoſito probari poteſt Aſſumpto, nimirùm Pugnam illam non fuiſſe *ex condicto*; ſiquidem Petrus, & Paulus ſingulari certamine, hoc eſt, inter ſe ſolos pugnare condixerant: ergo tertio ſuperueniente Duellatore, non committeretur, ſicuti *condictum erat* inter Petrum, & Paulum ſingulare certamen.

Secunda ſententia negatiua probatur.

Firmo ſimul, ac magis explano quæ dixi: Conuentio illa mutua inter vnum, & alterum pugnandi, per Pugnam aliter commiſſam reſciſſa fuit: Paulus enim cum Petro tantùm, non verò cum Petro, ac Petri ſocio pugnare conuenerat; proindè non eo, quo conuentum erat pacto, fuit certamen illud commiſſum, ac propterea nec *Monomachia* erit, ſed reuera formalis *Aggreſſio*.

Confirmatur, & explanatur ſimul.

3 Altera ratio negatiuæ ſententiæ ſit iſta: *ſi loci*, vel *temporis* determinatio pro ineundo Duello cōdicta, quouis pacto immutetur, vt ſi hora 22. condicatur certamen, & deindè ex aliquo accidenti, hora 12. committeretur, vtiquè ipſius *Duelli* ſubſtantia variabitur: ergo multò magis variato, ac multiplicato pugnantium *numero*, duellica mutabitur eſſentia: magis enim determinarus pugnantium *numerus*, quàm determinata *loci*, ſiue *temporis* deſignatio, ad *Duelli* eſſentiam pertinent.

Probatur ſecundò ſententia negatiua.

4 Patet etiam ex definitione Duelli tradita à Reginaldo *in ſua Praxi lib.* 21. *cap.*8.*num.*73. & allata ab Alphonſo de Leone, *verb. Duellum*, *pag.* 308. Eſt Pugna *duorum*, vel *plurium &c. certo pugnantium numero conſtituto*: ergo in noſtro Caſu facta mutua conuentione vnius in alterum pugnandi, ſi poſteà numerica fiat mutatio, & Pugna à duobus contra vnum committatur, nec condictus pugnantium numerus ſeruatur, nec integra Duelli remanet eſſentia.

Probatur tertiò. Reginald. Alph. de Leone.

5 Dico igitur, his rationibus permotus *non committi* in propoſito Caſu *Duellum*, nec duellicas contrahi Cenſuras.

Auctoris Reſponſio negatiua ad quæſitū.

Verùm ad oppoſita reſpondeo, negando certamen illud fuiſſe *ex condicto*; nàm inter vnum, & vnum non inter vnum, & duos certare condictum eſt.

Nequè valet inferri Abſurdum illud, creſcente malitia, decreſcere pœnam: nàm licèt Aggreſſio illa non ſit Excommunicationis pœnæ obnoxia, vnanimi tamen conſenſu, damnabilis valdè eſt, & hominum

Soluuntur rationes in oppoſitū adductæ.

Iudi-

lùdibrio, æternæquè infamiæ perpetuò addicta.

Satisfit alteri breui quæſito.

6 Petes, quid in foro externo circà Excommunicationem contrà Duellantes inflictam in adducto caſu ſit dicendum? Reſpondeo, ſi certamen illud communi conſenſu tāquàm formale Duellum ſuerit exiſtimatum, vtique non quidem in foro conſcientiæ, ſed in foro externo in Excōmunicationem incidiſſe Duellatores, ac proindè abſolutione ſub conditione, ad ſcandalum euitandum, opus eſſe exiſtimo.

QVÆSITVM XVIII.

Vtrum caſu, & quocumquè pacto Duellantes adiuuans, ſit excommunicatus.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi, & affirmatiuæ ſententiæ argumentum.*
2 *Statuitur non contrahi Duellicas Cenſuras.*
3 *Quinam adiuuantes ad Duellum, & qui ſpectatores Cenſuris ſubiaceant ex vi Conſtitutionis Gregorij XIII.*
4 *Reſpondetur breui quæſito de adiuuantibus ad Duellum ex compoſito.*

Ratio dubitandi oritur ex verbis Conſtitutionum Pontif. de damnando ſingulari certamine.

1 COMMENDANDIS Summorum Pontificum Cōſtitutionibus, non ſolùm *ex compoſito* Duellum ineuntes, verùm etiam Duellantibus ipſis *opem ferentes*, grauiſſimis pœnis, ac Cenſuris afficiuntur. Verùm, quia contingere poſſet, fortè aliquem per Duelli Palæſtram prætereuntem, viſo Amico, vel Conſanguineo ſuo duellanti ad opem ferēdam accurrere, & ſe ſe tali Duello protinùs immiſcere; Proindè Dubium inceſſit aliquibus; an caſu Amicum, vel Conſanguineum, aut alium in Duello adiuuare, ſub propoſitis pœnis voluerint etiam Summi Pontifices prohibere.

Quomodo prima ſententia affirmatiua ſuaderi poſſit.

Prima ſronte affirmatiuè reſpondendum videtur: nàm caſu alterum ex Duellantibus adiuuare, eſt *ſimpliciter adiuuare*: ergo ſimpliciter etiam prohibitum, cùm ex Gregoriana Bulla abſque vllo diſcrimine, *per ſe*, vel *per accidens* opem ferre, ſed *ſimpliciter*, quouis modò auxilium præbentes, iiſdem Cenſuris, & pœnis ſubiaceant. Greg. xiij.

Reſponſio negatiua.

2 Attamen cum Florono *in tractat. de prohibitione Duelli cap.* 11. §. 3. & Peregrino *De Duello quæſt.* 19. reſpondeo ad contrahendas Duelli Cenſuras, aliaſquè Duellicas pœnas ſatis non eſſe quouis modo, & per accidens Duellantibus opem tuliſſe, ſed requiri tale auxilium *per ſe*, & *ex compoſito* præſtitum eſſe.

Probatur non fore excōmunicatum.

3 Ratio, qua cum his Doctoribus ad hoc aſſerendum moueor, eſt quia ex vi huius Gregorianæ Conſtitutionis, ſicutì Cenſuris non ſubiacent ſimpliciter pugnantes, ſed *data opera*, & *ex condicto committentes Monomachiam*. Ita etiam nec ſimpliciter, & caſu, ſed *ex compoſito*, & ſcienter *adiuuantes* cenſendi ſunt excommunicati. Verba enim legis à præcedentibus, & ſubſequentibus verbis intellectum capiunt. *leg. ſi ſeruus plurium*, *& leg. quæ filiab. ff. de legat.* 1. quapropter cum in Gregoriana Conſtitutione excommunicentur: *Duellum ex compoſito ineuntes, nec non ſuadentes, operam, vel fauorem præſtantes* ly *ex compoſito* cadit etiam ſuprà ly *fauorem, & opem præſtantes*, ex vi illius coniunctiuæ particulæ, *nec non*, quæ ſubſequentia cum præcedentibus verbis coniungit. Cùm ergo aliquis fortè per viam, aut Pugnæ locum prætèriens, caſu, *& non ex compoſito* duellanti Amico opem ferat, meritò duellicis pœnis non ſubiacebit, ſicuti nec ſubiacere dixerim eos, qui caſu duellicæ Pugnæ ſūt ſpectatores.

Verba legis quomodo intelligenda?

Spectatores Duelli ex compoſito, nō caſu, ſunt excōmunicati.

Secùs verò ſentiendum de eo, qui in tali *loco*, & *tempore* ineundi Duelli conſcius, ad Duellicam Palæſtram ſe confert, alteri Duellantium opitulaturus, cui verè deindè opituletur, hic enim proculdubio in *Excõmunicationis, pœnam incurrit*, vt ex verbis Bullæ liquidò conſtat, & hic propriè dicitur adiuuans *data opera*, & *ex compoſito*.

5 Petes, ad hoc, vt *ex compoſito* adiuuans in Excõmunicationis pœnam incidat, requiritur ne, vt alter ex Duellantibus ſciat, illum ſibi opē laturum?

Reſpondeo, ſiue ſciat, ſiue neſciat, parum referre; ſatis enim eſt, ſi ipſe adiuuans, *ſcienter, data opera*, & *ex compoſito* ad Duellanti opitulandum, ſe conferat.

QVÆSITVM XIX.

Vtrum inter centenos, & centenos committi poſſit Duellum formaliter acceptum?

SVMMARIVM.

1 *Duellatorum, maior, vel minor numerus, dummodò ſit vtrinque condictus, Duelli eſſentiam non mutat.*

2 *Carolus Andegauenſis quomodò ad Duellum Petrum Aragonum prouocauerit?*

3 *Refertur Duellum inter tredecim Italos, & totidem Gallos in Neapolitano Regno commiſſum.*

1 RESPONDEO, ad conſtituendum formale Duellum, parùm referre, paucos vel plures in eadem Pugna duellare, ſed ſatis eſſe, ſi priuata authoritate, & *ex condicto Duellum* committant: ſi enim publica cauſa, & authoritate Pugnam capeſſerent, non *Duellum*, ſed *Bellum* foret dicendum. Quamobrem etiam inter centenos, & centenos, priuata authoritate dimicantes, Duellum committi diceretur.

2 Tale fuiſſet Duellum illud inter Petrum Aragonum, & Carolum Andegauenſem, pro Siculi Regni poſſeſſione, Burdegalę in Vaſconia ineundum, ſi condicta die Rex Petrus ad Duellicum Campum cū ſuis proceſſiſſet. Conuenerat vterque Rex, nè Siciliam Bellicis periculis, ac damnis exponerent, centenis Equitibus inter ſe decertare, ea conditione, vt vtri Alæ Deus victoriam daret, eius & Siculum foret Regnum. Placuit vtriquè conditio; at condicta die Carolus Regis aduentum in Burdegalenſi Campo, ad ſeram vſquè noctem pręſtolatus, eo tandem non veniente, diſceſſit. Multorum tamen animis hæc opinio inceſsit, militari ſtratagemmate fuiſſe ab Aragono Duellicam prouocationem acceptam, vt à Siculo freto Bellicam Pugnam, cui propellendæ impar erat, procùl auerteret. Quod cùm iam aſſecutus eſſet, profectò Burdegalam Carolo, ſingularis certaminis Aleam ſubire, detrectauit. Nè tamen periurus haberetur, noctu priuati hominis cultu, Prætorē adiuit, eàque detrectati certaminis excuſatione vſus, nempè, contrà Andegauenſem, cum integro Exercitu appropinquantem, vt audiuerat, ſibi centum cum Equitibus impar futurū eſſe certatamen, vt ex Æmilio, D. Antonino, & ex Hieronymo Zurita colligitur, qui etiam Martini IV. Conſtitutionem refert, prohibentem Eduardo Angliæ Regi, tali indicto Duello locum permittere.

Duellum Caroli Andegauēſis, & Petri Aragoni pro Siculo Regno.

Aemil. l. 7.

D. Antoninus p. 3. tit. 10. c. 4. §. 8. anno Domini 1282.

Hieron. Zurita lib. 2. ad annū 1283.

Prouocatio indicta fuit anno 1282. at Duellum committendum erat anno 1283. mēſe Iunio.

Martinus IV. vetuit tali Duello locum permitti.

Suffragatur noſtræ ſententię Hurtadus *De Spe, & Charit. vol. 2. diſp. 170. ſect. 1. §. 4.* aſſerens, Duellum

Hurtadus

ſingu-

ſingularem Pugnam dici, non quòd neceſſariò, ſolos inter duos, ſed quod priuata authoritate, paucos inter, vel multos ineatur: ſi enim publica committatur authoritate, inter Cohortes, non eſſe, ait, Duellum, ſed Prælium.

3 Quod de centenis diximus, à fortiori dicendum eſt, de tredecim Duellatoribus, Gallis, & Italis, qui pro acceptis iniuriæ maculis, Gallorum ſanguine eluendis, Duellici certaminis Aleam ſubiere.

Duellũ inter Italos, & Gallos.

Iouius in Cõſaluo.

Sabellicus lib. 2.

Guicciardin. lib. 5.

Tarcagnota lib. 22.

Gerebatur in Apulia, Neapolitani Regni Prouincia, graue inter Hiſpanos, Galloſque Bellum, quando Gallus quidã Miles Italico Nomini, & Fortitudini, militari quadam licentia, ac libertate, coràm nonnullis obloquẽdo, detraxerat. Per multorum ora ad Italorum, Hiſpanis commilitãtium aures, deuoluta iniuria, protinùs appetentes ſemper laudis Viros, ad vindictã excitauit; quippèqui vitam, gloriæ pretio ſubmittentes, ſtricto aſſutã labẽ exſcindere mucrone; & aut ſuo, aut obloquentium ſanguine, famam eluere maculatam, ſanguine profanatam expiare gloriã, ſanguine ad nominis immortalitatem velificare enitebantur. Extemplò igitur Itali ad Gallos mittunt, qui iniuriam proponant, & ferro ſecùm decerni poſtulent; vt ibi fortitudinis periculum fiat, vbi illa inter gladiorum fulgores illuſtrata, clariùs poſſit apparere. Reſponderunt Illi, ſe quìdem permagni milites Italos æſtimare; ſed ſi cuperent ferro virtutem commetiri, facilè ſe in arenam deſcenſuros, cum hac conditione, vt Cui victoria, Illi & arma & equus victi, centumque aurei ceſsiſſent. Conſenſerunt conditioni Itali, concluſumque Duellum inter tres & decem Gallos, totidemque Italos, loco Pugnæ, vtroque coràm Exercitu, deſignato: Italos ad Pugnam euntes Magnus Dux Conſaluus paucis hortatus eſt, irent, & auitæ laudis, & gloriæ memores, Italum nomen, præclaris facinoribus cumularent. Nec euntes ſpes feſellit; nàm conſertis vtrinque manibus, deuicti ſuccubuere Galli, victoreſque Itali, cum hoſtium armis equis, ac mille & trecentis aureis acceptis, ad ſuos reuertentes, sũma cum gloria, effuſoque Commilitonum plauſu, & eo, qui militari virtuti, bellicæ fortitudini, & Italico nomini debetur, honore excepti, multiſque laudibus, ac dignitatibus, etiam à Conſaluo Duce, cumulati, fauſto Duelli euentu, feliciſsimum Hiſpanis, Italiſque illius Belli exitum præſagiere.

Suſcipiẽdi Duelli occaſio.

Duelli cõditiones, & pactum

Duelli euētus fauſtus Italis.

QVÆSITVM XX.

Vtrum Dauidicum Cum Golia Certamen, fuerit in rigore, formale Duellum?

SVMMARIVM.

1 *Diſcrimen inter Dauid, & Goliam proponitur.*
2 *Quo ætatis anno ſingulare Certamen contrà Goliam ſuſceperit Dauid?*
3 *Quomodò à Gigante deſpectus.*
4 *Quibus armis vterquè proceſſerit ad Pugnam; Et nùm arma Regia fuerint propria Saulis, quatenùs Rex ipſe vteretur. Rabbinorum opinio.*
5 *Mos procedendi ad ſingulare certamen cum Armigero.*
6 *An mutua inter vtrumque Exercitum præceſſerit conuentio; Et an deuicto Dauide, reliqui Hebræi ſub Philiſtinorum ſeruitutem, ac iugum iuiſſent?*
7 *Concluditur verum fuiſſe Duellum loci, ac temporis deſignationẽ, & reliqua, quæ ad eſſentiam pertinent, inuoluens.*
8 *Satisfit obiectis, ac rationi dubitandi.*

9 Clades Philiſtinorum proſtrato Golia ex Ioſepho.

TERTIÆ Sectioni coronidem impoſituro, iterùm mihi Dauidicum antè oculos verſatur Certamen, nonnihil Dubij excitans, nùm largè, ac impropriè, an autem verum, ac proprium in rigore fuerit Duellum? Dubitandi anſam præbuere omnia de Duellatoribus, deque armis, ritu, legibus, Patriuis, ac demùm Duelli definitione, haſtenùs dicta, quorum pars maior Dauidico defuiſſe certamini prima fronte videtur.

Ratio dubitandi.

1 Et Primò, ſi *Perſonas* ipſas ſpectemus, quis ignorat, quàm impar fuerit tale Pugnantium Par, Oplio cum Milite, Puer cum Viro, Paruulus cum Gigante, Tyro cum Veterano, cum Armato Inermis congrediens. Erat Dauid cæteros inter fratres minor natu, ideòque vertēte inter Philiſtæos, & Hebræos Bello, ac ſparſo, qui peior eſt Bello, Belli timore, ad Gregis cuſtodiam, & grandæui Patris ſolatium, domi relictus, cæteris interim Fratribus ad Caſtra profectis.

Prudētius in Enchirid. Hiſtoriarum Veteris, & Noui Teſtamenti.

Dauid paruus erat, fratrum vltimus, & modo leſſe,
Cura Gregis, citharam formans ad ouile paternum:
Inde ad delicias Regis: mox horrida bella,
Conſerit, & funda ſternit ſtridente Goliam.

1. Reg. 16. verſ. 12.

Quinimmò erat *rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie*, ac proinde, vt ait Abulenſis, *delicatus, & magis ad quietem, quàm ad bellicos labores aptus.* Quod prudenter etiam Rex ipſe Saul perſpexit, quandò Dauidi, ad ineundum ſingulare Certamen ſe vltrò exhibenti, ait: *Non vales reſiſtere Phyliſtæo iſti, nec pugnare aduersùs eum, quia PVER es, hic autem Vir Bellator eſt ab adoleſcentia ſua.*

Abulenſis in 1. Reg. c. 17. q. 32.

Dauid ætas dū ad ſingulare Certamē progreditur.

2 Quandoquidem, vt Theodoretus opinatur, ad quartumdecimū, aut decimum ſextum ætatis annum tunc peruenerat Dauid, & eiuſdem, etiam mentis Auguſtinus, & Chryſoſtomus eſſe videntur, qui vocem illam, *PVER*, ad teneram ætatem, vix adoleſcentiæ limites attingentē, referunt; vel denique ad ſummùm, vt aiunt Chronologici annorum ſeriem accuratè ſupputantes, duos ſupra viginti annos natus tunc erat Dauid, quandò contrà Goliā duellaturus proceſsit.

Theodoretus, q. 40.

Auguſtin. ſerm. 30. de Diuerſis.

Chryſoſt. hom. 1. de Dauid, & Saule.

Salian. to. 3. Annal. Eccleſ. Veter. Teſta. anno mūdi 2971. num. 26.

3 Vt ſe cumque tamen res habeat, nimis impar erat Veterano Bellatori, proceræ ſtaturæ Giganti, & vt Sacræ loquuntur Litteræ, *altitudinis ſex cubitorum, & palmi*; qui propterea illum ad Certamen progredientem deſpexit, & vt Thalmutiſtæ fabulantur: Miſelle Puer, ait, quid contrà Leonem prodis, ſaliua mea ſubmergeris, ſi ſputo te petam: Siuè, vt cum Baſilio loquamur, videns Goliath Puerum Pugnæ incenſum amore, oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à Belli ſtudijs ſchema, in riſum effuſus eſt, ſpectaculum ludicrum dncens armaturam huiuſcemodi. Carebat enim oculo fidei, quo auxiliatorem inconſpicuum cerneret: ac certè Dæmonum opera factus elatior, ſuperbiloquentia perterrefaciebat, canumque ventres pro ſepulcro promittebat: *Dabo carnes tuas volatilibus Cæli, & beſtijs terræ.* Occinendum hìc eſt cum ſacro Vate:

1. Reg. 17.

Quomodò Dauid a Goliatho deſpectus, dū ad Pugnam progreditur.

Baſilius Seleuc.

Deſine grande loqui, frangit Deus omne ſuperbum:
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Diſce ſupercilium deponere, diſce cauere
Ante pedes foueam, quiſquis ſublime minaris.
Peruulgata viget noſtri ſententia Chriſti,
Scandere celſa humiles, & ad ima redire feroces.

Prudent.

Si

Quib⁹ armis Dauid & Golia duellarint

4 Si deindè vtriuſquè reſpexérimus *Arma*, maximum intereſſe diſcrimen, liquidò patebit: Gigas vndique è capite ad calcem, Caſside, Lorica, Ocreis, Clypeo, cæteriſque ad tutelam militaribus armis munitus, vllum vulneri relinquere locum videbatur; ac propterea belligera Superbus haſta incedens, mortem cuicumque, vel fortiſsimo bellatori minabatur. *Caſſis ærea ſuper caput eius, & Lorica ſquamata induebatur, & Ocreas æreas habebat in cruribus, & Clypeus æreus tegebat humeros eius, & ferrum haſtæ eius ſexcentos ſiclos habebat ferri*, vt Sacra narrat Hiſtoria.

1.Reg. 17.

E' contrà Dauid nulla ſibi ad tutelam delegit arma, quinimmò oblata à Rege reſpuit, cùm ſibi talibus gerendis inſueto, impedimento potiùs, quàm adiumento ea futura eſſe præuideret: ideòque vbi tentare cæpit, nùm poſſet armatus incedere, protinùs ad Regem ait, *Non poſſum ſic incedere, quia vſum non habeo*. Eiſque depoſitis, ſolùm Baculo, Funda, ac quìnque limpidiſſimis Lapidibus de Torrente electis, cætera inermis, in arenam veluti luſurus deſcendit.

Prudentius in Pſychomachia.

O' *noua pugnandi Species! non ales harundo*
Neruo pulſa fugit, nec ſtridula lancea torto
Emicat amento, framea nec dextra miratur;
Sed lapides funda vibrans, baculoque Gigantem
Aggreditur.

Porrò, Regis arma, ac veſtimenta, quibus Saul, Dauid ornauerat ad Pugnam: (*Induit Saul Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius, & veſtiuit eum lorica, & accinxit gladio ſuper veſtem ſuam*) dicuntur Regis, hoc eſt, ex Regio deprompta Armamentario, non verò, quòd ijs Rex vteretur: Saul enim adeò proceræ erat Staturæ, vt non ſolùm altior Dauide, ſed *ab humero, & ſurſùm, ſuper omnem populum emineret*; ac proindè incaſsùm ſua iuſſiſſet arma, & indumenta afferri ad ornandum ad Pugnam Dauidem, qui Puer paruulus erat, breuiori ſtatura, & omnibus partibus corporis, multò minor Saule.

1.Reg.17. verſ. 38.

Licèt Rabbini apud Abulenſem *quæſt.* 24. ſuo more deſipientes dicant, Saulis veſtimenta ſubito prodigio coaptata fuiſſe Dauidi, perindè ac ſi ad eius fuiſſent menſuram confecta; eoque miraculo Saulem obſtupuiſſe, cogitaſſeque ipſum Regem fore, quandoquidem ipſi Regiæ Veſtes ità diuinitùs coaptarentur. Sed hæ fabulæ ſunt, & Rabbinorum deliramenta, ab eodem Doctore ibìdem doctè impugnata.

Abulenſis 1.Reg.17.

5 Prætereà diſcrimen aliud in hoc Duello aduertit Abulenſis, nempè quòd ante Goliam, non verò ante Dauidem præcederet *Armiger*. Quam ſolemnitatem, inter cæteros Duellicos Ritus, ſeruari ſolitam, idem Doctor de Armigero loquens, his verbis teſtatur: *Hæc ſolemnitas eſt, quæ fit Viris euntibus ad ſingulare Certamen, ſcilicet, vt præcedant eos Armigeri ſui, Dauid autem Armigerum vllum habebat*.

Abulẽſis.

Armiger Duellatorem præcedere ſolebat.

6 Quartum diſcrimen hinc deſumendum eſt, quòd inter Philiſtæos, ac Iſraëlitas, mutua non erat de ſubeundo ſeruitutis iugo *conuentio*: nàm deuicto Golia, reliqui Philiſtijm, Hebræis ſeruire ſpoponderant: At proſtrato Dauide, ſi ſors tuliſſet, ſuæ libertati minimè renunciarent Hebræi, ſed Belli Aleam acriter fuiſſent ſubituri.

Quę conuentio inter Hebræos, & Philiſtæos, deuicto Golia vel Dauide.

Multa prætereà inter vtrumque Athletam fuere diſcrimina, & quamplurimæ huic Certamini, Duellicæ ſolemnitates, & Ritus defuere, vt conſideranti patet.

7 His tamen non obſtantibus, verum fuiſſe *Duellum* aſſero, eò quod eſſentialia non defuerint re-

Reſponſio ad Quæſitum.

qui-

Ratio. quiſita: quandoquidem fuit, *Duorum Pugna deliberata ex condicto: Deliberata* vtique ex parte Goliæ ad Certamen prouocantis, & ex parte Dauidis, nemine cogente, immò reluctantibus multis, ſed ſe vltrò ad talē Conflictum exhibentis. Nec defuit *temporis, ac loci condictio*, eſſentialiter per Nos, ad Duellum requiſita; Siquidem in Terebinthi Valle, vtroque coràm Exercitu, quadrageſimo indicti Certaminis die (vt notat Salianus) inita eſt Monomachia: *Phyliſthæus enim ſteterat quadragintà diebus veſperè, & manè procedens*, ad prouocandos Hebræos.

Salianus vbi ſuprà num. 16.

Soluſitur oppoſitæ Rationes. 8 Nec obſtat armorum inæqualitas, ætatis, & militaris peritiæ exceſſus, vel defectus, inæqualis conuentio, cæteræque Duellicæ ſolemnitates; hæc enim mera ſunt accidentia, quibus ablatis, integra remanet Duelli eſſentia.

Ratio diſcriminis. Quòd autem, victo Dauide, ſe ſe Victoribus non dederent Hebræi, ſicuti ſe ſe dediſſent Philiſtæi; exindè eſt, quia, vt ait Abulenſis, Philiſtæi in Goliatho, tanquàm in eorum fortiſſimo Duce, totam Belli ſpem collocarant; ideòque eo pereunte, eorum robur omne periiſſe crederent; & proindè non vltrà Pugnam capeſſere auderent, ſed ſe ſe vltrò victori Populo committerent.

Verùm Hebræi, ſublato de medio Dauide, ſpemque, animumque erexiſſent, nec vllam, vel militaris gloriæ, vel fortitudinis iacturam factam credentes, cùm apud ipſos paruipenderetur Dauid, inchoatum proſequuturi eſſent Bellum.

Sed ipſum audiamus Abulenſem *quæſt.* 32. Non erat ſic euenturum Iudæis ex morte Dauid, ſicuti euènit Philiſtinis ex morte Goliath. Ratio diuerſitatis eſt, quia inter Philiſtinos, Goliath erat fortiſſimus, & in eo erat tota Spes Belli. Cùm ergo viderunt eum occubuiſſe, elanguerunt corda ipſorum, itaut non remaneret ſpiritus, vndè non potuerunt ſuſtinere faciem hoſtis perſequentis.

De Dauid autem, ſecùs erat inter Iudæos, quia non reputabatur fortiſſimus inter eos, ſed puerculus Paſtor, & inexpertus in armis. Vndè dixit ei Saul: *Nō vales reſiſtere Philiſtæo iſti, nec pugnare aduersùs eum; quia Puer es, hic autem Vir Bellator*; ideò licèt occubuiſſet Dauid, non multùm labefacterentur eorum corda, nec putarent aliquid deperiiſſe Statui ſuo, & non timerent nec fugerent à facie hoſtili. Hactenùs Abulenſis.

9 Et probauit euentus proſtrato Golia, Philiſtijm corda labefactata fuiſſe: nàm Hebræis Bellatoribus ſe opponere non auſi, protinùs terga vertentes, imminens ſeruitutis iugum, fugiendo excutere, ac detrectare moliebantur. Sed adfuit à tergo victoris Populi vltio, & ingenti eorum clade, victoriam cumulauit; adeòvt Ioſephus referat, triginta millia, præter vulneratos, in ea fuga occubuiſſe: *Saul, & vniuerſus Hebræorum Exercitus, ſublato militari clamore, in trepidos irruunt, & quotquot aſſequi poterant cædentes, perſequuntur; ceciderùntque Paleſtinorum triginta millia, & duplò plures vulnerati*.

Philiſtæi terga vertentes cæduntur.

Ioſeph. l. 6. Antiquit.

Heù, vbi nunc Martius ille vigor Philiſtinorum, nuper Agminibus Dei Iſraël exprobrantium? Vbi certa futuræ victoriæ Spes, vbi decantati ante Prælium Triumphi? vbi Hebræorum metus, ſtupor, ac dolor? heù quàm citò vtriuſque Exercitus Fata mutantur, quàm celeri orbe *Sors omnia verſat!* nimirùm

Virgil. in Bucolica Egloga 9.

Nulla ſors longa eſt: dolor, & voluptas
Inuicem cedunt, breuior voluptas.
Ima permutat breuis hora ſummis.
Quē dies vidit veniens SVPERBVM,
Hūc dies vidit fugiens IACENTEM.
NEMO confidat nimiùm ſecundis:
Nemo deſperet meliora lapſis:
Miſcet hæc illis, prohibetque Cloto
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam Diuos habuit fauentes,

Seneca in Thyeſte, Actu 3. Chorus.

Craſtinum, vt poſſit ſibi polliceri.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

Poterat vtique Iure ſuo vti Dauid, & æqualia ſibi arma ſumere; verùm, Deo inſpirante, id agere renuit, nè reportanda, Dei ope, victoria, armorum potentiæ adſcriberetur: ſolent enim huiuſmodi, præter omnium ſpem, inopinatæ, ac ſingularis victoriæ euentus, modò fortunæ, modò armis adſcribi; non ſecùs, ac de Bellorum euentu ſcribit Romanæ eloquentiæ Princeps: Bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere Ducibus, communicare cum Militibus, nè propriæ ſint Imperatorum, maximam verò partem, quaſi ſuo Iure Fortuna ſibi vendicat, & quicquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſuum.

Tullius orat. pro Marco Marcello.

Rectè igitur Dauid arma depoſuit, vt ſoli Deo, qui docet manus ad Bellum, & digitos aptat ad Prælium, Prælij gloria daretur. Quàm benè Baſilius Seleucienſis, hanc Dauidicam deſcribens Monomachiam, ait, Tanquàm victoriæ impedimenta, Dauid exuit arma, recuſat thoracem, galeam abigit, ſcutum deponit, manum haſta liberat, bellicam ſtolam excutit, ſtola paſtoritia, & virga, ac pera obarmatur, quibus eum rebus ad Regnum promouit gratia. Quaſi hæc ad eum loqueretur: Nihil tibi eiuſmodi opus armis, quæ partem gloriæ bellicæ ſibi arrogent; communicetur inter nos Belli decus: nè victoriæ gloriam ad ſe trahat armorum potentia: videam Te paſtoris habitu depræliantem; Gratiæ non armis trophæum adſcribatur. Hæc Baſilius.

Baſil. Seleuc. apud Nicolaum Cauſſinũ de eloquẽtia ſacra, & humana lib. 11. Deſcriptione 149.

Idcircò (ſi Philoni credimus) inſcripſerat Dauid ſingulis lapidibus, ſingula Heroum nomina, ſcilicet Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Moſis, & Ioſue; quorum poſtremus, quia tamen primus è paſtorali pera eductus, toto conatu Giganteæ fronti infixus lapis Dauidicam peperit victoriam, vt ſcilicet in Ioſue, hoc eſt, in Ieſu nominis vmbra, & argumento, noſtræ de Tartareo Gigante reportandæ præſignarentur victoriæ. Nil ergo mirum ſi Dauid inermis proceſſit ad pugnam, non enim eſt opus armis, vbi Deus ipſe armatur in hoſtes.

Et ſi etiam in hoc Duello ex parte Dauidis armigerum deſideres, ecce Tibi inuiſibilis armiger cæleſtis Militiæ Princeps Michaël, qui occulta gerens tela, noſtrum præibat Athletam, quinimò, vt Pantaleon ait de S. Michaele, Iſte Archangelus percuſſit illum potenè, ceciditque fracto cerebro infaciem ſuperbus Golia, quem neque Tydeides, nec Lariſſæus Achilles, Non gladij læſiſſe decem, non ſpicula mille ſternere potuiſſent.

Pantaleon T. 5. fol. 415.

Vidimus horrendum membris animiſque Goliam
Inualida cecidiſſe manu: puerilis in illum
Dextera fundali torſit ſtridore lapillum,
Tranſiectamque cauo penetrauit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, iactans, truculentus, amarus.
Dum tumet indomitum, dum formidabile feruet,
Dum ſe ſe oſtentat clypeo, dum territat auras,
Expertus pueri quid poſſint ludicra parui,
Succumbit, teneris bellator turbidus annis.

Prudentius in Pſychomachia. De Superbia, & Humilitatis Pugna.

Dubium ergo non ſit, quin hoc Dauidicum certamen verum fuerit in rigore Duellum; licet puerili manu, & in ſola funda, & lapide commiſſum: ſic enim decebat ad illius Dei gloriam, qui *infirma Mundi eligit, vt confundat fortia*, & ex puerili manu, æquè ac, *ex ore*

In-

Infantium, & Lactentium perficit laudem, propter inimicos ſuos, vt deſtruat inimicum, & vltorem; vt humiliet ſicut vulneratum ſuperbum, vt deponat potentes de Sede, & in humanæ, Diuinæque gloriæ ſolium, *exaltet humiles*.

Aliud quęſitum. At inquies: Nonnè glorioſior fuiſſet Dauidis Monomachia, etiam abſque funda, & lapidibus patrata? cur ergo Dauid hæc etiam ruſtica non depoſuit arma, ſicut & Bellica coràm Saule depoſuerat? Maius enim videretur miraculum, ab omninò inermi, armatum occiſum eſſe Gigantem.

Reſpōſio. Verùm reſpondendum eſt, non decuiſſe Dauidem ſine funda, & lapide, ſicut contrà Leones, & Vrſos, progredi contrà Goliam: nàm licèt feroces iſtæ Bellnæ fortiores eſſent Gigante, non poterant tamen, niſi cominùs, vel dentibus, vel vnguibus Dauidi vulnera inferre; Ideòque poterat ſua virtute illas Dauid apprehendere, ſuffocare, & ſolus interficere: *Veniebat Leo, vel Vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos*. 1. Reg. 17. verſ. 35. At contrà Goliam gladio accinctum, & haſta armatum, erat eminùs ineunda pugna, ideòque opus erat, vt ſimiliter arma aliqua afferret Dauid, quibus poſſet à longè hoſtem apperere; aliòquin propiùs accedens, hoſtilem gladium, vel haſtam obuio pectore excepiſſet. Prætereà, nec ad maiorem Dei gloriam ceſſiſſet: victoria enim non Diuinæ potentiæ, ſed humano robori, & inſitæ membris, & artubus, naturali virtuti, fuiſſet adſcripta.

Prima ratio. Abulenſis quæſt. 16. Secunda ratio.

Dubium an ſtatim perierit Goliath. Sed, an accepto læthali vulnere, ſtatim expirauerit Gigas, an verò ſemianimis iacuerit, Dubium eſt; quòd plerique Antiqui Patres definire noluiſſe videtur, inter quos Auguſtinus *ſer.20. de Diuerſis*, Iſidorus 1. *Reg. cap.10.* Seuerus Sulpitius *lib.1. ſacræ Hiſtoriæ*, Chryſoſtomus *homil.46. in Geneſim*, & ſuffragari etiam videntur ſententiæ loca duo ſacri Textus, ibi, *Tulit gladium eius, & interfecit eum* 1. *Reg.* 17. *verſ.49.* & *c.47. Eccleſ.* ibi, *Saxo fundæ eiecit exultationem Goliæ*. Ergo ſolo ſaxo non erat peremptus Golia, ſed ſolùm proſtratus. Auguſtin. Iſidorus. Seuerus Sulpitius. Chryſoſt.

Reſponſio eſt affirmatiua. Verùm, alteri ſententiæ Theodoreti, Baſilij Seleucienſis, Abulenſis, & aliorum adhærendum eſſe puto, qui omnes aſſerunt Lapidis vulnere confoſſum fuiſſe Gigantem. Nec à naturali ratione alienum eſt, quandoquidem fracti cerebri vulnus, ſatis conſtat eſſe læthale. Ità Theodoretus *quæſt. 40. in 1. Reg.* de Dauide loquens: *Os quidem*, inquit, *fundit oracula, manus autem ſe fortiter gerit, & lapide perimit Alienigenam*. Theodor.

Soluitur ratio oppoſita. Nec obſtant ſacri Textus, quoniam præciſum eſt deindè Giganti caput, non vt moreretur, ſed in reportatæ victoriæ argumentum. Ità Abulenſis, *quæſt.24. Illa percuſſio fuit ad mortem; nàm ex hoc, quod infixus eſt lapis in cerebro, Goliath illicò mortuus eſt*. Quàm benè Baſilius: *Miſſo igitur lapide, galea rumpebatur, plagā caput admittebat, & anima de corpore fugiebat, ſatique celeritate, ſenſu mortis caruit: Sternitur mortuus Goliath, ſternitur alienigenarum Turris. Hoc fidei Spolium eſt, Trophæum Gratiæ, auxilij cæleſtis Indicium, blaſphemiæ coërctio, Columna index extinctæ audaciæ*. Abulenſis quæſt. 24. Baſilius Seleuc.

Supereſſet hic etiam quærere, Peccaueritne Dauid acceptando Duellum, & Saul permittendo; & proindè verſari circà celebrem illam quæſtionem; nùm aliquandò licita ſit Monomachia, de qua fuſiùs diſputaturi in Tertio huius Operis Tractatu, libenter hìc eam omittimus, nunc ad Duelli prohibitionem gradum facturi.

TRACTATVS SECVNDVS

DE PROHIBITIONE DVELLI

SECTIO PRIMA

QVIBVS IVRIBVS SIT PROHIBITVM DVELLVM.

INDAGATA Duelli Natura, & quaſi è latebris execrabili Monomachiæ Monſtro in apertum deducto, tendenda ſunt modò in eius exitium, omni Diuino, ac Humano; Naturæ,& Gentium; Canonico, Ciuilique ex Iure, contexta quodammodò ferrea retia, & flammea pœnarum ſpicula intorquenda, quibus peremptum,non ampliùs Mortales horribili Clade peremptorum, inuadat. Nunc equidem, *MAIOR RERVM MIHI NASCITVR ORDO: MAIVS OPVS MOVEO*. Quod tamen, nec Mihi difficile ceſſurum, puto, quandoquidem in Duelli exterminium, vniuerſus conſpirat Orbis, ipſaque Natura, ac Naturæ Auctor Deus inuehitur,&armatur. Eò tendunt tot,etiam ad hanc rem, repetita ſæpiùs Diuina mandata; tot ſancitæ, confirmatæ, innouatæ, ac extenſæ Pontificiæ Conſtitutiones; tot Cæſareæ conditæ leges, tot edita Regia Edicta, quæ (vt cæteros prætercam Reges) Hiſpanus, Galluſque, duo Catholici, ac Chriſtianiſſimi Orbis rutilantia fulmina, deteſtabilem Duelli vſum abolituri,promulgarunt. Verùm neque his omnibus telis confoſſum, occubuit Duellicum Monſtrum; ſed viuit adhùc,& ità viuit, vt non inter Spelæa ferarum, vel Barbararum inter gentium latebras, occultare ſe velit; ſed in Chriſtianæ Reipublicæ luce verſari audeat, vt ſpirans naribus, & oculis ignem, magna inter Fideles,odij excitet incendia, arctiſſima Charitatis vincula exurat, Catholicorum ſanguine ſatietur, & quod maximum eſt, vt è medio ſublatos, tàm impia cæde Fideles,in Tartareos ſinus

Virg. l. 7. Aeneid.

Non tentabis Dominum Deum tuum. Deuter.6. Nō occides Exod. 20. & Matth. c. 5 Cap. Monomachiã 2. q. 4 c. 1. Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Refor c. 19. Vide in Bullario diuerſas Conſtitutiones. Leg. vnica C. de Gladiatoribus lib. 11.

in æternùm puniendos deturbet. Mihi igitur in præſenti Tractatu, Duelli Prohibitionem explanaturo, per ſingula Iura percurrendum eſt, ac breuiter videndum prius, an omni Iure ſit prohibitum Duellum: Deindè, quas Sacri Canones, Summi Pontifices, ac Tridentinum Concilium, Duellatoribus pœnas infligendas decreuerint. Sed priùs à Diuino Iure (Deo duce) exordiamur.

QVÆSITVM I.

Vtrum Duellum ſit prohibitum Iure Diuino.

SVMMARIVM.

1 *Aſſeritur de Iure Diuino prohiberi Monomachiam.*

2 *Oſtenditur, quomodò in Duello Deus tentetur.*

3 *Affertur alia ratio deſumpta ex Sacris Litteris pro Duelli prohibitione.*

4 *Confirmatio deſumitur ex eo, quod Duellum ſit opus Diaboli, & ſit quandoque cauſa, quod innocentes damnentur.*

Reſponſio affirmatiua ad Quęſitum.

1 CVM omnibus Doctoribus affirmatiuè reſpondeo ad Quæſitum. Et ratio deſumenda eſt ex Sacris Litteris; & præcipuè, *ex cap. 6. Deuter. verſ. 16. Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis.* Et *ex cap. 4. Matth.* Quandò ſuadenti ruinam Dæmoni, ait Ieſus: *Scriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum.* Ergo, cùm Iure Diuino, Deum tentare, vetitum ſit, vetitum etiam erit ſingulare certamen committere, quippe quo Deus tentatur, vt loquitur Textus *cap. Monomachiam 2. quæſt. 4. in fine. Monomachiam non aſſumimus* &c. aſſignat deindè cauſam, ſcilicet: *Cùm hoc, & huiuſmodi ſectantes, Deum ſolummodò tentare videantur.*

Ratio.

Duelli do tentatur Deus.

Explicatur ratio adducta.

2 Et patet etiam ſingulari certamine tentari Deum ad miraculum aliquod abſque neceſſitate, patrandum: Et ad naturæ Legos inuertendas, nimirùm, vt imbecillior fortiorem ſuperet, quia iuſtam cauſam fouet. At hoc, contrà Naturam eſt: naturali enim ordine ſeruato, fortior, & ingenioſior, & armorum tractatione peritior, etiãſi nequiſſimus ſit, imbellem inimicum, licèt Sanctiſſimum, ſuperat, ac proſternit.

Secunda ratio deducta ex prohibitione homicidij.

3 Prætereà, ex homicidij prohibitione, facta à Deo, *cap. 20. Exodi: Non occides,* & confirmata à Chriſto Domino, *cap. 5. Matth.* colligo etiam prohibitum eſſe Duellum Iure Diuino: Nàm prohibito vno, prohibetur omne id, per quod peruenitur ad illud, *cap. Prætereà de offic. Delegat. leg. Oratio. ff. de ſponſalib.* Vndè, quia odia, iræ, & contumelioſa verba, ſaltim remotè, homicidium parere poterant, vetuit etiam Chriſtus Dominus iraſci, & leuiſſimo verbo, proximum iniuria afficere: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatuè, reus erit gehennæ ignis.* Sed Duellum proxima homicidij cauſa eſt, cùm ſæpiſſimè duellando trucidetur inimicus: Ergo ſi Diuini Iuris eſt, Non occidere, Diuini etiam Iuris erit, non duellare.

Cõfirmatio negatiuæ ſententiæ.

4 Confirmatur etiam ex eo, quod Duellum, vt Summi Pontifices, ac Tridentini Concilij Patres

loquuntur, ſit Diaboli opus, eoque fabricante, in Orbem terrarum introductum: Ergo etiam Iure Diuino prohibitum: nihil enim commune eſſe debet inter Hominem, & Satanam, inter lucem; & tenebras, inter Eccleſiam, & Gehennam, inter Chriſtum, & Belial. *Quæ enim*, vt cum Apoſtolo loquar, *Societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?* Quod vlteriùs quòque confirmo; quia per Duellum, innocentem damnari cōtinget, quod vtique Iure Diuino prohibitum. Hieremiæ 22. *Hæc dicit Dominus, facite Iudicium, & Iuſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris, & ſanguinem innocentem nè effundatis.*

Epiſt. 2. ad Corin. c 6. verſ. 15.

QVÆSITVM II.

Vtrum Duellum ſit prohibitum Iure Canonico.

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt affirmatiua. Adducuntur Sacri Canones, & Concilium Tridentinum.*
2 *Iulius II. fuit primus, qui contrà Duellatores, Conſtitutionem edidiſſe legatur in Romano Bullario.*
3 *Leo X. confirmat Iulij Conſtitutionem, & nouo diplomate roborat, & innouat.*
4 *Idem fecerunt Clem. VII. & Pius IV. ante Decretum Concilij Tridentini.*
5 *Greg. XIII. extendit pœnas Tridentini, etiam ad priuatum Duellum.*
6 *Clemens VIII. abſolutionem à pœnis Duelli Romano Pontifici reſeruat, & ſuſpendit omnia Priuilegia quòad hanc abſolutionem.*
7 *Proponitur argumentum ad probandum Martinum IV. permiſiſſe Duellum centenorium. Sed ſoluitur in tertio Quæſito.*

1 RESPONDEO affirmatiuè cum omnibus cōmuniter, & Primò probatur ex Textu *in cap. Monomachiam. 2. quæſt. 4. cauſa. 2.* vbi Summus Pontifex Nicolaus, Monomachiæ purgationem admittendam non eſſe, decreuit, cùm ad Deum tentandum ſit directa: *Monomachiam verò in lege non aſſumimus, quam præceptam fuiſſe non reperimus, quia licèt quoſdam iniſſe legerimus, ſicut Sanctum Dauid, & Goliam, ſacra prodit Hiſtoria, nuſquàm tamen, vt pro lege teneatur, alicubi diuina ſanxit auctoritas: cùm hoc & huiuſmodi Sectantes, Deum ſolummodò tentare videantur.* Et patet etiam ex Cæleſtino III. *c. Cura ſuſcepti extrà de vulgari purgatione*, ex Innocentio III. *cap. ſignificantibus, &c.*

Reſponſio affirmatiua.

Verba Textus.

Nicolaus Pontif.

Celeſtinus III.

Innocentius III.

Secundò probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 19.* cuius verba notanda ſunt, ibi: *Deteſtabilis Duellorū vſus fabricante Diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano Orbe penitùs exterminetur.*

Triden. Conciliū.

Tertiò probatur ex diuerſis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, quibus ſæpiùs prædictæ prohibitiones ſunt repetitæ, approbatæ, innouatæ, & extenſæ, vt conſtat ex Conſtitutionibus Iulij II., Leonis X. Clementis VII. Pij IV. Gregorij XIII. & nouiſſimè Clementis VIII.

Alia ratio ex diuerſis Conſt. Sum. PP.

2 Damnarat Primo Duelli abuſum, ſub Excōmunicationis pœnas, quò ad Subditos ſolùm Romanę Sedis, Iulius II. in Conſtitutione, cuius initium, *Regis Pacifici*, edita anno Chriſti 1509. ſexto Calendas Martij, Pontificatus ſui anno 6. multaſque retulit cauſas, quibus ſanctiſſima Pontificis mens ad Duella prohibenda permota fuerat, vt ſcilicet, euitarentur Cædes, Rixæ, Contentiones, Scandala, Odia, Mortes inopinæ, Animarum perditiones, Mutilationes, vulnera, & inimicitiæ, quæ deindè inter Conſanguineos, &

Iulius II. Duellum prohibet.

Quæ damna oriantur ex Duello.

affines Duellatorum, mutuò oriri poſſent, & hæc poſteà verba ſubdidit: *Duellorum, & Gladiatorum, huiuſmodi vſum damnamus, & improbamus, & in Terris Romanæ Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiectis, per quoſcumque quauis auctoritate, & poteſtate, ac nobilitate fulgentibus, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna, & quacumque cauſa, etiam à legibus permiſſa, fieri omninò prohibemus.* Addidit deindè, vt non ſolùm iſti Duellatores, ſed etiam qui eis locum ad pugnam præbent, pariter Excommunicationis latæ ſententiæ, cæteriſque homicidarum pœnis ſubiaceant, & Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Prebentes locum Duellatoribus Excommunicantur.

Priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ.

3 Hanc eandem Conſtitutionem confirmauit deindè Leo X. anno 1519. Decimò Calendas Auguſti Pontificatus ſui anno 7. Multaſque alias pœnas adiecit, nimirùm, vt in Corpore Bullæ, poſt prædictam Cõfirmationem, ait: *Adijcientes, & eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuentes, quod pugnantes ipſi, non ſolùm prædictis ſubiaceant, ſed eorum memoria perpetuò damnata ſit, ac bona proſcripta ſint, & Cameræ Apoſtolicæ confiſcata eo ipſo.*

Leo X. alias pœnas addidit in Cõfirmatione Bullæ Iulij II.

Et paulò infrà, alias præſcribit pœnas ſpectatoribus, ſcilicet, ſi nobiles, Quingentos; ſi mediocris fortunæ, centum; ſi verò ignobiles, viginti aureos perſoluere tenerentur, præter Excommunicationis pœnam, & locale Interdictum.

Spectatores Duelli quas pœnas ſubeat.

Locus Duelli Interdicto ſubiacet.

4 Deindè Clemens VII. vtramque Conſtitutionem, nouo diplomate, ad verbum confirmauit, quod incipit, *Conſueuit Romanus*. Sequutum eſt mox Concilium Tridentinum, à quo itidem exterminari iubentur Duella ex toto Chriſtiano Orbe, & Excommunicationis pœna, etiam Imperatores, & Reges omnes, qui locum ad Monomachiam præbuerint, afficiendos eſſe, decernitur: Et præterea omnes aliæ pœnæ, à cæteris Summis Pontificibus contrà Duellantes, Duelli fautores, ac Spectatores ſtatutæ, innouantur.

Clem. vij.

Sed antè prædicti Concilij finem, qui incidit in 4. Decembris anno 1563. Pius IV. anno 1560. Idibus Nouembris, nouo diplomate incipiente: *Ea quæ à Prædeceſſoribus*; prædictas Conſtitutiones confirmauit, addens, vt diffidati ſint rei læſæ maieſtatis, ſeditionis, rebellionis, &c. non ſolùm ipſi Pugiles, ſed & locum præbentes, & fautores omnes, Excommunicationem latæ ſententiæ, Pontifici Romano reſeruatam incurrant: Clerici hoc ipſo, omnibus omninò dignitatibus priuati ſint.

Pius iv. nouas pœnas Duellatoribus imponit.

5 Verùm Gregorius XIII. ad omnes Chriſtianos, Duelli prohibitionem extendit, vt Concilij Tridentini Patres eam extenderant, & prætereà, quod in Tridentino, de ſolemni, ſiue publico Duello ſancitum erat, idipſum ad priuatas, & non ſolemnes Duellationes, propter eaſdem cauſas produxit anno 1582. in Diplomate quod incipit: *Ad tollendum, &c.* vbi poſt multa, *Creſcente hominum malitia*, inquit, *facinoroſi non deſunt, qui quod publicè prohibitum eſt, priuatim exequi non dubitent, diam ſic pœnas prædictas, hoc modo eludere poſſe arbitrantur. Nos ad hæc coërcenda, pleniùs, euidentiùſque prouidendum eſſe rati, conſiderantesque Duellum priuatum, non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium eſſe, quàm quod publicè perpetratur. Statuimus omnes illos &c. Cenſuris, & pœnis omnibus a dicto Concilio propoſitis, teneri, perindè, ac ſi publico, & conſueto abuſu, ſingulare Certamen iniuiſſent.*

Greg. xiij. extendit pœnas inflictas Duellatoribus, in Trid. Cõc.

6 Poſtremò Clemens VIII. decennio poſt, ſcilicet anno 1592. Decimoſextò Calendas Septembris omnes prædictas Conſtitutiones, & Decretum Concilij Tridentini extendit, & grauiſſimas impoſuit pœnas, nec tantùm Summo Pontifici abſolutionem reſeruauit, ſed omnium etiam Priuilegiatorum ad eã rem, Priuilegia ſuſpendit, ibi: *Cuius interdicti relaxationem, aut Excommunicationis abſolutionem, ab alio quàm à*

Clem. viij magis quã omnes Pontifices Duellatorum pœnas auget.

Reſeruat abſolutionem Romanæ Sedi.

No-

Nobis, aut pro tempore exiſtente Romano Pontifice, pœnitentia, & ſatisfactione congruè peracta, niſi in mortis articulo conſtituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum, & Indultorum, quibuſuis perſonis, &c. per Sedem Apoſtolicam in genere, vel in ſpecie conceſſorum. Quæ omnia, quò ad præmiſſa, nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari, &c.

7 Ex quibus omnibus Sacrorum Canonum, Tridentini Concilij, Summorumque Pontificum, Conſtitutionibus, ſatis patet ad quęſitum Reſponſio. Sed obijcies Martinum IV. permiſiſſe Duellum, inter Petrum Aragonum, & Carolum Andegauenſem, pro Siculi Regni poſſeſſione: ergo, &c. Pro huius argumenti ſolutione, ſit.

QVÆSITVM III.

Vtrum Martinus IV. permiſerit Duellum, inter Carolum Siciliæ, & Petrum Aragoniæ Regem.

SVMMARIVM.

1 *Alciati ſententia circà Duelli permiſſionem.*

2 *Martinus IV. cum Cardinalibus Duellum permittit, iuxtà Alciatum.*

3 *Iacobus de Caſtillo Pontificem Martinum, ob talem permiſſionem, reprehendit.*

4 *Duelli hiſtoria ex D. Antonino.*

5 *Rex Aragoniæ Petrus à Pontifice excommunicatur, eò quòd ad Duelli locum non venerit, iuxtà Ciaconium.*

6 *Gerardus Parmenſis Cardinalis Burdegalam mittitur, & quarè?*

7 *Statuitur negatiua ſententia, & obiectis ſatisfit.*

8 *Affertur exemplar Epiſtolæ Martini IV. ad Regem Angliæ, qua Duellum prohibetur.*

1 CONTRA' Canonicam Duelli prohibitionem, vnico inuehuntur argumento Aduerſarij, qui Martinum IV. Duellum permiſiſſe referunt, inter quos Alciatus *de Duello cap. 3. num. 5.* & Pontificis, & Cardinalium auctoritate, duos inter Reges, ſingulare Certamen conditum eſſe, ſcribit. Aſſerens enim, inter eos quoque, quibuſcum Ius eſt Belli, licitum eſſe, ſingularem permitti Congreſſum; Subdidit paulò infrà: *Principes quoque ipſos, de Regno ambigentes, contentiones ſuas hoc modo finire, Ius, ſaſque eſt.* Alciati ſententia circa Duellum.

2 Quam ſententiam, & argumento probans, & exemplis confirmans, cætera inter exempla, illud primo loco ponit, de quo in præsēti quæſtio eſt, vtrum Pontificia fuerit auctoritate conditum. Verba autem Alciati hæc ſunt: *Extant apud veteres huiuſce rei exempla, quorum Caroli Andegauenſis, & Petri Terraconenſis illud potiſſimum eſt, qui cum de Inſula Siciliæ, Bellum diù geſſiſſent, Martini Pontificis Romani, Collegijque Cardinalis auctoritate, Burdegalæ in Aquitanis, armis concurrere, pacti ſunt: Iureque iurando ſanxerunt, vter victus eſſet, Inſula decedere, nec ampliùs de ea re controuerſiam facere.* Confirmatio. Laudatur Martinus IV. ab Alciato, ob Duelli permiſſionem.

Et paulò infrà *num. 8.* nimìs Pontificem commendat, ob huiuſmodi permiſſionem, quam cæteris imitandam proponit: *Pontificis itaque factum laudo, atque cæteris imitandum cenſeo.*

3 Similiter Iacobus de Caſtillo *de Duello num. 37.* vt certum ſupponens, Martinum huiuſmodi permiſiſſe Duellum, illum tanquàm permiſſi Duelli reum, reprehendere audet, ait enim in ſecunda reſponſione ad confirmationem: *Dico ſecundò, Papa Martinus, tàm audacter, quàm perperā fecit, vtendo tàm fallaci probatione.* Monomachiam intelligit, qua probandum erat, vtri Regi Siculum Regnum, ex Iuſtitia reddendum foret. Iacobus de Caſtillo, Pontificē Martinum reprehendit.

D. Antoninus.

Duelli narratio

4 Nec deſunt Hiſtorici,qui huic patrocinari videantur ſententiæ, inter quos, Diuus Antoninus 3. *par. tit.*20. *cap.*4. §.8. *anno Domini* 1282. Bellicos tumultus, inter Petrum, & Carolum Regem deſcribens, dicti ſingularis Certaminis etiam meminit, & Pontificem, cum Cardinalibus,tali permiſſioni adhæſiſſe,oſtendere videtur, ait enim: *Carolus poſt paucos dies profectus eſt ad Vrbem, ibique in publico Conſiſtorio querelam poſuit coràm Papa Martino IV. & Cardinalibus de proditione, & vſurpatione Siciliæ, ſibi facta per Regem Aragonum Petrum, petens ſibi Iuſtitiam adminiſtrari, paratus hoc probare,ſcilicet Iuſtitiam,per Duellum,cum ipſo Rege Aragonum.*

Pactum inter vtrũque Regẽ pro Duello ineũdo.

Rex autem Aragonum per ſuos Oratores, excuſationem ſuam fecit coràm Papa de proditione: ſe iuſto titulo, Siciliam dicens recepiſſe, paratumque ſe ad Duellum ſuſcipiendum,pro ſuo Iure oſtendendo. Et in hoc conuenerunt ſub Iureiurando, quod in loco communi, videlicet Burdegalæ, quæ Ciuitas in Vaſconia, ſub cuſtodia Seneſcali Regis Anglorum, Rex Carolus, & Rex Petrus, certa die ſtatuta,ibi adeſſent, quilibet cum centum militibus fortioribus, Duellum peracturi, cum hac videlicet conditione, & pactis, vt qui victor exiſteret, illi Regnum Siciliæ, quietè, & pacificè traderetur, cum conſenſu Eccleſiæ; victus verò, proditor haberetur ab omnibus, atque omni nuncupatione Regij nominis,& dignitate priuaretur.

Excõmunicatur Rex Petrus.

Proſequitur deindè hiſtoricam narrationem,omnemque ſingularis Certaminis euentum deſcribere, & Carolum expectatione fruſtratum fuiſſe, Petro Aragono ad Campum non veniente, ac proindè à Pontifice in Petrum, Excommunicationis fulmen fuiſſe vibratum: *Martinus Papa hac audiens, vt contrà periurum, proditorem, & vſurpatorem bonorum Eccleſiæ, de Conſilio Cardinalium fulminauit ſententiam Excommunicationis, contrà Regem Aragonum.*

Ciacon.

5 Ciaconius etiam *in Vita Martini IV. anno Domini* 1281. eandem deſcribens Hiſtoriam, excommunicatum fuiſſe Petrum Aragonum à Martino IV. refert, eò quòd, ad Duelli locum, ſtatuto die non venerat: *Stato Pugnæ die, adfuit Carolus, & cum vſque ad veſperam,nemine apparente expectaſſet, ſe deluſum dolens, diſceſſit: illicò ſub veſperam aduenit Petrus, qui Carolo non inuento, eius apud Iudices contumacia accuſata, & ipſe abijt. Eam obrem, Martinus Papa,Petro iratus, eum excommunicauit, & Aragoniæ Regno priuauit.* Curà Pōtifice excommunicatus fuerit Rex Petrus.

6 Refert etiam Andreas Victorellus, in additione ad vitam Martini IV. apud Ciaconium, nonnullos opinatos eſſe, Gerardum Parmēſem Cardinalem, Legatum Apoſtolicū, miſſum Burdegalam à Martino, vt huius ſingularis Certaminis ſpectator eſſet. In eamdem ſententiam iuerunt Alij Hiſtorici, & antiqui Iuriſperiti, quos breuitatis ergò omittimus. Andreas Victorel. Falſa quorundam opinio de Legato ad Regem Angliæ.

7 Sed quàm ſit hoc à veritate alienum,quamuis multis oſtendere poſſem argumentis, vnum tamen pro cunctis ſufficiat. Illud eſt, quod eodem tempore, quo huiuſmodi ſingularis Certaminis inter Petrum, & Carolum ſunt inita pacta, nō ſolùm Pontifex ipſe,aſſenſum non præbuit, quinimò totis viribus Duellicam Pugnam impedire conatus eſt, ideòquo ad Regem Angliæ, Cardinalem S. Cæciliæ cum Pontificijs litteris miſit, Regem hortans, & ſub Excommunicationis pœna eidem præcipiens, vt indictæ Monomachiæ locum, fauorem, auxilium denegaret, cùm *non ſolùm in Principibus; ſed etiam in priuatis, Duellum non ſit ab Eccleſia tolerandum.* Non ergo Duelli pacta,annuente Pontifice, quinimmò ipſo inuito, ac renuente, inter vtrumque Regem condicta fuere. Vt autem magis Pontificis mens omnibus pateat, ac dicta Duelli prohibitio ab ipſo facta, cunctis innoteſcat ad obſtruenda Duellantium ora, ipſas Pontifi- Refellitur hæc opinio. Cardinalis S.Cęciliæ ad Regem Angliæ mittitur ad Duellum impediendum.

cias

cias litteras ad Regem Angliæ, quæ lectu dignæ ſunt, hìc apponam.

EXEMPLAR

Epiſtolæ Martini IV. ad Eduardum Regem Angliæ, prohibentis celebri inter duos Reges Duello, locum permitti, &c.

MARTINVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei, Eduardo Regi Angliæ Illuſtri.

Extat hęc Epiſt. in tomo xiij. Annaliũ Eccleſiaſticorum Bzouij anno Chriſti 1283.

Pontifex iſte ab alijs dicitur Martinus ij. ab alijs Martinus iiij.

Cauſas proponit Duellum impediendi inter vtrũque Regẽ.

8 DECET Excellentiam Regiam, & ſaluti tuæ nihilominùs congruit, quod in te ſemper vigeat ſic ordinatus affectus, vt animum libenter ad promouenda Chriſti negotia dirigas, tranquillitatem publicam votiuè promoueas, deſideranter horum impedimenta præpedias, & prout ex alto conceditur, incrementa procures. Ideòque conuentiones, multa indecentia plenas, & temeritate non vacuas, reprobas quidem, & meritò reprobandas, inter chariſſimum in CHRISTO filium noſtrum, Carolum, Illuſtrem Siciliæ Regem, & Petrum, exigentibus ſuis exceſſibus, per Sedem Apoſtolicam, vinculo Excommunicationis aſtrictum, quondàm Aragonum Regem, non abſq; nimiæ animoſitatis inordinatione habitas, circà quod ambo, cuilibet eorum, comitiua centum militum aſſiſtente, ad illud concurrant, altrinſecùs inſimul confligant, celſitudini Regiæ confidenter exponimus: & vt Tibi earum qualitas pleniùs pateat, ſub Bulla noſtra, ipſarum de verbo ad verbum ſeriem, prout eam à memorato Siciliæ Rege recepimus, deſtinamus.

Ex quarum circumſpectione manifeſtè circumſpectio Regalis aduertet, quantum ſint conuentiones eædem obuiæ Crucifixi negotijs, & præcipuè Terræ Sanctæ, quantùmcumque toti Chriſtianitati damnoſæ: cum illarum proſecutio, non ſolùm memoratum Regem, ab eiſdem negotijs, & ipſius Chriſtianitatis promouendis vtilitatibus abſtrahat: ſed & alios Principes, & Magnates, cæteroſque fideles, qui circà proſecutionem eandem in ſe, vel in ſuis occupantur, auertat: & proindè manifeſtò exponatur Terra præfata diſcrimini, dum eius ſubſidium, multis excogitatum vigilijs, multiſque ſumptibus, & laboribus præparatum, damnabiliter impeditur.

Nè Terræ Sanctæ expeditio retardetur.

Nec minùs attendere poterit eiſdem, tuæ circumſpectionis induſtria, quàm periculoſa poteſt inter Chriſticolas, ex proſecutione huiuſmodi excitari commotio: quantaque illis corporum, & animarum pericula ingeri: ac quantum nobis, Eccleſiæ, Tibi, cunctiſque Catholicis, quibus eſt eis quomodolibet obuiare poſſibile, poſſet à DEO, & Hominibus negligentia imputari: ad quantam notam adſcribi, ſi talia procedere pateremur?

Multa alia enumerat diſcrimina ex tali Duello oritura.

Propter quæ, nec non & alia non facilè numeranda diſcrimina, quæ dictarum conuentionum executio, Chriſtiani proculdubio prodiga ſanguinis, animarum inimica ſaluti, publicæque pacis æmula, & quietis, veriſimiliter comminatur, Nos illis, promptis remedijs obſtare volentes, promiſſionem factã à memorato Rege Siciliæ, ſuper dictis conuẽtionibus obſeruandis, prorsùs illicitam, vtpotè rem prohibitam expreſſiùs continentem, CVM NON SOLVM IN PRINCIPIBVS, SIMILIBVSQVE PERSONIS, SED ETIAM IN PRIVATIS, DVELLVM NON SIT AB ECCLESIA TOLERANDVM: reprobandam, irritandamque duximus, & penitùs

Irritat, & reprobat promiſſionem, conuentionẽ, & iuramẽtũ vtriuſque Regis in ordine ad tale Duellum.

va-

vacuandam, & iuramentum ſuper eis præſtitum, non ſolùm temerarium, declarantes, ſed & carere viribus: ipſumque Regem Siciliæ ad illorum decernentes obſeruantiam non teneri.

Sub pœna Excōmunicationis Duellum prohibet.

Abſoluendo eos nihilominùs ab eiſdem, quatenùs proceſſerunt de facto, ſibi diſtrictè præcipimus, vt à proſecutione promiſſorum, & iuramentorum taliter, prorsùs abſtineat, & omninò deſiſtat: eidem nihilominùs ſub pœna Excommunicationis, & comminationis proceſſus cuiuslibet, quam contrà eum quomodolibet habere poſſet Eccleſia, nè ad exequutionem tàm DAMNATI CERTAMINIS, tàm nefandi procedat: & vniuerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus, nè illa ſibi proſequenda ſuadeant, nèue conſilio, auxilio, vel fauore in illis proſequendis aſſiſtant, diſtrictiùs inhibendo.

Hortatur Regem Angliæ ad Duellum impediēdum.

Cùm itaque impediendi tàm deteſtabilia, tàm nociua tibi ſit in promptu facultas, pro eo, quod, ſicut earumdem conuentionum docet inſpectio, loci determinatio ad huiuſmodi cōflictus exercitium deputandi, de arbitrio tuo dependet, & ſecundùm earum conuentionum tenorem; idem conflictus, nouo eorundem Siciliæ, & olim Aragonum Regum, non interueniente conſenſu, abſque tua præſentia, non procedit: expedit, vt ad id, Te promptum exhibeas; ſolers, & operoſus occurras, nè ſi, quod abſit, perturbare tàm peruerſa negligeres, ea fouere, non immeritò cenſereris, ſicque pœnæ, & comminationis adiectæ in præmiſſa noſtra prohibitione, periculum, vt decet tàm Catholicum Principem, non vitares.

Et prohibendum illis ingreſsū ad quālibet Vaſconiæ partem.

Quocircà Serenitatem Regiam, monentes, rogantes, & hortantes, ac obſecrantes in Domino Ieſu Chriſto, & per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obteſtantes, & nihilominùs in remiſſionē tibi peccatorum iniungentes, mandamus, quatenùs CONFLICTVM HVIVSMODI, TAM DETESTABILEM, TAM HORRENDVM, EIVSQVE PRÆPARATORIA, OMNI STVDIO, QVO POTES, IMPEDIAS: dictorum Siciliæ, & quondam Aragonum Regum, aduentum ad Ciuitatem Burdegallenſem, eiuſque territorium: quin etiam ad quàmcumque partem Vaſconiæ, omni, quo poteris remedio præpeditionis, impedias, apertiùs interdicas: tuam nihilominùs in his præſentiam denegando, & tuis inſuper in partibus illis, Vicarijs, & Officialibus acriùs iniungendo, nè prædictorum Regum guardiam recipere, vel ad dictum locum, deputare certamen, aut aliquod aliud in his miniſterium exhibere præſumas: ſuper quibus, eis omnem penitùs adimas poteſtatem.

Mittit Card. S. Cęciliæ, eumque commendat.

Nos enim ad tàm pernicioſa, tàm noxia, omnimodis euitanda, nè dictos Siciliæ, ac dudùm Aragonum Reges, Ciuitatem eandem, ſeu quàmuis, vt prædicitur, Vaſconiæ partem, ad hæc ingredi patiaris, neuè in his præſentiæ tuæ copiam facias, aut promittas, ſeu locum, ſæpe fato certamini deputes, aut dictos tuos in eiſdem partibus Vicario, ſiue Officiales in his aliquod miniſterium exhibere permittas, diſtrictè ſubijcimus prohibitionis edicto: ac illa omnia, & ſingula quantumcumque in alijs, Regio intendimus honori deferre, TIBI, ET EIS, SVB POENA EXCOMMVNICATIONIS EXPRESSIVS INHIBEMVS, ſub eadem pœna mandantes, vt ſi ad aliquid horum eſt proceſſum, illud ſtudeas cum celeritate, qua poteris reuocare.

Minatur Excōmunicationis pœnam & Interdicti.

Et nihilominùs dilectum Filium noſtrum, Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, virum vtique grandi ſcientia præditum, prudentia, & morum honeſtate decorum, quem ſuæ proba-

tionis obtentu, grandi affectione proſequimur, cuiuſque conſilijs Te in his acquieſcere rogamus, & petimus, ad id inter cætera deſtinamus, vt tàm Te, quàm prædictos Vicarios, & Officiales tuos, per ſe, ſi facultas adfuerit, per ſuos Nuncios, vel litteras efficaciter moneat, & inducat ad parendum præmiſſis Apoſtolicis monitionibus, inhibitionibus, & mandatis.

Reuocat omnia Priuilegia in contrariũ obtenta.

Aliòquin per Excommunicationis in perſonas, & Interdicti ſententias, ſi opus fuerit, in Regnum tuum, & alias tuas, ac eorumdem Vicariorum, & Officialium Terras, Apoſtolica, prout expedire viderit, auctoritate compellat.

Non obſtantibus aliquibus Priuilegijs, vel Indulgentijs, tibi, vel eiſdem Vicarijs, ſiue Officialibus, ſub quacumque verborum forma, ſeu expreſſione conceſſis, quod Tu, vel ijdem Vicarij, & Officiales excommunicari, vel interdici non poſſitis: aut eadem, Regnum, & Terra nequeant Eccleſiaſtico Interdicto ſupponi, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ſeu de verbo ad verbum de Priuilegijs, & Indulgentijs huiuſmodi, ſiue obtinentium eadem, nominibus mentionem: & qualibet alia eiuſdem Sedis indulgentia, cuiuſcumq; formæ, vel tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, aut totaliter non inſertam, effectus earum quomodolibet impediri valeat, vel differri.

Datum apud Vrbem Veterem, Nonis Aprilis, anno 3.

Ex his igitur litteris, vidiſti mi Lector, quàm alienus fuerit Beatiſſimus Pontifex Martinus à Duello permittẽdo, quarè ſi alios apud Scriptores cæteròqui fide digniſſimos, oppoſitum reperias, ab hac veritate mentẽ nõ retrahas, nec mireris; nàm

Horatius in arte poetica.

Quandoq; bonus dormitat Homerus,
Atque opere in longo, fas eſt obrepere ſomnũ.

QVÆSITVM IV.

Vtrum Duellum ſit prohibitum Iure Ciuili.

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt affirmatiua. Refertur Textus, & Gloſſa.*
2 *Altera ratio deducitur ex eo, quòd Duellum opponitur Iudiciariæ formæ.*
3 *Per Duellum Iuſtitia non ſeruatur.*
4 *Soluuntur argumenta in contrarium adducta.*

1 AFFIRMATIVE' etiam ad hoc Quæſitum reſpondetur, & probatu: Primò *ex leg. vnica Cod. de Gladiatoribus l. 11.* vbi Imperator ait, *Cruenta ſpectacula in otio Ciuili, & domeſtica quiete non placent: quapropter omninò Gladiatores eſſe prohibemus.* Vbi obſeruat Gloſſa, prohiberi Duellum ex hoc Textu: *Et eſt hic argumentum, quòd Duella non admittuntur.* Reſpõſio. Textus. Gloſſa. Prima Ratio.

2 Probatur etiam ſecundò: nàm ex Poſitiuo Iure, tàm Ciuiles, quàm Criminales, introductæ ſunt actiones, & tota forma Iudiciaria, qua ad Iuris declarationem, & exquutionem proceditur, vt *leg. Properandum. Cod. de Iud. & auct. offeratur. & leg. 1. Cod. de lit. conte. & leg. Prolatam. Cod. de ſent. & cap. Quoniam contrà de proba. vt vnicuique reddatur quod ſuum eſt. 12. q. 2. deuotiſſimam. & leg. Iuſtitiam. ff. de Iuſtit. & Iur. cum ſi.* Sed duellando ſeruari nequit, immò penitùs aboletur hæc Poſitiui Iuris obſeruantia: ergo etiam Poſitiuo Iure prohibitum eſt duellare: inter armorum enim ſtrepitum, Ciuilis Iuris verba audiri nequeunt. Secunda Ratio.

3 Confirmatur noſtra Reſponſio: nam Poſitiuo Iure omnis prohibetur actus, quo partibus ſit deneganda Iuſtitia, & Iniuria irroganda, vt patet in *§. Iuris præcepta, Inſtit. de Iuſt. & Iure. & cap. ex parte de offic.* Confirmatio.

delegat.& etiam quia ad hunc ſolum finem ſunt diuinitùs Poſitiua Iura per ora Principum promulgata, vt in *leg.vlt. Cod. de long. temp. præſcript.*8. *diſtinct.* Sed per Duellum, partibus iuſtam cauſam fouentibus, Iuſtitiam denegari aliquandò contingit, vt quandò præualenti Reo, Actor licèt iuſtiſſimus, ſuccumbere cogitur, quia viribus eſt deſtitutus: ergo prohibitum erit Duellum, quippequo actori iuſtam cauſam fouenti, iniuria irrogatur; ac proindè non ſeruatur Iuſtitia, prout Ciuilia Iura præſcribunt.

Maior. Primum argumẽtum.

4 Maior obijcit ſibi *legem Federicus §. ſi quis hominem Cod. de Pace tenen. & eius volatorib. l.11.*

Reſpõſio.

Reſpondet ipſe, legem Ciuilem contrà Ius Naturale, Diuinum, & Canonicum, Duellum permittentem, legem non eſſe, ſed errorem.

Turrecremata. Secũdum argumẽtũ

Turrecremata ſibi opponit: *legem Qua actione. §. In colluct. ff. Ad leg. Aquil.*

Sed reſpondet, legem loqui de ijs, qui luctantur, non digladiantur. Ità etiam Gloſſa hanc legem interpretata eſt, in verbo *ſi colluctatione. In colluctatione*, id eſt, *dum ſimul luctabantur pugnis, vel calcibus.*

QVÆSITVM V.

Vtrum Duellum ſit prohibitum Iure Naturali.

SVMMARIVM.

1 *Concluſio eſt affirmatiua.*

2 *Damna, quæ ex Duello oriuntur Naturali dictamini aduerſantur.*

3 *Noxios punire, Innoxios abſoluere Natura dictat, quod in Duello non ſeruatur.*

4 *Homicidium Naturali Iure prohibitum eſt, ſic etiam Duellum.*

1 AFFIRMATIVE reſpondeo. Et ratio eſt, quia Duella Naturalem lædunt æquitatem: æquum enim non eſt armis concurrere, & vitam, quam ſeruare tenemur, mortis diſcrimini exponere, dùm aliter noſtras poſſumus partes tueri. Reſponſio affirmatiua. Prima ratio.

2 Probatur etiam, quia Naturali dictamini aduerſantur hominũ cædes, membrorum mutilationes, vulnera, & quod maximum eſt animarum pericula: ergo etiam Duella, per quæ ad hæc mala peruenitur, Naturali Iure prohibita, ſunt cenſenda. Secunda ratio.

3 Confirmari etiam poteſt; quia Naturalis ratio præſcribit noxios punire, Innoxios abſoluere cuius oppoſitum ſępiſſimè in Duello contingit, vt patet in *Cap. 2. de purgat. vulgari*: ergo prohibitum eſt Iure Naturæ. Confirmatio.

4 Prætereà confirmatur ex Cæleſtino III. qui appellat prauam conſuetudinem huiuſmodi ſingularium Certaminum, atque affirmat in eis committi *peccatum homicidij*, quod proculdubio eſt contrà Ius Naturæ. Altera confirmatio.

QVÆSITVM VI.

Vtrum Duellum ſit prohibitum Iure Gentium.

SVMMARIVM.

1 *Enumerantur variæ Nationes, quæ Duellum prohibuere.*

2 *Præclara ſententia Magni Scipionis, & Auguſti, ad Duellum prouocati, ex Plutarcho.*

3 *In obſidione Hieroſolymitana Prouocantem ad Duellum Iudæum, Romani oppugnare detrectarunt.*

4 *Commendatur Populus Romanus ex Rualdo ob Duelli detrectationem.*

5 *In Hiſpania quandò prohibita fuerint Duella.*

6 *In Gallia prohibentur Duella nouis Edictis.*

7 *Pragmatica Neapolitani Regni pro Duellis impediendis.*

1 ETIAM Gentium Iure prohibita eſſe Duella, probauit Antonius Maſſa Galleſius, *Contrà vſum Duelli*. nullæ enim gentes, quæ politica ratione reguntur, ea permiſere, non Græci, non Romani, non Carthaginienſes, non Perſæ, non Hebræi, niſi rariſſimè, vt patet in Dauidico Duello (ſic tamen Deo inſpirante) & Itali ad certas tantùm cauſas, ea reſtrinxere, Galli ad cauſas Capitales, Siculi ad duas ſolùm, Hiſpani, ad eas, quæ honorem læderent, idque Iure antiquo, vt conſtat *ex l.3.tit.5.par.7.* & notauit etiam Antonius Maſſa *loc. cit. Gloſſ. verb. Duellum in cap. Federicus de Pace tenen. in vſib. Feudor.* Guidopapa, *deciſ.617.* Puteus *de re militari lib. 6.* Romani etiam, etſi honoris amantiſſimi, Duella tamen ſemper ſunt execrati.

Iure Gentium prohibentur Duella.

Anton. Maſſa.

Guidopapa.

Puteus.

2 Quamobrem Scipio ille Magnus, dicere ſolebat: *Malle ſe, vnum Ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes perdere.* Et Auguſtus, prouocãti Antonio, reſpondiſſe fertur: *Si Antonium ſuæ vitæ tædet, ſatis multa ad interitum cauſa patent, Ego autem in Ciues nunquàm arma ſumpſi,* teſte Plutarcho in Antonio. Multa alia ſimillima Exempla de fortiſſimis Romanorum militibus, referunt Valerius Maximus, Liuius Plutarchus, Sabellicus, & Alij.

Præclara ſententia Scipionis.

Plutarch.

3 Et Ioſephus Hebræus hiſtoricus *lib. 3. cap. 5 de Bello Iudaico*, ſcribit. In obſidione Hieroſolymitana, Iudæum quendam, nomine Ionatam, viliſſimæ ſortis hominem, paruo corpore, ac deformi vultu, è Caſtris egreſſum, auſum eſſe Romanorum quemquam ad ſingulare Certamen prouocare; verùm Romani æquum duxere, prouocanti non occurrere, quoniam, *cum ijs, qui de ſalute deſperaſſent in diſcrimen venire, quos neque vincere magnum ſit, & vinci cum dehoneſtamento periculoſum, non fortitudinis, ſed ferocitatis videri putabant.*

Ioſeph Hebr. Hebræus prouocat Romanos ad ſingulare certamen.

4 Propter execrata Duella valdè Romanum Populum commendat Rualdus *de Duellis, pag. 44. cum ſeqq. & num. 45.* O' *populum*, ait, *dignum Orbis Imperio, dignum omnium fauore, & admiratione hominum, ac Deorum. Meritò huic Vrbi, à primis eius incunabulis diuino permiſſu datum eſt, vt eſſet*

Rualdus.

Laus Romani Populi.

Terrarum Dea, gentiumque lumen,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Vt Leges, Iura, Religionem cæteris Nationibus, & olim poneret, & hodie ponat: Vnde quondam extiterunt tàm multi Principes, qui ſe, non ſibi, ſuiſquè inſanis cupiditatibus, ſed Patriæ, & Ciuibus amantiſſimis natos, nunquàm non confeſſi Monomachiam, velut Reipublicæ cuiuſuis dehoneſtamentum, atque luem impuriſſimi ſuo exemplo condemnarunt.

5 In Hiſpania licèt olim Duella permitterentur, poſteà tamen à Catholicis Regibus Ferdinando, & Eliſabetha, *anno* 1480. prohibita fuere; adiunctis pœnis contrà pugnantes, pugnæ mediatores, & Patrinos, in proditionis notam incurrendi, amittendi bona, & corporales pœnas ſubeundi, cum hoc tamen diſcrimine, quòd Prouocans, ſi aduerſarium occidiſſet, ſeù vulneraſſet, capitali ſupplicio puniretur, Prouocatus verò, ſecuta morte, vel inflicto vulnere, vel quomodocumque, victor rediens ex Palæſtrá, à Regno exularet, vt conſtat *l. 10. tit. 8. lib. 8. recopilationis.*

Hiſpanus Duella prohibet.

6 In Gallia quamplurima Regia Edicta cõtrà Duellantes emanarunt ſub grauiſſimis pœnis, vt habetur ex Teſtamento Caroli Magni, & Beati Ludouici teſtimonio, vt latè oſtendit Rualdus *actione in Duella*,

Gallus Duella prohibet.

Rualdus.

pag.73.& dolens Duellorum reos viuere,& veniam impetrare, hæc verba addit: *Sed eum Iudices expergiſcimini aliquando , & capeſſite Rempublicam , cogitatequè nomen veſtrum, tandem odio , atque acerbitati non ſolùm Gallicanæ , ſed & Nationibus exteris futurum , ſi hoc Duelli perditorum hominum piaculum tàm atrox , tàm immane , tàm omni humanitate , lege , & conſuetudine remotum , veſtris ſententijs impunitum diſceſſerit: ſcitote ſic arbitrari, præſertim cum hæc omninò fama de pernicioſo noſtrorum hominum furore, & dementia percrebuerit, non eorum ſolùm eſſe flagitium , qui admiſerint, ſed & omnium, qui illud non reprimentes, ſine dubio approbarunt .*

Multaque alia contrà Duellatores in Gallia emanarunt Regia Edicta, & nouiſſimè hoc etiam anno in Regijs Comitijs,contrà Duellantes auctæ ſunt pœnæ, vt patet ex Edicto Gallicè edito Pariſijs 1646.

Neapoli prohibentur Duella.

7 In noſtro etiam Neapolitano Regno ſunt ſeueriſſimè prohibita Duella , & inter cæteras Pragmaticas Sanctiones , quæ, prout neceſſitas poſtulat, ab Excellentiſſimo Prorege , & Collaterali Conſilio edi ſolent , vna extat ſupracentum ab hinc annos, tempore D.Petri Toletani, illius Regni tùnc Proregis, edita, qua Prouocantes ad Duellum , capitali pœna plectuntur, & Prouocati non accedentes,nulla notantur infamia . Illius Pragmaticæ Exemplar , quia lectu digniſſima eſt, pro huius quæſiti coronide,hic apponatur .

EXEMPLAR

Pragmaticæ Sanctionis , Duellum in Neapolitano Regno prohibentis .

Nouis occurrentibus morbis, noua conuenit antidota adhiberi. Cùm igitur in tantùm (inſtigante Diabolico ſpiritu) temeritas, & malignitas hominum creueuerit , & in tantùm furoris peruenit audacia, vt ſpreto mortis timore, ſpretiſque etiam Iuſtitiæ Diuinæ,& Humanæ aculeis, & quod grauiùs eſt , etiam pro minimis cauſis ad Duellum ſe ipſos prouocare audent, & non ſeruatis alijs, quæ inter Milites, & Nobiles ab antiquo ſeruari ſolita erant in Duellis conficiendis , ſuper Electione Armorum , & Impetratione Territorij à Dominis Temporalibus , in quo ſecurè inter eos configere , & Pugnam exercere poſſent,aut per ſe ipſos,aut per Nuncios prouocant alios ad Certamen , & plerùmque eo die , vel ſequenti conficiendum, & vt plurimùm ſine armis defenſiuis,& quòd durius eſt, ſine veſtibus , more Belluarum , vt in primis ictibus occumbere , aut vincere poſſint, aut ſimul ambo cadere ; & conſiderantes, quod ſi tanto facinori, celeri remedio non prouideretur, & tàm peſtifero morbo , mordaci medicina non occurreretur, in immenſum tanta hæc furoris audacia creſceret .

Cauſæ quibus ad hâc Pragmaticam edendam mouetur Prorex .

Per hanc igitur noſtram Pragmaticam Sanctionem ſtatuimus , & ordinamus, quòd nemo deinceps audeat, aliū ad Certamen,vel Duellum prouocare,per ſe,vel aliū,ad locum per Prouocantes aſſignatum in eundem diem,vel ſequentem,vel vlteriorem, cum armis, vel ſine armis defenſiuis,& ſi taliter prouocare auſus fuerit,ipſo facto, etiamſi nullum Certamen ſequeretur , ipſoquè Iure, in pœnam mortis Naturalis incurrat : Et ſi per Curiam non capiatur ; citatus Domi , ſi infrà tres dies non comparuerit perſonaliter, ipſo Iure ſit foriudicatus, & pro foriudicato debeat publicari : Prouocatus verò, ire, & comparere non audeat, & ex hoc in nullum incurrat dedecus,ſed potiùs laudem conſequatur: & ſi comparuerit, & pugnauerit , teneatur de vulneribus receptis , & illatis ; & ſi mors ſecuta fuerit Pro-

Duelli prohibitio .

Pœnæ cōtra Duellatores.

Contra prouocātes, & cōtra prouocatos.

uocantis, etiam ipſe Prouocatus pœnam mortis incurrat.

Pœnę cōtra Aſſiſtentes, & Nuncios Duelli.

Aſſiſtentes ſimiliter Pugnis, & Duellis, & Nuncij ad tale Certamen prouocantes, tàm ex parte Prouocantis ad Duellum, quàm etiam Prouocati, in ſimilem, & eandem pœnam incurrant, in quam incurrunt eorum Principales.

Aliæ pœnæ.

Prouocantes verò, & Prouocatos ad Duellum, ſeruatis inter eos ſeruandis, tàm ſuper Electione Armorum, quàm etiam Impetratione Territorij, & loci, à Dominis Temporalibus, & etiam illos, qui in Rixa, aut contentione verborum, calore Iracundiæ moti, præſentialiter prouocarent ad Duellum, pœnas Legales, & à Iure ſtatutas, incurrere ſtatuimus, & ordinamus, & ſecùs nō agatur, ſub Ira Regiæ Indignationis, & pœnis ſupradictis.

Data eſt Puteolis an. 1540.

Datum in Ciuitate Puteolorum die 11. Ianuarij 1540. Don Pedro de Toleto. vidit de Colle Regens, & Vice Protonotarius, vidit Ciccus Loffredus Regens. Dominus Vice Rex, &c. mandauit mihi Bernardino Martirano.

SECTIO II.

DE PONTIFICIIS DIPLOMATIBVS

Contrà Duellantes &c.

CVM omnia in præſenti dicenda Tractatu, è Summorum Pontificum Diplomatibus, ac Tridentino Decreto, contrà Pugnantes in Duello, Duelli Spectatores, Complices, ac Fautores, &c. editis, dependeant; operæ pretium viſum eſt, hæc omnia ſimul antequàm vlteriùs progrediamur, vnica Sectione complecti, vt Illa perlegere volentibus, longæ inquiſitionis labor abſit, ac etiam, vt dandæ ad innumera Quæſita reſponſiones, eò firmiori, quò propinquiori, nitātur fundamēto, & perſpiciat Lector, germanum à Nobis, horum Diplomatum, in ſoluendis Caſibus, Dubijſque decidendis, ſenſum retineri, nec illorum verba, ad noſtram detorqueri ſententiam. Omnia igitur, quæ trigintaſeptem ſuprà centum annorum ſpatio, à Summis Pontificibus, circà hanc Duelli materiam, ſunt hactenùs edita Diplomata, ſex enumerantur. Primum eſt Iulij II. Anno MDIX. Huic ſuccedit aliud Leonis X. Anno MDXIX. Vtrumque autem Clemens VII. Anno MDXXII. cōfirmauit. Triennio etiam ante Tridentini Concilij finem, hoc eſt Anno MDLX. Pio IV. Chriſtianam Rempublicam moderante, Quartum contrà Duellatores Vaticana ex Arce vibratum, eſt Telum, vt omittam quod è Tridentino Senatu, cuius finis in Annū MDLXIII. incidit Seueriſſimum emanauit Decretum, quod ætherei fulminis inſtar ſublimia Regum, ac Cæſaris etiam faſtigia ferijt: *Imperator, Reges, qui locum ad monomachiam in Terris ſuis, inter Chriſtianos cōceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati.* Quæ omnia Gregorius XIII. & Clemens VIII. nouis Conſtitutionibus, hoc eſt Anno MDLXXXII. & MDXCII. confirmarunt, ac toto Orbe Chriſtiano, valitura eſſe, alijs pœnis, ac conditionibus additis, decreuerunt. Nec prætereà alia inueniuntur, quæ Romani Pontifices, contrà Duellatores, Diplomata ediderint. Sis igitur mi lector, eorum omnium, quæ hactenùs audiſti, oculatus Teſtis, & adhæc legenda oculos, mentemque reuoluas.

DIPLOMA I.

Iulij II. Pontificis Maximi, contrà Pugnantes in Duello, aut illud permittentes in Statu Eccleſiaſtico, Datum Romæ Anno MDIX.

SVMMARIVM.

1 *Affert Summus Pontifex cauſas, quibus ad Duella prohibenda mouetur.*
2 *Sub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna, prohibet fieri Duella in locis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, mediate, & immediatè ſubiectis, quouis prætextu, & cauſſa, etiam à Legibus permiſſa.*
3 *Decernit vbique impunè capi poſſe Duellatores; ac prohibet in ſacris locis corpora morientium in Duello ſepeliri.*
4 *Imponit Excommunicationis, Interdicti Eccleſiaſtici, & quatuor millium ducatorum pœnam pro prima vice, & priuationis Feudi pro alia vice; Communitatibus, Baronibus, Ducibus, Comitibus &c. permittentibus Duellum.*
4 *Derogat contrarijs Conſuetudinibus, & Indultis; ac tempus præſcribit ad incurrendum in dictas pœnas.*

IVLIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

REGIS pacifici, qui regnat in Cælis, licèt inſufficientibus meritis vicesgerentes in terris, cunctorum fidelium ſtatui, prout ex ſuſceptæ ſeruitutis tenemur officio, indefeſſa ſolertia intendentes, ac animarum periculis obuiare cupientes, ad ea, per quæ vbique, præſertim in terris Romanæ Eccleſiæ, Sponſæ noſtræ ſubiectis, inter fideles eoſdem, cædes, rixæ, & contentiones ceſſent, ſcandalorum tollantur fomenta, pax, & concordia vigeant, proſperiſquè eorum ſucceſſibus cõſulatur, opportunæ prouiſionis operam impendimus, proùt in Domino conſpicimus, ſalubriter expedire.

1 Sanè non ſine maxima animi noſtri perturbatione accepimus, quòd nonnulli fidelium prædictorum, inimico humani generis inſtigante, & aliquibus cauſis occurrentibus, & plerumque minimis, & inhoneſtis, ac leuibus verbis ad contumelias, contentiones, & diffidationes deuenientes, vt alter alterius ſanguine ſatietur, ad temporales Principes, & Dominos, maximè Ciuitatum, Terrarum, & locorum Sedi Apoſtolicæ ſubiectorum, confugiunt, vt eis locum tutum, ſiue campum ad Duellandũ, ſeu Pugnãdum aſſignent. Et quamuìs Principes, & Domini præfati, Duellum ſiue Pugnam eis diſſuadere, & prohibere deberent, tamen plerumquè locum, ac campum tutum huiuſmodi aſſignant, maleuolumquè altercantium propoſitum, ad executionem augent, magiſquè vni, quàm alteri fauent, ex quo hominum mortes repentinæ, & niſi diuina gratia præueniantur, animarum perditiones, mutilationes, & vulnera, inter aſtanteſquè pugnantium amicos, odia, & altercationes, & ex vno inconuenienti plura oriuntur in ipſorum fidelium animarum, & corporum periculum, generiſquè humani præfati iacturam, pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Cauſæ iſtius prohibitionis.

2 Nos igitur, qui fidelium prædictorum, tranquillitatem, & pacem ſinceris deſiderijs exoptamus, ſaluberrimis Chriſtianæ Religionis documentis, & exemplis Deum tentandum non eſſe præmoniti, Saluatoriſquè Domini noſtri IESV Prohibitio Duellorũ in Statu Eccleſiaſtico.

CHRISTI, qui Petro Apoſtolorum Principi, vt gladium mitteret in vaginam, mandauit, præceptis edocti, attendentes hominem homini, inter quem cognationem quandam Natura conſtituit, inſidiari nefas, & gladiatoria munera, & purgationes huiuſmodi vulgares, à Religionis noſtræ pietate damnari, cruentaque ſpectacula à ſacris Canonibus, & Imperialibus legibus inhibita, & improbata, ſicque pugnantes infamia notari, & diuerſis pœnis puniri, & cum omni tempore, potiſſimùm tamen in otio ciuili, & domeſtica quiete, publica deteſtanda eſſe, Motu proprio, non ad alicuius ſuper hoc Nobis oblatæ petitionis Inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, hac in perpetuùm valitura Conſtitutione, Duellorum, & Gladiatorum huiuſmodi vſum damnamus, & improbamus, & in Terris Romanæ Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiectis, per quoſcunque, quauis auctoritate, & poteſtate, ac nobilitate fulgentibus, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna, è quacumque cauſa, etiam à legibus permiſſa, fieri omninò prohibemus.

3 Dictoſque Pugiles taliter pugnantes, vbique impunè capi poſſe, & puniri, pro homicidio, vel vulnere, iuxtà Iuris communis diſpoſitionem, nulla eis conſuetudine ſuffragante, ſtatuimus. Corporaque in Duello in Terris Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiectis facto morientium, in Sacro ſepeliri prohibentes.

Prohibitio illa permittendi.

4 Sub ſimili Excommunicationis pœna, & interdicti Eccleſiaſtici, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Domicellis, Baronibus, & alijs temporalibus Dominis, Vicarijs, Communitatibus, & Vniuerſitatibus Ciuitatum, Terrarum, & locorum præfatæ Romanæ Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiectorum mandantes, nè de cætero perpetuis futuris temporibus, aliquibus cuiuſcumque dignitatis, & nobilitatis fuerint, & ex quacumque cauſa, etiam à legibus non improbata, locum, ſeù campum liberum ad Duellum, ſeù aliàs ad pugnandum tutum, aut quomodolibet aſſignent, concedant, ſeu tradant; aut aſſignari, concedi, ſeu tradi faciant, vel permittant, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ, & quatuor millium ducatorum, Cameræ Apoſt. applicandorum, pœna pro qualibet vice incurrenda. Et ſi huiuſmodi Cōſtitutionis violatores, vltrà dictam primam vicem, fuerint, vltrà dictas pœnas, feudo, ſeu vicariatu, quem à dicta Romana Eccleſia obtinuerint, priuatos fore, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium præcipimus, mandamus, atque decernimus. Non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs, indultis, & conceſſionibus, quauis auctoritate editis, & quibuſuis conceſſis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Pœnæ inflictæ permittentibus Duella.

5 Volumus autem, quod præſentes litteræ noſtræ, poſtquàm in Valuis Baſilicarum Principis Apoſtolorum, & in Campo Floræ in Vrbe affixæ fuerint, omnes, & ſingulos Ciues Romanos, & alios in Vrbe commorantes, affixis quindecim diebus, alios verò Duces, Comites, Marchiones, Domicellos, Barones, & alios temporales Dominos, Vicarios, Communitates, & Vniuerſitates præfatas Ciuitatum, Terrarum, & locorum, Sedi præfatæ, mediatè, vel immediatè ſubditorum, decurſo menſe arctent, contrafacientes pœnas præfatas incurrant, in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi eis omnibus, & ſingulis contrafacientibus, perſonaliter, & particulariter intimatæ fuiſſent. Nulli ergo, &c.

Dat. P. Ann. 6. 24. Febr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Do-

minicæ, milleſimo quingenteſimo nono, ſexto Calendas Martij, Pontificatus noſtri Anno ſexto.

DIPLOMA II.

Leonis X. Pontificis Maximi contrà Pugnantes in Duello, aut illud permittentes in Statu Eccleſiaſtico, Datum Romæ Anno MDXIX.

SVMMARIVM.

1 *Refert prohibitionem Duellorum factam à Iulio II. quòad Statum Eccleſiaſticum.*

2 *Approbat, confirmat, & innouat Iulij Conſtitutionem.*

3 *Duellatoribus, præter cæteras pœnas, addit perpetuam memoriæ damnationem, ac Bonorum confiſcationem.*

4 *Præſtantibus campion ad pugnandum imponit pœnam deuolutionis omnium Iurium, quæ obtinent in ſuis Territorijs, abſque alia declaratione.*

5 *Spectatores Duellorum, Excommunicatione, & pecuniaria pœna afficit, ac Duelli locum Eccleſiaſtico ſubijcit Interdicto.*

6 *Decernit perpetuò ſeruandam eſſe Iulij Conſtitutionem.*

7 *Deputat Executores Camerarium, & Clericos Cameræ Apoſtolicæ.*

8 *Derogat quibuſcunque contrarijs Priuilegijs, &c.*

LEO EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ. QVAM Deo, & Hominibus abhominabiles viri pugnantes in Duello exiſtant, & omnium in ore verſatur, & diuina, humanaque Iura deteſtantur, nec immeritò, cùm non ſolùm corporum, ſed etiam animarum eorum, pro quibus Saluator noſter IESVS CHRISTVS DEI Filius mortem ſubijt temporalem, graue detrimentum afferre noſcantur. Ad reprimendum igitur talium nefarios auſus, plurimum conferre cenſentes, eos, qui huiuſmodi ſcelus deteſtabile quidèm, & Canonica, Ciuilique lege prohibitum patrare non expaueſcunt, grauiter fore puniendos, ac ea, quæ ad compeſcendum ſimiles vetitos conarus à Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris ſtarura fuerunt, vt eò firmiùs obſeruentur, quò ſæpiùs fuerint auctoritate Apoſtolica communita, approbamus, & nouo munimine roboramus, & ſi qua ad perterrendum animos audaces meliora ſint, ijs adijcimus, prout in Domino conſpicimus, ſalubriter expedire.

1 Dudùm ſiquidem à fel. rec. Iulio Papa II. Prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet. *vt ſuprà, &c.* (Iulius II. edidit Cõſtit. hic indicatam. — Omittitur tenor iſtius Cõſtit.)

2 Cùm autem, ſicut accepimus, in eiſdem litteris contenta, ab aliquo tempore citrà non fuerint obſeruata, & ex eo quàm plurimi Barones, Domini temporales, & alij, præſertim eidem Romanæ Eccleſiæ ſubditi, adeò procliuiores ad pugnandum in Duello redditi ſint, vt paſſim quotidie ſingularia eiuſmodi Certamina vbique committi videantur, ac Domini temporales præfati, armorumque Duces, eos ad id inuitare, quin potiùs irritare non formident, & cum in eorum Territorijs, & Iuriſdictionibus tutum pancratium, ſiue arenam præparent, & talia cruenta ſpectacula exhibeant, & illis comitiuam præſtent. Nos igitur non minùs deteſtabilem in Duello pugnãtium, quàm Ducum, Comitum, Marchionum, Barõnum, Domicellorum, & armorũ Capitaneorum, aliorumq; (Hic Pontifex eam cõfirmat.)

Dominorum temporalium eis ad id auxilium, conſilium, & fauorem præſtantium, nequitiam, ac improbam eorum conſcientiam reprobantes, qui ad ea viſenda conueniunt, corporum, & animarum ſaluti Chriſtifidelium, opportunis remedijs, indefeſſo ſtudio proſpicere volentes, litteras Iulij Prædeceſſoris præfati, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac animi deliberatione, harum ſerie, auctoritate Apoſtolica approbamus, confirmamus, & innouamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus.

Duellantibus pœnas auget.

3 Adijcientes, & eadem auctoritate Apoſtolica ſtatuentes, quòd pugnantes ipſi, non ſolùm pœnis prædictis ſubiaceant, ſed eorum memoria perpetuò damnata ſit, ac bona proſcripta ſint, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ cōfiſcata eò ipſo.

Permittentibus pœnas imponit.

4 Duces, Barones, Comites, Marchiones, & Domini temporales, Vicarij, Feudatarij, armorum Capitanei, Communitates quoque Ciuitatum, Terrarum, & locorum eidem Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiectorum, campum ad pugnandum præſtantes, non ſolùm pœnas prædictas incurrant, ſed ab omni Iure, quod in locis, & Territorijs ſuis obtinēt, ipſo facto cadant, illudque ad Cameram præfatam deuoluatur, & deuolutum eſſe cenſeatur, abſque alia declaratione deſuper facienda.

Spectatoribus pœnas infligit.

5 Qui verò ad talia cruenta ſpectacula videnda conuenerint, ſi Nobiles, Quingentorum; ſi mediocris fortunæ, Centum; ſi verò Ignobiles, vigintiquinque ducatorum, necnon Excommunicationis, & perpetuæ maledictionis pœnam incurrant, ac locus ipſe Eccleſiaſtico ſubiaceat Interdicto.

Iul. II. Bullam innouat.

6 Et inſuper omnia, & ſingula, tàm per Iulium Prædeceſſorem ſtatuta, & vt præfertur, per Nos confirmata, & illis adiecta, perpetuæ firmitatis robur obtinere, ac inuiolabiliter obſeruari debere, decernimus.

Executores deputat.

7 Quò circà Venerabili fratri Raphaëli Epiſcopo Oſtienſi, Camerario noſtro, ac dilectis filijs Præſidentibus, & Clericis dictæ Cameræ, pro tempore exiſtentibus, Motu ſimili mandamus, quatenùs præſentes litteras ſolemniter, prout ſibi videbitur, publicari, ipſaque, ac omnia, & ſingula in eis contenta, inuiolabiliter obſeruari faciant; contrafacientes verò, prædictas Cenſuras, & pœnas damnabiliter incurriſſe declarent, ac ſummariè, & eorum Camerali more exequantur, & irremiſſibiliter exigant. Conuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, ſuper quibus amplam eiſdem concedimus facultatem, & poteſtatem.

Contrarijs derogat.

8 Non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de Indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

D. P. An. 7. die 25. Iulij.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo decimonono, decimo Calendas Augusti, Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

DIPLOMA III.

Clemētis VII. Pontificis Maximi contrà Pugnantes in Duello, aut illud permittentes, &c. Datum Romæ Anno MDXXII.

SVMMARIVM.

1 *Refert quomodò Iulius II. Pontifex Duella prohibuerit.*

2 *Dicit eandem prohibitionem confirmatam fuiſſe à Leone X. & vtriuſque Diplomata, huic inſeri facit.*
3 *Confirmat præterita Statuta circà Duella, & ab omnibus ſeruari iubet.*
4 *Decernit nihil velle in contrarium obſtare poſſe.*

CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

1 CONSVEVIT Romanus Pontifex, ex Apoſtolicæ Sedis prouidentia, ad reprimendum nefarios conatus peruerſorũ, contrà Canonicas Sanctiones, & Mandata Apoſtolica, in ſuarum, & aliarum animarum periculum, & dictæ Sedis contemptum temerè tendentium, geſta Prædeceſſorum, quandoque innouare, ac innouata confirmare, & Apoſtolico munimine roborare, prout in Domino conſpicit, ſalubriter expedire. Sanè duorum felic. record. Iulius Papa Prædeceſſor noſter, Motu proprio, Duellorum, & Gladiatorum vſum, per ſuas litteras damnauit, & improbauit, ac in Terris S. R. E. mediatè, vel immediatè ſubiectis, per quoſcumque, quauis auctoritate, & poteſtate, ac nobilitate fulgentes, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœña, ex quacumque cauſa, etiam à legibus permiſſa, fieri omninò prohibuit.

2 Quas quidem litteras poſtmodùm, piæ memoriæ Leo X. Prædeceſſor noſter, & ſecundùm carnem, frater patruelis, & pro illarum maiori robore, per ſuas litteras, cum Litterarum Iulij Prædeceſſoris huiuſmodi, de verbo ad verbum inſertione innouauit, prout in eiſdem litteris, quorum præſentibus, de verbo ad verbum inſeri fecimus, pleniùs continetur.

Omittitur hìc illarum litterarum tenor, quia habuimus ſuprà in Conſtitutione Leonis X. & Iulij II.

3 Nos igitur cupientes, litteras prædictas, pro Chriſtifidelium animarum, & corporum ſalute, ac tranquillitate inuiolabiliter obſeruari, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, litteras Prædeceſſoris huiuſmodi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & innouamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, decernentes, illas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, plenum firmitatis robur obtinere, ac ab omnibus inuiolabiliter obſeruari, & per Executores in illis deputatos, aduersùs contrafacientes, ad executionem pœnarum procedi debere.

4 Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ dicti Prædeceſſores, in dictis eorum voluerunt non obſtare; cæteriſque contrarijs quibuſcumque: Nulli ergo omninò hominum, liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innouationis, communitionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerarìo contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, quartò Idus Februarij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

DI-

DIPLOMA IV.

Pij IV. Pontificis Maximi contrà Pugnantes in Duello, & illud vbique gentium Permittentes, Spectantes, &c. Datum Romæ Anno MDLX.

SVMMARIVM:

1 *Trium Summorum Pontificum edita Diplomata, circà Duellorum prohibitionem, denuò approbat.*

2 *Addit alias poenas anathematis, maledictionis, perpetuæ Infamiæ; Diffidationis, Criminis læſæ Maieſtatis, Seditionis, Rebellionis, Confiſcationis, & Priuationis Statuum, ac Feudorum, ac Depoſitionis aliorum bonorum, & inhabilitatis ad illa, & alia obtinenda, aliaſque pœnas addit.*

3 *Extendit prædictas poenas ad Pugnantes, Prouocantes, locum Præſtantes, Aſtantes, & Fautores, Chartas Duelli ſubſcribentes, Affigentes, & Publicantes, ſimul cum Maioris Excommunicationis latæ ſententiæ poena, quam eò ipſo incurrant, & cuius abſolutionem ſoli Romano Pontifici reſeruat.*

4 *Præterea imponit Eccleſiaſticis, poenas priuationis Dignitatum, & Beneficiorum, & inhabilitatis ad illa.*

5 *Innouat Iulij II. Leonis X. & Clementis VII. Conſtitutiones, Duellum probibentes.*

6 *Reuocat omnes facultates obtentas, quæ prædictæ prohibitioni refragari poſſent.*

7 *Hortatur Imperatorem, Reges; & quoſcumque Principes Chriſtianos, & Alios, vt in eorum Dominijs, ſingularia Certamina non permittant, ſub poena Maioris Excommunicationis, &c. omnibus, Imperatore, & Regibus inferioribus, infligenda.*

8 *Declarat ſuam mentem eſſe, vt nihil in contrarium obſtet.*

PIVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

EA, quæ à Prædeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, ſuadentibus legitimis cauſis, emanarunt, libenter approbationis, & innouationis munimine, ſolidamus, vt eò firmiùs illibata perdurent, quò ſæpiùs fuerint Apoſtolica auctoritate munita, illaque denouo ſtatuimus, & ampliamus, prout rationabiles cauſæ perſuadent, & hoc in Domino conſpicimus, ſalubriter expedire. Exordiũ

1 Dudùm ſiquidem à fel. rec. Clemente Papa VII. Prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ, in quibus nonnullæ aliæ inſeruntur tenorum ſubſequentium: *vt ſuprà, &c.* Cem. vij edidit Bu[...] laui dè[...] qua hic.

Cùm autem ſicut nobis innotuit, quàmplurimi Duces, Comites, Marchiones, Domicelli, Barones, & alij in temporalibus Domini, Vicarij, Communitates, & Vniuerſitates Ciuitatum, Terrarum, & locorum eidem Romanæ Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiectorum, nonnullique alij ſingularia Certamina exoptantes, & alij etiam, vt præfertur, ſubditi, illa videre cupientes, ſuorum Status, ſalutis, & honoris immemores, litteris prædictorum huiuſmodi contrauenire, & Cenſuras, ac pœnas in illis contentas paruipendere non vereantur, in animarum ſuarum perniciem, & diuinæ Maieſtatis offenſam, ac Reipublicæ læſionem. Cauſæ Cõ[...] ſtitution[...]

2 Nos, quorum eſt, ſceleratorum inſolentijs, quibus aduersùm Deum, & proximum, ac dictæ Sedis auctoritatem, veluti Catholicæ profeſſionis inimici ſæuiunt, ſalubriter reprimendis, nè ipſorum inualeſcat præſumptio, & peruerſitas extollatur, intendere; & nè litteræ prædictæ, quæ prouida deliberatione ab ipſis prædeceſſoribus emana- Confirma[...] tio Conſt. Iulij II. Leon. X. & Clem. vij.

runt, contemptibiles reddantur, ſed illarum tranſgreſſores, debita animaduerſione puniantur, prouidere volentes, Motu proprio, non ad aliquorum, nobis ſuper hoc oblatæ petionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, ſingulas Iulij, Leonis, & Clementis, Prædeceſſorum prædictorum litteras, cum ſtatutorum, ordinationum, adiectionum, decretorum, declarationum, confiſcationum, incorporationis, applicationis, voluntatum, & mandatorum, ac omnibus, & ſingulis alijs in eis reſpectiuè contentis clauſulis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & innouamus, & perpetuo firmitatis robore ſubſiſtere; & ſingulos, quos litteræ ipſæ concernunt, & concernent, ſub Excommunicationis, anathematis, maledictionis, perpetuæ infamiæ, diffidationis, criminis læſę maieſtatis, ſeditionis, rebellionis, confiſcationis, & priuationis Statuum, & Dominiorum, ac Feudorum, & Vicariatuum, ac aliorum bonorum ſuorum, ac depoſitionis illorum; necnon inhabilitatis ad illa, & alia impoſterùm obtinenda, ac Interdicti, ac alijs Cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis, & temporalibus; alijſque in eiſdem litteris contentis, quas contrauenientes, eò ipſo incurrant, & inteſtabiles fiant; ac vltrà pœnas prædictas, carceribus mancipari, & detineri, & pœnis prædictis irremiſſibiliter puniri debeant, perpetuò obſeruari, & per executores in dictis litteris deputatos aduersùs eoſdem contrafacientes, ad totalem executionem dictarum pœnarum, procedi debere decernimus.

3 Illoſque tàm ad pugiles taliter pugnantes, quàm eos ad id tentantes, & prouocantes, aut locum, ſeù campum ad pugnandum dantes, ſeù concedentes, ac in illis aſtãtes, & intereſſentes, ac certantes, comitantes, & comitiuam præſtantes, necnon conſulentes, ac adhærentes, & fautores, nec non chartas certaminis, ſeu Duelli ſubſcribentes, vel affigentes, aut publicantes, etiãſi prædictæ, ſeù cuiuſcumque alterius dignitatis, nobilitatis, ſtatus, gradus, & ordinis, tàm Eccleſiaſticæ, quàm mundanæ exiſtant, etiam ad hoc, vt ipſi vltrà pœnas prædictas, Excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœnam, à qua nonniſi à Nobis, ſeù Romano Pontifice pro tempore exiſtente, abſolui poſſint, eò ipſo incurrant.

4 Et ſi Eccleſiaſtici fuerint, etiam omnibus, & ſingulis Eccleſijs, Monaſterijs, dignitatibus, & alijs beneficijs Eccleſiaſticis, per eos obtentis, ſeù in quibus, & ad quæ Ius eis competit, eò ipſo priuati, & ad illa, ac alia impoſterùm obtinenda inhabiles exiſtant, necnon illa tanquàm per priuationem huiuſmodi vacantia, ab alijs impetrari poſſint, extendimus, & ampliamus.

5 Et nihilominùs præmiſſa omnia, & ſingula, prout per Iulium, Leonem, & Clementem Prædeceſſores præfatos, ſtatuta, & ordinata, inhibita, decreta, & mandata fuerunt, in omnibus, & per omnia de nouo ſtatuimus, ordinamus, inhibemus, decernimus, declaramus, & mandamus.

Iteratio ſta tutorum à Iulio ij. Leone X. & Cle. vij.

6 Ac omnes conceſſiones Duellorum huiuſmodi, & facultates deſuper prædictis, ſeù alijs quibuſuis perſonis, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ſub quibuſuis formis, & verborum expreſſionibus, forſan conceſſas, & approbatas, & innouatas, harumſerie reuocamus, ceſſamus, & annullamus.

Reuocatio quarũcumq; licentiarũ.

7 Et inſuper cupientes, illa, & tàm deteſtabilem pugnantium, & aliorum loca ad pugnandum, ac aliàs in præmiſſis fauorem præſtantium, & denique tanti ſceleris fautorum nequitiam, non ſolùm in Terris, & locis eidem Romanæ Ec-

Monitio ad omnes Principes Chriſtianos, etiam non ſubditos R. E. vt Duella, & Certamina prohibeant.

cle-

cleſiæ, vt præfertur, ſubiectis, ſed aliàs vbilibet penitùs reprimi, & aboleri, ac ſingulorum Chriſtifidelium animarum periculis obuiare, per viſcera Domini noſtri IESV CHRISTI, rogamus, & obteſtamur vniuerſos, & ſingulos totius Orbis Imperatorem, Reges, Duces etiam armorum, Marchiones, Barones, cæteroſque Principes Chriſtianos, necnon Dominia, Potentatus, Communitates Ciuitatum, ac Vniuerſitates Oppidorum, Caſtrorum, Terrarum, & locorum quorumcumque, illorumque in temporalibus Dominos, ac etiam Militum, tàm equeſtrium, quàm pedeſtrium Capitaneos, & Præfectos, etiam temporali ditioni ipſius Romanæ Eccleſiæ non ſubditos, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, ac præeminentiæ fuerint, vt diuini nominis intuitu, & pro ſua in Nos, & hanc Sanctam Sedem Apoſtolicam deuotione, & reuerentia, necnon fidei cultu, & conſeruatione, ac animarum eorũ, qui huiuſmodi Duella, diabolica fraude decepti perquirunt ſalute, dicta Duella, ſeù alia ſingularia çertamina in ſuis Regnis, Ducatibus, Marchionatibus, Baronijs, Dominijs, Terris, & locis nullatenùs fieri permittant; immò, nè fiant, expreſsè prohibeant, & diſſuadeant. diſtrictiùs præcipientes eis, nè vllo vnquàm tempore, huiuſmodi Duella, ſeù Certamina, quouis prætextu, ſeù quauis occaſione, vel cauſa admittere, aut aliquos ad id irritare, ſeu prouocare, vel illis intereſſe, aut vt fiant pati, ſeù permittere audeãt, vel præſumant. aliòquin eos, ac extrà terras, & loca ditioni Eccleſiæ huiuſmodi non ſubiecta, Duella, ſeù ſingularia certamina huiuſmodi, aut diffidationes deſuper facientes, & ad id irritantes, prouocantes, & auxilium, conſilium, vel fauorem dantes, ac illis aſtantes, & intereſſentes, & ſimiliter chartas deſuper

Ad quod habes Cõc Trid. ſeſſ. 25. c. 19. de Refor. vt in Bulla Cle. viij

ſubſcribentes, aut publicantes, ſeu de illis ſe intromittentes, eorumque, ac ipſorum ſingulos, ab Imperatore, & Regibus inferiores, maioris Excommunicationis, & vltrà eam, ſi Eccleſiaſtici fuerint, priuationis, & inhabilitatis pœnis prædictis ſubiacere, illaſque incurrere, & ab eis præterquàm à nobis, ſeù dicto Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, vt præfertur abſolui, aut aduersùs illas reſtitui, ſeù rehabilitari non poſſe, neque debere decernimus.

8 Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ dicti Prædeceſſores, in ſingulis eorum litteris prædictis, voluerunt non obſtare. cæteriſq; contratijs quibuſcumque. Nulli ergo, &c.

Clauſulæ derogatoriæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, Idibus Nouembris Pontificatus noſtri Anno primo.

Dat. P.A. 1.13. Nouemb.

DECRETVM

Concilij Tridentini ſeſſ. xxv. de reformatione cap. 19.

SVMMARIVM.

1 *Iubet ex toto Orbe Chriſtiano exterminari Duella.*
2 *Subijcit Excommunicationis, & alijs pœnis, etiam Imperatorem, & Reges permittentes fieri Duella.*
3 *Duellatores, & Patrinos perpetuæ Infamiæ, homicidarum pœnis, & priuatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ puniri decernit.*
4 *Spectatores, & fautores, &c. excommunicat, & maledicit.*

1 DETESTABILIS Duellorum vſus fabricante Diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano Orbe penitùs exterminetur.

2 Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine, Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in Terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eò ipſo ſint excommunicati, ac Iuriſdictione, & Dominio Ciuitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur.

3 Qui verò Pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur Excommunicationis, & omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ Infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ, iuxtà Sacros Canones, puniri debeant: & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura.

4 Illi autem, qui conſilium in cauſa Duelli, tàm in Iure, quàm facto dederint, aut alia quacumque ratione, ad id quemquam ſuaſerint, necnon ſpectatores, Excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur. Non obſtante quocumque Priuilegio, ſeu praua conſuetudine, etiam immemorabili.

DIPLOMA V.

Gregorij XIII. Pontificis Maximi, contrà Pugnantes in Duello &c. Datum Romæ Anno MDLXXXII.

SVMMARIVM.

1 Refert à multis priuatim committi Duella, vt eludant pœnas, publicè Duellantibus impoſitas.

2 Extendit Decretum Concilij, etiam ad priuata Duella, cum omnibus pœnis ab alijs Summis Pontificibus, ſtatutis:

3 Derogat Priuilegijs in contrarium conceſſis, & roborat cæteras Summorum Pontificum Conſtitutiones.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

1 AD tollendum deteſtabilem Duellorum vſũ, Concilium Tridentinum, Excommunicationem, & alias grauiſſimas pœnas, in concedentes locum ad Monomachiam, ac pariter in Pugnantes, nec non Patrinos, Conſulentes, Suadentes, & Spectatores, ſalubriter quidem decreuit: ſed creſcente hominum malitia, facinoroſi non deſunt, qui quod publicè prohibitum eſt, priuatim exequi non dubitent, dùm ſe pœnas prædictas, hoc modo eludere poſſe arbitrantur. Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19 prohibuit Duella.

2 Nos ad hæc coërcenda, pleniùs, euidentiùſque prouidendum eſſe rati, conſiderantesque Duellum priuatum, non minùs cruentum, & animæ, & corpori noxium eſſe, quàm quod publicè perpetratur, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, omnes illos, qui ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco conuento, Monomachiam commiſerint, etiam ſi nulli Patrini, ſocijue ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæue prouocatoriæ litteræ, aut denuntiationis chartulæ præceſſerint, Cenſuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propoſitis, teneri, proindè, ac ſi publico, & conſueto abuſu, ſingulare Certamen iniuiſſent. Volentes etiam locorum Dominos, ſi Certamen ex condicto huiuſmodi permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, Hic Pontifex prohibitioné ampliat.

om-

omneſque illud fieri mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, vel fauorem dantes, equos, arma pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocios, quouis modo ſeſe præbentes, eiſdem Cenſuris, & pœnis ſubiacere, etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti Pugnam non commiſerint, ſi per ſe ipſos non ſteterit, quòminus illa committatur.

Cõtrarijs derogat. 3 Non obſtantibus Priuilegijs, Immunitatibus, exemptionibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Alię Cõſt. firmæ remaneant. Conſtitutionibus tamen, & alijs Sanctionibus Apoſtolicis, hac de re diſponentibus, in ſuo robore duraturis.

Dat. P.A. 11.5. Decemb. Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1582. Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno 11.

DIPLOMA VI.

Clementis VIII. Pontificis Maximi, contrà Pugnantes in Duello publicè, vel priuatìm, Mittenteſque, Scribentes, aut Diuulgantes chartulas prouocatorias, aut Scripta, quæ dicuntur Manifeſta, eorumque Complices, & Fautores. Datum Romæ Anno MDXCII.

SVMMARIVM.

1 *Refert., & commendat cæterorum Pontificum Sanctiones contrà Duella editas.*

2 *Sic etiam pœnas, à Tridentino Concilio impoſitas Duellatoribus, enarrat.*

3 *Gregorij XIII. Conſtitutione, extenſum fuit dictum Decretum ad priuatam Monomachiam.*

4 *Cætera Diplomata Pontificia, & Concilij Decretum, præſenti Conſtitutione approbat.*

5 *Extendit hanc prohibitionem ad omnia loca vbique Terrarum, & ad perſonas, etiam in Caſtris, ſeu Propugnaculis militantes, etiam vbi Chriſtianæ Fidei hoſtes tyrannidem exercent.*

6 *Scripta, & Manifeſta in ordine ad Duellum, quocumque modo exarata prohibet.*

7 *Innouat pœnas in omnes contrauenientes, & ex compoſitò ſingulare Certamen ineuntes.*

8 *Hortatur Principes ad exterminanda Duella, & Duellatores puniendos.*

9 *Tranſumptis huius Conſtitutionis vbique gentium fidem adhiberi iubet.*

10 *In Vrbe eam publicari, & publicatam omnes afficere decernit.*

CLEMENS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

ILLIVS vices, licèt immeriti gerentes, qui vt animas ſuorum fidelium à peccato, & Diaboli laqueis liberaret, è Cælo deſcendens, humana carne aſſumpta, nec proprio quidem ſuo pretioſiſſimo ſanguini pepercit, ſed ſe ipſum in Ara crucis immaculatam Hoſtiam, Æterno Patri offerre voluit, in hanc præcipuè curam ſummo ſtudio incumbimus, vt eaſdem animas inæſtimabili pretio redemptas, aduersùs Sathanæ fraudes, quantum in nobis eſt, illæſas præſeruemus. Præſertìm verò totis viribus, nobis à Domino traditis, extermi- Proœmiũ. nemus exitialia quædam, atque enormia peccata, quibus diuina Maieſtas grauiùs offenditur, quæque eodem fabricante humani ge-

neris

generis hoſte, inuenta, atque introducta ſunt, vt ex cruenta corporum morte, animarum etiam ſimul interitus, ac pernicies ſequatur.

1 Rectè ſiquidem, & ſalubriter fel. rec. Pius Papa IV. Prædeceſſor noſter, poſt alios complures ſuos, noſtroſque Prædeceſſores, qui deteſtandum diuina, naturalique lege, ac ſacris Canonibùs damnatum Duellorum abuſum, ſuis etiam Conſtitutionibus ſeuerè prohibuerant, graueſque pœnas contrà quoſcumque temporali ditioni S.R.E. mediatè, vel immediatè ſubiectos, eius criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non ſolùm in Terris prædictis, ſed alias vbilibet, animarum periculis obuiare, Principes, ac Domicellos permittentes in ſuis Dominijs id patrari, acetiam extrà Terras, & loca ditioni Eccleſiaſticæ ſubiecta, huiuſmodi Duella, ſeu ſingularia Certamina, aut diffidationes deſuper facientes, ac ad id inuitantes, prouocantes, auxilium, conſilium, vel fauorem dantes, illiſque aſtantes, & intereſſentes, necnon chartas deſuper ſubſcribentes, aut publicantes, ſeu de illis ſe intromittentes ſingulos, Imperatore, ac Regibus inferiores, maioris Excommunicationis, ac (ſi Eccleſiaſtici fuerint) vltrà eam, etiam priuationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, inhabilitatiſque ad illa, & alia in poſterùm obtinenda, pœnis ſubiacere, eaſque incurrere voluit, à quibus non niſi à Romano Pontifice abſolui poſſint.

2 Sed poſtmodùm generalis Tridentina Synodus, ad exterminandum penitùs ex Chriſtiano Orbe hoc malũ, ſtatuit vt Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in Terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eò ipſo ſint Excommunicati, ac Iuriſdictione, & dominio Ciuitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui verò Pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini, vocantur, Excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ iuxtà Sacros Canones, puniri debeant. Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa Duelli, tàm in Iure, quàm facto dederint, aut alia quacumque ratione, ad id quemquam ſuaſerint, nec non ſpectatores, Excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

3 Quas pœnas nouiſſimè piæ mem. Gregorius Papa XIII. pariter Prædeceſſor noſter, extendit aduerſùs illos etiam omnes, qui non publicè, ſed priuatim ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco conuento Monomachiam commiſiſſent, etiã Patrinis, ſocijſue non vocatis, & loci ſecuritate non habita, & prouocatorijs litteris, minimè præcedentibus, etiam contrà locorum Dominos, ſi id (quantum in ſe fuerit) non prohibuiſſent, cæteroſque ſupradictos criminis ſocios, & ex cõpoſitò ſpectatores, etiam ſi Pugnam ob aliquod impedimentum non commiſiſſent, ſi ad locum acceſſiſſent pugnaturi, & per eos non ſtetiſſet, quò minus pugnarent.

Greg. xiij. ad Duella etiam priuatim cõmiſſa extendit in eiusCõſt.

4 Verùm quia, cum magna animi noſtri moleſtia intelleximus, adhuc in quibuſdam, præſertim tranſalpinis, ac remotis regionibus, & potiſſimùm vbi bella vigent, caſtrenſi quadam, & militari licentia, ſeù veriùs audacia, pernicioſum hoc ſcelus inter fideles exerceri, quaſi fas ſit in ſolo hoſtili, vbi Chriſtiani

Hic modo Pont. dd. Conſt. & Concilium approbat.

nomi-

nominis, ſeù Catholicæ fidei hoſtes tyrannidem exercent, ſiuè hæreſes, & ſchiſmata impunè graſſantur, ſiuè inter ſigna, & caſtra militaria in caput ſuorum fratrum, impios conuertere mucrones, quos multò ſalubriùs contrà Chriſti aduerſarios ſtringi par eſſet. Nos nefaria Diaboli arma, ſalutari Eccleſiæ gladio, ad cõtinendos in officio fideles, Nobis præcipuè, ipſius Domini auctoritate tradito, retundere, atque à ceruicibus gregis Domini, noſtræ curæ crediti, quantum (eodem Deo adiutore) eniti poſſumus, propulſare cupientes, prædictas omnes Conſtitutiones, ac Decretum Concilij Tridentini, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis Cenſuris, & pœnis, decretis, extenſionibus, quarũ, & quorum omnium tenores, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & ad verbum inſertis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentiũ, perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus.

Eaſq; Bullas, & earũ pœnas ad certas perſonas, & loca hic enunciata extendit.

5 Ac inſuper auctoritate, & tenore præmiſſis, decernimus, & declaramus, eaſdem Conſtitutiones, ac Decretum, locum habere vbique gentium, & terrarum, inter quaſcumque perſonas, etiam armatas, & in Caſtris, ſeù propugnaculis militantes, etiam vbi noſtrorum, & Sanctæ Rom. Eccleſiæ fidei hoſtium furor, impunè graſſatur, vel in Dominijs per eos occupatis, & detentis. Idem quoque Iuris cenſendum eſſe, ſi publico, & forſan iuſto bello indicto, miles aliquis alterum, in aduerſariorum Exercitu militantem, ſiue alias in hoſtium Caſtris præſidijs, aut Terris degentem, priuatas ſimultates, atque inimicitias publicæ cauſæ intermiſcendo, etiam Ducum permiſſu, ex condicto ad ſingulare certamen deſcendat, aut illum prouocet. Nec non ijſdem pœnis, Decreto, & Conſtitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ ſint de dirimendo certamine, cum primùm alteruter vulneratus fuerit, ſeù ſanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit. Vel ſi conuenerint, vt non ſinguli cum ſingulis, ſed bini, terni, aut plures, hinc indè pugnent. Et non ſolùm locorum Dominos, ſed etiam Magiſtratus, Præſides, Locumtenens, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in Caſtris, vel extrà ea, in alieno, vel hoſtili ſolo, vel cum militibus Exercitus aduerſariorum, Monomachiam in quocunque caſu per præſentem, vel alias Conſtitutiones huiuſmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipſis eſt non prohibentes, aut poſt admiſſum crimen, veniam, & impunitatem concedentes.

Scripta quoque omnia ad Duellum quaſi præparatoria prohibet.

6 Prætereà, pari ratione prohibemus omnia, & ſingula eius generis ſcripta, manifeſta, ſeù fides vulgò appellata, quæ etiam ſine expreſſa prouocatione, ad certamen, quaſi præparatoria quædam ad charrulas, ſeù libellos prouocatorios, & ad Duellum, illorumque veluti radices, aut ſemina, vt plurimùm laceſſendi aliquem ad pugnam, & ſuſcitandæ ſimultatis, atque inimicitiæ materiam, & occaſionem præbent. Dùm ſcilicet in illis, per modum Epiſtolæ, libelli, aut publicæ atteſtationis, & intimationis, ſiue per authentica documenta, ſiue per vnius, pluriumue chirographum, ſubſcriptiones, aut relationes, ſub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ, more militari, atque, vt vulgò dicitur, *Cauallereſco*, tuendi, aut lædendi, ſiue ad illatæ, propulſatæue contumeliæ, aut iniuriæ probationem, ſeù tollendam illius ſuſpicionem rei alicuius geſtæ, ad id pertinentis, vel verborum, aut reſponſionum ſeries, & ordo narratur, vel ex ſimili abuſu, hac de cauſa, aliquid tale adeò firmiter aſſeritur, aut negatur, vt qui contradixerit, is ſiue nominatim, ſiue in genere, mendacij arguatur, aut mentiri

dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam conſuetudine quæritur, declaratur, aut reſpondetur, qua mente, aut quo ſenſu quippiam eiuſmodi, quod ad ſuperiùs expreſſa ſpectet, geſtum, dictumue ſit. Vel denique offert ſe quiſquam contrà certam, vel incertam perſonam, vel generatim contrà quemcumque ad probandum armis, & verificandum, etiam inito certamine, aliquid ita eſſe, aut fuiſſe, vel non fuiſſe. Necnon quaſcumque, etiam ſine ſcripto factas, talium rerum ſupradicta quoquo modo concernentium, & ob huiuſmodi cauſas in locis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire ſoleat, denunciationes, narrationes, declarationes, & teſtificationes. Volentes, eos omnes, & ſingulos, qui ſuo vel alieno nomine, ad effectum de quo ſuperiùs dictum eſt, prædicta, vel his ſimilia, multòque magis ad certandum prouocatoria ſcripta, libellos, Epiſtolas, earumue exempla dictauerint, compoſuerint, ſcripſerint, miſerint, detulerint, diuulgauerint, affixerint, exemplauerint, typis impreſſerint, ſubſcripſerint, intimauerint, vel etiam verbo denunciauerint, ſiue atteſtati fuerint. Quiue alijs ad ſingulare certamen publicè, vel occultè ineundũ, vel ad prouocandũ aliquem ad pugnam, ſiue ad huius generis Scripta, quę Manifeſta, quęq; chartulæ prouocatoriç appellantur, ſcribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, conſilium, operam, vel fauorem præſtiterint, ſiue id ſuaſerint, aut mandauerint, quiue in premiſſis, vel eorum aliquo, ſe quomodolibet immiſcuerint, etiã ſi neque Pugna aliqua, nec Certamen, aut effectus, nec acceſſus, aut actus ad Pugnam proximus, neque expreſſa, & aperta prouocatio ſubſecuta fuerit, neque ſcriptiones prædictæ, quæ manifeſta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, ſi per eos non ſteterit, quò minùs publicatio, aut denũciatio fieret, Nihilominùs cenſuris, & pœnis omnibus in præſenti, & alijs prædictis Conſtitutionibus, & Decreto cõtentis, ſubiacere, tàm ſi ſuperiùs enumeratis, quã ſi alijs etiam maioribus Eccleſiaſticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentijs excellant.

7 Quinimmò denouo etiam per præſentes, ex parte Omnipotentis DEI, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoſcumque publicè, vel priuatim, palàm, vel occultè, in quibuſcumque locis, modis, & formis, ac caſibus ſub præſenti noſtra, vel alijs prædictis Conſtitutionibus, ac Decreto comprehenſis, ſingulare certamen (quod Duellum vulgò dicitur) ex compoſitò ineuntes, necnon id ſcelus ſuadentes, aut prouocantes, opem, conſilium, vel fauorẽ præſtantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas, ſeu libellos, litteras, nuncios, aut quæcumque alia ſcripta huiuſmodi, quomodolibet peccantes, huiuſque delicti ſocios, de induſtria ſpectatores, patrinos, fautores, defenſores, quacumque tàm ſuperiùs expreſſa, quàm alia Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate. Itavt ſingulares etiam perſonæ, cuiuslibet Communitatis, Vniuerſitatis, Collegij, aut Reipublicæ, quæ huius criminis participes, quoquo modo fuerint, nequaquam excuſentur, ſed ſupradictos omnes, eorumque ſingulos, ipſo facto, abſque vlla monitione, Iudicis decreto, aut miniſterio, perpetui anathematis, Excommunicationis maioris, & maledictionis æternæ mucrone percuſſos, & damnatos, harum ſerie declaramus; & ſi in ipſo conflictu obierint, ſepultura Eccleſiaſtica perpetuò priuatos eſſe volumus. Ipſas verò Ciuitates, Terras, Oppida, vel Caſtra, & loca,

Iterumq; Duellantes Duellum permittẽtes, fautoreſq; &c. Excõmunicationis pœna ferit, vltrà alias eis inflictas.

in quorum territorijs, id facinus ſcientibus, & tacitè, vel expreſsè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magiſtratibus, vel Senatu, aut Populo, admiſſum fuerit, Eccleſiaſtico ſupponimus Interdicto: cuius Interdicti relaxationem, aut Excommunicationis abſolutionem, ab alio, quàm à Nobis, aut pro tempore, exiſtente Romano Pontifice, pœnitentia, & ſatisfactione congruè peracta, niſi in mortis articulo conſtituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum, quibuſuis perſonis, tàm Eccleſiaſticis, cuiuſcumque Ordinis, aut militiæ, ſtatus, aut gradus, aut conditionis exiſtentibus, quàm laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia inſignitis, per Sedem Apoſtolicam, in genere, vel in ſpecie conceſſorum. Quæ omnia, quò ad præmiſſa, nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari. Pœnis alijs, tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus contrà eos inflictis, nihilominùs in ſuo robore permanſuris.

Princeps hortatur ad Duella exterminanda, & delinquentes puniendum.

8 Vniuerſos autem, & ſingulos chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Imperatorem, Reges, ac dilectos filios nobiles Viros, Duces etiã armorum, & Exercituum, Marchiones, cæteroſque Principes Chriſtianos, necnon Dominia, Potentatus, Communitates, & Vniuerſitates Ciuitatum, Oppidorum, & Caſtrorum, illorumque Domicellos, & Dominos temporales, ac etiam Militum, & copiarum, tàm equeſtrium, quàm pedeſtrium Ductores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos in quibuſcumque, etiam nobis, & S.R.E. temporali iuriſdictioni non ſubiectis locis, conſtitutos, cuiuſcumque gradus, præeminentiæ, & nobilitatis exiſtentes, hortamur, rogamus, & obteſtamur per viſcera D. N. IESV CHRISTI, vt eius diuini nominis intuitu, pro ſua ergà eundem Deum, per quem regnant Reges, & à quo Principatus acceperunt, pietate, atque ergà nos, & Sanctam hanc Sedem reuerentia, & deuotione, non modò nihil tale in ſuis Dominijs fieri permittant, nec vllo modo conniueant, ſed hoc malum omni ſtudio, diligentia, & auctoritate exterminare totis viribus procurent, contrà quoſcumque delinquentes, & vt præfertur, quomodolibet complices, & participes, etiam temporalibus pœnis grauiſſimis, animaduertant, & per ſuos Officiales, & Curiæ miniſtros procedi curent: ſcituri ſe obſequium Deo per gratum, perquè acceptum præſtituros, ſi quo gladio ad tutelam bonorum, & ad propulſandos perditorum conatus, ſunt accincti, eundem ad vindictam huius peccati, & ad ſumendas de huiuſmodi criminis reis, debitas pœnas, exercuerint: contrà verò, memores, ſi in re tam graui malè ſe geſſerint, ſe in diſtricto Dei Iudicio, rationem in nouiſſimo die reddituros.

Tranſumptis huius Bullæ credi mãdat.

9 Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſigillo obſignatis, eadem prorsùs fides vbique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur exhibitis, vel oſtenſis.

Publicari eam præcipit, & ſãctionem pœnalem addit.

10 Quodque eædem præſentes in Lateranẽſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, de more publicentur, affixis inibi earum exemplis, per aliquem ex Curſoribus noſtris, & dimiſſis; quodque eadem publicatio, qui in Vrbe ſunt, poſt triduum, qui verò extrà eam, & citrà montes, poſt duos menſes; vltrà montes verò, poſt quatuor menſes, omnes quos concernunt, perindè arctet, & afficiat, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent: Nulli ergo omninò, &c.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1592. Decimoſextò Calendas Septembris, Pontific. noſtri Anno 1.

SECTIO III.

DE QVAESITIS CIRCA *Prohibitionem Duelli*.

EXpeditis iam Pontificijs Diplomatibus, Duellum prohibentibus, varia ſunt modò proponenda Quęſita, circà Duelli prohibitionem, & iuxtà Summorum Pontificum mentem, & germanum Canonicæ legis ſenſum ſoluenda, quorum tamen aliqua ad ipſoſmet Duellantes, alia ad Fautores, quædã ad Complices, & Socios nonnulla ad Principes, & Reges, multa etiam ad Clericos, cæteroſque Eccleſiaſticos pertinent. Omnia tamen breui, ac facili methodo, Deo adiuuante, expediemus. Lectorem autem admoneo, præter allata Summorum Pontificum Diplomata, aliud in Romani Bullarij Appendice reperiri, à Iulio III. Summo Põtifice editũ, quod cùm quo Domini, quouè ſui Pontificatus anno, datum fuerit, incertum ſit; ac prætereà cùm contrà homicidas, banditoſque; non verò contrà Duellantes præcipuè tendat, idcircò illud omiſimus; ſatis enim, ſuperque, Duellicæ prohibitiones ex allatis Diplomatibus colliguntur. Porrò in hiſce proponendis quæſitis, temporum ordinem ſequar, & quæ anteà Pius IV. mox Tridentina Synodus, deindè Gregorius XIII. poſtremò Clemens VIII. circà hanc duellicam materiam decreuerint, dubia proponam, ſed priùs quædam generaliter ſunt præmittenda. ideò ſit.

QVÆSITVM I.

Vtrum Pontificijs Duelli prohibitionibus, omnes, & vbìque Chriſtiani adſtringantur.

SVMMARIVM.

1 *Pontificijs legibus vniuerſalibus omnes parere tenentur in his, quæ ad animæ ſalutem pertinent.*

3 *Præclara ſententia SS. Patrum de generali, ac ſuprema Romani Pontificis in omnes Poteſtate.*

3 *Concluditur affirmatiua reſponſio ad Quæſitum.*

4 *Adducuntur rationes, & auctoritates.*

5 *Trium Summorum Pontificum Conſtitutiones, Duellum prohibentes in Statu Eccleſiaſtico, fuerunt deindè extenſæ à ſucceſſoribus pro toto Orbe Chriſtiano.*

1 ETSI nulli dubium ſit, quin omnes Chriſtiani gregis oues, Summi Paſtoris voces audire, omneſque militantis Eccleſiæ Milites, ſupremi Ducis, hoc eſt, Romani Pontificis, leges ad animæ ſalutem ſpectantes, exequi teneantur; cùm omnium curam ouium, omnium regimen militum, cæleſtis ille Paſtor bonus, ac Deus Exercituum, SOLI PETRO, eiuſque Succeſſoribus, abſque vllo diſcrimine, demandauerit: *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, non Principes, non Reges, nec Imperatorem, non Epiſcopos, nec cæteros eximens Apoſtolos, vt egregiè annotauit Bonifacius VIII. *in Extrauag. vnam Sanctam. de maiorit. & obed. Eccleſia vnius, & vnica, vnum Corpus, VNVM CAPVT*, &c. *dicente Domino ipſi Petro, Paſce oues meas: meas quidem, & genera-*

Supremus Paſtor totum regit Chriſtianum ouile.

Io. 21.

Bonif. viij.

liter

liter non ſingulariter has, vel illas, per quod commiſiſſe intelligitur vniuerſas.

D.Bern. 2 Et ſimiliter D. Bernardus *lib. 2. de Conſiderat. ad Eugenium.* de hac ſuprema Romani Pontificis in omnes Poteſtate, loquens: *Non modò ouium, inquit, ſed & Paſtorum TV VNVS omnium Paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini: Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè tota commiſſæ ſunt Oues? Si me amas Petre, Paſce oues meas: Quas? Illius, vel illius Populos Ciuitatis, aut Regionis, aut certè Regni? Oues meas, inquit: Cui non, planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.*

D.Ignat. Et pulchrè etiam D. Ignatius *in Epiſt. 6. ad Philadelphenſes. Principes,* ait, *obediant Cæſari; Milites Principibus: Presbyteri, Diaconi, & reliquus Clerus vnà cum Populo vniuerſo, Militibus, Principibus, atque Cæſare, ipſi Epiſcopo pareant.* Quantò magis Epiſcoporum Epiſcopo, Summo Pontifici parere tenentur. Et, vt cum eodem Bonifacio VIII. concludamus: *Oportet gladium eſſe ſub gladio; & temporalem auctoritatem, ſpirituali ſubijci Poteſtati.*

Status quæſtionis. Cùm igitur certum ſit Pontificijs Legibus, Chriſtianos, vbique gentium extiterint, teneri, ſi cæteræ adſint ad legis obligationem requiſitæ conditiones, adhùc tamen dubium eſt in præſenti Quæſito, vtrum de factò voluerint Summi Pontifices ſub hiſcè Duellicis prohibitionibus, ac Cenſuris, Chriſtianos omnes comprehendere. Quapropter.

Reſponſio affirmatiua. 3 Affirmatiua ad Quæſitum reſponſio, communi DD. calculo danda eſt, itaut ex huiuſmodi prohibitione, nec Viri, nec Fœminæ, nec Laici, nec Eccleſiaſtici, non Regulares, nec Seculares, non Principes, non Reges, non Epiſcopi, non Cardinales, nec ipſemet Imperator ſint eximendi.

4 Ratio eſt, quia huiuſmodi Leges, fuerunt generaliter in omnes latæ, & *qui omne dicit, nihil excludit, & nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.* Ratio.

Quòd autem in omnes latæ ſint Duellicæ prohibitiones, patet ex Clementis VIII. Diplomate: *Excommunicamus, & execramus omnes, & quoſcumque.* Item ex Pij IV. Conſtitutione, ibi: *Etiamſi prædicta, ſeù cuiuſcumque alterius dignitatis, nobilitatis, ſtatus, gradus, & ordinis, tàm Eccleſiaſticæ, quam mundanæ exiſtant, etiam ad hoc, vt ipſi vltrà pœnas prædictas Excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœnam, à qua, nonniſi à nobis, ſeù à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, abſolui poſſint, & ipſi incurrant, &c.* Clem. viij. Pius iv.

Patet etiam ex Tridentino, ibi: *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in Terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eò ipsò ſint excommunicati, &c.* Et idem colligitur ex Gregoriana Conſtitutione, vt eam legenti patebit. Trident. Concil. Greg. xiij.

5 Fateor tamen Iulium II. Leonem X. & Clementem VII. pro Statu tantummodò Eccleſiaſtico prohibuiſſe Duella. Verùm Pius IV., Tridentini Concilij Patres, Gregorius XIII. Clemens VIII. Duellicas prohibitiones, vbiquegentium, & Terrarum valituras eſſe decreuerunt, vt cæteris omiſſis ex Clementis VIII. Conſtitutione patet, ibi: *Ac inſuper auctoritate, & tenore præmiſſis decernimus, & declaramus eaſdem Conſtitutiones, ac Decretum, locum habere vbique gentium, & Terrarum, inter quaſcumque perſonas, &c.* Hanc ſententiam communiter omnes tuentur, ac præſertim Floronus *de prohibitione Duelli cap. 3. §. 1. n. 6.* Peregrinus *de Duello q. 10.* & Alij. Iul. ij. Leo x. Clem. vij. Extenſio aliarum Conſtitutionum. Floronus. Peregrin.

QVÆSITVM II.

Vtrum Pontificiæ Conſtitutiones cum Tridentino, Duellum prohibentes, de omni Duello ſint intelligendæ, an verò tantùm de Duello ad veritatem eruendam.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur dubitandi. ratio in præſenti quæſito.*
2 *Aſſeritur has Duellicas prohibitiones, de omni Duello eſſe intelligendas.*
3 *Lex non ſe extendit ad actus præteritos, ſed ad præſentes, vel futuros.*

Ratio dubitandi.

1 DVBITANDI rationem ipſæmet Pontificiæ Cõſtitutiones, ac Tridentinum Decretum nobis præbent; quoniam in illis ſæpiſſimè voces iſtæ Duellum, & Monomachia, ſunt repetitæ, quibus ſolùm ſingulare Certamen ad veritatem eruendam commiſſum, propriè ſignificatur; ac proindè cùm circà pœnas, ac odioſam verſemur materiam, voces illæ, de Duellis, propriè ſumptis, intelligendæ ſunt. Hanc ſententiam amplectuntur Lyranus 1. *Reg.* 17. & Emanuel Sà, *verb. Excommun.* §. *de Excommun. nulli reſeruata, num.* 14.

Lyranus. Emm. Sà.

Reſponſio affirmatiua. Greg. de Valentia. Toletus. Sanchez. Salonius. Nauarra.

2 Reſpondeo tamen cum Silueſtro *verb. Duellum, q.* 1. Gregorio de Valentia *quæſt.* 17. *punct.* 1. Toleto *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 32. & Sanchez *de præceptis lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 24. & Salonio, ac Petro Nauarra, apud eundem Sanchez, Pontificia Diplomata, ac Tridentinum Decretum Duellum prohibentia, de omni intelligenda eſſe Duello, quod *ex condicto* ſuſcipiatur, ſiue, vt veritas eruatur, ſiue vt de hoſte ſumatur vindicta, ſiue vt accepta propulſetur iniuria, ſiue quicumque alius intendatur finis, qui circà hanc Duelli materiam multiplex eſſe poteſt, vt ſuo loco patebit, cùm de ſpeciebus Duelli agendum erit.

Ratio.

3 Fundamentum eſt, quia quotieſcumque prohibetur aliquid, prohiberi cenſetur, ſicutì eo tempore abuſus, vel praua viget conſuetudo, non verò, prout præteritis temporibus fieri ſolebat: Lex enim non ad præteritos mores coërcendos, ſed ad præſentes abolendos vſus, vel ad futura præcauenda detrimenta promulgatur: Sed quo tempore Summi Pontifices, ac Tridentini Concilij Patres, deteſtabilem Duelli vſum, Chriſtiano ex Orbe exterminandum eſſe decreuerunt, non Duella ad veritatem eruendam, ſed ad iniuriam propulſandam, ad vindictam ſumendam, vt ex ipſorummet verbis patet, in vſu erãt: ergo ea etiam, & non ſolùm illa, Summos Pontifices, ac Tridentinum prohibere voluiſſe cum dictis Doctoribus exiſtimandum eſt.

Lex quos actus reſpicit.

QVÆSITVM III.

Vtrùm ex vi Tridentini Decreti, & Summorum Pontificum Conſtitutionum, ſit etiam prohibitum Iudæis duellare.

SVMMARIVM.

1 *Iudæi affici nequeunt Eccleſiaſticis Cenſuris.*
2 *Iudæi intrà Statum Eccleſiaſticum puniendi ſunt à Pontifice, ſi duellent.*
3 *Extra Statum Eccleſiaſticum puniuntur à Principibus locorum, vbi degunt.*
4 *Soluuntur in contrarium adducta argumenta.*

Quæ-

5 *Quænam ſit cauſa finalis prohibendi Duella?*

Iudæi non ligantur Cenſuris.

1 NON loquor hìc de prohibitione ſub Excõmunicationis pœna, qua, vt certum ſuppono, affici nequeunt Iudæi, quippèqui Baptiſmo carent, ac proinde incapaces ſunt omnium Cenſurarum, cùm Eccleſiaſticæ Cenſuræ, in omnes, & ſolos homines baptizatos, viatores, rationis, & doli capaces, qui in Eccleſia Superiorem habent, inferri poſſint, vt communiter docent Doctores, ac præſertim Nauarrus *cap.* 27. *nu.* 13. Suarez *diſp.* 5. *ſect.* 1. Ægidius Coninch *diſp.* 13. *dub.* 6.

Nauarrus. Suarez. Aegidius Coninch.

Proponitur dubium.

Dubium tamen eſt, de quo loquor, in ordine ad alias pœnas, quas Summi Pontifices, ac Tridentinum Duellatoribus infligunt.

Reſponſio ad quæſitum. Prima pars reſponſionis affirmatiua.

2 Reſpondeo igitur ad Quæſitum, cum diſtinctione: vel Iudæi intrà Statum Eccleſiaſticum, vel extrà illum degunt. Si Primum: Dico eis prohibitum eſſe Duellum Iure Pontificio, ac Tridentino, quia ſubduntur Summo Pontifici, eiuſque legibus, quatenùs temporalis Princeps eſt; cùm præſertim, vt ſuprà oſtendimus, Duellum ſit Iure naturali prohibitum, ac proindè Duellantes Iudæi, vtpotè Naturalem legem infringentes, à Summo Pontifice, tanquàm ab eorum Principe, Duellicis pœnis affici poſſunt, eoſque puniendos eſſe, videntur decreuiſſe Summi Pontifices, quandò in in ſuis Conſtitutionibus, Duellicas pœnas omnibus infligunt Duellatoribus; Qui enim *omnes dicit, neminem excludit*, vt docet: *Gloſſa in l. à procuratore. C. mandati.*

Pœnæ Iudæorum duellantũ.

Secunda pars reſponſionis negatiua.

3 Si verò extrà Eccleſiaſticum Statum degentes Iudæi, Duella cõmitterent, ad illorum Statuum Principes, quorum Dominio ſubderentur, eos punire pertineret, iuxtà Ciuiles Leges, ac cuiuſcumque Ciuitatis conſuetudinem, & municipalia Statuta.

Clem. viij. Obiectio.

4 Nec obſtat Clementis VIII. Conſtitutionem, vbique gentium, & locorum vim habere in ordine ad punienda Duella; talis enim Conſtitutio intelligenda eſt quòad Chriſtifideles, & ad Petri Oues, quæ in Eccleſiaſtico Ouili, baptiſmali Charactere initiatæ degunt; non autem quòad Iudæos, vel Infideles, ac cæteros, *qui foris ſunt*, qui tamen in aliquibus caſibus, etiam Summo Pontifici, tanquàm Chriſti Vicario ſubduntur.

Solutio.

Argumẽtum oppoſitum.

Sed obijcies. Tota ratio infligendi pœnas Duellatoribus, eſt ad euitanda animarum diſcrimina, quæ Duellando occurrunt; ſed Iudæorum animabus nullum vlteriùs diſcrimen afferri poteſt, quippequæ iam ſunt in manu Satanæ, & à vera Fide alienæ: ergo ceſſat prohibitio, quia ceſſat diſcrimen.

Reſponſio.

5 Reſpondeo. Totam cauſam finalem adæquatam, non eſſe ſolùm animarum pericula euitare, ſed etiam corporum, vt patet ex omnibus Pontificijs Conſtitutionibus, & Tridentino Decreto: ergo, etiamſi in Iudæis ceſſet periculum animarum, remanet tamen euitandum corporale periculum, ac proindè remanente cauſa finali, licèt inadæquata, remanet etiam legis obligatio.

De nullius ſalute dum viuit, deſperandũ eſt.

Addo, nec verum eſſe in Iudæis animarum diſcrimen euitandum non eſſe; nam quàmuis Iudæi à vera Fide alieni, in damnationis æternę ſtatu maneant, adhuc tamen nouum crimen committerent, & dùm in pręſenti vita ſpirant, ſperare poſſunt ſalutem, & conuerti ad Catholicam Fidem. *Potens eſt enim Deus de lapidibus ſuſcitare Filios Abrahæ*, & ex vaſe iniquitatis formate vas electionis, vt diuinum nomen corám Gentibus portet, quę ſalutis ſpes, ſi in Duello occumberent Iudęi, omninò euaneſceret.

QVÆ-

QVÆSITVM IV.

An Duellum ſit neceſſariò Armis committendum, vt Duellatores in Excommunicationis pœnam incidant?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt affirmatiua. Quo ſenſu ſint Principum Conſtitutiones intelligendæ?*
2 *Cauſſa finalis prohibendi Duella, videtur locum non habere in Duello ſine armis inito.*
3 *Quædam actiones, ex quibus rarò, aut vnquam graue ſequitur periculum, non ſunt ſub Duellica Excommunicatione prohibitæ.*

Reſpõſio.

1 AFFIRMATIVE reſpondeo ad Quæſitum; ad eſſentiam enim Duelli ſpectat, vt armis committatur.

Ratio.

Et ratio eſt; quia in Clementina Conſtitutione, armorum mentio habetur, ibi: *Vel denique offert ſe quiſpiam, contrà certam, vel incertam perſonam, vel generatim contrà quemcumque ad probandum armis, &c.* Et communiter loquendo inita cum armis Duella, propriè Duelli nomen merentur. Aliæ verò ſine armis commiſſæ, meræ Pugnæ, & contentiones dicuntur; quapropter, cùm Principum Conſtitutiones, iuxtà cõmunem loquendi vſum, ſint intelligendæ, & communiter loquendo, Duelli nomine veniat Duellum cum armis commiſſum, hoc ſolummodò in Clementina Conſtitutione prohiberi dicendum eſt.

Alia ratio.

2 Deindè, ſic præterea argumentor. Tota ratio, per quam prohibentur Duella, eſt ad euitandam corporis, & animæ perniciem, vt patet in Clementinæ Conſtitutionis Procemio, ibi: *Fabricante humani generis hoſte, inuenta, atque introducta ſunt Duella, vt ex cruenta corporum morte, animarum etiam ſimul interitus, ac pernicies ſequatur.* Sed ſi Duellum ſine armis committeretur nullum ſequeretur mortis, aut vulneris diſcrimen: ergo nec Excommunicationis pœna; ceſſante enim fine legis, ceſſat legis obligatio.

Cle. viij.

Corollarium.

3 Ex quo infero, non eſſe ſub Excommunicatione prohibitum, pugnis, brachijs, calcibus duellare: iſtæ enim Actiones, vel vnquàm, vel rarò graue corpori detrimentum parere poſſunt, ac proindè non apparet, legislatoris mentem fuiſſe, complectendi tali ſub pœna huiuſmodi Actiones; lex enim ad ea adaptatur, quæ frequenter accidunt: *leg. nàm ad ea. ff. de legib.* Ita etiam Peregrinus *de Duello q. 9.*

Peregrin.

QVÆSITVM V.

Quænam Duellicæ Actiones ſint ſub Excommunicationis pœna prohibitæ, ex vi Tridentini Concilij, & Conſtitutionum Summorum Pontificum.

SVMMARIVM.

1 *Quid in Pij IV. Conſtitutione in ordine ad Duellum prohibeatur, & quæ perſonæ comprehendantur?*
2 *Ex Tridentino, Imperatori, & Regibus permittentibus Duella, quæ pœna imponatur?*
3 *Ex Gregorio XIII. Duellum etiam priuatum prohibetur &c. & etiam ſocij excommunicantur &c.*
4 *Clemens VIII. vbique Gentium Duella prohibet.*
5 *Enumerantur variæ perſonæ ſub Clementina Conſtitutione comprehen-*

ſa præparatoria ad Duellum quæ ſint, & quæ prohibeantur?

6 Reſeruatur Pontifici abſolutio ab Excommunicatione Duelli.

IVXTA' varias Summorum Pontificum Conſtitutiones, variæ prohibentur Duellicæ Actiones, ac diuerſæ imponuntur diuerſis perſonis pœnæ; quæ omnia ſunt diſtinctè prænoſcenda, pro maiori, eorum, quæ dicturi ſumus intelligentia. ideò.

Cõſtitut. Pij iv. 1 Dico Primò. Vigore Conſtitutionis Pij IV. prohibetut Duellum publicum, & ſolemne, quod in Terris Chriſtianorum Principum committitur, cum Patrinis, loco, & armis deſignatis. In quatamen comprehenduntur: Primò, ipſimet Duellatores: Secundò, Quicumq; Principes, excepto Imperatore, & Regibus, locum Duellatoribus concedentes, ad committenda Duella: Tertiò, Aſtantes: Quartò, Comitantes: Quintò, Conſulentes: Sextò, Adhærentes: Septimò, Fautores: Octauò, Subſcribentes chartas Duelli: Nonò, Affigentes, & Publicantes.

Decret. Concilij. 2 Secundò. Ex vi Tridentini Concilij, Imperator, & Reges Duella fieri permittentes, Excommunicationi ſubijciuntur, cum hoc tamen diſcrimine, quòd nemini talis reſeruatur Excommunicatio.

Cõſtitut. Greg. xiij. 3 Tertiò. Vigore Bullæ Gregorij XIII. prohibitum eſt etiam Priuatum Duellum, ſine Patrinis, & Socijs, ac ſine præcedentibus litteris prouocatorijs commiſſum. Et comprehenditur locorum Domini, huiuſmodi permittentes Certamen, aut non prohibentes, quantùm in ſe eſt. Extenditur etiam dicta Conſtitutio ad omnes Socios, Duelli Spectatores *ex compoſitò*, etiamſi, qui ad locum pugnaturi acceſſerint, impediti Pugnam non commiſerint; modò per ipſos Socios, & Spectatores non ſteterit, quò minùs illa committeretur.

4 Quartò. In Clementis VIII. Conſtitutione confirmantur, I. omnes prædictæ Conſtitutiones, & prætereà decernitur habere locum vbique Gentium, & Terrarum, inter quaſcumque Perſonas, etiam armatas, & militantes, in Caſtris, & in Terris, & Dominijs Hæreticorũ. Cõſtitut. Clem. viij

5 II. Enumerantur Perſonæ, & Actiones, quas incurritur; quæ ſex ſunt. I. Milites in Bello, etiam iuſto, prouocantes alterum contrarij Exercitus, vel pugnantes in Duello, etiam Ducibus ipſis permittentibus. II. Paciſcentes de dirimendo Certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, aut certus numerus ictuum, vtrinque illatus. III. Etiamſi bini, vel terni, hinc indè pugnent. IV. Non ſolùm Domini locorum, verùm etiam Magiſtratus, & alij Officiales, in prohibitis caſibus, Duellum permittentes, vel non prohibentes, quantùm in ipſis eſt, vel poſt commiſſum, concedentes veniam, & impunitatem. V. Dictantes, ſuo, vel alieno nomine Manifeſta, Componentes, Scribentes, Mittentes, Deferentes, Diuulgantes, Affigentes, Imprimentes Typis, Subſcribentes, Intimantes, vel etiam verba Denunciantes, ſeù Atteſtantes. VI. Omnes, Cõſilium, Fauorem, Opem, ad ſupradicta præſtantes, vel quoquomodò ſe immiſcentes, etiamſi Pugna, nec acceſſus ad eam, nec prouocatio expreſſa ſequuta fuerit, nec Manifeſta prodierint in publicum, modò per ipſos non ſteterit, quominùs ea ſequerentur. Perſonæ quibus prohibetur. Actiones Duellicæ prohibitæ.

6 III. Numerantur præparatoria ad Duellum, & I. Manifeſta, quæ varijs modis eſſe poſſunt; vel per modum Epiſtolæ, & publicæ atteſtationis; vel arguendo mendacij eum, qui contradixerit; vel quærendo, quo ſenſu quippiam factum ſit, ex militàri conſuetudine, Præparatoria ad Duellum prohibentur.

vel offerendo ſe etiam generaliter contrà quemcumque, ad probandum armis, aliquid ità fuiſſe, vel non fuiſſe. II. Denunciationes ſinè ſcripto, & declaratione, talium rerum, concernentium ſupradicta, & ob id in locis publicis, vbi hominum multitudo conuenire ſolet, factæ.

Reſeruatur abſolutio ab Excõmunicatione.

6 Quartò. Subijciuntur pœnæ Excõmunicationis reſeruatæ, Duellantes, auxilium, & conſilium præſtantes, &c.

QVÆSITVM VI.

An Excommunicatio, contrà Duellum committentes, à Pio IV. lata, ipſo factò contrahatur?

SVMMARIVM.

1 *Præmittitur dubium procedere, & de Principalibus, & de cæteris, quouis pacto concurrentibus ad Duellum.*

2 *Reſponſio eſt affirmatiua. Quid ſit de ratione Excommunicationis latæ ſententiæ?*

1 DVBIVM hoc procedit, nedùm quòad ipſoſmet Principales, Duellum committentes, verùm etiam, quòad cæteros quouis pactò ſeſe Duello immiſcentes; vel locum permittendo, vt Principes; vel opem, aut conſilium præbendo, vt Socij; vel Duellicam Pugnam ſpectando, vt Patrini, cæterique aſtantes, & etiam quòad cæteros, qui Duellica manifeſta, aut ſcriberent, aut diuulgarent: Quibus omnibus, Excommunicationis pœna, ſi Laici fuerint, infligitur (Regibus tamen, ac Imperatore exceptis) ſi verò Clerici, præter Excommunicationem, priuantur etiam omnibus dignitatibus, beneficijs, & Ecclesiaſticis officijs, ad quæ, & alia inpoſterùm obtinenda, inhabiles redduntur. Hoc poſito.

De quibus perſonis dubitetur.

Reſpõſio affirmatiua.

2 Reſpondeo ad Quæſitum. Hanc Excõmunicationem ipſo factò contrahi; quia non eſt ferendæ, ſed latæ ſententiæ; ideòque, nulla alia requiritur Iudicis ſententia, ad eam contrahendam: hæc eſt enim natura Excommunicationis, Suſpẽſionis, & Interdicti, quandò ſunt latæ ſententiæ, vt nulla alia indigeant ſentẽtia, vt omnibus eſt compertum. Ità Hurtadus *de Spe, & Charitate vol.* 2. *diſput.*170. *ſection.*21. *ſubſect.* 2. *§.* 181. & Sanchez *lib.* 2. *cap.* 39.

Hurtad. Sanchez.

QVÆSITVM VII.

Vtrum priuatio Beneficiorum obtentorum, & inhabilitas ad cætera obtinenda, quæ in Motu proprio Pij IV. ſtatuitur, requirat Iudicis ſententiam?

SVMMARIVM.

1 *Pœna priuans Iure acquirendo an Iudicis ſententia indigeat, ad hoc, vt contrahatur?*

2 *Secunda ſententia affirmatiua Auctor adhæret.*

3 *Explicatur, quid importet particula, EO IPSO, expreſſa in Motu proprio Pij IV.*

4 *Priuatio beneficiorum iàm obtentorum, requirit Iudicis ſententiam.*

Prima ſententia negatiua.

1 PRIMAM ſententiam negatiuam amplectũtur Sotus *leg.* 1. *de Iuſt. quæſt.*6. *à* 6. *poſt.*4.*concl. verſ.Ex hac autem.* Cordubа *in ſuo Quæſtionario, lib.* 1. *q.* 36. *paulò poſt principium, & in ſolut. ad* 7.*verſ.Secundum*

Sotus. Corduba.

etiam

Medina. Emanuel. Aragon. Salon. Ratio.

etiam dictum, *& verſ. Ideò ad* 7. *Mexia taxa panis, concl.6. num.*108. Medina 1.2.*quæſt.*96.*a* 4.*ad* 4. Emanuel 1.*tom. ſum. in* 2. *edit. cap.*195. *num.*2. Aragonius 2.2. *quæſt.* 11.*art.*3.*fol.*350.*col.*2. *verſ. Ad aliud, de Statutis*, Salonius 2.2. *quæſt.*63.*a.*4.*fin.* Qui omnes tradunt nullam deſiderari ſententiam ad inhabilitatem incurrendam, eò quod pœna iſta priuatiua nullo Iure acquiſito priuet, ſed ſolùm Ius acquirendum impediat, ac proindè nullam Iudicis executionem deſideret, inſtar Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti. Sic etiam, quia Motus proprius dicit: *Eò ipsò incurrant inhabilitatis pœnam.*

Secunda ſententia negatiua.

2 Altera ſententia affirmatiua, ſatis probabilis Mihi videtur; ac propterea, reſpondendum eſt ad Quæſitum: Ad contrahendam inhabilitatem prædictam, opus eſſe *Sententia Iudicis* declarantis crimen.

Ratio.

3 Ratio eſt, quia illa particula. *EO IPSO*. id tantùm importat, vt non exigatur *Sententia condemnans*. Sic etiam, quia non omnes ſententiæ priuatiuæ, nullam Iudicis executionem petentes, incurruntur abſquè vlla ſententia, ſed id peculiare eſt in Excommunicatione, Suſpenſione, & Interdicto.

Altera ratio.

Tandem, quia eſt pœna valdè acerba, & ità per Epicheiam, excipienda eſt à Regula pœnarum priuatiuarum. Et quàmuis Irregularitas ſit rigidior; vſu tamen receptum eſt, vt nullam Iudicis ſententiam requirat. Quod non ità receptum reperitur in pœna inhabilitatis ad Officia, & Beneficia. Ità etiam tenent Nauarr. *de datis pro Iuſtitia, vel gratia, num.*44. Molina *tom.*1.*de Iuſt. diſp.*96.*pag.*590. Atquè in ſimili, de inhabilitate incurſa ob aliquod delictum à Scholaſticis, ad ſuffragium præſtandum, tradunt Sotus *lib.* 4. *de Iuſt. quæſt.* 6. *art.*3. *ad finem.* Ledeſma 2.*par.*4.*quæſt.*18.*art.*2. *dub.vlt.*& Sanchez *lib.*2.*c.*39.*n.*32.

Nauarr. Molina. Sotus. Ledeſma. Sanchez.

Quid dicendum de beneficijs obtentis?

4 Hæc omnia, quæ diximus, multò magis certa ſunt, quòad priuationem Beneficiorum, iàm obtentorum; quæ non incurri ſolet ante Iudicis ſententiam, cùm ſit pœna priuans Iure proprio, iàm acquiſito.

QVÆSITVM VIII.

Vtrum pœnæ à Pio IV. contrà Duellantes ſtatutæ, locum habeant in omni Duello, ſiuè ſolemni, ſiuè priuato?

SVMMARIVM.

1 *Statuitur, prædictas pœnas in ſolis priuatis Duelis locum habere.*

2 *Duella priuata fuerunt deindè prohibita à Gregorio XIII.*

1 BREVITER reſpondeo cum Hurtado *vol.*2. *de Spe, & Charitate diſp.*170. *ſect.*21. *ſubſect.* 2. *§.*181. *in fine*. Pium IV. decreuiſſe pœnas illas locum habere in publicis tantummodò Duellis, non verò priuatis: quod patet; nàm, quandò in ſuo Diplomate, ait: Excomunicationis pœna affici, *Diffidationes Facientes*, recenſuit omnia, quæ in ſolemnibus contingere ſolent Duellis, quorum præcipua eſt *Diffidatio*. Egit ergo de diffidatione publicata, ſubſcriptis chartis, & permiſſa à Principe, vt patet, ibi: *Duella, ſeù ſingularia certamina huiuſmodi, aut diffidationes deſuper facientes, & ad id irritantes, prouocantes, & auxilium, conſilium, vel fauorem dantes, ac illis aſtantes, & intereſſentes, & ſimiliter chartas deſuper ſubſcribentes, aut publicantes, ſeù de illis ſe intromittentes, eorumque, ac ipſorum ſingulos, ab Imperatore, & Regibus inferiores, maioris*

Hurtad. Conſtitut. Pij IV.

Excommunicationis &c. pœnis ſubiacere. Ex contextu igitur Diplomatis liquidò apparet in publicis Duellis, dictas pœnas locum habere.

Conſtit. Gregor. xiij.

2 Idque clarè etiam colligitur, ex Gregorij XIII. Conſtitutione, in qua priuata Duella prohibentur: ergo anteà prohibita non erant. Vndè Summus Pontifex Gregorius in ſuo Diplomate: *Creſcente hominum malitia*, inquit, *facinoroſi non deſunt, qui, quod publicè prohibitum eſt, priuatim exequi non dubitent &c. Nos conſiderantes Duellum priuatum, non minùs cruentum, & animæ, & corpori noxium eſſe, quàm quod publicè perpetratur, ſtatuimus &c.* Ex quibus omnibus conſtat, antè Tridentinum, & Gregorij XIII. Conſtitutionem, ex vi prohibitionis Pij IV. priuatìm Duellantes, aut priuato Duello ſe ſe immiſcentes, non fuiſſe Cenſuris ac pœnis, in ea Conſtitutione contentis, obnoxios.

Greg. xiij. Pius iv.

QVÆSITVM IX.

Vtrum ex vi Decreti Tridentini Concilij, Duellatores, eorumque Patrini, ipſofactò contrahant Excommunicationem, Perpetuam Infamiam, ac Bonorum Proſcriptionem?

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationis pœna ipſofactò contrahitur.*

2 *Infamiæ, & Proſcriptionis pœna contrahitur etiam ipſofactò, ſed non eſt in exequutione antè Iudicis ſententiam.*

3 *Priuatio Iuriſdictionis incurritur cùm primùm pugna permiſſa committitur, non quando permittitur.*

4 *Locus Duelli non amittitur antè ſententiam latam.*

Prima Reſponſio.

RESPONDEO ad Primum, quò ad *Excommunicationem*, Ipſo factò eam contrahi à Duellatoribus pugnantibus, & Patrinis. Quod probo; tùm quia *Concedentes locũ ad Monomachiam, eò ipsò*, inquit Cõcilium, *ſint Excommunicati:* ergo idem dicendũ eſt de ipſis Duellatoribus; tùm etiam, quia idem Concilium vtitur verbo illo *incurrant, Excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ Infamiæ pœnam incurrant.* Quod ſonat incurſum ipſofactò; quod ex Gregorio XIII. rectè probat Suarez *tom. 5. diſp. 25. ſect. 7. num. 11.*

Ratio. Concil. Trid. Greg. xiij. Suarez.

Secunda Reſpõſio.

2 Reſpondeo ad ſecundum, quò ad *Infamiam, & Proſcriptionẽ Bonorum*, ſtatim has pœnas incurri; ſed antè latam ſententiam in executione non eſſe. Et in hoc differt ab Excommunicatione, qua ſtatim contracta, nequeunt ampliùs, ſiuè Duellatores, ſiuè Patrini, Sacris intereſſe, niſi priùs abſoluantur; at Infamiæ, & Proſcriptionis pœna contracta, bonorum poſſeſſio non amittitur, niſi poſt Iudicis ſententiam; imò requiritur etiam, vt reipſa, *Duellica Pugna ſequatur*, vt ſit *Duellum ſolemne*, vt patet ex Textu, ibi: *Qui Pugnam commiſerint*, & infrà, vbi agit etiam de Patrinis: ergo requiritur Pugnæ commiſſio, & Duelli ſolemnitas &c. Ità Sanchez *lib. 2. cap. 39. num. 22.* Suarez *loc. cit.*

Ratio. Sanchez. Suarez.

Tertia reſponſio.

3 Reſpondeo ad Tertium, quò ad *Priuationẽ Iuriſdictionis*, & *Dominij* Ciuitatis, aut loci, vbi Duellica Pugna fieri permitteretur ab Imperatore, Regibus, cæteriſque Principibus, ac Dominis temporalibus, non contrahi hanc pœnam, cùm primùm *Pugna permittitur*, ſed cùm primùm *permiſſa committitur.* Et ratio eſt; quia pœnę iſtæ exigunt *Delictum conſumatum* exteriùs, vt etiam pœna Irregularitatis incurrendæ ex homicidio, non

Ratio.

con-

contrahitur, niſi homicidio ſequuto, & conſumato; vt fuſiùs infrà dicemus, cùm de Clementina Excommunicatione agendum erit.

Alia ratio.

Præterea colligitur ex illis verbis Con-ilij, vbi *Duellum committi permiſerint*, quæ ſignificant *actum conſumatum*, & Duellum committi, non committendum fore.

Requiſita ad has pœnas contrahẽdas.

4 Deniquè notandum eſt, eſſe hìc ſermonem de *Duello ſolemni*, non priuato, & de *illicito Duello* quemcumque ob finem commiſſo, & locum Duelli non amitti, ante ſententiam latam. Et tandem hanc Excommunicationem non eſſe ferendam, ſed latam ipſofactò, vt rectè probat Sanchez *lib.2.cap.39.num.26.* Suarez *tom.5. diſp.23. ſect.7. num.11.* & Hurtadus *loco cit.* §.168.

Sanch. Suare:. Hurtad.

QVÆSITVM X.

Vtrum Magiſtratus, eorumque familiares, ac Satellites Duellum ſpectantes, Duellicas pœnas ex Tridentino incurrant?

S V. M M A R I V M.

1 *Reſponſio eſt negatiua. Magiſtratus, quas iuſtas cauſas Duello adſtandi habere poſſint?*

2 *Quos ſpectatores Duelli, punire intendat Concilium Tridentinum?*

Dubitatur ex ſuppoſitione.

1 PRoponimus hoc Dubiũ, poſito quòd Princeps, ex aliqua cauſa, Duellandi facultatem cõceſſerit aliquibus in ſuo Territorio; *vt infrà q.13.* ac proindè an Magiſtratus inferiores, tali Duello aſtãtes, ſpectatorum pœnas contraherent?

Reſponſio negatiua.

Reſpondetur negatiuè, & ratio eſt, quia priuati Magiſtratus, permiſſum à Principe Duellum, cùm impedire nequeant, iuſtam habent adſtandi occaſionem, nimirùm vt prouideant, nè in Populo ad talem Duellicam Pugnam concurrente, aliæ Rixæ, aut tumultus concitentur, nèue ipſimet Duellatores inæqualibus pugnent armis, aut aliam committant iniuſtitiam cõtrà Duellica pacta, ac Principis permiſſionem. Ratio.

Alia ratio.

2 Et ratio à priori eſt; quia Tridentina Synodus, Duello intereſſe prohibet, quandò ex tali præſentia *promoueretur Duellum*, quod cum inpoſito caſu, vt ſupponimus, locum non habeat in Magiſtratibus, qui, quantùm ad ipſos pertinet, non ſunt ſimpliciter cauſa committendi, aut promouendi Duellum, ſed ſolùm, vt iuxtà præſcriptas leges, ac Principis permiſſionem Duellica Pugna peragatur; proindè, nec quòad ipſos Duellicæ pœnæ, à Tridentino contrà Spectatores inflictæ, locum habent. Ità Leſſius *lib. 4. cap.4. dub.9. num.83.* & Hurtadus *de Spe, & Charitate vol. 2. diſp. 170. ſect. 21. ſubſect.1.* §.179.

Leſſius. Hurtad.

QVÆSITVM XI.

Vtrum Sacerdos Duellicam Pugnam ſpectans, ſit puniendus tanquàm Duelli Spectator?

S V M M A R I V M.

1 *Sacerdos Duellum ſpectans excepturus Confeſſiones Duellatorum, non eſt Excommunicatus.*

2 *Famuli, aut Amici, vt Chyrurgum accerſant, in Duellica Palæſtra immorantes, nec Cenſuris ligantur.*

3 *Famuli deferentes arma an contrahant dictas pœnas?*

4 *Spectare à longè Duellum, an ſit iiſdem pœnis prohibitum?*

Cur

5 *Cur ex Tridentino prohibeatur Duellum ſpectare?*

Reſpōſio cum diſtinctione. Prima pars reſponſionis affirmatiua.

1 BREVITER cum diſtinctione reſpondeo; vel Duello præſens adeſt, malo aliquo fine, in ordine ad ipſummet Duellū intento, ità tamen, vt ex eius præſentia, aliquo pacto Duellica Pugna promoueri cenſeatur, & certum eſt, in ſpectatorum pœnas in tali caſu incidere: Si verò Duello interſit, vt Duellatoribus, ſi fortaſſe Duellando occumberent, præſtò adeſſet, vt eorum exciperet Confeſſiones, tunc iuſtam habens ſpectandi Duelli occaſionem, pœna vlla dignus eſſet, quinimmò laudem, ac præmium apud Deum, & apud Homines mereretur.

Secunda pars negatiua.

Quid de Amicis, & Famulis dicendum?

2 Pari ratione, nec Spectatorum pœnas contrahunt Famuli, aut Amici, qui in Duellica Palæſtra immorantur, vt Chyrurgum, aut Confeſſarium, ſaucio, aut morituro Domino, vel Amico duellatori, ſtatim accerſerenr.

Quid de deferentibus arma.

3 Sic etiam, nec erunt Excommunicati Famuli deferentes arma, & equum Heri Duellatoris, quandò id, *ſine graui incommodo* omittere nequeunt.

Quid de lōge proſpicientibus.

4 Præterea, ſi quis Duellum ſpectauerit, non publicè, ſed occultè, & per cancellos; vel non propè, ſed à longè, adeòut cenſeatur non eſſe præſens, nec etiam Duellicis Cenſuris ſubiacebit.

Ratio.

5 Et ratio eſt; quia cùm in poſitis Caſibus, horum omnium præſentia, Duellum non foueretur, nec promoueretur; proindè nec pœnæ contraherentur; mens enim Concilij infligentis pœnas ſpectatoribus, fuit remouendi cauſas, & occaſiones ad Duellum excitantes, fomenta, & tacitam quandam Conniuentiam ad Duellum patrandum, quam videntur præbere Spectatores, ex induſtria in Duellica Palæſtra immorantes ad ſpectandum Duellū, quod aliter impedire deberēt, qua ratione ceſſante in caſu noſtro, ceſſant etiam huiuſmodi Tridentinæ pœnæ. Ità Leſſius *lib.* 10. *cap.* 4. *dub.* 11. *num.* 83. Scortia *in Bull. Pont. Epitom.* 155. *Theorem.* 392. Hurtadus *de Spe, & Charit. vol.* 2. *diſp.* 170. *ſect.* 21. *ſubſect.* 1. *§.* 169. & Diana, *par.* 3. *tract.* 6. *Miſcell. reſol.* 1. *verſ. Dico quartò.* Leſſius. Scortia. Hurtad. Diana.

QVÆSITVM XII.

Quid dicendum de cæteris Duelli Spectatoribus, an ſcilicet quomodocumq; Duellum ſpectauerint, in Tridentinas pœnas incurrant?

SVMMARIVM.

1 *Spectatores Duelli per accidens, non ſunt excommunicati.*
2 *Qui curioſitatis gratia aſpiceret Duellum, an eſſet excommunicatus?*
3 *Quid ſi accederet ad videndum, ſed poſtea non ſequeretur Duellum?*
4 *Qui Duello adſtat, animo dirimendi certaminis, non contrahit has pœnas.*
5 *Socij comitantes Duellatores animo impediendi Duellum, an contrahant dictas pœnas?*

1 RESPONDEO Primò omnes illos, qui *fortè, & per accidens*, per Duellicam Palæſtram tranſeuntes, ſpectando Duello immorantur, prædictas pœnas non contrahere. Ità Riccius *in Praxi tom.* 3. *reſol.* 42. *num.* 2. Ægidius *diſp.* 32. *num.* 29. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 39. *nu.* 31. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 22. *cap.* 7. *nu.* 77. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 15. *num.* 114. Bonacina *diſp.* 2. *de Cenſur. quæſt.* 6. *par.* 2. *num.* 10. *verſ. Rurſus* Hurtadus de Riccius. Ægidius. Sanchez. Reginald. Filliuc. Bonac. Hurtad.

Spe,

Spe, & Charit. vol.2. diſp.170. ſect.21. ſubſect.1. §.179.

2 Reſpondeo ſecundò, nequè eos fore Excommunicatos, etiamſi conſcij ineundi Duelli, tenderent in locum condictũ, curioſitatis gratia, vt nimirùm viderent, quæ illic geruntur; illa enim curioſitas (vt inquit Hurtadus) non damnatur in Concilio, quia ij Spectatores, comparatione Duelli ſunt per accidens; non enim propter illos promouetur Duellum, ſed fortè impeditur multitudine ſpectatorum. Et ratio vlteriùs deſumenda eſt; quia huiuſmodi Spectatores, non ſunt Spectatores *ex compoſitò*, vel *ex condictò*; hoc eſt, non pacti ſunt de Spectando Duello. ità Hurtadus *loc. cit.*

3 Reſpondeo tertiò, nec fore Excommunicatos, etiamſi, *ex condictò*, ad Duellicum campum acceſſiſſent, *inſpiciendi cauſa* Duellum, dummodò Duellum ipſum, vel actus ad Pugnam proximus ſequutus non ſit. Huius ſententiæ eſt P. Diana *par. 3. tract.6. Miſcellan. reſol.1. contrà* Peregrinum *q.37.*

Diana. Peregrin.

4 Reſpondeo quartò, nec pœnas contrahere, etiamſi Duellum ipſum ſequeretur, dummodò illùc, *ex condictò* ſe contuliſſent *dirimendi certaminis cauſa*, immò laudem mererentur; quia opus virtutis eſſet, immò ſub præcepto, ſi dirimere commodè poſſent, vt benè Hurtadus *loc.cit.*

Hurtad.

5 Reſpondeo quintò, eadem ratione non fore Excommunicatos Socios, qui ex inſtituto comitarentur Duellatores in Palæſtram, *impediendi cauſa Duelli*; ſecùs verò *ſi iuuandi cauſa* comitarentur, quàmuis non ſit ventum ad Pugnam, quandò conati ſunt efficere, vt pugnetur. Ità Delrius *lib.4. Diſquiſ. magic. cap.4. q.4. ſect.2.n.26.* Sanchez *lib.2. cap.39. n.31.* Filliucius *tract.29. cap.8.n.117.* Bonacina *tom.1. de Cenſur. diſp.2.q.6. punct. 1. propoſ. 4. n. 29.* Molfeſius *in ſumma tract.7.cap.19. num.18.*

Delrius. Sanchez. Filliuc. Bonacina. Molfeſius.

QVÆSITVM XIII.

Vtrum Princeps ſit obnoxius pœnis, contrà Duellantes inflictis, quando permitteret Duellum, vt grauiora euitaret damna, quæ aliter, niſi grauiori incommodo, vitari non poſſent?

SVMMARIVM.

1 *Minora mala quandò permitti poſſint?*
2 *Quandò imminet grauioris mali periculum, charitatis lex an obliget?*
3 *Princeps permittens lupanaria non peccat.*
4 *Proponitur aliud Quæſitum, circà huiuſmodi Duelli permiſſionem.*
5 *Ponuntur tres caſus, in quibus poſſet Princeps Monomachiam permittere abſque Excommunicationis pœna.*

1 NEGATIVE reſpondeo cum Sanchez *lib.2.cap.39. num.30.* & Hurtado *vol.2.de Spe, & Charitate diſput. 170. ſect. 21. ſubſect. 1. §.173.* Sanch. Hurtad.

Fundamentum eſt, tùm quia minora mala, non ſolùm abſque pœna permittuntur, ſed etiam conſuluntur, quandò aliter vitari non poſſunt; tùm etiam, quia Iure Naturali, & Eccleſiaſtico, huiuſmodi permiſſiones prohibentur ad euitanda damna indè oritura: ergo, ſi ex non permiſſione, grauiora damna ſequerentur, talis permiſſio non cenſeretur prohibita.

Reſponſio negatiua. Ratio.

2 Præterea, ideò hæc permiſſio prohibetur, quia Charitatis legi repugnat, aliorum damna vitari præcipienti, ſed quandò grauioris damni periculum imminet, ea lex non obligat, quinimmò ad permitten-

Alia ratio.

dum

dum potiùs minus malum obligat: ergo Princeps conniuẽdo tali Duello, nec contrà Charitatem, nec contrà Ius Naturale, & Eccleſiaſticum delinquit: ergo nec prædictis pœnis puniendus.

3 Probatur vlteriùs à pari. Sicutì enim non peccat Princeps permittendo, immò deſignando locum Meretricibus, ſe proſternere volentibus, ad euitanda grauiora damna, ſtupri, vel adulterij, ità nec peccat deſignando locum Duellaturis, vt grauius damnum Belli, ſeditionis, tumultus, rebellionis, quæ oriri poſſent, non permittendo, euitet. Et ratio eſt; quia talis deſignatio loci, non eſt cooperatio ad ſingulare certamen; ſicutì nec deſignatio Lupanaris, eſt cooperatio ad impudicitiam Meretricum, ſed eſt deſignatio conditionata, vt ibi Duellent, ſi qui Duellare voluerint; ſicut in Lupanari, vt ibi meretriciam exerceat, ſi quę voluerit eſſe Meretrix.

4 Petes, quæ rationes ſuppetere poſſint, quibus Princeps abſquè crimine, & pœna, Campum deſignare poſſit in Ciuitate, Monomachiam committere volentibus?

Reſpondeo, varias eſſe poſſe, tamen e. g. tres breuiter afferam, quas ponit Hurtadus *loc. cit.*

5 Prima eſt; vt ſi inter duos Principes feruerent odia minitantia Bellum exitiale, quod quidem auerteretur, & reſtinguerentur odia, ſi Monomachiam permitteret Princeps tertius, qui non ſolùm eam poſſet permittere, ſed conſulere, ſi omnibus prudenter expenſis, iudicaret, nullam aliam ſupereſſe aquã, illi incendio reſtinguendo: conſulere autem non abſolutè, ſed vt poteſt conſuli minus malum.

Secunda eſt; ſi Vaſſalli Principis (verba ſunt Hurtadi) ità tumultuentur Ciuilibus odijs, vt prudenter timeatur illos cateruatim, & ex inſidijs congreſſuros, nequè ipſe Princeps poſſet eos legibus coërcere, nec compeſcere, nec ſedare conſilio, immineretque ſeditio, aut rebellio, tunc ſi poſſent ea damna vitari, permiſſa, aut conſulta Monomachia, eſſet permittenda, aut conſulenda; minus enim malum eſt, vt pauci congrediantur, quàm vt multi.

Tertia eſt; ſi duo Principes peterent à Principe tertio Campum, Tertius Caſus.
vt ex ipſorum Vaſſallis, pauci in eo Duellarent, ſi Princeps tertius, illum negare nõ poſſet, ſine periculo, quin illi in eum arma verterent, illique immineret, aut amiſſio Regni, aut Bellum periculoſum: Quæ lex me poteſt cogere, vt ego illis cum tanto meo diſcrimine reſiſtam? maximè cùm plura, grauioraque homicidia ſecutura ſint Bellum, mihi imminens. Hos tres Caſus *refert*, & *approbat* Hurtadus *loc. cit.*

QVÆSITVM XIV.

Vtrum prohibitum ſit Chriſtiano Principi, inter Chriſtianum, & Infidelem, Duellum permittere.

SVMMARIVM.

1 *Quomodò intelligendum ſit Decretum Tridentini, prohibentis Duellum inter Chriſtianos?*
2 *Concluditur affirmatiua ſententia, & adducuntur Auctores.*

1 AFFIRMATIVA ſententia Mihi magis arridet in hac parte; quandoquidem, cùm Tridentinum Concilium, Principibus prohibet, locum ad Monomachiam, in Terris ſuis inter Chriſtianos concedere, non eo ſenſu prohibet, quatenùs opus ſit, vtrumque Duellatorem eſſe Chriſtianum, ſed quia non vult vllo pacto, à Chriſtia-

nis tàm deteſtabilem Duelli vſum exerceri, & quandò aliquid ſingulis Chriſtianis interdicitur, dicitur interdici inter Chriſtianos.

Præterea, ſi Patribus Concilij ea mens fuit, prohibendi Chriſtianum ſanguinem, à Chriſtiano fundi; à fortiori præſumendum eſt, iiſdem Patribus mentem fuiſſe, prohibendi, nè in Duello, Chriſtianorum ſanguis, ab Infideli hoſte, effunderetur.

2 Quapropter, etiam Clemens VIII. Chriſtianis Militibus prohibet, ob priuatas inimicitias, cum hoſtilis Exercitus Milite, Duella committere. Hanc ſententiam tuentur Sanchez *lib. 2. cap. 39.* Martinus Delrio *lib. 4. diſquiſit. magic. cap. 4. quæſt. 4. ſect. 2.* & Bonacina *de Cenſ. to. 1. diſp. 2. q. 6. punct. 1. propoſ. 4. n. 26.*

Sanchez. Martinus Del rio. Bonacina

QVÆSITVM XV.

Vtrum ſub Excommunicatione prohibitum ſit Chriſtiano Principi, duobus Infidelibus locum in ſuo Territorio permittere ad Duellandum?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt negatiua.*
Peccat Princeps, cooperando ad malum, ſcilicet ad homicidium, ad quod tendit Duellum.
2 *Infideles Duellantes, licet Excommunicationis pœnam euadant, non tamen reliquas, vel corporales, vel pecuniarias.*

Negatiua reſpōſio.

1 NEGATIVE reſpondeo ad Quæſitum. Et ratio eſt; quia ſicutì ipſiſmet Infidelibus, qui ſunt Duelli *Principales*, non eſt ſub Excommunicatione prohibitum duellare: nàm cùm extrà Eccleſiam ſint, Eccleſiaſticæ diſciplinæ neruo, hoc eſt, *Excommunicatione* non puniuntur; ſicuti nec etiam Iudæi, aut Cathecumeni, vt probatur ex Apoſtolo *1. ad Corint. cap. 5. Quid enim Mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare?* & *ex cap. Gaudemus, de Diuortijs, c. de Iudæis, diſt. 45.* Ità nec etiam ipſiſmet Principibus, ad tale Infidelium Duellum cooperari, erit ſub Excommunicatione prohibitum.

2 Non nego tamen, ipſos Infideles puniri poſſe, & puniendos eſſe alijs temporalibus pœnis, locorum, vel Principum in quorum Terris degunt, ſubiecti enim ſunt naturali Iuri, & Principum Poteſtati, & in aliquibus etiam Summo Pontifici, quatenùs Chriſti Vicarius eſt, ex Eymarico *in Direct. par. 2. q. 46.* Peregrino *de Duello, q. 11.* Florono *c. 5. §. 4. n. 5.* Delrio *Diſquiſit. magic. lib. 4. cap. 4. q. 4. n. 16.*

Eymaric. Peregrin. Floronus. Delrius.

QVÆSITVM XVI.

Vtrum Duellatores, & Patrini ſint priuandi Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi in ipſo conflictu deceſſerint, à Duellica Excommunicatione abſoluti?

SVMMARIVM.

1 *Priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ eſt pœna diſtincta ab Excommunicatione.*
2 *Concluditur affirmatiua ad Quæſitum Reſponſio.*
3 *Cui conceditur maius, quomodò ſit conceſſum minus? Cur permittat Eccleſia abſolui Duellatorem, & tamen non ſepeliri in ſacro loco?*

SVPPONIMVS iam Duellatores, & Patrinos, ex Tridentino, Eccleſiaſtica ſepultura priuari, ſi in ipſa Duellica Pugna perierint, vt patet ibi: *Si in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura*. Adhùc tamen dubitari poteſt, an ſi à Cenſuris abſoluantur, eidem etiam pœnæ ſubijciantur?

Dubium.

Reſpõſio.

1 Reſpondeo *affirmatiuè*. Et ratio eſt; quia priuatio Eccleſiaſticæ Sepulturæ, eſt pœna diſtincta ab Excommunicatione: ergo etiamſi Duellator, vel Patrinus fuerit ab illa abſolutus, remanet tamen hac alia pœna ligatus.

Prima ratio.

Quòd autem ſit pœna diſtincta, probatur Primò *ex cap. 1. de Torneamentis*, vbi excommunicatur *Torneator*, qui ſi in Torneamento decedat, priuatur Eccleſiaſtica ſepultura, quàmuis ſit *abſolutus* ab Excommunicatione. Probatur ſecundò ex Textu Concilij, vbi *diſtinctè* ponitur hæc pœna priuationis, quæ ex ſe communis eſt omnibus in Excommunicatione morientibus: ergo ſatis fuiſſet dicere, *ſint Excommunicati*, cùm deindè talis pœna priuationis, neceſſariò ſequeretur. Ergo, ſi diſtinctè poſita ſunt illa verba, ſignum eſt, Concilium voluiſſe *diſtinctè*, hanc aliam pœnam apponere, aliòquin fuiſſent inutilia, quod eſt falſum dicere: *Verba enim in lege poſita, debent aliquid operari*.

Secunda ratio.

2 Cùm igitur hæ duæ pœnæ inuicem diſtinguantur, ſequitur ablata vna, nempè ablata Excommunicatione per abſolutionem, adhùc remanere aliam, nempè priuationem Eccleſiaſticæ ſepulturæ.

Tacita obiectio.

3 Neque obſtat: *Cui conceditur maius, concedendum eſſe, & minus*: ergo ſi Duellatori, vel Patrino morienti conceditur abſolutio à Cenſuris, concedendam etiam eſſe ſepulturam in loco Sacro: datur enim diſparitas; nàm abſoluitur à Cenſuris, nè ex hac vita diſcedat abſque *Sacramentorum præſidio*, quibus æternas pœnas euadere, ac ad æternam gloriam ſibi aditum aperire poſſit.

Solutio.

Priuatur verò Eccleſiaſtica ſepultura, tùm *in pœnam* inobedientiæ, tùm etiam AD TERROREM VIVORVM, qui conſpicientes huiuſmodi facinoroſos homines, indignos haberi, qui in Sacro loco cæteris cum fidelibus ſepeliantur, eiſque in agro, ac Sterquilinio, tanquàm brutis animalibus ſepulturam effodi, deincepſ à tali patrando facinore deterreantur. Ità etiam Hurtadus *vol. 2. de Spe, & Charit. diſp. 170. ſect. 21. ſubſect. 1. §. 474*.

Diſparitas.

Hurtad.

QVÆSITVM XVII.

Quid veniat hìc nomine priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ?

SVMMARIVM.

1 *Priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, largè accepta, multas inuoluit pœnas.*
2 *In proprio tamen rigore, dicit carentiam ſacri loci, pompæ, & funeralium.*
3 *Pro Duellatoribus in conflictu mortuis, quænam ſuffragia poſſint offerri?*

1 COMMVNITER loquendo Eccleſiaſticæ ſepulturæ priuatio, eorum omnium priuationem inuoluit, quorum Mortui cum Mortuis, ſunt in ipſa ſepultura capaces, vel ad eam concernunt: ſicutì enim Excommunicati, rebus omnibus Sacris priuantur, quibus cæteris cum Fidelibus viuentibus frui poſſent; ità etiam priuati Eccleſiaſtica ſepultura, priuati cenſentur ſacris rebus, quæ fidelibus Defunctis communes ſunt: itaque iuxtà

Prima acceptio largo modo.

hunc

hunc ſenſum, nec Suffragia, nec Miſſæ, nec funebre Eccleſiaſticum officium applicari poſſent, pro Duellatoribus, in Duellico conflictu morientibus; hæc enim omnia cenſentur quædam cum mortuo communicatio: *Sacris autem Canonibus inſtitutum eſt, vt quibus non communicamus viuis, neque communicemus mortuis, cap. Sacris de ſepult.* vbi Abbas notat *n.* 3. *quòd Iſti, quibus Eccleſiaſtica Sepultura interdicta eſt, ſepeliri non debent propè Cœmeterium, ſed procul, ſaltem tãta diſtantia, vt voces Clericorum cantantium, ibi exaudiri non poſſint.* Abbas.

Secunda acceptio ſtricto modo. 2 Strictè autem loquendo, ſolius Eccleſiaſticæ ſepulturæ priuationis nomine, priuatum intelligitur Cadauer, Sacri loci *Sepultura*, *Pompa*, *& Funeralium* ex Eccleſiæ ritu. Et ratio eſt; nàm hæc priuatio eſt odioſa, & pœnalis; ergo ſtrictè accepta, & proùt ſonat, non eſt vlteriùs extendenda ad alias pœnas.

Corollarium. Hurtad. 3 Ex quo infero cum Hurtado *vol.2. de Spe, & Charit. diſp.*170. *ſect.*21. *ſubſect.*1. *§.*175. in caſu, quo Duellatores, vel Patrini in Duello occumberent, ab Excommunicatione abſoluti, poſſe pro eis offerri Suffragia, licèt ſint priuati Eccleſiaſtica Sepultura; cùm enim conſtet, pro omni moriente ſinè Excommunicatione, poſſe illa offerri, poterunt etiam, & pro Duellatoribus, licèt priuatis Eccleſiaſtica Sepultura; quos tamen ſupponimus, ab Excommunicatione abſolutos.

QVÆSITVM XVIII.

Vtrum pro Mortuis in Duello, cum ſignis contritionis; ſepultis tamen extrà Eccleſiam, & non in locis Sacris, poſſint offerri Sacrificia?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi, & concluditur affirmatiua Reſponſio.*
2 *Mortui in Duello, an ſint nominatìm Excommunicati, & an in euidenti peccato mortali perierint?*

1 PRIMA fronte, negatiuè reſpondendum videtur; tales enim in publico Duello mortui, varijs Cenſuris ligati, ex hac vita deceſſerunt: ergo pro eis nequeũt offerri Sacrificia; non licet enim orare pro publicè Excommunicatis, oratione publica, quale eſt Sacrificium Miſſæ, iuxtà D. Thomam *in* 3. *par. q.*79. *art.* 3. *& Alios.* Ratio dubitandi. D. Thom.

Reſpondeo tamen *affirmatiuè* cum Portellio *in Reſponſ. Mor. par.* 3. *caſu* 10. *nu.*2. Diana *par.*4. *tract.*4. *reſol.* 192. Reſpõſio. Portell. Diana.

Fundamentum eſt; quia licèt Illi publicè Excommunicationem contraxerint; non fuerunt tamen nominatìm declarati Excommunicati, ac proindè non tenemur eos, non adhùc denunciatos vitare, in Communione Spiritualium, vel Temporalium. Ratio.

2 Prætereà, tales Duellatores non ſunt euidenter in læthali peccato mortui; licèt enim Duellando læthaliter peccauerint, poſt Duellum tamen (vt ſupponimus) Contritionis ſigna dedere: ergo dicendum eſt, mortuos non fuiſſe in euidenti mortali crimine. Poterunt igitur pro illis publicè orationes fieri. Hanc ſententiam tenet etiam Nauarrus *in Manuali, cap.*27. *n.*36. & in terminis, *tract. de Oratione cap.* 19. *concl.* 6. docet, Excommunicatis non denunciatis, *poſſe applicari Miſſam*, ſi oſtenderint ſigna Contritionis, aut ſi mortui ſint in ijs, ob quæ creditur, extrà mortale peccatum, mortuos eſſe. Ità etiam Henriquez *lib.*9. *c.*15. *nu.*3. & Reginaldus *tom.*2. *lib.*32. *tract.*1. *ſect.*2. *num.*76. Alia ratio. Nauarrus. Henriq. Reginald.

QVÆSITVM XIX.

Vtrum Duellatores, qui vno, aut altero die, poſt completum Duellum ſuperuixerint, ſint etiam priuandi Eccleſiaſtica ſepultura, poſito, quòd Contritionis ſigna dederint, vel Sacramentaliter confeſſi, à Cenſuris, & Peccatis abſoluti fuerint?

SVMMARIVM.

1 *Refertur prima ſententia affirmatiua, eiuſque rationes adducuntur.*

2 *Morientes in Torneamentis, Eccleſiaſtica priuantur ſepultura.*

3 *Se ipſos Occidentes non ſepeliuntur in Sacro loco.*

4 *Ex Rituali Romano prohibitum eſt ſepelire in Eccleſiaſtica ſepultura, morientes in Duello.*

5 *Quo ſenſu, per Aduerſarios accipiatur, Mori in conflictu?*

6 *Priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ quomodò dicatur ſimul fauorabilis, & pœnalis?*

7 *Adducitur ſecunda ſententia, ex Diametro oppoſita primæ.*

8 *Iuxtà tertiam ſententiam, licèt in Duello morientes ſepeliri nequeant in ſacro loco, poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare.*

9 *Concluditur cum Sancio, & Diana ſententia negatiua.*

1 PRIMA ſententia eſt Peregrini *quaſt. 7. de Duello num. 4.* & Homoboni *in Conſult. Caſuum Conſcient. tom. 2. par. 7. reſponſ. 64.* qui ſimpliciter aſſerunt, verius ſibi videri, priuandos eſſe Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi eodem, vel altero die, Duellico conflictu peracto, contriti, vel abſoluti, ex hac vita deceſſerint Duellatores.

2 Huius ſententiæ fundamenta ſunt; quia *Morientes in Torneamentis*, Eccleſiaſtica priuantur ſepultura, quàmuis eis pœnitentia non negetur, ſi antè mortem poſtulauerint, vt patet per Textum *in cap. 1. Extrà de Torneamentis*, neque in hoc Textu vlla ponitur diſtinctio mortis, eodem, vel altero die, quo pugnatum eſt, euenientis: ergo idem dicendum, *de Morientibus in Duello*, quod eſt eiuſdem ſpeciei cum Torneamentis. Ratio.

2 Secundum Fundamentum eſt, quòd, *Se ipſos occidentes*, indiſtinctè, Eccleſiaſtica ſepultura priuantur, vt patet *ex cap. Placuit. 23. quaſt. 5.* & *ex cap. Ex parte 2. Extrà de ſepulturis*, quam pœnam non euadunt, etiamſi de eorum, in mortis articulo, pœnitentia conſtet, vt docet Guttierez *in lib. 2. Canonicar. QQ. cap. 3. num. 8.* adducens etiam Paludanum *in 4. Sent. diſt. 20. quaſt. 1. colum. 1.* & Nauarr. *in cap. 1. de Pœnitentia, diſt. 7, num. 3.* ergo idem dicendum de Duellatoribus. Secunda Ratio.

4 Tertium Fundamentum eſt; quia in Rituali Romano, iuſſu Summi Pontificis Pauli V. edito, *in tit. de Exequijs mortuorum*, ſub Rubrica: *Quibus non liceat dari Eccleſiaſticam ſepulturam. &c. Morientibus in Duello* denegatur Eccleſiaſtica ſepultura, *etiamſi antè obitum, pœnitentiæ ſigna dederint.* Tertia Ratio.

5 Quòd ſi quis obijciat Peregrino: Duellatorem in caſu poſito *Non mori in conflictu*, ac proindè non verificari de eo, clauſulam illam à Concilio appoſitam: *Si in conflictu deceſſerint.* Obiectio.

Reſpondet: hoc non obſtare, quia in eodem conflictu dicitur mori, qui ex vulnere habito in conflictu moritur; ſicut Eccleſia dicitur ſanguine polluta, ſi quis in Eccleſia eſt vulneratus, licèt ſanguinem non effundat in Eccleſia, ſed extrà illam, Reſpõſio.

vt

Nauarr.

vt docet Nauarrus *in Manuali cap.27. num 251.*

Altera obiectio.

6 Rursùs ſi obijcias; hanc pœnam eſſe grauiſſimam, & odioſam inter Chriſtianos, ac proindè reſtringendam, & non ampliandam ad mortem, extrà conflictum ſequutam.

Reſpõſio.

Reſpondet: neque id obſtare; nàm licèt iſta pœna, reſpectu Mortui videatur odioſa, eſt tamen fauorabilis reſpectu viuorum, ad quorum terrorem impoſita fuit, vt à peccatis retraherentur; vndè cùm *Odium reſpiciat priuatam vtilitatem, Fauor autem publicam*, potiùs debet ampliari, quàm reſtringi, vt docet Dyn. *in cap. Odia de Regul. Iur. in 6.*

Dyn.

Portell. Secunda ſententia.

7 Secunda ſententia eſt Laurentij Portellij *in Reſponſ. Moral. par. 3. caſu* 10. *num.* 3. aſſerentis, quòd ſi quis in Duello læthaliter percuſſus in terram decidat, verùm ſigna Contritionis dederit, ex defectu tamen Sacerdotis, abſquè Confeſſione ex hac vita diſceſſerit, *Poſſet in loco Sacro ſepeliri*; licèt enim Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de reform.* iubeat Morientes in Duello, in pœnam delicti, ſepeliendos non eſſe in loco Sacro; quia tamen lex iſta pœnalis eſt, proindè ſtrictè eſt intelligenda, prò vt verba ſonant. Cùm igitur Concilium dicat, priuandum ſepultura Eccleſiaſtica *Morientem in Duello*, comprehendi non videtur ſub hac pœna, qui *finito Duello*, cum Contritionis ſignis Mortuus eſt, ſed qui *Moritur in Duello*, cum claro peccato mortali, abſquè ſignis Contritionis. Ità Portellius.

Concil. Trid.

Duuallius. Tertia ſententia.

8 Tertia ſententia eſt Duuallij *in 2.2. D. Thomæ tract. de Charit. q.17. art.1.* circà finem, opinantis; Illos, qui à Duello, vno, aut altero die ſuperuixerunt, aut etiam vna hora, & confeſſi ſunt, *Non poſſe in loco Sacro ſepeliri*; Epiſcopum tamen, iuſtis de cauſis, *Poſſe in hoc diſpenſare*; quàmuis enim huiuſmodi prohibitiones ſint à Concilijs, & à Summis Pontificibus, quia tamen tantùm fit mentio eorum, qui *in Duello obierint*, & non eorum, qui poſt *Duellum mortui ſunt*: nec etiam, quòd pro hac ſepultura, & alijs pro Defunctis fieri ſolita, recurrendum ſit ad Summum Pontificẽ, poterit ipſe Epiſcopus, ſi æquum iudicauerit, cum ijs contritis, & confeſſis diſpenſare. Ità Duuallius.

Quicquid igitur ſit de ijs ſententijs allatis, quas examinare, ac impugnare, breuitatis ergò pretereo.

Auctoris ſententia. Sanchez. Diana.

9 Reſpondeo breuiter ad Quæſitum *Negatiuè* cum Sancio *in Selectis diſput.* 36. *num.* 9. & Diana *par.2. tract.* 16. 2. *miſcellan. reſol.* 54. quibuſcum Dico: *Duellatores, qui vno, aut altero die poſt conflictum ſuperuixerint, priuandos non eſſe Eccleſiaſtica ſepultura, poſito, quòd contriti, vel à Cenſuris abſoluti, ex hac vita deceſſerint.* Et ratio eſt; quia tales Duellatores non moriuntur *in ipſo conflictu*; ac proindè cùm non verificetur de ijs clauſula illa in Tridentino Decreto appoſita: *Si in ipſo conflictu deceſſerint*, ideò nec locum habebit pœna illa: *Perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura.*

Ratio.

Alia ratio.

Prætereà, iuxtà generale illud Principium, *Odia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda*, pœna iſta reſtringi debet ad ipſos, qui *in conflictu decedunt*, & non extendi ad illos, qui vno aut altero die, poſt conflictum ſuperuixerint. Ità etiam Diana *loco citato*, de hac Concilij prohibitione ſentit, vbi contrà Peregrinum, ſic concludit: Cùm igitur verificetur ſatis litteræ proprietas appoſitæ in Concilio, negando ſepulturam decedenti in ipſo loco Duelli, *non oportet huiuſmodi pœnam extendere*, vt inflictam quòque illis, qui ex vulnere in Duello illato, decedunt, licèt viui diſceſſerint à loco conflictus.

Diana.

QVÆ-

QVÆSITVM XX.

Vtrum Duellatores non in loco conflictus, ſed in propinquiori Domo, vel Eccleſia, poſt Duellum morientes, ſint priuandi Eccleſiaſtica ſepultura; etiamſi contriti, vel confeſſi moriantur?

SVMMARIVM.

1 *Sententiam affirmatiuam amplectitur Auctor. Quomodò ſint intelligenda verba Tridentini Decreti?*

2 *Soluitur difficultas deſumpta ex Romani Ritualis Rubrica.*

3 *Locus Duelli ſtrictè ſumitur pro eo loco, qui ad Pugnam Duellicam condictus eſt.*

4 *Leges poenales ſtrictiſſimè ſunt interpretandæ.*

5 *Interdicta Vrbe, non intelligitur interdictum Suburbium.*

6 *Conflictus, de quo loquitur Tridentinum, phyſicè eſt accipiendus.*

7 *Procedit hæc ſententia, tàm quoàd Duellatores, quàm quoàd Torneatores humandos.*

Vis difficultatis.

MAIOR eſt in hoc Caſu difficultas, quandò non longa temporis mora intercederet inter conflictum, & mortem, vt frequenter accidere poteſt, cùm Duellatores, accepto lethali vulnere in Duello, ſtatim ex ipſo Duelli loco in propinquiorem Domum, vel Eccleſiam aſportantur, vbi poſt aliquod temporis ſpatium, ad Contritionem, ac Confeſſionem, à Diuina gratia obtentum, expirant. Et ratio dubitandi eſt: quia ij non moriuntur *in Duelli loco*, ſed *ex occaſione Duelli*.

Ratio dubitandi.

1 Reſpondeò igitur cum Hurtado (vt infrà) *Poſſe* dictos Duellatores, ſi Contriti, ac Confeſſi, & abſoluti à Cenſuris, ex hac vita deceſſerint, *in loco Sacro ſepeliri*.

Reſponſio ad quæſitum.

Probatur; quia iſti Duellatores non moriuntur *In conflictu*, vt loquitur Concilium, ſed potiùs *ex occaſione conflictus*: ergo non obſtat ad eos ſepeliendos Tridentini Concilij Decretum, cuius verba, vtpotè pœnalem legem continentia, *ſtrictè ſunt accipienda*; & non largè, extendendo ea nimirùm, etiam ad eos, qui non in ipſo conflictu decedunt.

Ratio.

2 Nec obſtat Ritualis Romani Rubrica, denegantis Eccleſiaſticam ſepulturam Morientibus in Duello, etiamſi antè obitum dederint pœnitentiæ ſigna; quia, vel loquitur *de Morientibus in Duello*, hoc eſt *in ipſo conflictu*, vel *in loco conflictus*, & neutrum noſtræ ſententiæ obſtat; nàm in poſito Caſu, Duellatores, qui aliò aſportati eſſent, & ibi præſtitis Contritionis ſignis morerentur, vtiquè nec *in conflictu*, nec *in loco conflictus* decederent: ergo nec eis *Eccleſiaſtica* ſepultura deneganda foret.

Rituale Romanũ.

Obiectio.

Solutio.

3 Præterea *locus conflictus*, ſeù *locus Duelli*, non eſt quicumque locus, ſed *deſignatus*, & ex *mutua conuentione* condictus: ergo de tali loco, ad quem Duellatores læthaliter vulnerati, aſportantur, & ibi moriuntur, (cùm nõ ſit ex mutua conuentione Duellantium deſignatus, & condictus, præſertim ſi eſſet *locus Sacer*) non ſunt explicanda, & amplianda verba Sacri Concilij Tridentini, neque Romani Ritualis, quod licèt à Viris quidem Doctis, ac magna exiſtimatione, & veneratione dignis, compoſitum ſit, ei tamen non omnes in omnibus parère videntur.

Quinam dicatur locus conflictus.

4 Pro hac Sententia clariùs confirmanda, adducam ipſamet Hurtadi verba, qui *vol. 2. de Spe, & Charit. diſp. 170. ſect. 21. ſubſect. 1. §. 178.* hæc habet. Negare tamen non poſſum has leges (quàmuis iuſtiſſimæ ſint) eſſe quidem pœnales, & maxi- Hurtad.

mè

Concil. Lateran.

mè acerbas, ac propterea accipiendas *quàm ſtrictiſſimè*. Cùm igitur Concilium Lateranenſe dixerit: *Si IBI moriatur*. accipiendum videtur de ipſo *loco* Pugnæ *phyſico*, & in ſenſu *phyſico*: quapropter ſi quis *extrà* Palæſtram moriatur, iàm non moritur *IBI*.

Confirmatur à ſimili de Interdicto Vrbis.

5 Confirmatur, quandò in Vrbe ponitur Interdictum Eccleſiaſticum, non ponitur in *Suburbio*, quàmuis Vrbi ſit attiguum; quia *ſuburbia* ſunt *extrà* Vrbem; *Odia autem ſunt reſtringenda*: ergo eadem ratione intelligendus eſt ipſe locus Palæſtræ.

Concil. Trid.

Eadē difficultas eſt de Torneatorib⁹, ac Duellatoribus.

6 Conflictus item Tridentinus (*Si in ipſo conflictu deceſſerint*) videtur accipiendus *phyſicè*, itaut moriatur *paulùlum poſt* acceptum vulnus, itaut inter illud, & mortem vix ſit locus breui confeſſioni Sacramentali; qui enim ità moritur, *in conflictu* moritur: qui verò ità non moritur, moritur *extrà conflictum*. Cui fauet phraſis communis.

Probabilē hanc ſententiam iudicatā Hurtadus cui Auctor ſuffragatur.

7 Hæc ſunt aptiſſima ad euellendos omnes ſcrupulos in Duellatoribus, & Torneatoribus humandis, quæ non audeo dicere non *eſſe probabilia, &c.* Hęc Hurtadus de Duellatorum, & Torneatorum pœnis proprio ore loquens, *loc. cit.* Hanc autem ſententiam, aliorum iudicio examinandam relinquimus; fateor tamen, periti huius Doctoris auctoritate, me ſin eam propendere, vt potè piam, ac mortuis fauorabilem.

QVÆSITVM XXI.

Vtrum ex vi Gregorianæ Conſtitutionis, ſit etiam ſub Excommunicatione prohibitum, accedere ad Duelli locum cum animo Duellandi, licèt non ſequatur Duellum?

S V M M A R I V M.

1 *Reſponſio eſt negatiua. Monomachiam committere, non verò accedere ad Monomachiam committendam, ex Gregorio XIII. prohibitum eſt.*

2 *Adducitur germanus ſenſus Gregoriani Diplomatis.*

3 *Quæ conditio principaliter requiſita ad hanc Excommunicationem contrahendam, deſit in caſu poſito?*

4 *Quid in hac re ſentiat Sanchez de tali Excommunicatione.*

5 *Differentia quædam inter Gregorianam, & Clementinam Excommunicationem, ex Filliucio.*

6 *Diſcrimen inter Duellantes, & Auxiliantes ad Duellum, ex Molfeſio.*

7 *Variæ adducuntur rationes ad confirmandam hanc ſententiam, ex Bonacina.*

8 *Proponitur primum argumentum, deſumptum ex vi clauſulæ, appoſitæ in fine Diplomatis.*

9 *Altera obiectio ex abſurdo vitando deſumitur.*

10 *In pœnalibus ſtandum eſt verbis Legislatoris.*

11 *An ſequatur abſurdum, magis puniri, qui minus deliquerit?*

1 NEGATIVE reſpondeo ad Quæſitum, cū Sanchez, Filliucio, Molfeſio, Hurtado, Graſſio, Luca Florono, & Alijs infrà citandis, contrà ſolum Peregrinum. qui *quæſt.*41. ſui Duellici Tractatus, probabilius Sibi videri, ait, eſſe affirmatiuè reſpondendum. — Reſponſio negatiua. — Peregrin.

Ratio, qua cum his Doctoribus moueor, ad hanc negatiuam reſponſionem dandam, eſt, quia in Gregoriana Conſtitutione excommunicantur tantummodò *Monomachiam committentes*, vt patet, ibì: *Qui Monomachiam commiſerint*: Sed accedere ad Duelli locum, habere duellandi animum, expectare inimicum pro ineundo Duello, non eſt *Monomachiam committere*: ergo — Ratio.

ne-

neque eſt ſub Gregoriana Excommunicatione prohibitum.

2 Et quàmuis infrà, in Gregoriano Diplomate apponatur clauſula illa: *Etiamſi Pugnam non commiſerint*, non tamen vim habet, quò ad *Duellatores*, ſed ſolùm quò ad reliquas *Perſonas* Duellum permittentes, auxilium, vel conſilium, in ordine ad Duella, dantes: Et ſenſus eſt: *Etiam ſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt, impediti Pugnam non commiſerunt*; Volumus tamen *locorum Dominos, ſi Certamen ex condicto huiuſmodi permiſerint, aut, quantum in ſe fuerit, non prohibuerint, omneſque illud fieri mandantes, inſtigantes, ſocios, &c. eiſdem Cenſuris, & pœnis ſubiacere*. Cadit igitur clauſula illa ſupra has *Perſonas*, non verò ſuprà *Monomachiam committentes*.

3 Et ponamus clauſulam illam, locum habere, etiam reſpectu principalium; adhùc tamen deſunt reliquæ conditiones ad contrahendam Excommunicationem requiſitæ. Et vt cæteras omittam, deeſt illa principalis: *Si per ipſos non ſteterit, quominus Pugna committatur*; nam etiamſi *in condicto loco* maneat Duellator cum Duellandi animo, adhùc tamen eſt integra res, & poteſt ſe facti pœnitere, nec vltrà Pugnam capeſſere: ergo per ipſum adhuc ſtare poteſt, *& de facto ſtat*, quin Duellum committatur: ergo, &c.

Patrocinantur huic ſententiæ peritiſſimi Doctores, quorum loca, & ipſiſſima verba, ad hanc firmandam ſententiam, omnemque ambiguitatem tollendam, referre libuit.

Adducuntur Auctores pro hac Sententia.

4 Et Primò Sanchez *lib. 2. cap. 39. num. 28.* de hac Excommunicatione loquens, Intellige tamen, ait, *Quando Duellum ſequutum eſt*, quia Gregorius XIII. ſolos ſocios Excommunicat, etiamſi Duellum non ſequatur. At de Prouocantibus ad Duellum, dicit: *Qui Monomachiam commiſerint. Non dicitur autem commiſiſſe Prouocans, quando effectus Pugnæ non eſt ſubſequutus*.

5 Filliucius *tom. 1. tract. 29. num. 107.* inter vtramque Conſtitutionem Gregorij XIII. ſcilicet, & Clementis VIII. diſcrimina tradens, hæc inter cætera habet. In Bulla Gregorij, punitur *principaliter ipſa Pugna* in Duello, *ſecundariò Cooperantes* ad illud; vndè *ſi non ſequatur effectus Pugnæ*, vel acceſſus ad locum, vt pugnetur, *non incurritur Cenſura*: ſi autem ſequatur acceſſus, & non Pugna, ſiquidem ſecuta non ſit, ipſorum Cooperatorum, & Sociorum opera, non incurrunt; ſi aliundè, incurrunt. Filliucius.

At in Bulla Clementis VIII. etiam principaliter punitur omnis cooperatio, etiam effectu non ſequuto, nec acceſſu. Differentiæ inter vtramque Conſtitutionem.

Secundò quia in Bulla Clementis VIII. comprehenduntur plures perſonæ, & actiones, ſaltem expreſsè, atque adeò abſque dubio, an incurrant necne, ex eo quòd non ſint efficaces cauſæ.

At in Bulla Gregorij XIII. tantùm comprehenduntur *Committentes* Pugnam, Concedentes, Socij, & Spectatores, dantes auxilium, conſilium, &c. Quarè Diffidantes, Manifeſta facientes, & alij huiuſmodi, *non videntur ex vi Bullæ Gregorij XIII. incurrere, quando ſaltem non ſequitur effectus*. Ita Filliucius.

6 Molfeſius noſter *in Summa Moralis Theologiæ, tract. 7. cap. 18. num. 18.* de eadem Gregoriana Conſtitutione loquens: *Hæc Bulla*, ait, *quoad ipſos pugnantes requirit actum conſummatum*. vt re ipſa certent, & ſucceſſiuè ſi aſſignant locum, & vnus accedat, vel ambo, & non certarent, vel Molfeſius.

pæ-

pœnitentia ducti, vel quouis modo ab Alijs impediti, *non incurrunt in Excommunicationem, nec caſus eſt reſeruatus, quò ad ipſos*.

At Conſulentes, & Spectatores *ex compoſitò*, ſic etiam Auxiliantes *incurrunt in Excommunicationem eò ipſò*, quòd accedunt ad locum deſtinatum, quàmuis Principales impediti ab alijs, non certauerint; dummodò ipſimet Socij non impediſſent illos, nè pugnarent, vt patet ex verbis dictæ Bullæ.

Bonacina. 7 Bonacina *tom.* 1. *de Cenſuris, diſp.* 2. *quæſt.* 6. *punct.* 1. *propoſ.* 5. *num.* 41. ad hoc Dubium etiam negatiuè reſpondens; Ratio, inquit, eſt, tùm quia, *ad incurrendam Excommunicationem Gregorij XIII. requiri videtur effectus Pugnæ*, vt patet ex illa clauſula: *Monomachiam commiſerint*: Excommunicatio autem lata ad aliquem effectum, non incurritur niſi ſecuto effectu; tùm quia in Bulla Gregorij XIII. dicitur: *Niſi per ipſos ſteterit, quominus Pugna committatur*. In hoc autem caſu *ſtat per ipſos*, nō verò per alios (ſuppono enim impedimentum prouenisse ab ipſiſmet Duello decertaturis, non verò aliundè) &c.

Greg. xiij.

Aliæ rationes pro negatiua ſententia.

Tùm quia verſamur in materia pœnali, & odioſa, quæ non eſt extendenda, ſed potiùs reſtringenda, quantùm verba patiuntur: Verba autem Bullæ Gregorij XIII. nullo modo patiuntur propoſitam extenſionem, ſed potiùs poſtulant allatam reſtrictionem, vt patet conſideranti illam clauſulam: *Qui ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco conuento, Monomachiam commiſerint*,

Tùm quia illa verba in fine Bullæ: *Etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint, impediti Pugnam non commiſerint*, non ſunt referenda ad eos, qui ſe tantummodò *diſſidarunt*, cùm Excommunicatio feratur contrà eos, qui *Monomachiam commiſerint*; qui autem ad locum acceſſit, ibìque non pugnauit, *non dicitur Monomachiam commiſiſſe, ſed dicitur voluiſſe Monomachiam committere*.

Idem docet Hurtadus *de Spe. & Charit. vol.* 2. *diſp.* 170. *ſect.* 21. *ſubſect.* 3. *§.* 190. Graſſius *de Caſibus reſeruatis lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 10. & 26. Lucas Floronus *in Tractatu de Duello, cap.* 1. *§.* 1. *num.* 3. *fol.* 63. & *cap.* 3. *§.* 1. *num.* 14. *fol.* 47. vbi citat pro hac ſententia Vgolinum, & *cap.* 6. *§.* 1, *num.* 2. *fol.* 84. citat etiam Cardinalem Thuſcum. Noſter Alphonſus de Leone, *de Cenſuris, verb. Duellum*, circà medium, & ferè ſexcenti alij DD. contrà Peregrinum, vnanimi ſententia conſpirantes,

Hurtad. Graſſius. Floronus. Vgolinus. Card. Thuſcus. Alphonſ. de Leon. Peregrin.

Proponuntur, & diluuntur Oppoſita.

8 Primum argumentùm deſumitur ex eo, quòd clauſula illa (*Etiamſi*) in fine Gregoriani Diplomatis poſita, referri debeat ad omnes, in eo nominatas Perſonas, iuxtà illud. *Clauſula in fine poſita, refertur ad omnia præcedentia. cap.* 2. *Requiris*. & *cap. Inquiſitioni, extrà de appellationibus*. Panormitanus, *cap. vlt. de Procuratoribus, lib.* 6. ergo non ſolùm refertur ad Mandantes, Inſtigantes, Auxiliantes, &c. ſed etiam ad *Pugnam Committentes*. — 1. Argumentum.

Panormit.

Sed ad hoc argumentum, ſatìs ſupèrque patet reſponſio, ex omnibus, quæ diximus ad noſtram probandam, confirmandamque reſponſionem. — Reſponſio ex dictis.

9 Alterum argumentum, ex abſurdo, quòd ſequeretur, vitando, ducitur: nàm, ſi verum eſſet, Duello non ſecuto, Excommunicationis pœna non puniri Principales, Socios tamen, & Fautores puniendos eſſe; ſequeretur, *Minùs puniri, qui magìs delinquunt*, nēpè *Duellatores* ipſos; & qui minùs deliquerint, hoc eſt Fautores, Socios &c. maiorem pœnam ſubire; quod vtìque maximum — 2. Argumentum.

eſſet abſurdum, cùm de Iure, *Pœna ſit delicto commenſuranda*, & iuxtà criminis menſuram, debeat eſſe plagarum modus: ergo ad hoc euitandum abſurdum, dicendum eſt, Summum Pontificem voluiſſe clauſulam illam referre etiam ad *Prouocantes*, licèt non ſequeretur *Duellum*.

Reſpōſio. 10 Sed reſpondetur. Non quia Socij, & Fautores, etiam Duello non ſequuto, Duellicas pœnas ſubeunt, proindè inferri debet idem de Prouocantibus: nàm *In pœnis, non valet argumentum à maiori ad minus*, ſed ſtandum eſt verbis Conſtitutionis, cùm *Excommunicationis pœna non contrahatur, niſi ſit in Iure expreſſa*: ergo cùm in Gregoriano Diplomate non exprimatur, neque colligatur, talem pœnam infligendam eſſe Duellatoribus, etiam non ſecuto effectu, non erit validum, ex Socijs, & Fautoribus, ad Principales ipſos arguere, & extendere pœnas, cùm præſertìm circà odioſam, ac pœnalem verſemur materiam, quæ potiùs reſtringenda, quàm extendenda eſt.

Quomodo dici poſſit, non ſequi tale abſurdū. 11 Nec ſequitur abſurdum, *Magis puniri, qui minùs deliquerit*: nàm magis in hoc caſu delinquere videntur Socij, quàm ipſimet Principales; quandoquidem in illis *eò maior* videtur *malitia*, *quò maior* appatet *ratio liberi*, quæ in Principalibus videtur aliquo pacto minui, paſſione, cauſis, alijſque circumſtantijs ad Pugnam impellentibus, quæ, reſpectu Sociorum, locum non habent.

Ad alia argumenta, quæ breuitatis ergò omittimus, facilis patet ex dictis reſponſio. Quapropter firma noſtra remanet ſententia: *Non eſſe ſub Gregoriana Excommunicatione prohibitū, ad Duelli locum Pugnandi cauſa accedere, niſi & ipſum ſit ſequutum Duellum*. Quid autem dicendum ſit, iuxtà Clementinam Conſtitutionem, peculiari Quæſito erit infrà examinandum.

QVÆSITVM XXII.

Vtrùm in Excommunicationem incideret, qui Amico duellaturo cum armis minùs idoneis, aut Equo minùs apto, alium Equum, aut arma magis idonea ad Duellicam Pugnam accommodaret?

SVMMARIVM.

1 *Diſtinctè proceditur ad reſponſionem. Quæ armorum ſubminiſtratio hic probibeatur?*

2 *Non poſſunt Amico Duellanti alia accommodari arma diuerſæ ſpeciei, ac illa, quibus Duellare condictum eſt.*

3 *An gladium fractum cum integro, Equum ſaucium cum ſano, commutare liceat in Duello?*

4 *Ieiuninm ſoluere volentibus, an poſſit cœna parari?*

5 *An, & quandò teneretur Quis ex Charitate, Duellatori arma accomodare?*

NON loquimur hìc de Illo, qui *iuſtè, & licitè* ſingulare Certamē ſuſciperet; illi enim tanquàm innocenti *opem ferre liceret*, cùm reuera in tali caſu, non *Duellare*, ſed potiùs ab iniuſto Aggreſſore, ſe ipſum *tueri* diceretur, ac proindè illum adiuuando, nec *peccatum* committeretur, nec Duellicæ contraherentur *Cenſuræ*: Sed loquimur de *iniuſtè, & illicitè* Duellum committere volente; Quamobrem De quibus procedat quæſitum.

1 Reſpondeo ad Quæſitum. Reſpōſio. Si talium rerum donatione *promoueretur Duellum*, vtìque *in Excommunicationem incideret* Donator: ſecùs verò

dicendum, *ſi minimè promoueretur Duellum*.

Ratio.

Fundamentum eſt; quia Summus Pontifex, eam præſumitur prohibere voluiſſe armorum ſubminiſtrationem, quæ ſit *Duelli cauſa*: Quod patet; quia eò tendunt tot Duellicæ prohibitiones à Summis Pontificibus factæ, vt nimirùm, penitùs, *Chriſtiano ex Orbe, Duella, & Duellorum. cauſæ exterminarentur*. Quamobrem, ſi non ſubminiſtrando arma, prudenter creditur, aut ſperatur, non fore vltrà *Pugnam committendam*, tunc Subminiſtrator foret *Excommunicatus, ſi ſubminiſtraret arma*.

Arma extrà, aut cõtra pactũ Duellantium, non licet dare.

2 Quòd ſi Amicus, etiam abſque talibus armis, Duellicam *Pugnam proſequi vellet*, in tali caſu *contraheretur etiam Excommunicatio*, ſi ei accommodarentur alia arma *contrà Duellantium pactum*. Ponamus caſum v. g. initum eſſe pactum inter Duellatores, Pugnam committendi *ſolis enſibus, & pugionibus, vel cum ſolis enſibus, & pallijs*; non liceret ei tunc *clypeum, aut lanceam miniſtrare*: Et ratio eſt; quia in illa armorum inæqualitate, eſſet *noua iniuſtitia*, & *iniqua armorum ſubminiſtratio*, Gregoriana lege prohibita.

Licet verò ſi eiuſdem ſint ſpeciei.

3 Si verò arma accommodāda, *eiuſdē ſint ſpeciei*, ac illa, quibus Duellare inuicem pacti ſunt, ſed *meliora* tamen ſint ijs, quæ habet amicus; ea tunc offerendo, ac ſubminiſtrando, *non contraherentur pœnæ*. Quod probo; quia pœnæ illæ non inferuntur, niſi ijs, qui peccant *iniquè arma ſubminiſtrando*: omnes enim actiones Duellicæ, à Pontifice recenſæ, ſunt prohibitæ *Iure naturali*: ergo cùm in tali caſu læthale peccatum non committatur, nec pœna contrahitur.

Quomodo verum ſit in tali ſubminiſtratione armorum non peccari?

Quòd autem non committatur peccatum, patet, quia ea actio *non eſt ex ſe intrinſecè mala*; ſimpliciter enim talia arma donare, non eſt ex ſe vitioſum, *neque hic, & nunc*, cùm non ſit *cauſa ſcandali*, *nec Duellicæ Pugna*, quam ſupponimus, etiam independenter à tali armorum ſubminiſtratione, committendam eſſe: ergo *honeſta ſuppetente cauſa*, poſſunt abſque vllo *crimine, & pœna*, Duellica inſtrumenta commutari. Ità Hurtadus *de Spe, & Charit. vol.2. diſp.170. ſect.21. ſubſect.3. §.184.*

Hurtad.

4 Vt etiam in ſimili docet Laymann. *in Theolog. Moral. tract.3. cap.13. num.4.* Caietanus *in 2. 2. quæſt. 147. art.4.* Hurtadus *loc. cit.* Diana *par. 3. tract.5. Miſcellan. reſol.36.* & Alij, contrà Vaſquez, *opuſc. de ſcandalo; art. 1. dub.3.* & Alios, *Poſſe illi, qui paratus eſt ieiunium ſoluere cibo noxio, præberi cibus innoxius*, & ei, qui ad cauponam diuertere cogitur, *cœnam domi propriæ parari, ac miniſtrari poſſe ab altero Amico, hoſpitalitatis, vel vrbanitatis cauſa*. Et licitum eſt etiam Cauponibus, *miniſtrare cibum* Soluturis tali cibo Ieiunium, vt quàmplurimi Doctores apud Dianam *loc. cit.* aſſerunt: ergo ſimiliter *licitum* erit, Amico Duellaturo cum maiori vitæ diſcrimine, *præbere arma ſecuriora*, vt minus ſit vitæ periculum in Duello: talia enim arma non eſſent *cauſa Duellandi*, *ſed periculi in Duello euitandi* ſicuti præbere optimos cibos, non eſt *cauſa frangendi Ieiunium*, *ſed euitandi periculum*, quod, noxios cibos comedendo, ſubiretur.

Layman.

Caietan.

Hurtad.

Diana.

Vaſquez.

Paritas de præbentibus cibos ſoluturis ieiunium.

5 Immò Hurtadus *loc. cit.* exiſtimat, quòd ſi videres hominem malè armatum, ad Duellicam Pugnam procedere, laxis v. g. armorum ligulis, *ex charitate tenereris ligulas ſtringere*. Sic etiam, ſi eius inimicus incederet loricatus, alius autem inermis, certus tamen, ſe illi periculo exponere, *ex charitate pariter tenereris illum loricare, ſi poſſes*, vt ſic eum ab imminenti vitæ diſcrimine, ob armorum inæqualitatem, eriperes.

An loricare teneatis Duellatorem?

Quandò igitur Summus Pontifex, ſub Excommunicatione prohibet, Duellatoribus *arma ſubminiſtrare*, *de iniuſta* loquitur *ſubminiſtratione*, & quæ, aliquo pacto, *cauſa eſt*

Cōcluſio.

Quæ armorũ ſubminiſtratio ſit prohibita?

deueniendi ad Duellum; non verò *de licita* ſubminiſtratione, quæ ex ſe nullo pacto *eſt cauſa*, vt veniatur ad arma.

QVÆSITVM XXIII.

Vtrùm Serui Duellantium, in Gregorianæ Excommunicationis pœnam incidant, ſi Duellaturo Domino, Equum, arma, aut alia ſeruilia obſequia exhibeant, vel Eum comitentur?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt cum diſtinctione, iuxtà diſtinctas circumſtantias, annexas talibus ſeruilibus obſequijs.*
Quandò Serui, nec peccarent, nec contraherent cenſuras; quandò peccarent, & non contraherent: quandò deniquè & peccarent, & contraherent?

2 *An teneatur Seruus cuſtoditam pecuniam reddere petenti Domino, qui ſit illa abuſurus?*

3 *Actiones indifferentes non ſunt ſub Cenſura prohibitæ.*

MVLTAS inuoluit hoc Quæſitum difficultates, quibus non poteſt vnica ſimul reſponſione ſatisfieri; ideò

Prima reſponſio cũ diſtinctione.

1 Reſpondeo Primò. Si Serui non poſſint *ſinè graui, & proportionato incommodo*, omittere, quin Duellaturo Domino, arma, equum, aut quid ſimile parent, in tali caſu, *& culpa carerent, & Excommunicationis pœna digni non eſſent*: talia enim agentes, non verè dicerentur arma, & auxilium Duellantibus ſubminiſtrare.

Prima pars diſtinctionis negatiua.

Si verò *abſquè* tali *incommodo*, talia munera præterire poſſent, *peccarent* quidem illa exercendo, at Gregorianas pœnas *non contraherent*, quia verè, nec arma, nec equum ſubminiſtrant, eo ſenſu, quo Summus Pontifex Gregorius, armorum ſubminiſtrationem prohibere voluiſſe videtur.

Secunda pars etiá negatiua.

Greg. xiij.

Reſpôdeo Secũdò: Si, *auxilij gratia*, Duellaturum Dominum, ad condictum Duelli locum comitarentur, tunc *Gregoriana lege eos teneri* puto cũ Hurtado; quod patet ex ipſamet Gregorij Conſtitutione, in qua actio iſta *expreſſè* prohibetur.

Tertia pars affirmatiua.

2 Primam præterea confirmo reſponſionem. Si Dominus v. g. Seruo pecuniam cuſtodiendam tradidiſſet, eamque poſteà repeteret, *vt pro Duello committendo vteretur*, vtique *non teneretur ſub Excommunicationis pœna*, eam exigenti Domino *non reddere*: illa enim non eſt *pecuniæ ſubminiſtratio*, ſed potiùs propriorum *reſtitutio* bonorum. Dicitur ergo, pecuniam, equum, aut arma ſubminiſtrare, qui ea commodat, aut conducit *ſcienter*, non verò qui Duellatori *reddit* bona ipſius, aut quæ illi debet.

Confirmatio.

Qui dicatur armorum ſubminiſtrator.

3 Ità Hurtadus *de Spe, & Charitate vol. 2. diſp. 170. ſect. 21. ſubſect. 3. §. 183.* vbi etiam ſubdit: Prædurum fore Seruis Excõmunicationis pœnam infligi, propter obſequia domeſtica quotidiana, à quibus vix pauci poſſunt abſtinere, *ſinè graui, & proportionato damno*.

Hurtad.

Et ratio à priori eſt; quia huiuſmodi obſequia, & actiones ſunt ex ſe *indifferentes*, & directè non tendunt ad cooperandum malo. Quapropter excuſandi ſunt à Duellicis Cenſuris; ſicuti etiam excuſantur ab Excommunicatione Minori, ſi cum proprijs Dominis Excommunicatis verſentur, propter ſubiectionem ergà illos, vt cõmuniter docent DD. Quod tamen intelligendum eſt, dummodò talis Cõmunicatio Seruorum cum Dominis non ſit in eodem *Crimine Criminoſo*.

Ratio.

QVÆSITVM XXIV.

Vtrùm Amico eunti ad Duellum præberi licitè poſſit pecunia, vt poſt Duellicam Pugnam fugiens, nummos ſecum deferat? Et ſimiliter quæritur, vtrùm poſſit ei licitè accommodari equus, vel aliquod aliud exhiberi obſequium, quo tamen ſit vſurus poſt Duellum commiſſum?

SVMMARIVM.

1 *Inſpiciendum eſt, an ex talibus rebus accommodatis, promoueretur Duellum, vel non: ſi primum non licet: ſecùs verò, ſi ſecundum.*

2 *Ponitur Caſus, in quo non ſolùm liceat, verùm etiam debeant prædicta miniſteria exhiberi.*

3 *Qui poteſt impedire Duellum, ſed non tenetur; peccat ſi non impediat, at non eſt Excommunicatus.*

Reſpõſio. 1 RESPONDEO cum diſtinctione ad Quæſitum. Vel hæc omnia oblata Miniſteria, futura eſſent *cauſa committendi Duelli*, adeò ut ſi Duellator videret, ſibi poſt Pugnam nullam aſfore, nec pecuniæ, nec Equi ad fugiendũ opportunitatem, proindè à Duello eſſet deſtiturus; in tali caſu *non liceret* hæc omnia offerre amico Duellatori; quia *ex talibus promiſſis impellitur* ille ad Duellandum, ac propterea *actio* iſta, *prohibita* Gregoriana Lege, cenſetur; eſt enim *inſtigatio* quædam & *fauor* in ordine ad Duellum. (Primapars reſponſionis negatiua.) (Greg. xiij.)

Si verò, ea quæ offeruntur *non ſunt cauſa, nec promouent Duellum*; quia v.g. adeò pertinaci eſt animo Duellator, vt etiam abſque talibus præſidijs *Duellum committeret*, locum non habet in tali caſu *Gregoriana prohibitio*; quia nec pecunia, nec equus adhibendi ad fugam, poſt Monomachiam, *influunt phyſicè, nec moraliter promouent Duellum*; quia per ſe, nec ſunt *inſtigatio*, neque *perſuaſio*, neque aliud genus *cauſalitatis moralis*, neque *hic & nunc*, ſunt huius *Duelli cauſa*; quia illis, vllo modo, ad Duellandum mouetur amicus, (ſupponimus enim eum eſſe omnimodò paratum ad Duellum ineundum) ſed ità ſe habent, ac ſi *poſt Pugnam* ei oblata eſſent. (Secunda pars reſpõſionis affirmatiua.)

2 Præterea dari poteſt caſus, vt non ſolùm talia offerendo, *nihil mali committeretur*, quinimmò *teneretur* aliquis ea offerre, vt v.g. Patri, vel Fratri, aut Amico Duellaturis, quos tamen à detrectando Duello auertere non poſſet, teneretur miniſterium aliquod præſtare, quo illorũ vtilitati conſuleret. Ita Hurtadus *loc. infrà cit.* (Quid ſi fratri, vel Patri hæc miniſteria præſtarentur?)

3 Quòd ſi eos poſſet à Pugna *diuertere*, & diuertere *nollet*, *peccaret* quidem *peccato ſcandali*, at non eſſet Gregoriana lege, Duellicis *Cenſuris adſtrictus*, dummodò poſitiuè *non promoueret* Certamen. Et ratio eſt; quia Summus Pontifex Gregorius, non ſubijcit Cenſuris, *non Impedientes* (non loquor de Principibus permittentibus Campum) ſed *Promouentes* Duellum, ergo ſolùm non impediẽdo, licet læthale crimen committeretur; non tamen contraherentur duellicæ cenſuræ, quæ non ſunt latæ contrà *Non Impedientes, qui impedire non tenentur*. Hanc ſententiam tenet Hurtadus *de Spe, & Charitate vol. 2. diſp. 170. ſect. 21. ſubſect. 3. §. 184.* vbi concludit: *Peccatum non committi*, nec *Cenſuras* contrahi ab eo, qui talia donaret Duellatori, quem non poteſt à Duello auertere, *committi* verò ſi non impediat, ſed *non fore Excommunicatum*. (An peccaret?) (Hurtad.) (An eſſet excõmunicatus?)

QVÆ-

QVÆSITVM XXV.

Vtrùm abſque Excommunicationis pœna poſſint Aurigæ, vel Baiuli, ſeù Lecticarij, deducere Duellatorem ad locum Duelli?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt affirmatiua. Attenditur in pœnis ſubeundis concurſus moralis Delinquentis.*

2 *Quid dicendum de Deducentibus Meretricem ad locum, quò illa peccatura tendit?*

2 *An liceat Chriſtianis captiuis remigare contrà Catholicos?*

4 *In quo Caſu peccarent, ſi remigarent, vel quid aliud agerent contrà Catholicos?*

Reſponſio affirmatiua.

1 RESPONDEO AFFIRMATIVE', dummodò adſit aliqua cauſa, vtputà, ne lucrum ex tali miniſterio omiſſo, comittere agerentur. Et Ratio eſt; quia actiones iſtæ, vtpotè indifferentes *non phyſicè* concurrunt; nec *moraliter* influunt in effectum; hoc eſt, in ipſummet Duellum, ac proindè Aurigæ, & Baiuli *eſſent à peccato excuſandi*, ac etiam ab Excommunicationis pœna.

Paritas.

Azorius.

2 Ità in ſimili, docet etiam Azorius *tom.2. lib.12. cap.vlt. quæſt.8.* aſſerens: *Licitum eſſe Famulis* deducere Concubinam in domum Heri; vel alium in locum, vbi ſit illa peccatura. Et Franciſcus Merolla *in Diſput. Theolog. Mor. tom.1. diſp.2. cap.4. dub. 10. Corollar. 3. num. 28.* inquit, *Licere Aurigis* deferre Meretricem ab vno ad alterum locum, quam ſciunt illhìc ire ad peccandum; hi enim regulariter *excuſantur à peccato*, quia adeſt *cauſa non amittendi* Lucrum, quod ex eo miniſterio comparant. Eiuſdem ſententiæ eſt etiam Diana *par.3. tract.6. Miſcell. reſol.11.*

Franc. Meroll.

Diana.

Paritas de Remigãtibus.

3 Confirmatur etiam à pari *de Remigantibus* in Triremibus Turcarum: nàm, vt quàmplurimi Doctores infrà citandi aſſerunt, *Chriſtiani captiui poſſunt remigare contrà Catholicos,* & propugnacula ædificare, ſarcinas, machinas, & arma neceſſaria ad Bellum afferre, abſquè peccato, & Excommunicationis pœna: nulla alia ratione; quia eorum cooperatio ad malum inferendum Catholicis, eſt *tantummodò materialis, & remota,* & etiam ſi ipſi remigare nollent, non deeſſent alij, qui hunc laborem obirent.

Ratio.

Quamobrem, cùm in caſu noſtro, Baiuli, vel Aurigæ *materialiter* tantùm videantur cooperari *ad Duellum*, deducendo Duellatorem ad condictum Duelli locum, *non peccant*, nec ſunt *Excommunicationis* pœnæ obnoxij, ſicuti nec Remigantes; vt docent Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib.1. cap.7. num.18.* Tannerus *in 2.2. diſp. 1. quæſt. 9. dub.5. num. 144.* Villalobos *in ſumma, tom.2. tract.5. diffic. 10. num. 2.* Laymann. *in Theolog. Moral. lib.2. tract. 3. cap. 13. num. 5.* Reginaldus *tom. 2. lib. 21. num. 119.* Turrianus *in 2. 2. diſp.95. dub. 3.* Filliucius *tom.2. tract.22. cap.5. num.147.* & ex noſtris, Duardus *in Bulla Cœnæ lib.2. Can. 3. quæſt. 13. concl.1. num.1. & ſeqq.* Naldus *in ſumma ver. Chriſtianus 2. num. 6.* Diana *par.3. tract.5. Miſcell. reſol. 36.* vbi etiam multos alios refert, ac ſequitur Doctores pro hac ſententia; quæ tamen

Sanchez. Tannerus. Villalob. Layman. Reginald. Turrian. Filliucius. Duardus. Naldus. Diana.

4 Limitatur Primò: Si eo loco conſtituta res eſſet, vt captiuis remigare detrectantibus, Catholicorum Triremes, imminens ſeruitutis, vel Belli diſcrimen *euaderent*, aùt victoriam de Turcis referrent; tùnc enim Chriſtianæ Reipublicæ bonum, propriæ vitæ anteponendum eſſet.

Limitatur hæc doctrina. Primus Caſus.

Limitatur Secundò, etiam in ijs, qui

Secundus caſus.

qui tormenta Bellica contrà Catholicorum Exercitum dirigerent, ignemque applicarent; quia *directè damnum* inferrent.

QVÆSITVM XXVI.

Vtrùm ad contrahendas Duelli Cenſuras, opus ſit, vt Conſilium, vel Mandatum in ordine ad Duellum ſit efficax; itàvt ex tali Mandato, vel Conſilio ſequatur Duellum?

SVMMARIVM.

1 *Fundamentum negatiuæ ſententiæ de principali prohibitione Conſilij, & Mandati ſimpliciter.*

2 *Affirmatiuam ſententiam ſequitur Author. Quo ſenſu Mandatum, & Conſilium in ordine ad Duellum, ſint principaliter prohibita?*

3 *In dubio de efficacia, vel inefficacia Conſilij, vel Mandati, quid agendum?*

4 *Adducuntur duo modi ſciendi, vtrùm Conſilium in ordine ad Duellum fuerit efficax, vel non.*

Peregrin. Floronus. Prima ſententia negatiua.

1 PRIMA opinio negatiua eſt Peregrini, *de Duello q.32.n.2.* & Floroni *c.15.§.1.* aſſerentium: Licèt Cenſura impoſita ob Conſilium, vel Mandatum, regulariter loquendo, non contrahatur, niſi Conſilium, vel Mandatum *ſit efficax*, & in effectum, ſub Cenſura prohibitum, *influat*; hoc tamen fallere, quandò ipſummet Conſilium, vel Mandatum, *ſecundùm ſe, & principaliter* prohibetur, tunc enim ſatis eſſe aiunt ſi *ſit inefficax*. At in hac Duelli materia, prohibent Summi Pontifices *Conſilium*, *& Mandatum*, ſecundùm ſe, & principaliter; ſi tamen per Conſulentem, & Mandantem *non ſtet*, quìn Prouocatio, vel Pugna ſequatur: ergo etiamſi Conſilium, vel Mandatum ſit inefficax, contrahuntur tamen Duellicæ pœnæ à Mandantibus, ac Dantibus Conſilium; quia per ipſos *non ſtat*, quìn ad Duelli, vel Prouocationis actum deueniatur.

Ratio.

Secunda ſententia affirmatiua.

2 Alteri tamen AFFIRMATIVÆ SENTENTIÆ, cum Bonacina, & Diana, *Ego adhæreo*, quam Generali Regula, & communi Doctorum ſententia probo; quia ſcilicet *Conſilium*, *& Mandatum, non eadem pœna puniri debent, quandò nihil omninò in effectum influunt*: tunc enim non habent rationem Conſilij, vel Mandati, ſeù Cooperationis, ſub Cenſura prohibitæ.

Ratio.

Prohibetur Mandatũ, vel Conſiliũ efficax.

Et quandò Summi Pontifices, prohibent etiam Mandare, Conſilium dare, in ordinè ad Duellum, intelligendi ſunt, prohibere voluiſſe Mandata, & Conſilia, quæ *ex ſe efficaciter* Prouocationes, & Duella parere poſſent, etiamſi Prouocatio, Acceſſus, vel Duellica Pugna ſecuta non fuerit. Ità Bonacina *de Cenſuris, tom.1.diſp.2.quæſt.6 punct.1.num.28.* Diana *par. 3. tract. 6. reſolut. 1. §. Nono.*

Bonacina. Diana.

In dubio quid agẽdum?

3 Quòd ſi Dubium ſit, Conſilium, vel Mandatum efficax nè fuerit, an non, & in effectum influxerit: in tali Dubio, *tutiori parti* eſt adhærendum pro animæ ſalute; & efficax fuiſſe, & in effectum influxiſſe, præſumendum eſt, vt communiter docent Doctores.

Aliud breue Quæſitum.

4 Petes hic, quomodò cognoſci poſſit, an tale Conſilium, vel Mandatum influxerit nècne in Duellum, vel Prouocationem, an non?

Prima Reſponſio.

Reſpondeo, Cognoſci poſſe Primò *ex dicto Ipſius*, cui datum eſt Conſilium, modò ſit fide dignus: Vndè ſi aſſereret ſe motum non fuiſſe Conſilio ad ſubſtantiam actus, vel ad illius accelerationem, credi poſſet, tale Conſilium non influxiſ-

ſe.

Auila. ſe. Ità Auila, *de Cenſuris, 2.par. cap.5. diſp.3.dub.7.* Sayrus. Sayrus, *lib.7. cap.3. num.* 2. Henriquez *lib. 14. cap. 16.num.3.* Sanchez. Sanchez *in Summa, lib.1.cap.10. n.44.* & Alij.

Secunda Reſpõſio. Secundò. Cognoſci poteſt ex Coniecturis, vt ſi Duellator iàm dixiſſet Alijs, ſe velle Duellum committere, aut ſi omnia neceſſaria ad illud patrandum, paraſſet. Ità Sanchez *loc. cit.* & Bonacin. Bonacina *de Cenſuris tom.1.quæſt.1. punct.6.propoſ.2.n.8.*

QVÆSITVM XXVII.

Vtrùm Mandantes, aut Conſilium Dantes in ordine ad Duellum, vel Prouocationem, incidant in Excommunicationem, ſi Conſilio, vel Mandato reuocato, etiam Prouocatio, aut Duellum ſequatur?

SVMMARIVM.

1 *Conſilium dantes, aut Mandantes Duellum, &c. etiam reuocato Conſilio, vel Mandato, incidunt in Excommunicationem, ex Bonacina.*

2 *Qui Conſilium dedit ad furandum, tenetur ad reſtitutionem furti, etiam reuocato Conſilio.*

3 *Secunda ſententia negatiua, eiuſque rationes adducuntur.*

4 *Excommunicatio, cùm ſit poena grauiſſima, non contrahitur abſque peccato mortali.*

5 *Omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.*

6 *Mandantes, & Conſulentes puniuntur Duellicis poenis, quando per ipſos non ſteterit, quòminus ſequeretur Duellum.*

7 *Explicatur differentia inter Conſilium, Mandatum, & Inſtigationem.*

8 *Mandantes non præſtringuntur Duellicis poenis, iuxtà Auctoris ſententiam, dummodo reuocauerint Mandatum.*

9 *Mandans Homicidium, reuocato Mandato, non erit Irregularis, etiamſi ſequatur Homicidium.*

10 *Reuocato Conſilio efficaciter, in Excommunicationem non incurret Conſiliarius.*

11 *Quid dicendum, ſi inefficaciter tantummodò reuocatum eſſet Conſilium?*

12 *Duellatoris, & non Conſulentis malitiæ adſcribendum eſt Duellum, ſequutum reuocato Conſilio.*

13 *Euertitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ.*

14 *An teneantur Mandantes, vel Conſulentes, alio medio impedire Duellum, quandò ſola reuocatione Conſilij, vel mandati, impediri nequit?*

15 *Cur ſola reuocatio Conſilij, excuſet ab Excommunicatione, non verò à Reſtitutione?*

1 PRIMA ſententia eſt Bonacinæ *tom. 1. de Cenſuris, diſp.2.quæſt.6. punct.1. propoſ.4. nu.36.* Bonacin. qui in *Excommunicationem* Eos incidere putat: nàm tali Conſilio cenſentur adhuc *cauſa* Prouocationis, ac Referetur prima ſententia. Pugnæ. Idem dicendum eſſe, ait, de eo, qui mandatum dedit ad prouocandum alterum, ſed poſteà poenitentia ductus, conatus eſt reuocare Mandatum; ſed reuocatio non innotuit Mandatario, qui Mandatum exequutus eſt. Et rationem Ratio. affert; quia ſuo Mandato *influxit in Prouocationem*. Idque procedere quòque putat, etiamſi Mandans in gratia exiſtat, dùm Prouocatio ſequitur.

2 Et confirmari poteſt à pari de Cõfirmatio. Conſilium Dante ad furandum, qui antequàm furtum committatur, Conſilium reuocet, varijs rationibus à committendo furto hominem dehortans. Si tamen poſteà fur ex primo Conſilio motus furetur, *tene-*

Sayrus. *tur is, qui conſilium dedit*, damnum illatum reſtituere, vt docet Sayrus *lib.* 1. *Clauis Regiæ, tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 8.

Peregrin. Diana. Refertur ſecunda opinio negatiua. 3 Altera opinio negatiua eſt Peregrini *de Duello quaſt.* 33. *num.* 2. Diana *par.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 1. *verſ. Dico decimò.* vbi hæc habet. Dico decimò, Conſulentem Duellum non incidere in Excommunicationem, etiamſi conatus fuerit, influxum conſilij reuocare, ſed *reipſa non reuocauerit*. Scio Bonacinam *num.* 36. contrarium docere, ſed tu probabiliter noſtram ſententiam ſequi potes.

Prima Ratio. 4 Primò probatur hæc opinio à Peregrino, quia Excommunicatio non incurritur abſque mortali peccato *cap. nemo Epiſcoporum, & cap. Nullus* 11. *quaſt.* 3. Sed conſilium Dantes, adhuc reintegra reuocando conſilium, & diſſuadendo delictum, culpam ſuam emendarunt: ergo ſinè peccato eſſe præſumuntur; ac proindè, nec Excommunicationis pœnæ obnoxij.

Secunda Ratio. 5 Secundò: obligatio Delinquentis ad pœnam, oritur ex culpa delicti; ſed in poſito caſu, conſilium dantes, *culpam non habent ex delicto commiſſo*: ergo nec pœna puniendi. Probatur minor: nàm omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, *cap.* 1. *Extrà, de regul. Iur.* ſed culpa contracta fuit ex dato conſilio: ergo eodem met conſilio reuocato, ac diſſoluto, diſſoluitur culpa.

Tertia Ratio. Clem. viij. 6 Tertiò: Summus Pontifex Clemens in ſuo Diplomate, Excommunicationis pœna punit *Conſilium Dantes, etiam* non *ſequuto delicto*, de quo datum eſt conſilium, *ſi per ipſos non ſteterit*, quòminus ſequeretur: ergo è contrà, quandò per illos *non ſtetit* quòminus impediretur delictum, etiam eo ſequuto ex mera voluntate delinquentis, puniri non debent, qui datum conſilium reuocarunt. Hæc ſunt fundamenta huius ſententiæ.

Auctoris Sententia.

7 Pro Quæſiti ſolutione, præmitto diſcrimen eſſe inter Mandantes, Inſtigantes, & conſilium Dantes. Præmittitur.

Mandatum eſt *à Superiore, habente Ius aliquod* ad præcipiendum, qualis eſt Princeps cum Vaſſallo, Prælatus cum Subdito, Pater cum Filio, Dominus cum Seruo, & hi præcipientes Monomachiam, vt cætera ſolent obſequia præcipere, *Mandantes* dicuntur. Quid ſit Mandatũ.

Conſilium verò eſt *ab Inferiori, ab Æquali, & à Superiore*, quandò res committitur Duellatoris arbitratui, cui abſque vllo precepto, cauſæ proponuntur ad Monomachiam ineũdam ſuadentes. Huic proxima eſt *Perſuaſio*, quandò præter rationes ad Duellum committendum propoſitas, alia adderentur verba ſignificantia, Conſiliarij voluntatem, & petitionem eſſe, vt pugnetur, vt v.g. *Pugna: Committe Duellum*, hoc tamen fit ſinè præcepto. Quid cõſilium.

Inſtigatio autem eſt, quandò *verbis, aut ſignis fit aliquid*, quo Alius ſinè præcepto, ſinè conſilio, ac ſinè perſuaſione *moueatur* ad Pugnam. e.g. Si aliquis Tibi diceret: Ego fui prouocatus ad Duellum, an autem Duellem, vel non, anceps ſum? & Tu ei reſponderes: *Cur cunctaris, cur arma non capis, cur ferro reſponſa non das?* in his occaſionibus nullus Homo frugi cunctatur. & his ſimilia, vel geſtibus, & ſignis, ità Te gereres, vt oſtendere videreris, nihil vltrà immorandum eſſe ad committendum Duellum. Hæc enim omnia, cenſentur *Inſtigationes*, quæ ſunt virtuale conſilium, & exhortatio ad Duellicam Pugnam. His poſitis, tres diſtinctæ reſponſiones dandæ ſunt ad Quæſitum. Quid Inſtigatio.

8 Reſpondeo igitur Primò Mandantem *non teneri ſub Duellicis pœnis*, ſi ſeriò, & opportunè Mandatum reuocauit. Prima reſponſio ad quæſitum iuxtà Auctoris ſententiam.

Q Ra-

Ratio.

Ratio eſt, quia quantùm ex ſe erat, fecit nè pugnaretur, ac *per eum ſtetit*, quantùm ex ſe, nè ad Prouocationem, vel Duellum deueniretur. Neque eius mandatum potuit eſſe *cauſa* Pugnæ, cùm iam conſtiterit Duellatori, non eſſe ampliùs tale mandatum: *Mandatum enim reuocatum, non eſt mandatum*, maximè cùm reuocatur oppoſito mandato. Pontificijs autem Cenſuris ligantur Mandantes, etiam Pugnà non ſequuta, quàmdiu tamen mandantes ſunt, & quantùm eſt ex ipſis, *dant cauſam Pugnæ*: ergo ſi reuocando Mandatum, talem cauſam non præbent, quinimmò tollunt, non erunt Excommunicati, & tale mandatum non ampliùs cenſetur cauſa Duelli, & proindè eſt, ac ſi non fuiſſet; nec Duellum, quod deinceps ſequitur à tali dependet mandato, ſed *à libera Duellatoris voluntate*: ergo adſcribendum non eſt primo Mandanti, qui omnem remouit cauſam, quam dederat committendi Duelli.

Paritas de mandante homicidium.

9 Præterea patet à pari; ſi quis v.g. mandet patrari homicidium, mandatumque reuocet ſeriò, & opportunè, ità vt de veritate reuocationis certior ſit factus Mandatarius, *non erit mandans Irregularis*, quàmuis patretur deindè homicidium: id enim Mandatarius, non Mandantis *cauſa*, ſed alio patrauit motiuo, & prius mandatum nullo modo huiuſce homicidij *cauſa* cenſetur.

Secunda reſponſio ad quæſitum.

10 Reſpondeo ſecundò Conſilium dantes, ſuadentes, inſtigantes, ſi poſt datum conſilium illud tàm *efficaciter reuocent*, vt Duellator, ex accepto conſilio *non moueatur*, tunc eos has Duellicas pœnas non contrahere.

Tertia reſponſio ad quæſitum.

11 Reſpondeo tertiò, ſi Conſilium, tàm efficaciter non reuocetur, vt Duellator à Pugna deſiſtat, ſed illam committat, *motus ex conſilio priùs dato*, adhùc cenſeo, *Conſilium dantes ab his pœnis fore immunes*. Hæc reſponſio ijſdem probatur rationibus pro ſecunda opinione adductis.

Alia ratio pro tertia reſponſione.

12 Et prætereà, quia quantùm eſt ex ſe, Conſiliarius efficit, vt ceſſet Duellum, quod ſi non ceſſet, non eſt ipſi adſcribendum, cùm *nouum dederit conſilium*, quo Duellatorem ab ineundo Duello reuocaret, qui ſi reuocari nolit, eius prauitati adſcribatur, & non conſiliarij, cuius conſilio *non formaliter* ampliùs, *ſed materialiter* mouetur. Nec talis Conſiliarius dicendus eſt *cauſa moralis illius Duelli*, cùm reuerà reuocando conſilium effecit, vt Duellator non poſſet moueri à ratione, quatenùs à Conſiliario dicta, ſed à ratione ſecundùm ſe, independenter à conſiliario eam retractante.

Reſponſio ad oppoſitum argumentum.

13 Ad oppoſitam rationem Bonacinæ reſpondetur, *neminem teneri vltrà id, quod poteſt*: ſed reuocantes conſilium, fecerunt quicquid potuerunt pro impediendo Duello: ergo ad nihil vltrà tenentur.

Ad quid teneantur Suaſores, vt impediant Duellum, quod ſuaſerunt?

14 Fateor tamen ſi huiuſmodi Conſiliarij, ac Suaſores, ſola conſilij reuocatione, ac diſſuaſione, Duellicam Pugnam impedire non poſſent; poſſent tamen alio medio, *teneri eos hoc alio medio vti* ad impediendum: nàm volentes propriam exonerare conſcientiam de malo conſilio, nondùm adimpleto, non ſolùm diſſuadere tenerentur, nè id fiat, verùm etiam *prudenter notificare* illi, contrà quem dirigitur, vt caueat. Ità docet Innocentius *in cap. ad audientiam, de homicid.* Felynus *in cap. Sicuti dignum de homicid. num.* 14. Speculator, Baldus, & Salicetus, quos ipſe refert, & Boſſius *in ſua practica criminal. tit. de mandato ad homicid. num.* 59.

Innocent. Felynus. Speculat. Baldus. Salicetus. Boſſius.

Diſparitas inter Reſtitutionē, & Excōmunicationem.

15 Ad confirmationem reſpondetur, diſparem eſſe rationem de *Reſtitutione* damni illati, ac de *Excommunicatione*, ob præſtitum conſilium contrahenda; obligatio enim reſtituendi, *oriri poteſt ex culpa præcedenti, etiam emendata*: at Excommunicatio, aut aliæ ſimiles pœnæ imponi nequeunt *ex peccato*

deleto antè commiſſionem delicti conſulti.

QVÆSITVM XXVIII.

Vtrùm fauorem, aut auxilium Dantes in ordine ad Duellum, ſint etiam Excommunicati, ſi fauore, aut auxilio ſubtracto, nihilominùs Prouocatio, vel Duellum ſequatur?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt negatiua. Fauere, & Auxiliari in ordine ad Duellum, dicuntur actiones minùs principales.*

2 *Subtracto auxilio, vel fauore, non cenſentur ampliùs Qui auxilium dederant; cooperari ad Duellum.*

3 *Ponuntur alij Caſus circà varias Duellicas actiones, in quibus nec contrahitur Excommunicatio, cum ſubtrahitur Auxilium, vel Fauor.*

4 *Diſcrimen inter Conſulentem, & Auxiliantem, reuocato Conſilio, Auxilioque ſubtracto.*

5 *Satisfit Aduerſariorum argumento, Circà Actiones principaliter, & abſolutè prohibitas in Clementina Conſtitutione de Duello.*

Bonacina. 1 NEGATIVE reſpondeo cum Bonacina tom. 1. de Cenſuris, diſp. 2. q. 6. punct. 1. propoſ. 5. num. 35. & Peregrino quæſt. 29. n. 1. contrà Floronum de Prohibitione Duelli cap. 16. §. 2.

Peregrin. Floronus.

Reſponſio negatiua. Ratio. Fundamentum eſt, quia fauorem, aut auxilium dare in ordine ad Duellum, ſunt quædam Duellicæ actiones inter minùs principales connumeratæ, quæ quidem prohibitæ ſunt, non ſimpliciter & *abſolutè*, ſed ſecundùm quid, & *conditionatè*, ſub illa nimirùm conditione: *Si per eos non ſteterit, quòminus Pugna committatur; vel publicatio, aut denunciatio Libelli prouocatorij, ſeù Manifeſti, vel narratio, vel prouocatio ad Duellum fieret*. Sed ſubtracto fauore, vel auxilio, quantùm eſt ex parte fauentium, vel auxiliantium, per eos ſtat, quòminus Prouocatio, & Duellum ſequantur, & ſolùm *ex libera* Duellatoris, aut Prouocantis *voluntate* ſequuntur: ergo non ſunt illi Excommunicati; *per eos enim ſtat*, quin hæc omnia ſuum ſortiantur effectum.

Alia ratio. 2 Prætereà: vel Fautores, & Auxiliantes, ſtatim præſtito auxilio, Duellicas pœnas contraherent, vel Prouocatione, aut Duello peractis. Nequit dici primum; quia non ſunt actiones iſtæ *ſimpliciter*, vt diximus, prohibitæ, *ſed cum conditione* illa: *Si per eos non ſteterit*. Quæ conditio, ad hoc vt verificetur, ſpatium aliquod temporis, iuxtà prudentis Viri arbitrium, requirit: ergo nec ſecundum; ac proindè in Duellicas pœnas non inciderent, poſt Duellum, aut Prouocationem peractam. Patet Illatio, nàm his pœnis afficiuntur *Auxiliantes*, aut *Fauentes* Prouocationi, vel Duellicæ Pugnæ; ſed quando fauor, vel auxilium ſublatum eſt, opportuno tempore, cùm adhùc res integra eſſet, non ſunt hi ampliùs dicendi *Auxiliatores, Fautores*, ac proptereà nec *Duellicis pœnis afficiendi*: nihil enim Prouocationi, aut Duello peracto, ſunt cooperati.

Ampliatio dictæ doctrinæ in alijs caſibus. 3 Addo etiam cum Peregrino, eandem doctrinam procedere in alijs actionibus *principaliter*, ac *ſimpliciter* prohibitis, vt ſi v. g. fauor, aut auxilium datum eſſet ad Manifeſta, ſeù Prouocatorios Libellos componendos, publicandos, vel intimãdos: Et deindè antequàm publicentur, vel intimentur, auxilium, aut fauor ſubtraheretur, tunc non forent illi *Excommunicati*, et amſi

poſteà, Prouocatorij Libelli publicatio, vel Intimatio ſequeretur; quia per eos *non ſtetit*, quò minus ad publicandi, vel intimandi actum non deueniretur, & eos facti pœnituit, cùm adhùc res integra eſſet.

Quid de duellicis Teſtificationibus dicendũ?

Et ſimiliter, ſi datum eſſet *Mãdatum* ad narrationem, vel Duellicam teſtificationem publicis, vel priuatis in locis faciendam proprio, vel alieno pro honore, ac fama tuenda, vel lædenda, & antequàm executioni Mandaretur, reuocatum foret mandatum, Duellicis pœnis, ac Cenſuris non tenerentur *Mandantes*.

Quid de cæteris actionibus ordinatis ad Duellum?

Addit prætereà Peregrinus procedere non ſolùm in *Auxiliante*, & *Mandante*, ſed etiam in *Inſtigante*, *Fauente*, *Suadente*, *Scribente*, *Dictante*, & in omnibus alijs actionibus, quæ ſunt ordinatæ ad illas tres principaliter, & ſimpliciter prohibitas per Clementinam Conſtitutionẽ, nempè ad Pugnam Duellicam, ad Manifeſta, vulgò dicta, & Prouocatoria ſcripta publicanda, vel intimanda, & ad narrationes, vel prouocationes faciendas.

Peregrin.

4 Verùm ipſemet Peregrinus *loco citato num.* 3. limitat non procedere in Conſilium dante, quandò diſſuadendo ſolùm, non poſſet impedire delictum; poſſet tamen alia via: In hoc enim caſu *teneretur impedire illud alia via* (quod tamen intelligendum eſt, *dummodò ſola diſſuaſione non iudicaret veriſimiliter impediuiſſe delictum; tunc enim ad nihil vltrà teneretur:*) vt docet Innocentius *in Cap. ad audientiam, de homicidio*. Felynus *in c. ſicut dignum, de homicid. n.* 14. & Boſſius *in ſua practica criminali tit. de mandato ad homicid. num.* 59.

Innocent. Felynus. Boſſius.

Et ratio diſcriminis inter Auxiliantem, & Conſilium dantem eſt; quia ſublato auxilio nihil prorsùs remanet, quo poſſit dici Auxiliator: at reuocato Conſilio remanet ſemper *venenum mali conſilij in anima, & influit* in delictum, vt docet Sayrus *lib.* 10. *Clauis Regiæ, tract.* 2. *c.* 8. *n.* 18. *idcirco ſi poſſit aliud medium adhiberi, tenetur Conſulens; ſin aliter, erit immunis*.

Sayrus.

Obiectio.

5 Obijcies, hanc Actionem, nempè auxiliari, eſſe *principaliter* prohibitam, vt colligi poteſt ex Clementina Cõſtitutione, *verſ. Quinimmò*. vbi Excõmunicantur *Duellum ex compoſito ineuntes, necnon id ſcelus ſuadentes, aut prouocantes, opem, conſilium, vel fauorem præſtantes &c.* ergo dato auxilio, ſtatim contrahitur Excommunicatio, quæ deleri nequit ſolummodò per *pœnitentiam*, ſed requiritur etiam *abſolutio*.

Solutio.

Sed reſpondetur hanc Actionem non eſſe *ſimpliciter* nec ſtrictè principaliter, ſed *cum conditione* prohibitam, *ſi per eos non ſteterit*. Ergo ſi per auxilium Dantes, ſubtracto auxilio, *ſtet moraliter*, quin ſequatur Duellum, ſequitur etiam quin Excommunicationis pœna in ipſis locum habere nequeat.

QVÆSITVM XXIX.

Vtrum ratam habens Prouocationem, vel Pugnam, vel aliam Actionem Duellicam ſuo nomine factam, incidat in pœnas contrà Duellantes inflictas?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur prima ſententia affirmatiua, triplici argumento munita. Quomodo Ratihabitio dicatur retrotrahi, & mandato comparari?*

2 *Ratam habens Clerici percuſſionem, an contrahat Cenſuram Canonis?*

3 *Qui Doctores aſſerant, Ratificationem habere vim mandati in delictis?*

4 *Iuxtà primam ſententiam ſunt Ex-*

com-

communicati etiam Rata habentes Manifeſta &c.

5 *Quænam dicatur tacita Ratihabitio? & an ſufficiat in Maleficijs?*

6 *In quibus Caſibus Ratihabitio non inducit Excommunicationem, etiam per Aduerſarios?*

7 *Adducitur ſecunda ſententia negatiua, quam Author tuetur.*

8 *Ratihabitio ad hoc vt inducat Excommunicationem, debet exprimi in lege pœnali.*

9 *Veri delicti pœnæ, non ſunt ad Delictum fictitium extendendæ.*

10 *Ratihabitio Homicidij an inducat Irregularitatem?*

1 AFFIRMATIVAM opinionem ſequitur Peregrinus de Duello *quæſt.*31. *nu.* 4. quæ probatur Primò ex *regula in tit. de regul. Iur. in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari;* ſed ſi quis mandaſſet alteri, vt eius nomine, inimicū laceſſeret ad Duellum, facta prouocatione incidiſſet in Excommunicationem, & pœnas contrà Prouocantes inflictas: ergo & ſimiliter incidit, dictam prouocationem, eius nomine factam, ratam habendo.

Peregrin.

Prima opinio affirmatiua.

Prima ratio pro prima ſententia.

2 Probatur Secundò *ex Textu in l.* 1. *§. Deieciſſe. verſic. Sed & ſi quid ff. de vi, & vi armata*, ibi: *Rectiùs enim dicitur in maleficijs ratihabitionem mandato comparari.* Et confirmatur *ex cap. Cùm quis. de ſentent. Excommun. in* 6. vbi ratam habens percuſſionem factam Clerico, abſque ſuo mandato, ſed ſuo nomine, declaratur *incidere* in Excommunicationem, à Canone latam.

Secunda Ratio.

3 Probatur Tertiò, Ex auctoritate Doctorum aſſerentium: *In delictis ratificationem habere vim mandati.* Ità *Gloſſa in l.* 1. *§. Deieciſſe, verb. Mandato. ff. de vi, & vi armata.* Sayrus *lib.* 10. *Clauis Regiæ, tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 2. *in fine.* Farinacius *in ſua Practica Criminali tom.* 1. *de delictis, & pœnis, quæſt.* 24. *num.* 139. & Ægidius Boſſius *in ſua Practica Criminali, tit. de mandato ad homicid. num.* 8. *&* 9. vbi dicit. quod Lex loquens in caſu noſtro, habet etiam locum in caſu ficto; vt docet etiam Alexander *in conſil.* 82. *col.* 2. *&* 3. *verſic. Sed fideicommiſſarius. ver. Vndè ſuccedunt. vol.* 1.

Tertia ratio.

Gloſſa.

Sayrus.

Farinac.

Aegid. Boſſius.

Alexand.

4 Hanc ſententiam idemmet Peregrinus ampliat, procedere etiam quòad illos, qui *narrationes, teſtificationes*, vel *Duellicas declarationes* eorum nomine factas, ratas haberent.

Ampliatur primo

Secundò. Procedere contrà illos quoque, qui ratas habent *Fides*, ſeù *Manifeſta* eorum nomine facta, & publicata, vel intimata (quæ licèt ſint ſinè expreſſa Prouocatione ad certamen, ſunt tamen quaſi *præparatoria* quædam *ad Duellum*, vel *ad Libellos prouocatorios*) & multò magis *prouocatoria ſcripta*, eorumdemmet nomine facta, & publicata, vel intimata.

Ampliatur ſecundò.

5 Tertiò, habere locum etiam in *ratihabitione tacita*, (dicitur enim ratihabitio tacita, cùm *non reuocat* poſtquàm ſcit, quod eſt factum nomine eius, *aut non contradicit*) quæ ſufficit in Maleficijs, ſecùs autem in non maleficijs. Ità docet Silueſter *in verbo Conſenſus, §.* 5. *verſic. Sed oportet.*

Ampliatur tertiò.

Silueſter.

6 Verùm hanc doctrinam ſic ampliatam, limitat Primò, non habere locum, quandò prouocatio ad Duellum, facta à Petro v. g. non eſſet facta nomine Pauli, vt docet *Gloſſ. in cap. Cùm quis. verb. Tuo nomine. de Sentent. Excommun. in* 6. & *Gloſſ. in l.* 1. *§. Deieciſſe. in verb. Ratum. ff. de vi, & vi armata.* Et ratio eſt, quia ratum Quis habere nequit, quod eius nomine non eſt geſtum, & per ſolam materialem ratihabitionem, quàmuis læthale crimen committatur; Excommunicatio tamen, & aliæ pœnæ non contrahuntur; vt clarè habetur in *dict. cap. Cùm quis, de Sent. Excomm. in* 6.

Præcedētis doctrinæ limitatio.

Se-

Secunda limitatio.

Secundò. Non procedere quandò rata haberetur Prouocatio ad Duellum; at rata non haberetur, *tamquàm ſuo nomine* facta; poteſt enim ſimpliciter ratum haberi factum, ſed non qualitas facti, vt in Caſu noſtro, quòd Prouocatio facta eſſet nomine Petri v. g. *l. Pomponius. ff. de negot.* Siluester. Siluefter *in verb. Conſenſus. §. 5. verſic. 2. Secundò oportet, &c.* & Glóſſa. *Gloſſa in l. 1. §. Deieciſſe. in verb. Ratum. ff. de vi, & vi armata.*

Tertia limitatio.

Tertiò. Nec procedere *in tacita ratihabitione*, quandò nimirùm, eo tempore, quo fruſtratoria eſſet reuocatio, fieret, vt v. g. prouocaretur aliquis ad Duellum nomine alterius, & poſt acceptam Prouocationem moreretur Prouocatus, in tali caſu, Principalis ratam habens Prouocationē, ſuo nomine factam, licèt peccati reus eſſet, Duellicis tamen pœnis non foret obnoxius: eo enim tēpore facta eſſet ratihabitio, quandò integrum non erat ipſimet Principali reuocare Prouocationem. Quæ omnia, etſi probabilia ſint pro hac affirmatiua ſententia Peregrini.

Secundā ſententiā negatiuā Auctor amplectitur.

7 Secunda tamen Sententia negatiua PROBABILIOR MIHI VIDETVR, cui etiam patrocinantur Lucas Floronus *in tractat. de Prohibitione Duelli, cap. 14. §. 3. num. 1.* Luc. Flor. Bonacina *tom. 1. de Cenſuris diſp. 2. quæſt. 6. punct. 1. propoſ. 3. n. 37.* Bonacin.

Ratio.

Probatur; tùm quia *Ratihabitio eſt poſterior facto*, ſub Cenſura prohibito; tùm quia Superior, dùm vult pœnam ad ratihabitionem extendere, ſolet hoc *exprimere*, & ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, niſi *exprimatur*.

Confirmatio.

Ratihabitio non eſt expreſsè prohibita in Pontificijs Conſtitutionibus cōtra Duellantes.

8 Confirmatur; quia in Iuribus contrà Duellantes inflictis, nulla mentio fit de *Ratum habentibus*; & quandò vult Legiſlator, Ratum habentes comprehendere, id exprimit, vt factum eſt à Felic. Rec. D. N. Summo Pontifice Paulo V. *in cap. 11. Bullæ Cœnæ Domini*. Ergo, cùm nec in Sacris Canonibus, nec in Tridentino Decreto, nec in tot Pontificijs Diplomatibus, tàm ſeuerè Duellum, cæteroſque Duellicos actus prohibentibus, vnquàm ſermo habeatur de Ratam habēribus Prouocationem; proindè dicendum eſt: *Duellicis Cenſuris non aſtringi Ratum habentes*.

Alia ratio

9 Præterea, Pœnæ ſtatutæ contrà *Verum Delictum* extendendæ non ſunt contrà *Delictum Fictitium*, quia in pœnis ſtricta fieri debet interpretatio; *cap. in pœnis de regul. Iur. in 6.* Sed ratihabitio iſta æquiparatur Mandato, *fictione Iuris*: ergo pœnæ contrà *verè Mandantes* ſtatutę, extendendæ non ſunt contrà Mandantes, *fictione Iuris*.

Vltima ratio à parte Ratihabitione Homicidij

10 Tandem, ſola homicidij ratihabitio, non inducit *Irregularitatem*, iuxtà multorum ſententiam Doctorum, quos refert, & ſequitur Sayrus *de Cenſuris Eccleſiaſticis lib. 7. cap. 4. num. 17.* Sayrus. Ergo nec ratihabitio Prouocationis ad Duellum, inducit *Excommunicationem*, vt vult Peregrinus; Peregrin. ad cuius ſententiæ oppoſita argumenta, iàm patet ex breuiter dictis, reſponſio.

QVÆSITVM XXX.

Vtrùm Excommunicatio, & aliæ pœnæ in Bulla Clementis VIII. expreſſæ, ſtatìm incurrantur, ac præſtita eſt aliqua Actio Duellica, etiamſi Duellum non ſequatur?

SVMMARIVM.

1 *Diſtinguitur duplex Actionum Genus in Clementina Conſtitutione contra Duellantes.*

2 *Quænam ſint Actiones principaliter, & abſolutè prohibitæ?*

Que-

3 *Quænam ſint Actiones minùs principaliter, & ſub conditione prohibitæ?*
4 *Præſtita quacunque Actione, principaliter prohibita, ſtatim contrahitur Excommunicatio.*
5 *Fallit hæc Doctrina in ſententia Aſſerentium, Non contrahi Excommunicationem, Niſi ſequatur Duellum.*
6 *Actiones minùs principales non inducunt Excommunicationis pœnam, Niſi conditione adimpleta.*
7 *Quid dicendum de Clauſula, in fine Clementini Diplomatis poſita?*
8 *Exempla non excludunt ſimilia. Nomine Denunciationis, venit hic etiam Prouocatio.*

Bonacin.

1 PRO huius Quæſiti ſolutione præmittimus cum Bonacina *tom.* 1. *de Cenſuris, diſput.* 2. *quæſt.* 6. *punct.* 1. *propoſ.* 4 *num.* 33. Duo Actionum genera in Clementina Cōſtitutione, in ordine ad Duellum prohiberi; Alias *principaliter*, & *abſolutè*; alias verò, quaſi *minùs principaliter*, & *ſub conditione*.

Duplex genus Actionum duellicarum.

Actiones primi generis.

2 Actiones principaliter, abſolutè, & ſinè conditione prohibitæ, dicuntur; *Pugnare in Duello. Prouocare ad Duellum, Publicare, Affigere, vel Intimare libellum Prouocatorium, Accedere ad locum Duelli.* Et ratio deſumenda eſt, tùm ex verbis illis Clementinæ Conſtitutionis: *Ad ſingulare Certamen deſcendat, aut illum prouocet*: tùm ex modo loquendi Clementis VIII. prohibētis alias Actiones, etiamſi neque Pugna aliqua, neque Certamen, aut effectus, aut actus ad Pugnam proximus, neque expreſſa & aperta Prouocatio ſubſecutura fuerit. Supponit ergo iſtas Actiones (vt inquit Bonacina) eſſe *ſimpliciter, principaliter, & abſolutè* prohibitas: cùm enim dubium ſuboriri poſſet, vtrum aliæ Actiones eſſent principaliter prohibitæ, an acceſſoriè, & dependenter à primis illis Actionibus; Summus Pontifex reſpondet, prohibitas eſſe etiam *independenter* ab illis, id eſt, etiamſi aliqua illarum non ſequatur, modò per eos non ſteterit, &c.

Oſtenditur quomodò cēſeantur principaliter prohibitæ.

Bonacina

Duelli acceptatio cur inter principaliter prohibitas numeretur

Idem dicendum eſt de *Acceptatione Duelli*; tùm quia eſt *actus proximus* ad Pugnam, & eſt pars Duelli; Actus autem proximus ſimpliciter, & abſolutè prohibetur; tùm quia eſt correlatiuum ad Prouocationem: *Correlatiuorum* autem *idem eſt iudicium, & diſpoſitum in vno, trahitur ad alterum. l.* 1. *Cod. de tranſact. l. final. ff. de acceptil. & l. ſi quis ſeruo. Cod. de furtis.* Ex quo ſequitur, acceptantem Duellum, affici pœnis impoſitis cōtrà Prouocantes ad Duellum, vt ait Peregrinus *de Duello quæſt.* 21. Sed an hoc verum ſit, ante Conſummationem Duellicæ pugnæ, videbitur infrà.

Peregrin.

Actiones ſecundi generis.

3 Actiones verò quaſi minùs principaliter, & ſub conditione prohibitæ, videntur eſſe omnes illæ Actiones Prouocatoriæ ad Duellum, vt *Componere Libellos, Conſulere, Mandare*, vt deferantur, vel Duellum offeratur, *Commodare* arma, & aliæ Actiones, quæ exprimuntur ab illis verbis: *Volentes eos*, vſquè ad ea: *Nihilominùs Cenſuris, & pœnis, &c.* exceptis tamen Actionibus principaliter, abſolutè prohibitis, de quibus iàm dictum eſt. His poſitis

Prima Reſponſio ad Quæſitum.

4 Reſpondetur Primò ad Quæſitum, quòad Actiones principaliter, & abſolutè prohibitas, ſtatim ac aliqua ipſarum præſtatur, *contrahi Excommunicationem*.

Ratio.

Fundametum eſt; quia tunc adeſt materia *abſolutè* prohibita ſub Pœnis, & Cenſuris: ergo ſtatim hæ Duellicæ pœnæ incurruntur.

Admonitio propoſita ſententia.

5 Notandum tamen hic eſt, iuxtà ſententiam eorum, qui tuentur; non contrahi Clementinam Excōmunicationem ab ipſis Principalibus, niſi ſequatur Duellum (vt infrà videndum erit,) has Actiones non poſſe dici, reſpectu Principalium, *abſolutè prohibitas*, ſed

tan-

tantùm, quòad reliquos Prouocationis, aut Duellicæ Pugnæ Cooperatores &c.

Secunda Reſpõſio. 6 Reſpondetur Secundò: quòad Actiones *minùs principaliter, & ſub conditione* prohibitas, nõ contrahi Duellicas Cenſuras ſtatìm, ac aliqua ipſarum Actio præſtetur, ſed donec alia Actio principaliter, & abſolutè prohibita, ad quam iſta minùs principalis dirigitur, ſequatur; vel per eum, qui minùs principaliter cooperatus eſt, non ſtat, quin illa principalis ſequatur.

Ratio. Fundamentum eſt; quia pœnæ in Clementina Conſtitutione contrà Præſtantes iſtas Actiones, non ſunt illatæ *ſimpliciter*, ſed *ſub conditione: Si per eos non ſteterit, quòminus publicatio, aut denunciatio fieret*. Ergo mens Summi Pontificis non fuit, has pœnas infligere illis, quàndiu per eos ſtare poteſt, nè Actiones *abſolutè, & principaliter* prohibitæ, ſequantur.

Peregrin. 7 Et quàmuis Peregrinus *quæſt. 5.* exiſtimet illam clauſulam: *Si per eos non ſteterit*. referri ſolùm ad proximas Actiones, expreſſas ab illis verbis: *Quiuè alijs ad ſingulare Certamen*. probabiliùs tamen exiſtimat Bonacina, referri etiam ad alias expreſſas poſt illa verba: *Volentes eos omnes*. Et ratio eſt; tùm quia *Clauſula in fine poſita, refertur ad omnes Actiones, in eadem propoſitione contentas, cap. 2. requiris, extrà de appellationib.* tùm quia eſt eadem ratio in omnibus: ergo etiam eadem diſpoſitio.

Explicatur clauſula.

Bonacina.

Obiectio Solutio. 8 Nec obſtat in illis verbis conditionalibus, mentionem fieri ſolùm *publicationis*, aut *denunciationis*: reſpondet enim Peregrinus *quæſt. 5. num. 8. verſic. In quo textu*. hæc verba non eſſe poſita *reſtrictiuè*, ſed *exemplariter*: exempla autem non excludunt ſimilia *l. 1. §. Quod dicitur. ff. de vi, & l. regula. §. vltim. ff. de Iur. & fact. ign.*

Peregrin.

Bonacina. Alia ſolutio. Reſpondet Secundò Bonacina, Nomine Denunciationis, intelligi etiam *Prouocationem ad Duellum*; ac proindè ea poſita, ſtatim Duellicas Cenſuras contrahi, niſi per eum, qui cooperatus eſt ad Prouocationem, *ſteterit*, nè Prouocatio ſequeretur.

QVÆSITVM XXXI.

An ſi quis Libellum Prouocatorium ad Duellum publicè affigit, vel intimat alicui, etiamſi Pugna non ſequatur, incidat ipſofactò in Excommunicationem?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt affirmatiua. Affixio, vel Intimatio prouocatorij Libelli, eſt expreſſè prohibita.*

2 *Per ſolam Affixionem, vel Intimationem dicti Libelli, intelligitur conſummatum delictum, quòad Excommunicationis pœnam ſubeundam.*

QVAMVIS ex præcedenti Quæſito, huius ſolutio dubij colligi poſſet, vt clariùs tamen, ac faciliùs innoteſcant, quæ diximus, de quibuſdam Duellicis Actionibus, operæpretium duximus, peculiaria proponere Quæſita: quorum hoc Primum eſt, ad quod

1 *Affirmatiuè* reſpondeo. Et ratio deſumenda eſt ex Textu Clementinæ Conſtitutionis: *Volentes eos omnes, & ſingulos, qui ſuo, vel alieno nomine, ad effectum prædicta, vel his ſimilia, multòque magis ad Certandum, Prouocatoria Scripta, Libellos, Epiſtolas, earumuè Exempla dictauerint, compoſuerint, ſcripſerint, miſerint, detulerint, diuulgauerint*, AFFIXERINT, *exemplauerint, typis impreſſerint, ſubſcripſerint*, INTIMAVERINT, *vel etiam verbo denunciauerint, ſiuè atteſtati fuerint*. Vbi vides Reſponſ. affirmatiua. Clem. vñ. Verba Clementinę Conſtitutionis

hu-

huiuſmodi Actiones expreſſè prohiberi, ergo &c.

Ratio. 2 Et ratio à priori eſt; quia illa Prouocatio ad Duellum facta per *publicationem*, vel *intimationem* libelli, eſt *principaliter*, & *ſimpliciter* prohibita, ac proindè ipſa peracta, eſt iàm *conſummatum delictum*: ergo ſtatìm Duellicæ pœnæ, pro tali delicto impoſitæ, contrahuntur. Quòd autem ſequatur, vel non ſequatur Duellica Pugna, hoc parùm refert, cùm iàm per Affixionem, vel Intimationem Duellici Libelli ſit conſummatum delictum. Ità Peregrinus *de Duello quæſt.* 5. *num* 3. Bonacina *tom.* 1. *de Cenſuris*, *diſput.* 2. *q.* 6. *punct.* 1. *propoſ.* 4. *num.* 34. Peregrin. Bonacin.

QVÆSITVM XXXII.

An Qui animo Duellandi Prouocatorium Libellum Compoſuit, vel ſcripſit, ſed non Affixit, nec Intimauit, nec per ſe, nec per alium, in Duellicas Cenſuras incurrat?

SVMMARIVM.

1 *In Cenſuris contrahendis attenditur actio peccaminoſa, prout in Lege exprimitur.*

2 *Sola Compoſitio, vel Scriptio Duellici libelli ab Excommunicationis pœna immunis eſt.*

Reſponſio negatiua ad Quæſitum. 1 RESPONDEO *negatiuè* cum Bonacina, & Peregrino. In hoc enim Caſu; cùm non ſit *conſummatum*, ac perfectum delictum, locum non habent pœnæ, quæ contrà huiuſmodi delinquentes impoſitæ, intelligendæ ſunt de *conſummatè*, & *perfectè* delinquentibus; leges enim pœnales cùm ſtricti Iuris ſint, ideò in eis ad contrahendam pœnam, ſi la *culpa*, vel *malitia* apud Deum *non ſufficit*, ſed attendenda eſt etiam actio ipſa materialis peccaminoſa, quatenùs per *verba legis* ſignificatur. Ità docet Suarez *de Religione tom.* 1. *lib.* 4. *de Simonia cap.* 55. *num.* 14. & *cap.* 56. *num.* 25 *in fine*. & Panormitanus *in cap.* 1. *de eo qui mittit in poſſeſſion. num.* 13. & 30. Andreas *in Regula*, *in pœnis*, *de regul. Iur. in* 6. & idem Suarez *tom.* 5. *de Cenſuris*, *diſp.* 44. *ſect.* 2. *num.* 2. dicunt Pœnam ipſo Iure impoſitam, non incurri, niſi per *delictum conſummatum*, nec ſufficere inchoatum, etiamſi *ad actum propinquum peruenerit*. Suarez. Panorm. Andreas. Quid requiratur ad pœnã incurrendam?

2 Cùm igitur in hoc caſu, ſola *Compoſitio*, aut *Scriptio* Duellici Libelli dici nequeat *conſummata actio* Prouocatoria ad Duellum, ſed potiùs *conſummanda*, ac perficienda, per publicam Affixionem, vel Intimationem, alteri parti hoſtili; proindè ſi per eum, qui Compoſuit, vel Scripſit, pœnitentia, vel timore, aut aliquo alio motiuo inductum, *ſtat*, quin affigatur, vel intimetur libellus Prouocatorius, *Duellicis Cenſuris non ſubiacebit*. Ità Bonacina *tom.* 1. *de Cenſuris diſp.* 2. *q.* 6. *punct.* 1. *propoſ.* 4. *num.* 34. & Peregrinus *tract. de Duello q.* 5. *n.* 4. Bonacina. Peregrin.

QVÆSITVM XXXIII.

Vtrùm ille, qui in locis publicis, vel priuatis, facit *Verbis* aliquam teſtificationem, vel declarationem ſub prætextu proprij, vel alieni honoris &c. ſtatìm incidat in Excommunicationem?

SVMMARIVM.

1 *Teſtificationes etiam ſinè Scripto factæ, expreſſe prohibentur à Clemente VIII.*

2 *Huiuſmodi Teſtificationes ſunt ſæpiſſimè Prouocationum, ac Duellorum Cauſæ.*

Reſponſio affirmatiua.

1 RESPONDEO *affirmatiuè*. Idque etiam locum habet, ſi nec Duellica Pugna, nec Prouocatio, nec Prouocatorij Libelli Publicatio, vel Intimatio ſequeretur, & etiam poſito, per ipſummet Teſtificantem ſtetiſſe, quominùs hæc omnia ſequerentur. Et ratio eſt; quia huiuſmodi Teſtificatio, & Declaratio *principaliter*, ac *ſimpliciter*, etiam *Sinè ſcripto* factæ, in Clementina Conſtitutione prohibentur, vt patet ibi: *Nec non quaſcumque etiam SINE SCRIPTO factas, ſaltem rerum ſupradicta quoquomodò concernentium, & ob huiuſmodi cauſas in locis publicis, vbi hominum multitudo conuenire ſoleat, Denunciationes, Declarationes, & Teſtificationes.* (Ratio.)

2 Et quàmuis huiuſmodi Teſtificationes, aut Declarationes expreſſam non contineant ad ſingulare Certamen Prouocationem, ſunt tamen quædam fomenta, diſpoſitiones, ac vt ità dicam præparatoria ad illud, & ad Libellum Prouocatorium componendum. Ex tali enim Teſtificatione protinùs ad Duellicos actus facilis aditus aperitur, meritò igitur prohibentur. Vide Peregrinum *de Duello quæſt.* 5. *num.* 6.

Quid mali ex dictis Teſtificationibus oriatur?

Peregrin.

QVÆSITVM XXXIV.

An ſint Excommunicati Facientes, Intimantes, vel Publicantes Duellica *Manifeſta*; etiamſi nec Duellum, nec ad Duellum prouocatio ſequatur?

SVMMARIVM.

1 *Duellica Manifeſta ſub Excommunicatione prohibuit Clemens VIII.*

2 *Etſi ad dictam Excommunicationem Contrahendam, non expectetur effectus Duellici conflictus; requiritur tamen publicatio, vel denuntiatio.*

FIERI ſæpiſſimè ſolent in Scriptis quædam, Fides, Narrationes, ac Manifeſta, quibus, aut propria ſeruetur Fama, aut lædatur aliena; ſiuè vt acceptæ repellantur Contumeliæ, aut illatæ approbentur, ſiuè ad Iniuriæ ſuſpicionem remouendam, aut aliquo alio fine, de quibus tamen dubitatur, an ſint etiam ſub Excommunicatione prohibita?

1 Reſpondeo igitur *affirmatiuè*, vt patet ex Clementina Conſtitutione, vbi in terminis huiuſmodi *Manifeſta*, etiam ſinè expreſſa prouocatione ad Duellicam Pugnam prohibentur, Pontificis verba hæc ſunt: *Prætereà pari ratione prohibemus omnia, & ſingula eius generis Scripta, MANIFESTA, ſeu Fides vulgò appellata, quæ etiam ſine expreſſa Prouocatione ad Certamen, quaſi tamen præparatoria quædam ad Cartulas, ſeu Libellos Prouocatorios, & ad Duellum, illorumque veluti radices, aut ſemina, vt plurimùm laceſſendi aliquem ad Pugnam, & ſuſcitandæ ſimultatis, aut inimicitiæ materiam, & occaſionem præbent, &c.* (Reſponſio affirmatiua. Clem. viij.)

Ex

Quid colligitur ex hoc Textu Clementinæ Conſtitutionis?

Ex quibus manifeſtè apparet, Actionem hanc, de qua loquimur, inter *principaliter*, ac *ſimpliciter* prohibitas enumerari, quàpropter ipſa peracta, cenſetur *conſummatum delictum*, quàmuis deindè, nec Duellicus Conflictus, nequè ad illum Prouocatio ſequatur: Ergo Duellicæ pœnæ, ac Cenſuræ ſtatìm contrahuntur. Ità Peregrinus *de Duello quæſt.* 5. *num.* 8.

Peregrin.

Quid dicendum ſi non præceſſerit publicatio?

2 Quòd ſi prædicta Manifeſta, nec publicata, nec denunciata forent, itàut per Scribentem, vel Dictantem, vel Componentem *ſtetiſſet* quòminus illa euulgarentur, nullus tunc eſſet *Excommunicationi* locus, quàmuis ſcribendo, dictando, vel componendo, ſit læthale crimen patratum. Et ratio eſt, quia non eſſet adimpleta conditio; *per ipſos* enim *ſtetit*, quòminus publicatio, aut denuntiatio fieret.

QVÆSITVM XXXV.

Vtrùm ſit ſub Clementina Excommunicatione prohibitum narrare aliquod factum, ex quo Duelli occaſio ſit oritura?

SVMMARIVM.

1 *Narrans factum, ex quo oriri poteſt Duellum, ſi id præuideat, erit Excommunicatus, ex Peregrino.*

2 *Oppoſitam ſententiam tuetur Auctor; concedit tamen, læthale crimen committi, & contrà Charitatem, & contrà Iuſtitiam.*

3 *Qui narrat aliquod factum, vt Auditorum animos ſtimulet ad Duellandum, Duellicas Cenſuras contrahit.*

CVM Clemens VIII., in ſuo Duellico Diplomate, pari ratione prohibeat omnia, & ſingula ſcripta, quæ veluti radices, & ſemina laceſſendi, atque inimicitiæ materiam, & occaſionem præbere poſſint, oritur hinc Dubium, An etiam prohibere voluerit Summus Pontifex alicuius facti *Narrationem*, quæ futura ſit, veluti ſemen aliquod, & *occaſio* Inimicitiæ, Prouocationis, & Duellicæ Pugnæ?

Clem. viij.

Peregrin.

Prima reſponſio ex Peregrino.

1 Reſpondet Primò Peregrinus *quæſt.* 27. Negatiuè ad Quæſitum, dummodò tamen ille, qui narrat, certus ſit, ex tali narratione non oriturum Duellum, ſed tantummodò Inimicitiam, vel Rixam, in quo caſu, læthale peccatum committeret, ob præſtitam odij, & altercationis occaſionem Proximo, qui talia narrari audiuerit, non tamen Excommunicatus foret.

Ex qua Peregrini reſponſione colligi videtur, quòd ſi Narrator præuideat, ex his, quæ narrat, Prouocationem, vel Duellum oriturum fore, in Excommunicationem incideret.

Secunda reſponſio ex Auctore.

Bonacin.

2 Reſpondeo igitur cum Bonacina *de Cenſuris tom.* 1. *diſp.* 2. *q.* 6. *punct.* 1. *propoſ.* 4. *num.* 32. *Nullo pacto ſub Excommunicatione prohibitam eſſe huiuſmodi Narrationem, ſiuè præuideatur, ſiuè non, exindè Duelli Occaſio orituram.* Et ratio eſt; quia Summus Pontifex Clemens VIII. actionem iſtam in ſuo Diplomate non exprimit, ideòque *ad eam non eſt extendenda prohibitio*: in pœnis enim non eſt facienda extenſio vltrà verborum ſignificationem. Fateor tamen talia Narrantem *læthali crimini* obnoxium eſſe, non ſolùm, quia contrà *Charitatem* delinquit, verùm etiam contrà *Iuſtitiam*, quia iniuſtæ actionis, cauſam, ac materiam præbet, dummodò *talem finem* intendat.

Peccat qui narrat ſed nõ eſt Excõmunicatus.

3 Quòd ſi ex *induſtria*, aliqua enarraret, vt Audientes ad Prouo-

Quando preter peccatũ, etiã pœna Excommunicationis contraheret?

cationem, vel Duellicam Pugnam *impelleret*; vtique in tali caſu, Duellicas Cenſuras contraheret; connumeraretur enim inter *Inſtigantes* ad Duellum, quibus illata eſt Excommunicationis pœna, in Clementino Diplomate. Eſt enim Inſtigatio, quoddam virtuale Conſilium, & Exhortatio ad Duellicam Pugnam, vt fuſiùs diximus *Quæſito* 27.

QVÆSITVM XXXVI.

Vtrùm Famuli ſcribentes tantùm, & non deferentes Scripta ad Duellum Prouocantia, incidant in Excommunicationem?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt negatiua. Scribere, & non deferre duellica ſcripta, non eſt Famulis, quandoque, vetitum: quid verò Non ſcribere, & deferre?*

2 *Amatoriam Epiſtolam, Hero dictante, ſcribere poſſent Famuli abſque peccato; at non deferre ad Amaſiam.*

3 *Quadam Seruilia Miniſteria an excuſari poſſint à peccato?*

Merolla.

1 RESPONDETVR cum Merolla *in diſp. Theolog. Moral. tom. 3. diſp. 2. cap. 4. dub.* 10. *Corollar.* 3. *num.* 390. quem refert, & ſequitur Diana, *par.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 1. *§. Et tandem*. dictos Famulos, *Non contrahere Excommunicationem*, dummodò talia ſcripta exararent, graui *imminente* eis *periculo* mortis, aut alterius detrimenti: Secùs verò dicendum, relatus Auctor cenſet, ſi ea ſcripta *ſcienter deferrent*, licèt oppoſitam ſententiam improbabilem non iudicet: eius verba hæc ſunt.

Diana.

Reſponſio ad Quæſitum.

Scribère ſolum nõ prohibeũ videtur Famulis.

Quantùm ad Scripta Prouocantia ad Duellum, ſi loquamur de *Famulis ſcribentibus* tantùm, & non deferentibus, exiſtimo poſſe dari caſum, in quo *licitum ſit famulis ea ſcribere*, vt ſi aliàs eis immineret periculum mortis, vel alterius grauis nocumenti. Si verò de Famulis ea ſcripta *ſcienter deferentibus* ſermo ſit, eſt valdè probabile, id ità eſſe intrinſecè malum, vt *in nullo caſu liceat*, quàmuis oppoſitum non ſit improbabile. Ità Merolla *loc. cit.*

Similium Caſuum Deciſio ex Laym.

2 Eandem ſententiam in ſimili tenet Laymann. *de Charit. lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. *Corollar.* 6. qui licèt multa cenſeat fas eſſe Famulis, vt nimirùm Fœminam, cum qua Herus peccaturus eſt, per ianuam *intromittere, facem præferre, lectum ſternere.* Sicuti docet Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 7. *num.* 14. Nauarrus, Rodriquez, Azorius *locis mox citandis*; quia huiuſmodi materialis *cooperatio* ſatis *remota* eſt, & ſinè ea peccatum nihilominùs committeretur; negat tamẽ Laymann, poſſe dictos Famulos abſque peccato, Meretricem quàmuis per ſe paratam, vel etiam conductam, è domo eius *euocare*, & per Plateas ad Herum *deducere*, vel LITTERAS ad turpia cõcitantes ab Hero ad Mulierẽ DEFERRE, cùm hæc vix fieri poſſe videantur, ſinè aliqua inductione Mulieris ad peccatum; ideòque ſpeciem quandam *Lenocinij* contineant, ſicuti rectè docet Angles *in tract. de Ieiunio, quæſt.* 7. *in fine* contrà Nauarrum *lib.* 5. *conſ.* 5. *de Pœnitentia edit.* 2.

Sanchez.

Nauarrus.

Rodriq.

Azorius.

Famulis Amatorias litteras fas nõ eſt deferre ad Amaſiam Heri.

An poſſint excuſari a peccato?

3 Nauarrus enim talia Famulorum obſequia, ſi ob Iuſſum Heri abſque *prauo affectu* fiant, à mortali peccato *excuſari* poſſe ait: eumque ex parte ſequutus eſt Rodriquez *tom.* 1. *Sum. cap.* 205. *concl.* 3. Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *cap. vlt. quæſt.* 8. Ità Laymann. *loco citato*. Ex cuius doctrina inferri poſſet, quòd ſi non liceat Famulo *ferre litteras amatorias* ad Amaſiam, nè illa induceretur ad aſſen-

tiendum peccato, nec licebit etiam Famulis *ferre literas Prouocatorias* ad Inimicum, nè inducatur ille ad acceptandam Monomachiam; proindè ſi deferrent, in Excommunicationē Eos incurrere probabiliùs cēſeo.

QVÆSITVM XXXVII.

Vtrùm Actiones ordinatæ ad faciendas Duellicas denunciationes, narrationes, declarationes, & teſtificationes *oretenùs* ſinè ſcriptura; ſimiliter ad faciendam Prouocationem, *oretenùs* ſinè Scriptura, ſint abſolutè, vel conditionatè prohibitæ?

SVMMARIVM.

1 *Vbi eadem militat ratio, eadem eſſe debet Iuris diſpoſitio.*

2 *Concluditur prædictas Actiones eſſe conditionatè prohibitas ſub Excommunicatione à Clemente VIII.*

Reſponſio ad Quæſitum. 1 RESPONDEO, huiuſmodi Actiones eſſe *Conditionatè* prohibitas, per illam nimirùm conditionem: *Si per ipſos non ſteterit*, quominùs publicatio, vel denunciatio ad Duellum *oretenùs* fiat.

Clem. viij Ratio. Probatur à pari; Sicuti enim in Clementina Conſtitutione *ſub conditione* prohibentur Actiones illæ, directæ ad Prouocationes, ac Denunciationes in Scriptis exarandas; ità etiam *ſub conditione* prohibitæ cenſentur iſtæ aliæ, ordinatæ ad Prouocationem *oretenùs*, & *ſinè Scriptura*, faciendam: Cum enim eadem in vtroque caſu militet ratio, proindè *eadem* eſſe debet *Iuris diſpoſitio*.

2 Cum igitur non *abſolutè*, ſed ſub *conditione* illâ: *Si per eos non ſteterit*, quòminus publicatio, aut denunciatio fieret, ſint prohibitæ Actiones, quæ fieri ſolent in ordine, ad facienda, & publicanda, vel intimanda Manifeſta, & Prouocatoria Scripta; vt ſunt dictare, componere, ſcribere, ſubſcribere, typis imprimere, mittere, deferre, diuulgare, intimare, affigere, conſilium, auxilium, operam, vel fauorem præſtare, ſtudere, mandare, vel quomodolibet ſe immiſcere. Enumerātur Actiones cōditionè prohibitæ.

Sic etiam ſunt *conditionatè* prohibitæ omnes Actiones, quæ fieri ſolent in ordine ad narrationes, & Prouocationes ſupradictas *oretenùs* faciendas, vt ſunt conſulere, mandare, inſtigare, ſub illa ſcilicet conditione: *Si per eos non ſteterit* quominùs narratio, vel prouocatio fiat. Ità Peregrinus *q.5.n.11.* Peregrin.

QVÆSITVM XXXVIII.

Quomodò reſponderi poſſit argumentis, contrà hanc diſtinctionem Actionum in Principales, & Secundarias, Abſolutas, & Conditionatas?

SVMMARIVM.

1 *Cur aliæ actiones dicantur principaliter, aliæ ſecundariò prohibitæ in Clementina Conſtitutione?*

2 *Repetitio, & Epilogus quomodò intelligi debeant.*

3 *Quo tempore dicantur Excommunicationem contrahere, qui minùs principaliter cooperantur ad Duellum?*

4 *Ponuntur duo Corollaria ex præcedenti Doctrina deducta.*

5 *In dubio ſit'ne adimpleta Conditio, an non, Prudentis Viri Iudicio ſtandum eſt.*

DIXIMVS hactenùs in hac Duelli materia,duo diſtinguenda eſſe Actionum genera, quarum aliæ *Principaliter*, & *Abſolutè*; aliæ verò *minùs Principaliter*,ac *Conditionatè* in Clementina Cõſtitutione prohibentur: Ex quo ſequebatur non contrahi Excommunicationem; donec conditio purificaretur. Contrà quam diſtinctionem,tria obijciunt argumenta Aduerſarij, apud Bonacinam *tom. 1. de Cenſuris diſp. 2. q.6. punct.1. propoſ.4. num.33.*

Clem.viij

Bonacina.

Primum argumentum.

1 Primum eſt. Omnes iſtas Actiones,quas in ſecundo genere collocauimus eſſe *principaliter*, & non *acceſſoriè* prohibitas; ac proinpè non *conditionatè*, ſed *abſolutè*: ergo ſtatim illis præſtitis, contrahitur de facto Excommunicatio, independenter ab omni alia conditione.

Solutio.

Reſpondetur. Quicquid ſit de principali prohibitione, hoc certum eſt, illas prohibitas eſſe, non *abſolutè*, & *ſimpliciter*; ſed ſub hac conditione, *Si per eos non ſteterit &c.* vt igitur diſcrimen aliquod inter vtriuſque Actionum genus poneretur,idcircò vocauimus illas, quaſi *minùs principaliter* prohibitas, ad differentiam illarum, quæ *abſolutè* prohibentur.

Proponitur,& Soluitur alia obiectio.

2 Secundum argumentum eſt. Quia Clemens VIII. in verbis ſequentibus *abſolutè*, & *indiſtinctè* ſub eadem loquendi forma, Duellicis pœnis ſubijcit, non ſolùm Pugnantes, & Prouocantes, verùm etiam Præſtantes *auxilium, conſilium, & fauorem*; ergo praſtita aliqua Actione,hìc prohibita, ſtatim contrahitur Excommunicatio, quæcumque Actio illa ſit.

Reſpondeo. Clementem VIII. ibi, iterùm repetere, & in compendium redigere, quæ ſuperiùs dixerat; Repetitio autem, & Epilogus, intelliguntur iuxtà formam, & cõditiones in præcedentibus explicatas: Verba enim dubia, intellectum capiunt ab antecedentibus, & conſequentibus, *l. qui filiabus. ff. de legat. 3. & l. ſi ſeruus. §. finali. ff. de legatis.*

Tertium argumentum.

3 Tertium argumentum eſt. Non poſſe aſſignari tempus, in quo huiuſmodi Actionibus ſic explicatis, ac intellectis, contrahatur Excommunicatio: ergo non ſunt hoc pacto *conditionatè*, ſed *abſolutè* intelligendæ; ità vt qualibet Actione præſtita, ſtatim Excommunicatio contrahatur.

Reſpõſio.

Reſpondeo. Aſſignari poſſe illud tempus, *in quo ſequi debuiſſet Actio* aliqua, principaliter, & abſolutè prohibita, ad quam præſtita erat cooperatio, & verum eſſet dicere, per Cooperantem non ſtetiſſe, nè ſequeretur.

Bonacina.

Primum Corollarium.

4 Ex dictis, infert Bonacina *loc. cit.* Eum, qui conſilium præbuit ad prouocandum alterum ad Duellum, incurrere Excommunicationem, *Statim ac prouocatio ſequitur, vel ſequi debuiſſet*, niſi aliter obſtitiſſet, vel niſi aliundè impedimentum ortum fuiſſet.

Secũdum Corollarium.

Præterea infert, Commodantem arma,Titio v.g. vt duellet,qui aliter ſinè armis non fuiſſet duellaturus,in Excommunicationem incidere, dùm cum illis *decertandum erat in Duello*, vel *accedendum ad locum Duelli*, etiamſi reipſa illùc non acceſſerit, nec Pugna ſequuta fuerit, ob impedimentum ab Alio poſitum, quàm ab Eo, qui arma accommodauerat.

In dubio quid agẽdum?

5 Verum tamen eſt, in his caſibus decidendis, magna opus eſſe prudentia; quia cùm tempus à Legiſlatore non ſit *ſimpliciter* determinatum, vel ſaltem non ſemper facilè cognoſci poſſit, quonàm tempore adimpleatur conditio,*Standum eſt Iudicio Prudentis Viri cap. de cauſis. de offic. Delegat. & l.1. ff. de Iur. deliber.* Prudens autem vir in dubio ſatis

probabiliter iudicare poterit conditionem purificatam fuiſſe; tùm quia *tutior pars eſt eligenda*; tùm quia conſtat de actione iniqua præſtita, ex qua vt plurimùm ſequi ſolet effectus, proindè contrà ipſum in hoc caſu ſtare videtur *præſumptio*. Sed de hoc infrà redibit ſermo.

QVÆSITVM XXXIX.

Vtrùm prohibitum ſit ſub eadem Clementis VIII. Excommunicatione, audire, vel legere narrationes, vel declarationes, vel teſtificationes ad Duellum pertinentes?

SVMMARIVM.

1 *Refertur prima ſententia affirmatiua, eiuſque rationes explicantur.*
2 *Lex pœnalis an ad fauorem Animæ, vel Reipublicæ, ſit latè interpretanda?*
3 *Legentes Duellica ſcripta, ſunt etiam Excommunicati, ſi ex compoſitò legerent, iuxtà primam ſententiam.*
4 *Qui ſolùm non ex Compoſitò, nec ſcienter legunt, vel audiunt, excuſantur ab Excommunicatione per Aduerſarios.*
5 *Negatiuam ſententiam tenet Author, eaque procedit tàm de Legentibus, vel Audientibus ſcienter, & ex compoſitò, quàm ignoranter, & per accidens.*
6 *Soluuntur argumenta primæ ſententiæ affirmatiuæ.*

1 PRIMA ſententia eſt affirmatiua, eamque ſequitur Peregrinus *quæſt.* 28. vbi ait. Quòd ſi *data opera*, & *ex compoſitò* ad eundem effectum, hoc eſt Duellum, audirent, in eaſdem pœnas inciderent, ſicuti ipſi Narrantes, Declarantes, & Teſtificantes. Huius opinionis

Peregrin.

Prima ſententia.

Primum Fundamentum eſt, quia audientes ſunt *Socij criminis*, ac proptereà eadem pœna puniendi, qua ipſimet Principales, vt patet in Gregoriano Diplomate, ibi: *Volentes etiam &c. Socios quouis modo ſeſe præbentes, eiſdem Cenſuris, & pœnis ſubiacere, &c.* & etiam in Clementino, ibi: *Quinimmò &c. circà chartulas, ſeù libellos, litteras, aut quæcumque alia ſcripta quomodolibet peccantes.*

Ratio.

Greg. xiij.

Clem. viij

Alterum Fundamentum eſt, quia opem ferunt, & eorum præſentia *cooperantur* ad illum actum *principaliter*, & *ſimpliciter* prohibitum per Clementinam Coſtitutionem, vt patet, ibi: *Præterea pari ratione.* vſque ad verſum: *Quiuè alijs*, incluſiuè; vbi puniuntur, non ſolùm narrationes, declarationes, vel teſtificationes prædictas *Facientes*, vel *Publicantes*, ſed etiam Quiuè in præmiſſis, vel eorum aliquo ſe *quomodolibet immiſcuerint*.

Alia Ratio.

2 Quòd ſi quis Peregrino obijciat, regulam illam Iuris, nimirùm quòd *lex pœnalis, & odioſa*, non ſit extrà ſuum proprium ſignificatum extendenda *l. cum quidam, ff. de liber. & poſth. cap. Odia, de regul. Iuris in 6.* ac proindè Duellicæ prohibitiones, & pœnæ inflictæ Facientibus, vel Publicantibus, narrationes, vel teſtificationes, &c. non ſint *extendendæ* etiam *ad Audientes*.

Obiectio contrà primam ſententiam.

Reſpondet, Regulam illam Iuris, nihil obſtare: nam quandò extenſio *ad fauorem animæ* tendit, ità *lex pœnalis extendenda* eſt, ſicuti *lex fauorabilis* extenderetur, vt docet Io: Andreas, & Abbas *in cap. Ex tenore, extrà, qui fil. ſint legit.* Iaſon *in authent. Quas actiones num.* 25. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Romana Rota *in Deciſionib. Diuerſor. par.* 2. *deciſ.* 29. *num.* 10. Et ſimiliter lex pœnalis extendenda eſt, quandò *ad Reipublicæ fauorem* tendit, vt docet Barthol.

Solutio iuxta mentem Auctoris primæ ſententiæ.

Io: Andr.

Abbas.

Iaſon.

Rom. Rot.

Barthol.

Aegid. Boſſius.

in l. *Quemadmodum*, *Cod. de Agric. & Cenſ. lib.* 11. & Aegidius Boſſius *in ſua Practica Criminali tit. de pœnis, num.* 12. Sed Clementina Conſtitutio, ait Peregrinus, ad *Animæ*, & *Reipublicæ fauorem* tendit; *expedit* enim *Reipublicæ, & Animæ ſaluti, vt delicta puniantur*, & quoad fieri poteſt, ab iniquis facinoribus perpetrandis, ſaltem pœnarum metu, homines reuocentur: ergo, pœnæ illæ inflictæ narrantibus, declarantibus, &c. *extendi* poſſunt etiam *ad Audientes*, data opera in ordine ad eundem effectum, ſcilicet Duellum.

Ampliatio oppoſitæ ſententiæ quoad alios Caſus.

3 Hanc eandem doctrinam ampliat Primò, procedere etiam non ſolùm, quò ad *Audientes* dictas narrationes, ſed etiam quò ad *Legentes*, quandò fiunt in ſcriptis, dummodò legant *data opera*, & ad eundem effectum; quia eſt eadem ratio, & propterea *eadem eſſe debet Iuris diſpoſitio*.

Ampliat etiam ſecundò, vt procedat, datò quòd ex tali declaratione, narratione, vel teſtificatione, *nulla ſequatur Pugna*, neque ad Pugnam *Prouocatio*.

Quinam Audiêtes, vel Legêtes ſint ab Excômunicatione immunes?

4 Secùs verò dicendum eſſe, ait, quandò *non data opera*, *ſed caſu* audirent; quoniam ſicuti per Gregorianam, & Clementinam Conſtitutionem, non omnes, ſed tantùm *de Induſtria*, & *ex compoſitò ſpectatores*, puniuntur, ità nec etiam omnes, ſed *ex induſtria Audientes*, Duellicis pœnis afficiuntur, cùm eadem vtrobique ratio militet.

Sic etiam quandò Audientes, vel Legentes *inſcij eſſent*, quorsùm tenderent talia ſcripta, in tali caſu ignorantia facti eos excuſante, à Duellicis pœnis forent immunes.

His tamē omnibus nō obſtantibus.

Reſponſio negatiua ad Quæſitum ex Auctore.

5 *NEGATIVAM EGO SEQVOR SENTENTIAM*, & ratio eſt, quia *actiones iſtæ* audiendi, vel legendi Duellica ſcripta *non exprimuntur* in prohibitione Duelli, & cùm *odia non ſint ampliando*, *ſed reſtringenda*, non debemus pœnas illas odioſas, ad audientes, vel legentes, extendere; ſatis enim durum videretur, legendo ſolummodò Duellicas Narrationes, aut Prouocationes, Excommunicationis pœnam contrahi. Fauet huic ſententiæ Bonacina *de Cenſuris tom.* 1. *diſp.* 2. *q.* 6. *punct.* 1. *propoſ.* 4. *n.* 32.

Bonacina.

Solutio primi argumenti oppoſiti.

6 Ad Primum autem oppoſitæ ſententiæ argumentum reſpondetur, *negando*, ipſos Audientes Duellicas Narrationes, &c. *Socios eſſe* illorum, qui tales Narrationes faciunt; ac proindè *nego etiam* fore pari pœna puniendos, qua puniuntur illi, qui profectò cùm actionem *principaliter* ſub Excommunicationis pœna, prohibitam exerceant, meritò, tali actione præſtita, *ipſò factò Duellicas Cenſuras contrahunt*: At de *Audientibus*, cùm nulla fiat in Pontificijs Diplomatibus *Mentio*, *nec eis pœna vlla infligatur*, neque Nos tàm rigida ſententia illos condemnare, eorumque animas, tàm graui *Excommunicationis* vinculo ligare debemus.

Reſponſio ad Secundum.

Ad ſecundum reſpondeo, etiam *Negando*, *Audientes opem ferre*, eorumque præſentiam ad illum actum *principaliter* prohibitum, *formaliter* cooperari, cum tantummodò, vt ſic dicam, *materialiter*, *& per accidens*, tales Declarationes, vel Teſtificationes audiendo, ſe habeant.

Quid dicendū de extenſione legis pœnalis?

Quod autem Lex pœnalis ad fauorem Animæ, vel Reipublicæ, latè ſit interpretanda, ac extendenda, tranſeat hoc; nam etiamſi de aliqua pœnali lege verificaretur, nequit tamen dici de *Excommunicatione*, quæ cum ſit pœna grauiſſima, non contrahitur niſi in Caſibus *in Iure expreſſis*. Si ergo in Canonico Iure contrà Duellum, non exprimuntur *Audientes*, nec *Legentes*; non erunt igitur Iſti Excommunicationis pœnæ obnoxij.

QVÆSITVM XL.

Vtrùm eſſent Excommunicati Duellatores, qui gerentes arma defenſiua, Duellum committerent: ità vt nullum eſſet mortis, nec vulneris periculum?

SVMMARIVM.

1 *Duellantes ſine periculo cædis, vel vulneris, peccant, ſed non ſunt Excommunicati.*
2 *Inſpiciendum eſt periculum, quod per ſe oriri poteſt ex tali Duello, ſed non per accidens.*

Explicatur in quo dubium conſiſtat.

DVBIVM mihi propoſitum fuit, an ſi duo Viri nobiles, è capite ad calcem, validiſſimis armis defenſiuis muniti, Duellare inuicem paciſcerentur, ità tamen, vt moraliter loquendo, nullus ex tali Duellica pugna ſubeſſet vulneri, aut mutilationi locus, ſed tantummodò hoc facerent, *ne ignaui viderentur*; Vtrùm inquam in Excommunicationem inciderent?

Reſpõſio.

Prima pars negatiua.

1 Reſpondi: Si ex occultis Duelli pactis certi forent Duellatores, ſe nullum taliter Duellando ſubituros eſſe vulneris, mutilationis, aut cædis periculum, tunc in foro interno Excommunicationis pœnæ non eſſent obnoxij; *peccarent tamen peccato ſcandali, & in foro externo cenſerentur Excommunicati.*

Secunda pars affirmatiua.

Si verò, etiam defenſiua arma gerendo, *periculum aliquod immineret vulneris, aut cædis*; ſi v. g. aliqua pars corporis adhuc eſſet vulnerabilis, vtique incurrerent. Et ratio horum omnium eſt, quia Duellicæ Cenſuræ, ideò inflictæ ſunt, vt animarum, & corporum pericula eluderentur: ergo cum in primo caſu periculum vllum (vt ſupponimus) adeſſet: In ſecundo autem caſu adhuc vulneris diſcrimen ſubiri poſſet, vt frequenter accidit, etiam defenſiua arma gerentibus; ideò Iſti Duellicas Cenſuras contraherent, Illi verò minimè.

2 Loquimur autem hîc de diſcrimine, quod *moraliter* loquendo, *per ſe* ex tali Duello oriri poteſt, non autem *per accidens*, quod etiam contingere poteſt in Haſtiludio, quod tamen ſub Excommunicationis pœna prohibitum non eſt, licèt quandoque ex aliquo inopinato euentu vulnera, aut cædes ſequantur, vt experimento comprobatum eſt in multis, ac præſertim in Henrico II. Galliæ Rege, qui in Haſtiludio, cum Gabriele Comite Mongomerio Prætorianæ Cohortis Præfecto congrediens, galea præproperè non ſatis occluſa, ab aduerſæ haſtæ fragmento, apertam bucculam irrumpente, transfoſſo dextero oculo, ictoque indè cerebro, illicò exanimatus eſt, quintoque poſt die ex hac vita deceſſit.

Henricus II. Galliæ Rex in haſtiludio lethale vulnus accepit.

Famianus Strada de Bello Belgico lib. 1. ad annum 1559.

QVÆSITVM XLI.

Vtrùm Duellantes Subulis, vel Gladiolis, incidant in Excommunicationem?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt affirmatiua. Finis attendendus eſt in prohibitione duellica.*
2 *Satiſfit tacitæ obiectioni de bellicis Armis.*

RATIO dubitandi eſt; quia Armorum nomine, bellica tantummodò Arma venire

videntur in Clementina Conſtitutione, vbi Armorum mentio habetur, & inita cum Armis Duella prohibentur: Subulæ autem Sutorum potiùs Inſtrumenta ſunt, quàm bellica Arma; ſic etiam Gladioli, ac Cultelli ad incidendum panem, Armorum appellatione non veniunt, ſecundùm Panormitanum *in cap. Clerici, 1. de vita, & honeſtate Clericor.* quem ſequitur Siluester *in verb. Excommunicatio, 7. num. 59.* Ex quo ſequi videtur dictis armis Duellantes Duellicas non contrahere Cenſuras.

Panorm. Siluester.

Reſponſio affirmatiua.

1 Reſpondeo tamen ad Quæſitum *affirmatiuè*. Et ratio deſumenda eſt *ex fine*, propter quem Duella prohibentur, vt nimirùm animarum, & corporum pernicies, mutilationes, vulnera, mortes repentinæ, odia, & altercationes, quæ ex Duellis oriuntur, non ſolùm ipſoſmet inter Duellatores, verùm etiam inter adſtantes, eorumque Amicos, ac Conſanguineos euitentur. Cùm igitur *non minùs* ex Duello, *Haſta*, vel *Gladio*, quàm *Subula*, vel *Gladiolo* v.g. inito, hæc omnia mala oriri poſſint, ideò qui hiſce, & ſimilibus Armis ad Duellandum vterentur, *Duellicas Cenſuras contraherent*.

Reſponſio ad rationem dubitandi.

2 Neque obſtat, hæc non eſſe Arma bellica, neque Armorum appellatione venire non ſolere: nàm ſatis eſt, *ſi ex ſe vulnera, vel necem inferre poſſint*, vt prohibitus cenſeatur eorum vſus in Duello. Sicuti quàmuis lapides, & baculi, iuxtà communem loquendi vſum, vt docet Iulius Clarus *in ſua Practica Criminali, q.82. Statut. 6. verſic. Et ſcias.* Armorum nomine non veniant, tamen eò ipsò, quòd ad Duellum committendum eligantur *ex intentione* Duellantium facta ſunt Arma bellica, vt in ſimili docet Nauarrus *in Manuali cap.27. num.139. & in cap. Ità quorundam, de Iudæis. not.11. nu.13.* ac proindè Duellum committentes prædictis Armis in Excommunicationem inciderent. Vide Peregrinum *q. 9.* Vgolinum *de Poteſt. Epiſc. par.1. cap.2. num.2.* Floronum *de Duello cap. 5. §. 9.*

Iulius Clarus. Nauarr. Peregrin. Vgolinus. Floronus.

QVÆSITVM XLII.

An Duellantes tot contrahant Cenſuras, quot fuerunt Summi Pontifices, prohibentes ſinguli Duellum ſub Cenſuris?

SVMMARIVM.

1 *Duellicæ prohibitiones ſæpius repetita, ac innouatæ à Summis Pontificibus, Vnicam Excommunicationem Transgreſſoribus infligunt.*
2 *An ſi alia Duelli prohibitio ab Epiſcopo fieret, alia contraheretur Cenſura?*
3 *Deferentes Arma Saracenis, vnica afficiuntur Cenſura.*
4 *Cenſura vnde Vnitatem, vel Multiplicitatem deſumant?*

1 RESPONDEO *negatiuè*. Et ratio eſt; nàm quàmuis plures fuerint Summi Pontifices huius Duellicæ Cenſuræ conditores, *formaliter* tamen in Poteſtate videntur *Vnus*, & non cenſentur velle ferre plura Præcepta *formaliter diſtincta*; & licèt ſæpiùs innouauerint Pontificias Conſtitutiones contrà Duellantes, eſt tamen *Vna Lex*, ac proindè contrà Eam delinquentes, *Vnius* ſunt *contumaciæ formaliter* Rei: ergo *Vnius* Excommunicationis pœnæ obnoxij.

Negatiua reſponſio. Plures Pôtifices le ges côtrà Duellum, cenſentur Vna formaliter, quoad Cêſuram.

2 Quòd ſi à pluribus, diuerſam Poteſtatem habentibus, prohiberetur Duellum; vt ſi v.g. Epiſcopus in ſua Diœceſi, Cenſuram ferret contrà Duellantes, ità tamen, vt intenderet Nouum Ius ferre, & *Nouam pœnam imponere*, præter eam, quæ à

Quid dicêdum de Cenſura Epiſcopali?

Summis Pontificibus impoſita eſt, tunc *Duæ contraherentur Cenſuræ*, Papalis Vna, Altera Epiſcopalis.

Diſparitas. Et ratio diſparitatis eſt; quia *multiplex formaliter contumacia* in hoc Caſu committeretur: ergo *multiplex contraheretur Cenſura*, quæ ob contumaciam contrahi ſolet. Ità Suarez *de Cenſuris diſp. 5. ſect. 3. num. 13.* Coninch *de Pœnitentia diſp. 7. dub. 6. n. 46.* Vgolinus *tab. 1. cap. 16. §. 3.* Sayrus *lib. 1. cap. 10. num. 11.* Paludanus *in 4. diſp. 18. quæſt. 2. ad finem*. Filliucius *cap. 5. quæſito 7. num. 142.* Nauarr. *in cap. Ità quorundam de Iudæis, notab. 11.* Alterius *lib. 3. diſp. 10. cap. 7. col. 3.* Bonacina *tom. 1. de Cenſuris, diſp. 1. q. 1. punct. 5. propoſ. 3. n. 11.*

Suarez. Coninch. Vgolinus. Sayrus. Paludan. Filliucius. Nauarr. Alterius. Bonacina.

Corollarium. Quot Cẽſuras contrahant deferẽtes arma Saracenis?

3 Ex quo infero etiam cum Bonacina, & Sayro *locis citatis*. *Vnius* tantummodò *Excommunicationis* Pœna affici illum, qui defert *arma Saracenis*, quàmuis multi Summi Pontifices, ſub Cenſuris prohibuerint arma Saracenis deferre, & multi eandem Cenſuram reſeruauerint: *Reſeruatio* enim *non mutat ſpeciem Cenſuræ*, vel tranſgreſſionis, vel contumaciæ.

Si verò Epiſcopus etiam ipſe ferret Cenſuram, tanquàm ſuam contrà deferentes arma Saracenis; in hoc caſu, arma deferens *Duplicem incurreret Cenſuram*; committeret enim Duplicem contumaciam *formaliter*.

Argumẽtum. 4 Sed contrà hoc obijci poſſet: Qui facit contrà plures Leges, & præcepta, ex eodem motiuo impoſita à diuerſis Superioribus, committit *Vnum* tantummodò *peccatum*, & Vnam tranſgreſſionem: ſed in caſu noſtro, qui Duellum committeret, vel arma deferret Saracenis contrà Pontificis, & Epiſcopi prohibitionem, *Vnum* committeret *peccatum*: ergo *Vnam* contraheret *Cenſuram*.

Reſpõſio. Reſpondeo, *negando Conſequentiam*. Et ratio eſt, quia *Cenſuræ* non ſolùm *deſumunt Vnitatem*, & *Multiplicitatem* ab Vnitate, & Multiplicitate peccatorum, verùm etiam à *multiplici contumacia*: ſed qui Pontificis, & Epiſcopi præcepta tranſgreditur, eſt *Multipliciter contumax*, & contrà Epiſcopum, & contrà Pontificem: ergo Multiplici Cenſura eſt puniendus. Ità Bonacina *loc. cit.*

QVÆSITVM XLIII.

Vtrùm Duellatores tot contrahant Cenſuras, quot Duellicas actiones exerçent, quarum ſingulæ ſeorsìm ſub Excommunicationis pœna prohibentur?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi, cum ampliori Quæſiti explanatione.*
2 *Subiectum vnica Excommunicatione affectum, affici poteſt alijs, & alijs, eiuſdem, & diuerſæ Speciei Excommunicationibus.*
3 *Quid amplius Damni, ac pœnæ ſentiat Excommunicatus, cùm alias, & alias contrahit Cenſuras, nondum abſolutus à prima?*
4 *Plura læthalia Crimina, eamdem diuinæ Gratiæ priuationem, multiplici titulo inducunt.*
5 *Multiplicatis moraliter, ac formaliter Tranſgreſſionibus, multiplicantur Cenſuræ Tranſgreſſoribus illatæ.*
6 *Plures Duellicas actiones exercens in eodem Duelli feruore, vnam contrahit Excommunicationem. Idem aſſeritur de Dante plura verbera eidem Clerico, eodem tempore.*
7 *Quid dicendum de Præſtante diuerſas duellicas Actiones, diuerſis temporibus?*
8 *Exercens eodem tempore plures Actiones duellicas, ordinatas ad plura*

Duella, an pluribus puniendus ſit Cenſuris?

9 *Subripiens ſimul tempore ex eodem Horreo plures frumenti Modios, ex eodem Grege plures Oues eodem ſimul tempore, vnius criminis Reus eſt. Quid ſi è diuerſis?*

1 MVLTÆ ſunt Duellicæ Actiones, ſingulæ ſeorſim prohibitæ ſub Cenſuris à Summis Pontificibus, ac præſertim à Clemente VIII. vt nimirùm *Prouocare* ad Duellum, *Suadere*, *Scribere*, *Auxiliari*, *Spectare*, Equos, vel arma *Commodare*, & his ſimilia; vt diximus. *Quæſit.* 5. Dubium hinc oritur, an ſi *Vna, eademque Perſona*, & *Prouocet* ad Duellum, & Conſilium, ac fauorem *præbeat* alijs, & Duellicos Libellos *ſcribat*, & ſit ſimul, & Socius, & Fautor, & Spectator, & Patrinus, & Inſtigator, & Mandans, & Suaſor, & Prouocator, & Duellator: *Tot contrahat Excommunicationes, quot ſunt iſtæ Actiones*, quas exerceret, poſitò, eas ſimul compoſſibiles eſſe.

Clem. viij. Explicatur latiùs quæſitū, ac dubitandi ratio.

2 Sed antequàm ad Quæſiti ſolutionem accedam, præmitto, poſſe *ſemel* Excommunicatum, *iterùm* Excommunicari, nedum alia Excommunicatione *diuerſæ rationis*, verùm etiam *einſdemmet ſpeciei*, vt communiter docent Doctores, ac præſertim Silueſter *verbo. Excommunicatio.* 1. *num.* 10. Suarez *de Cenſuris di ſp.* 5. *ſe.* 1. 2. Auila *de Cenſuris*, 2. *par. cap.* 4. *diſp. vnica. dub.* 7. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 5. *quæſt.* 7. Alterius *lib.* 3. *diſp.* 10. *cap.* 7. & Alij communiter.

Excōmunicatus iterū Excommunicari poteſt.

Silueſter. Suarez. Auila. Filliucius. Alterius.

Ratio eſt; tùm quia ſic exprimitur *in cap. Cùm pro cauſa: de ſententia Excommunicationis, & cap. Engeltrudam.* 3. *quæſt.* 4. *& cap. Ità quorumdam de Iudæis*: tùm quia ligatus Cenſura, poteſt adhùc *tranſgredi legem* continentem Cenſuram: ergo poteſt adhùc illam *incurrere*; vndè qui ſemel Clericum percuſſit, & contraxit Excommunicationem, poteſt *nouo anathematis vinculo* ligari, iterùm percutiendo eumdem, vel aliū Clericum.

Ratio.

3 Et quàmuìs per ſecundam, & tertiam, aliaſque Cenſuras ſubſequentes nihil ſit vltrà, quo priuari poſſit Excommunicatus, cùm iam per primam bonis omnibus communibus priuatus ſit; iſtæ tamen Excommunicationes *vim habent priuandi, & nouum inducunt priuationis titulum*; itàvt ſi per impoſſibile per primam Excommunicationem, omnium communium bonorum priuatio ſequuta non eſſet, ſequeretur vtique per ſecundam, vel tertiam, aliaſque illatas Cenſuras.

Eadē priuatio cōmunium bonorum multiplici capite cōtrahi poteſt.

4 Patet hoc manifeſtè in Peccatore plura læthalia crimina committente, qui licèt per primum læthale crimen *Diuina gratia priuetur*, reliqua tamen, quæ ſucceſſiuè committuntur peccata, eandem priuationem gratiæ Dei *nouis titulis* inducunt. Et ſimilitèr in *Reo*, qui ob furta commiſſa ſit capite damnatus, & dùm in vinculis detinetur, homicidium committat: licèt enim ob furta commiſſa, iàm laqueo ſuſpendendus ſit v. g. nouum tamen homicidij crimen, *nouam inducit damnationis, ac mortis obligationē*, adeò vt ſi ex furtis capite damnatus no foret, damnaretur vtique ex homicidio patrato. His igitur poſitis vt certis.

Comparatur Excōmunicatus Reo Capitis dānato, & Peccatori diuina gratia priuato.

5 RESPONDETVR PRIMO AD QVÆSITVM: *Tot contrahi Cenſuras, quot ſunt moraliter, & formaliter Actus contrà præceptum, ſeù quot ſunt tranſgreſſiones formaliter, & moraliter*: Vndè vbi eſt *moraliter*; & *formaliter Vnus* actus contrà præceptum, ſeù *Vna* tranſgreſſio, ibi eſt *Vna tantùm Cenſura*: vbi verò ſunt *Plures* tranſgreſſiones *formaliter*, ibi ſunt *Plures Cenſuræ*. Et ratio eſt, quia Cenſura in lege ponitur, propter tranſgreſſionem ipſius legis: ergo vbi eſt *Vna tranſgreſſio*, ibi eſt *Vna Cenſura*. & vbi *Multiplex tranſgreſſio*, ibi etiam *Multiplex Cenſura* reperitur;

Prima Reſponſio ad Quæſitum procedit, quando multæ duellicæ actiones ſimul præſtarentur.

Ergo

Plures actiones phyſicè diſtinctæ, cenſentur Vna moraliter.

6 Ergo in caſu poſito, Si omnes illæ Duellicæ Actiones, ab Vna, eademque Perſona, eodem Duelli feruore in ordine ad idemmet Duellum fierent, cenſerentur, *Vna actio moralis*, & *formalis*, *Vna etiam formalis tranſgreſſio*, ac proindè *vnica Cenſura* punienda; & licèt ſint *diuerſi*, ac *diſtincti Actus*, Prouocare v. g. Scribere libellum, Spectare Duellum, Duellate, quia tamen *alter alteri ſubordinatur* reſpectu eiuſdem Duelli, in genere moris, *Vnicus actus* prauus cenſetur, & Vna Excommunicationis pœna dignus. Quandò enim *Vnum eſt propter aliud, ibi eſt tantùm Vnum*. Teſte Ariſtotele 2. *Topic. cap.*2.

Paritas de Afficiente Clericum pluribus verberibus.

Patet à pari de Verberante Clericum, qui ſi eodem Pugnæ feruore ſucceſſiuè, & *abſque interruptione morali* Clericum verberat, *Vnam* tantummodò *Cenſuram incurrit*, vt colligitur *ex Canone pro cauſa de ſententia Excommunicationis*. Et ratio eſt, vt ſuprà, quia cenſetur *vna* tantùm *actio moraliter*. Ità Suarez *diſp.*5.*sect.*3. Vgolinus *tabul.* 1 *cap.*16. *§.*3. *num.*5. Nauarrus *cap.*6. *num.*17. Alterius *lib.*3.*diſp.*10.*cap.*9. Bonacina *de Cenſuris diſp.*1.*quæſt.*1.*punct.*5.*propoſ.* 2.*nu.*5. Et patet etiam à ſimili de oſculis, ac tactibus impudicis, cæteriſque actibus venereis, in ordine ad eandem copulam carnalem, qui licèt *entitatiuè*, ac *materialiter* plures ſint, *formaliter* tamen cenſentur *Vnus actus moralis*, vnumque peccatum læthale, cùm eodem tempore fiunt.

Suarez. Vgolinus. Nauarrus. Alterius. Bonac in.

Paritas.

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

Cùm igitur in poſito caſu, Prouocare, Inſtigare, ac Duellare, *vnum*, & *idem* reſpiciant *Duellum*, Vnica etiam erit tranſgreſſio, *Vnicæ capax Cenſuræ*.

7 RESPONDETVR SECVNDO: Si omnes iſtæ Actiones *diuerſis* fierēt *temporibus*, ac *interruptis vicibus*; vt ſi v. g. hodiè *componeretur* libellus Prouocatorius, & *mitteretur* ad Inimicum, craſtina die fieret *oretenus* prouocatio, poſtridiè *committeretur* Duellum, tunc dici poſſet, *tot Cenſuras contrahi*, *quot ſunt iſtæ peccaminoſæ Actiones*, quæ *moraliter* non in *Vnam* coaleſcunt actionem, ſed *plures* diſtinctæ cenſentur, quibus ſingulis *ſeorſim* ſumptis, ſingulæ impoſitæ ſunt Cenſuræ; quippequæ multas inuoluant *formales tranſgreſſiones*, contrà eandem legem, prohibentem *Prouocationes*, Prouocatorij Libelli *Compoſitionem, Duellicum Conflictum*, &c. Sicuti cenſeretur plura peccata committere, qui *interruptis vicibus* plures Actus ad eundem finem tendentes præſtaret; vt ſi quis v.g. amatoriam epiſtolam mitteret *hodiè* ad Amaſiam, *cras* deindè illam impudicè tangeret, *poſtridiè* cùm eadem concumberet, eſſent vtique *tria peccata diſtincta*, licèt reſpexerint eundem finem carnalis copulæ.

Variæ actiones peccaminoſæ, diuerſo tēpore præſtitæ an inducāt varias Cenſuras?

Qui verò tuentur non contrahi Excommunicationem ab ipſis Principalibus, niſi ſequatur Duellum. Reſpondent *concedendo* quidem tunc *plura committi peccata*; *Negant* tamen *plures contrahi Cenſuras*, quia, vt Ipſi aiunt, Duellicæ Cenſuræ non ſunt impoſitæ ſingulis Actionibus peccaminoſis ordinatis ad idem Duellum, ſed tantummodò *Committentibus Duellum*, Ex Textu, ibi: *Monomachiam commiſerint*; Ex quo inferunt, quòd *niſi ad illum actum* committendi Duellum deueniatur, *non contrahitur Excommunicatio*, licèt plures Duellicę Actiones priùs exerceantur. Sed de hoc infrà.

Quid reſpondeant Auctores defendentes Duelli cas Cenſuras cōtrahi ſequuto Duello.

8 RESPONDETVR TERTIO: *Si eodem tempore plures Duellicæ actiones fiant in ordine ad plura Duella, vel cum pluribus perſonis ſucceſſiuè Duelletur, In hoc caſu plures contrahi Cenſuras.* Vndè, Si quis v.g. ſuum inimicum prouocat ad Duellum; ſeruo mandat, vt Alterum Inimicum abſentem, ſuo nomine prouocet ad aliud Duellum, ſequenti hebdomada v. g. ineundum, Alteri amico Duellatori pro alio Duello committendo, Conſilium, aut arma præbeat, aliorum Duello intereſſe velit, etiamſi

Tertia reſponſio ad Quæſitū.

has Actiones intrà vnius diei, immò intrà vnius horæ ſpatium committeret; quia tamen *plura reſpicerent Duella, pluribus Cenſuris ligaretur*, cùm plurium præceptorum, quæ in eadem Duellica prohibitione continentur, *multiplici titulo formalis Transgreſſor* diceretur.

Verberãs ſucceſſiuè plures Clericos pluribus afficitur Cẽſuris.

Non ſecùs ac, *Si quis v.g. ſucceſſiuè plures Clericos verberaret*, vel Vni Clerico vulnus infligeret, alium violenter in publica, aut priuata cuſtodia detineret; ab alio per vim, & Iniuriam aliquid è manibus eriperet (Demus hæc omnia compoſſibilia eſſe) in alium aquam, puluerem, aut lapillos iaceret; alium perſequeretur, ità vt in fluuium, aut in foueam ille incideret, &c. hæc autẽ ſimul ageret eodem tempore, vt ſuppono, *tot contraheret Cenſuras, quot eſſent iſtæ iniurioſæ actiones contrà plures Clericos præſtitæ*: ergo pariter dicendum eſt in poſito caſu de *Duellatore*, plures Duellicas actiones exercẽte in ordine ad plura Duella.

Obiectio.

9 Sed obijcies. *Si quis* eidem perſonæ, & conſilium, & auxilium, & fauorem, & mandatum, &c. daret pro aliquo Duello ineundo, *Vnum peccatum committeret, vnamque Cenſuram contraheret*: ergo ſimiliter dicendum, etiamſi vni det auxilium, alij conſilium: huic fauorem, illi mandatum pro diuerſis committendis Duellis.

Reſpõſio.

Reſpondetur *negando Conſequentiam*. Et diſparitas eſt, quia cùm eidem Perſonæ omnia ſimul *tempore* præſtantur, fit tantùm *vna tranſgreſſio moralis contrà legem Pontificiam*.

Diſparitas.

Sicutì, ſi quis v. g. eodem die ex eadem Sylua plura *ſimul* ligna cederet, ex eadem Vinea plures *ſimul* fructus decerperet, ex eodem Horreo plures *ſimul* frumenti modios aſportaret, ex eadem Arca plures *ſimul* nummos ſubriperet: *Vnum committeret peccatum*. Secùs verò, ſi ab Vno pecuniã *eodem tempore* ſubriperet, & ab alio aliquot frumenti modios, & aliquot ab alio, *plura tunc eſſent peccata, quia pluribus*, licet ſimul tempore, *fieret iniuria, ac damnum inferretur*. Idem ergo dici poteſt in caſu poſito.

QVÆSITVM XLIV.

An ſi eodem tempore daretur Vnum Conſilium, vel Auxilium multis in ordine ad multa Duella, contraheretur Vnica, vel multæ Cenſuræ?

SVMMARIVM.

1 *Oritur dubitandi Ratio, quia plura ſequerentur Duella ex eodem Conſilio, vel Fauore præſtito.*

2 *Iuxtà primam Sententiam, Vnica contrahitur Excommunicatio.*
Colloquens cum pluribus Excommunicatis eodem tempore, quot contrahat Cenſuras?

3 *Pluribus afficitur Cenſuris, Qui dat Conſilium pluribus, iuxtà alteram ſententiam.*

4 *An percutiens plures Clericos eodem impetu, pluribus ligetur Cenſuris?*

5 *Qui multos ſimul induceret ad peccandum; an multa quoque ſimul peccata committeret?*

6 *Blaſphemando ſimul Deum, & Apoſtolos, tredecim peccata committeret ex Molfeſio, & Alijs.*

7 *Eadem detractione Trium lædens Hominum famam, ter peccat ex Fillincio, & Alijs.*

8 *Vnde Peccatorum Vnitas, vel Multiplicitas deſumenda ſit?*

9 *Concurrentibus multis ad aliquid mali agendum, ſinguli peccant, licèt Vnum ſit Malum, quod patratur.*

10 *Vnum Conſilium datum multis, quomodò cenſeatur vnica Actio peccaminoſa?*

11 *Nemo ex ſuo delicto Commodum reportare debet.*

12 Admiſſa prima ſententia, quomodo verificetur, non ſequi hoc abſurdum, nempè, Conſulentem reportare commodum ex ſuo delicto?

Explicatur latiùs Quæſitū.

1 CONTINGERE poteſt, Multos ſimul ab eodem Titio v.g. Conſilium, vel Auxilium petere, ſingulos tamen in ordine ad diuerſa Duella, & Ipſum Vnico Conſilio, ac Fauore, Omnes ſimul hortari, & vrgere ad Pugnandum, ità vt verè ex tali ſuaſione Plura deindè ſequantur Duella. Quæritur nunc, an Titius, præſtito omnibus Fauore, & Conſilio, *Vna, vel Pluribus ligaretur Cenſuris*, inflictis contrà *Fauorem*, aut *Conſilium Dantes*, in ordine ad Duellum? Et quàmuis hoc Dubium à Nullo hactenùs in terminis Duelli, diſputatum inuenerim; adhùc tamen duplex excogitari poteſt opinio, cuius rationes vtrìnque adducam, vt integrum ſit cuicumque, ex dictis ſententijs vtram velit, amplecti.

Prima ſētentia.

Vnam Cēſuram cōtrahi.

2 Prima igitur Sententia eſſe poteſt, *Vnam ſolummodò in hoc Caſu contrahi Cenſuram*, nàm cùm ſit *Vnum numerò peccatum*, & *Vna tranſgreſſio*, erit etiam *Vna numerò Cenſura*. Sicuti in ſimili *probabiliter* aſſerunt nonnulli Doctores, *Vnica* percuſſione, vel occiſione, *Vnicam* contrahi Cenſuram, etiamſi *Plures* Clerici percuterentur, vel occiderentur: *Vnica Imprecatione* cōtrà Vnam Familiam, *Vnum tantummodò lethale peccatum* committi, quàmuis in ea Familia *Plures* exiſterent Perſonæ: *Vnica Blaſphemia* in Duodecim Apoſtolos, *Vnum* pariter committi *peccatum*: & tandem *Vnico colloquio* cum Pluribus Excommunicatis, *Vnam minorem Excommunicationem* incurri, vt volunt Suarez *tom. 5. de Cenſuris, diſp. 5. ſect. 3. num. 7.* Bonacina *tom. 1. de Cenſuris diſp. 1. quæſt. 1. punct. 5. propoſ. 2. num. 7.* & Alij: Ergo etiam dici poteſt Vnico Conſilio, vel Fauore præſtito Multis eodem tempore, Vnam ſolummodò Cenſuram incurri, quàmuis Plura Duella indè ſequantur.

Paritas de percutientibus, vel blaſphemantibus plures.

Suarez.

Bonacina.

Secunda ſententia.

Plures incurri Cēſuras.

3 E contrà Altera Sententia eſſe poteſt: *Tot contrahi Cenſuras, quot eſſent Perſonæ, quibus Conſilium, aut Fauor daretur*. Et ratio eſt, quia licèt *Conſilium ſit Vnum numero phyſicè*, eſt tamen *moraliter*, ac *virtualiter multiplex, ac Multorum Cauſa Duellorum* (ſupponimus enim ex tali Conſilio, omnes illos animatos eſſe ad propria Duella ineunda.) Sunt igitur *in eodem actu phyſico Plures malitiæ morales, numero diſtinctæ*, Multa crimina in eodem Facinore, ac multiplici titulo *Multæ Tranſgreſſiones, & Contumaciæ* contrà Duellicas Prohibitiones: ergo etiam *Multæ Cenſuræ*.

Ratio.

4 Hanc ſententiam in ſimili tuentur Nauarr. *cap. 6. num. 18.* Zerola, *de Pœnitentia, cap. 12. quæſito 48.* Savrus, *lib. 1. cap. 10. nu. 9.* Vgolinus, *tabula 1. cap. 16. §. 3. num. 8.* Enriquez, *lib. 5. cap. 5. num. 4.* Alterius, *lib. 3. diſp. 10. cap. 8. colum. 1. verſic. Sed quàmuis.* Vaſquez, *de Pœnitentia quæſt. 91. art. 1. num. 4. & 7.* Qui omnes probabiliùs, ac tutiùs aſſerunt, quòd Si quis *Vnico ictu*, Plures Clericos percuteret, vel occideret, *tot ligaretur Cenſuris, quot eſſent Clerici* percuſſi, vel occiſi: ergo ſimiliter dici poſſet in Caſu noſtro, *tot contrahi Duellicas Cenſuras, quot* eſſent Perſonæ, quibus *Fauor*, aut *Conſilium* datum eſſet in ordine ad diuerſa Duella.

Nauarr. Zerola. Sayrus. Vgolinus. Enriq. Alterius. Vaſquez.

Deciſio ſimilium Caſuum.

Primus Caſus.

5 Prætereà, ſic etiam in ſimili docent Sanchez *in Summa, tom. 1. lib. 1. cap. 6. nu. 8.* Vaſquez, *in prim. 2. quæſt. 71. art. 7. nu. 15.* Salas, *in prim. 2. tract. 3. diſp. 5. ſent. 13. num. 110.* & Alij, quòd, Si quis *Vnico* verbo, quatuor v.g. ad peccandum induceret, *quatuor peccata* committeret, in Confeſſione explicanda.

Sanchez. Vaſquez. Salas.

Secundus Caſus.

6 Sic etiam Vaſquez, *in 3. par. tom. 4. quæſt. 91. art. 1. dub. 4. num. 10.* Molfeſius noſter, *in Summa, tom. 1. tract. 1. cap. 7. num. 19.* Azorius, *tom. 1,*

Vaſquez. Molfeſius. Azorius.

Tertius Caſus. *lib.4. cap.4.quæſt.5.* tenent; Quòd Si quis *Vnico actu*, Deum, & Duodecim Apoſtolos malediceret, *tredecim* peccata mortalia committeret.

Quartus Caſus. 7 Item, Qui *eodem verbo*, Famam, & honorem *trium perſonarum* læderet, *trium peccatorum* reus eſſet; ſicutì qui *Vno ictu tres homines* occideret.

Filliucius. Yribarne. Ità Filliucius *tom. 2. tract. 21. cap. 9. num. 325.* Yribarne, *in 4. Sententiar. tom. 2. diſtinct. 17. diſp. 15. ſect. 8.* Vaſquez, & Azorius *locis citatis*. Ex quibus, & ſimilibus Caſibus, qui videri poſſunt apud Noſtrum Diana, *p. 3. tract. 4. reſol. 164.* deduci poteſt, etiã in Caſu poſito, *plura cõmitti peccata*, quãdò datur vnum Conſilium multis in ordine ad plura Duella, ac proindè *Plures contrahi Excommunicationes*.

Adducuntur, & diluuntur Oppoſita contrà Primam Sententiam.

Primum argumentum. 8 Primò obijci poſſet contrà Primam Sententiam, aſſerentem Vnicam contrahi Cenſuram, tali pactò: *Vnitas peccatorum* non deſumitur tantùm *ex vnitate Actionis*, ſed etiam *ex multiplicitate Perſonarum*, & Subiectorum, circà quæ verſatur Actio: Sed in Caſu poſito Plures ſunt Perſonæ, quibus Conſilium, aut Fauor datus eſt ad committenda Duella: ergo *Plura* ſunt *numerò peccata*, conſequenter etiam *Plures Cenſuræ*.

Reſpõſio. Sed Reſpondere poſſent illius Sententiæ Auctores, Vnitatẽ, & Multiplicitatem *numericam* peccatorum, deſumi ex Vnitate, vel ex Multiplicitate *numerica* Perſonarum, *quando Actio fit ſucceſſiuè circà Plures Perſonas*, vt v. g. in noſtro Caſu, Si *hodie* daretur Conſilium Vni, *Cras* Alteri, &c. non verò *quandò fit tota ſimul circà Plures Perſonas*; vt propoſitum eſt Quæſitũ.

Secũdũ argumentum. 9 Obijcies ſecundò. Si Plures Conſilium darent Vni in ordine ad Duellum, *omnes Excommunicationem incurrerent*: ergo à pari, Si Vnus daret Pluribus Conſilium, *Plures incurreret Excommunicationes*.

Solutio. Sed Reſponderent Illi, negando Conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt, quia quandò Plures Vnum Conſilium darent, *Plura peccata committerent*, iuxtà numerum Perſonarum concurrentium ad tale Conſilium dandum; quandò verò Vnus Vnum Conſiliũ daret Multis, committeret tantùm *Vnum peccatum, Vnam tranſgreſſionem, & Vnicam actionem terminatam ad Plures*. Diſparitas.

Tertium argumentum. 10 Obijcies tertiò. Si idem Conſilium daretur Multis ſucceſſiuè, *tot contraherentur Cenſuræ, quot eſſent Perſonæ, quibus ſucceſſiuè daretur*: ergo etiam idem dicendum eſt, quandò eodem tempore, Vnico Actu daretur Multis; *videtur enim eadem ratio*.

Reſpõſio. Reſpondetur, negando Conſequentiam; quia in illo Caſu eſſent *Plures Actiones moraliter diſtinctæ*, ac proindè *Plures inducerent Cenſuras*: At in Caſu noſtro, cùm daretur eodem tempore idem Conſilium, cenſeretur *Vnica Actio moralis* peccaminoſa, *Vnus* pœna *Cenſuræ* punienda.

Quartum argumentum. 11 Obijcies quartò. Si verum eſſet, Dantem Vnum Conſilium Multis, Vna Cenſura ligari, ſequeretur Ipſum *reportare commodum ex ſuo delicto*; quia eodem modo Vnam incurreret Excommunicationem, *Conſilium dando Multis, ac Vni tantùm*; Sed hoc non videtur admittendum: ergo.

Solutio. Reſpondent dictæ ſententiæ Auctores, *negando ſequelam*. Non enim Commodum ex ſuo delicto reportaret, ſed *Vnam incurreret Cenſuram*, quia *Vnum delictum committeret*, vnam Tranſgreſſionem, vnum Actũ & vnum Peccatum; Cenſuræ enim multiplicantur ſolùm multiplicatis Tranſgreſſionibus, & Contumacijs. Non ſequitur abſurdum.

ergo

ergo cum *Vna* in hoc caſu, vt ſupponunt, eſſet *Contumacia, Vna* etiam contraheretur *Cenſura*.

12 Quod autem pari pœna puniretur dando Conſilium Multis, ac Vni, non proindè benè infertur: *Reportare Commodum ex Delicto*. Sicuti, ſi quis diceret, eodem modo damnatur ad Inferos Peccator Moriens *cum vno*, ac *cum mille* læthalibus Criminibus: ergo qui mille læthalia Crimina patrauit, moriendo reportat commodum ex ſuis delictis: vtique *neganda eſſet Conſequentia*, nàm licèt æterna damnatio, *quòad pœnam damni*, nempè quòad Beatificæ Viſionis priuationem, *eadem ſit in Committente Vnum, ac mille Crimina*; reliquæ tamen Senſus pœnæ, & plures, & intenſiores ſunt in Vno, quàm in Altero. Ità à pari reſpondent Illi, Quàmuis communium Chriſtianæ Reipublicæ Bonorum *Priuatio*, quam Cenſura inducit, eadem ſit in *Dante Conſilium Vni, ac Multis*; adhùc tamen *plures Vni, quàm Alteri* luendæ ſupererunt pœnæ, ſi non in hac, in altera ſaltem vita quandò, *Quicquid latet apparebit*, & apud Seueriſſimum Iudicem *Nil inultum remanebit*.

Probatur vlteriùs, non ſequi abſurdū, ſi prima ſententia admittatur.

QVÆSITVM XLV.

An Vulnerans, vel Occidens in Duello Clericum, vel Monachum Ordinibus initiatum, Vnam, vel Plures contrahat Excommunicationes?

SVMMARIVM.

1 *Percuſſor Clerici in Duello duas Contrahit Cenſuras.*
2 *Percuſſor Monachi aliquo Ordine, vel ſaltem prima Tonſura initiati, tribus afficitur Cenſuris. Quænam ſint dictæ Cenſuræ?*
3 *Circumſtantia Monachatus an ſit diſtincta Specie, à Clericatu?*
4 *Quid dicendum de Percutiente Clericum, qui ſimul ſit Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos?*

1 RESPONDEO Primò: *PERCVTIENTEM Clericum duas contrahere Cenſuras*; Vnam, ratione *Duelli* commiſſi; Alteram, ratione *Percuſſionis*, aut vulneris illati Clerico. Et ratio eſt; quia *duplicem* tranſgreditur *legem, formaliter diſtinctam*, Vnam prohibentem *Duellum*, Alteram vetantem Manus violentas in Clericum, vel Monachum inijcere; vt patet ex Canone: *Si quis*. 17. *quæſt*. 4. *Si quis ſuadente Diabolo in Clericum, vel Monachum manus violentas iniecerit, Anathematis vinculo ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum præſumat illum abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat*.

Prima reſponſio ad Quæſitū.

Duplex Cenſura contrahitur.

Canon Si quis.

2 Reſpondeo ſecundò: PERCVTIENTEM Monachum Sacris Ordinibus, vel ſaltem prima Tonſura initiatum, *triplicem contrahere Cenſuram*. *Primam, Ratione Duelli*, de qua dubium non eſt. *Secundam, ratione Clericatus*, vt modò probauimus. *Tertiam* verò, *ratione Monachatus*, vt vult Alterius *lib*. 3. *diſp*. 10. *cap*. 8. *verſic. Rem.* & Bonacina *de Cenſuris tom*. 1. *diſp*. 1. *quæſt*. 1. *punct*. 5. *propoſ*. 2. *num*. 9.

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

Triplex Cenſura.

Alterius.

Bonacina.

3 Et ratio eſt; quia hæc Percuſſio, præter *Duas formaliter diſtinctas* tranſgreſſiones, *Tertiam* contineret *propter irreuerentiam*, ac iniuriam illatam ſtatui Religioſo: nàm *circumſtantia Monachi, diuerſa eſt, ſpecie à circumſtantia Clerici*, cùm alia ſit conſecratio Clerici, & alia Religioſi, conſequenter, alia ratione debeatur reuerentia vt *Clerico*, alia vt *Religioſo*.

Ratio.

Monachatus diſtinguitur à Clericatu

4 Secùs verò dicendum, ſi per-

cuteret Clericum, qui ſimul eſſet Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos; *Circumſtantiæ* enim *Diaconatus*, *Subdiaconatus*, *& Sacerdotij non mutant ſpeciem* in hoc caſu, ſed *accidentaliter* tantùm ſe habent ad tranſgreſſionem Legis, quæ ſolùm ſpectauit *ſtatum* Clericalem, non verò *Ordinem*, quo aliquis eſt initiatus, vt benè ait Vgolinus *tab.1. cap.16. §.3. ad finem*. Suarez *de Cenſuris diſp. 5. ſect. 3. num. 15.* Bonacina *loc. cit. num. 9.* Diana *par. 5. tract. 9. reſol. 60.*

Cenſura reſpicit ſtatū Clericalem.

Vgolinus. Suarez. Bonacina. Diana.

QVÆSITVM XLVI.

Quas Pœnas contrahant Clerici Pugnantes in Duello?

SVMMARIVM.

1 *Clerico Duellatori, Suſpenſionis pœna, præter Excommunicationem, impoſita eſt.*

2 *Pœna Suſpenſionis non eſt ferenda, ſed ipſò factò lata, iuxtà primam ſententiam.*

3 *Iuxta ſecundam ſententiam, quam Auctor tuetur, Clericus Duellator non eſt ipso facto ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus.*

4 *Quomodò ſit intelligenda facultas diſpenſandi cum Clerico Duellatore, conceſſa Epiſcopo?*

5 *Clericus non erit ſuſpendendus, niſi actu Duellicam pugnam inierit.*

6 *An ſi cogeretur Clericus ad Duellandum, etiam Suſpenſionis pœnam contraheret?*

7 *Præter Suſpenſionem, incurrit Clericus Duellator Irregularitatem ob Infamiam, & cæteras pœnas in Pontificijs Diplomatibus contentas.*

1 RESPONDETVR Primò: CLERICVM in Duello Pugnantē, præter reliquas pœnas, cæteris Duellatoribus impoſitas, quas hactenùs explicauimus, cōtrahere etiam *Suſpenſionis pœnam*. Patet ex Textu *cap.1. de Clericis Pugnantib. in Duello, tit. 14.* vbi hæc habentur: *Porrò ſi Clericus alicui ſpontè Duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit: ſiuè victor, ſiuè victus fuerit, de rigore Iuris eſt meritò deponendus. Sed quantumcumque eius in hoc grauis ſit, & enormis Exceſſus, euadere poteſt Depoſitionis ſententiam, ſi cum ipſo ſuus Epiſcopus duxerit misericorditer diſpenſandum, dummodò ex ipſo Duello, homicidium, vel membrorum diminutio, non fuerit ſubſequuta.* Ex quo Textu, liquidò colligitur, Iure antiquo dictam Depoſitionis pœnam Duellatori Clerico impoſitam eſſe: & in hoc nulla eſt difficultas.

Prima reſponſio ad Quæſitū.

Dubium tamen hìc eſt, an Suſpenſio illa ſit ipſo factò lata, an verò inferenda.

Proponitur aliud Dubium.

2 Reſpondent Angelus *verb. Suſpenſio. 1. num. 12.* Silueſter *verb. Suſpenſio. quæſt. 16. caſu 11.* & ibi Tabiena *quæſt. 6. nu. 7. caſu 10.* Clericum Duellatorem, *ipsò facto eſſe ſuſpenſum*; quod probant ex facultate, quæ cōceditur Epiſcopo in eodēmet Textu, abſoluēdi à Suſpenſione Clericū; quàmuis enim Textus de Clericis Pugnantibus dicat, *Hunc meritò deponi debere*, ac proindè non videatur Suſpenſio *lata*, ſed *ferenda*: ſtatim tamen ſubiungit, *poſſe Epiſcopum diſpenſare, niſi mors, aut mutilatio ſint ſubſecutæ*; quæ verba indicant *latam ipsò facto* Suſpenſionem, aliòquin non eſſet in quo Epiſcopus diſpenſaret. Ità relati DD. ratiocinantur.

Angelus. Tabiena. Soluitur in ſententia aliquorum.

3 Sentiendum tamen Mihi videtur, non eſſe ſuſpenſum, *ſed ſuſpendendum*. Ità Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 156.* Henriquez *lib. 13. de Excommunic. cap. 39. num. 23.* Salzedus *in Pract. Bernardi Diaz, cap. 100. initio.* Suarez, *5. tom. in 3. par. diſp. 31. ſect. 4.*

Auctoris ſententia. Nauarrus. Henriq. Salzedus. Suarez.

Manuel. Sanchez. Hurtad.

num.48. Manuel. 1.*tom.Summæ,2.edit. cap.* 37. *fine*. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 18. Hurtadus *vol.* 2. *de Spe, & Charit. diſp.* 170. *ſect.* 21. *ſubſect.* 1. *§.* 166.

Ratio.

4 Probatur, ex eodem Textu de Clericis Pugnantibus, vbi non dicitur, *Sit ſuſpenſus*, ſed rigore Iuris eſt meritò *deponendus*; ex quo colligitur, pœnam hanc non eſſe *inflictam*, ſed *infligendam*, vt relati Auctores, ac præcipuè Suarez ſentiunt. Idque confirmāt ſequentia verba Textus, concedendo Epiſcopo *diſpenſandi* facultatem, cùm vix Pontifex cum *depoſito* diſpenſet. Nec ea verba arguunt *Suſpenſionem eſſe latam*, quia ſenſus eſt, concedi Epiſcopo *Diſpenſationem*, poſtquàm Clericus ille, *per ſententiam ſuſpenſus fuerit*.

Diſpenſandi facultas cōceditur Epiſcopo.

Suarez.

Quæ ſint requiſita ad contrahendam Suſpēſionis pœnā?

5 Aduertit etiam benè Suarez ibi, non ſatis eſſe Prouocationem ad Duellum, illiuſuè Acceptationem, vt Clericus hic ſuſpendendus ſit, *niſi Pugna ſequatur*; id enim ſupponit Textus: nàm licèt dicat: *Si Clericus alicui ſponte Duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit*: ſubdit tamen immediatè: *Siuè victor, ſiuè victus fuerit.* Quæ verba indicant *commiſſam* eſſe Duellicam Pugnam, non verò committendam fore.

Abbas. Bernard. Diaz. Salzedus. Petrus Feller. Manuel.

6 Præterea, intelligitur pœna iſta de Clerico *ſponte* acceptante Duellum, vt docent Abbas *eo cap.* 1. *ſtatim in princip. notab.* 2. Bernardus Diaz *cap.*100. *fine*. Verùm Salzedus *ibi fine*. & Petrus Feller. per ipſum allegatus, & Manuel *dict. cap.*73. *fine*, dicunt adhùc eſſe *ſuſpendendum*; quia cùm Duellum Clerici ſtatum dedeceat, nulla cogi poteſt neceſſitate Clericus ad Duellandum, niſi quandò *ab altero inuaderetur*, & tunc non eſſet Duellum, ſed *Defenſio*.

Secunda reſponſio ad Quæſitum. Peregrin. Floronus. Bonacina.

7 RESPONDETVR ſecundò ad Quæſitum cum Peregrino *de Duello q.6.n.6.* Luca Florono *c.5.n.25.* Bonacina *de Cenſuris tom.* 1. *diſp.*2. *quæſt.*6. *punct.*1.*propoſ.*3.*num.*21. & Alijs, huiuſmodi Clericum eſſe *Irregularem*, non ſolùm, dùm mortem intulit, aut mutilauit, verùm etiam, quoties declaratur *Infamis ob cauſam Duelli*: *Infamia* enim, ſaltem *poſt ſententiam* declaratoriam *inducit Irregularitatem*.

QVÆSITVM XLVII.

Vtrùm Occidentes, vel Vulnerantes in Duello, teneantur in Foro Conſcientiæ ad aliquam Reſtitutionem faciendam, iuxtà Aliorum opinionem?

SVMMARIVM.

1 *Duellator in foro Conſcientiæ damna illata in Duello reſarcire tenetur, ex nonnullis Doctoribus.*

2 *Danti operam rei illicitæ, imputantur omnia quæ ſequuntur, etiam præter voluntatem ſuam.*

3 *Iuxtà Tridentini Concilij Decretum, Duellatores, vt Homicidæ ſunt puniendi.*

4 *In ſententia Aliorum, Prouocans reſarcire tenetur damna Prouocato: non autem Prouocatus Prouocanti.*

5 *Mutuo conſenſu Duellum committentes, ſunt à reſtitutione immunes, ex Alijs DD.*

6 *Prouocatus in arenam deſcendens, vt infamiam effugiat, quæ ex Duelli detrectatione oriri poſſet, ad nullam tenetur Reſtitutionem, ex Bannes. Secùs verò dicendum de Prouocatore.*

MVLTAE ſunt DD. ſententiæ, circà huius Quæſiti ſolutionem, quas breuiter, ac fideliter præmittere, operæpretium viſum eſt, antequàm quid in hac

parte ſit denique ſentiendum, oſtendam.

Prima ſententia.
Peregrin.
Duellator tenetur ad Reſtitutionem.

1 PRIMA SENTENTIA eſt Peregrini *de Duello quæſt. 39. num. 4.* aſſerentis, Duellatorem teneri in foro conſcientiæ, *reſarcire* læſo, vel filijs, & hæredibus occiſi, *quamcumque iacturam*, quam illi ratione læſionis perpeſſi ſunt.

Megala.
Turrian.
Bonauen. Colonnẽſ.

Ità etiam Megala, *par. 2. lib. 3. cap. 1. quæſt. 1. n. 13.* Turrianus *in 2. 2. D. Thomæ tom. 2 diſp. 28. dub. 4. n. 12.* Bonauentura Colonnenſis *in Tract. de Duello cap. 12.* vbi ſic ait, Qui in Duello lædit alterum, vel occidit, tenetur in Foro Conſcientiæ *reſarcire* læſo, vel filijs, vel Hæredibus occiſi quamcunque *iacturam*, quam illi ratione læſionis, & occiſionis perpeſſi ſunt: Nàm qui pugnant in Duello, *dant operam rei illicitæ*, cùm Duellum ſit prohibitum: ergo ſi ex Duello ſequitur læſio, vel mors, qui lædit, tenetur *reſarcire* quaſcumque iacturas; nàm *Danti operam rei illicitæ*, quæ prohibita eſt ex præcepto Iuſtitiæ, *imputantur* omnia, quæ ſequuntur, *etiam præter voluntatem ſuam*: Ità ille:

Dare operam Rei illicitæ parit obligationem reſarciendi damna, inde orta.

Molina.

Et ante illum docuit Molina, *de Iuſt. tom. 4. tract. 3. diſp. 82. n. 2.* aſſerens: Prouocatum ad Duellum, ſi illud acceptet ſui tuendi *cauſa honoris*, & inimicum occidat, *teneri ad reſtitutionem*. Hanc ſententiam probabilem putat Homobonus, *de Caſibus reſeruatis, par. 2. caſu 3.*

Homobõ.

Prima ratio probãs faciẽdam eſſe reſtitutionem parti læſæ in Duello.

2 Et rationes, quas afferunt relati Auctores, ac præſertim Peregrinus, hæ ſunt. Prima ſcilicet, ratio eſt; quia Inferens damnum Proximo ex ſua culpa, illatum damnum reſarcire tenetur, *cap. 2. & fi. de Iniur. & damno dato*: ſed Occiſor, vel læſor in Duello, iniuſtè damnum infert alteri Duellatori: ergo reſarcire tenetur.

Secunda ratio.

Secunda ratio eſt; quia *dat operam rei illicitæ*, vt ſuprà diximus: ergo ei imputantur omnia, quæ ſequuntur, etiam præter voluntatem ſuam, *cap. ſua, de homicid.* & ibi Panormitanus, *& in cap. tanta, num. 8. qui filij ſint legit.* Silueſter, *in verb. cauſa legalis. §. 8.* Nauarr. *in Manual. cap. 17. num. 179.* & Alij.

Silueſter.
Nauarr.

3 Tertia ratio; quia Duellantes puniri debent, vt *Homicidæ*, iuxtà Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 19. ſub Decreto de Reformat.* Sed qui Alterum iniuſtè occidit, vel lædit, *tenetur reſarcire* læſo, vel Filijs, aut Hæredibus occiſi quamcunque iacturam, quam Illi ratione necis, vel percuſsionis perpeſſi ſunt, iuxtà Scotum *in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 3.* cui conſonant omnes Doctores, vt refert Salonius *in 2. 2. D. Thomæ, quæſt. 62. art. 2. controu. 6.* & Nauarr. in *Manual. cap. 15. num. 19. 22. & 23.* Igitur quamcunque iacturam reſarcire tenentur Duellantes.

Concil. Trid.
Scotus.
Salonius.
Nauarr.

4 SECVNDA SENTENTIA eſt Rebellij *de obligatione Iuſtitiæ, p. 1. lib. 3. quæſt. 12. nu. 8.* vbi ait. Si quem ad Duellum prouocaſti, & ſic Prouocatum occidiſti, *non eris à reſtitutione excuſandus*; quia *inuoluntarius* ad Certamen deſcendiſſe cenſetur, nè apud Mundanos vilis haberetur; Si verò Prouocantem *Prouocatus* occidat, vel percutiat, quàmuis læthaliter peccet, *ad reſtitutionem non tenebitur*; quia prouocando, Alterum inuitauit ad ſui occiſionem, ſi fortè Alter ſuperior eſſet; *Scienti* verò, & *Volenti non fit iniuria*. Quòd ſi ambo æquè Vos ad Duellum prouocaſtis, *Neuter Alteri ad reſtitutionem tenetur*, quia pactum implicitum intercedit tunc, vt nihil occiſo occiſor indè debeat.

Rebellius.
Secunda opinio diſtinguens inter prouocatorẽ, & prouocatũ: huic reſarcienda ſunt damna, nõ illi.

5 Ità etiam Bañes, *de Iuſt. & Iur. quæſt. 62. art. 2. dub. 5. concl. 2. & 3.* his verbis: Si duo inuicem rixantes ſe ipſos ad Certamen prouocent, ità vt vterque *libens* ad Certamen accedat: *Neuter tenetur Alteri reſtituere* prædicta incommoda. Probatur ex communi regula Iuris, *Scienti, & volenti nulla fit iniuria*: & etiam ex Teſtimonio vulgati Ariſt. *Nemo patitur iniuſtum volens*: Sed in iſto caſu *Vterq;*

Bañes.
Ariſtot.

con-

conſentit Certamini, & cedit Iuri ſuo voluntariè, ſaltìm quantùm ad *ad petendam reſtitutionem*: ergo Neuter tenetur Alteri reſtituere quidquam. Hinc colligitur, quòd ſi Alter percuſſus, petat coràm Iudice ſatisfactionem, *peccat contrà Iuſtitiam commutatiuam*, & tenetur *reſtituere*, ſi quid accepit à Percuſſore.

Liberè duellantes nequeunt coràm Iudice ſatisfactionem petere pro damno accepto.

6 Subdit autem idem Bañes *in 3. Concl. loc. cit.* Quòd ſi quis Alterum prouocauerit ad Pugnam, & ipſe Prouocatus deſcendit ad Certamen, ſolùm ex eo, quòd aliter *non poteſt effugere infamiam*, tunc *Prouocans tenetur ad reſtitutionem*, ſi Prouocatum percuſſerit: Ipſe autem *Prouocatus*, ſi Alterum percuſſerit, *non tenetur ad reſtitutionem*.

Diſtinctio ex Bañes.

Probatur Prima pars, quia Prouocator ipſe *iniuriam* facit Alteri, & quasì *violentiam*, ex qua poſteà ſequitur damnum: ergo qui fecit iniuriam, Prouocans, *tenebitur tale damnum reſtituere*.

Ratio pro prima parte diſtinctionis.

Secunda verò pars probatur; quia Prouocans *voluntariè cedit Iuri ſuo*: ergo nulla eſt illi facienda *reſtitutio*, quia ipſe vltrò voluit ſe exponere tali periculo.

Ratio pro altera parte diſtinctionis.

Hanc ſententiam ſequitur Diana, *par. 5. tract. 4. reſol 50.* vbi nonnullos etiam Doctores pro eadem ſententia adducit.

Diana.

Verùm hæc omnia iuxtà Aliorum opinionem adduximus; Noſtra verò Sententia, claritatis gratia, hiſce ſequentibus Quæſitis, eò clariùs, quò diſtinctiùs patebit.

Quæremus igitur *Primò*. An ad aliquam reſtitutionem teneantur liberè Duellatores? *Secundò*, An coactè Duellum acceptanti ſint dāna illata compenſanda? *Tertiò*, Quid ſentiendum de Principibus, pro Prælio dirimendo Duellum committentibus? *Quartò* tandem, & *Quintò*, An ex damnis in Ludicro, & Puerili Duello illatis, compenſandi obligatio oriatur?

QVÆSITVM XLVIII.

Vtrùm Occidentes, vel Vulnerantes in Duello, teneantur in Foro Conſcientiæ ad aliquam Reſtitutionem faciendam, iuxtà Auctoris ſententiam?

SVMMARIVM.

1 *Damna ex Duello voluntariè commiſſo ſequuta, non ſunt ex Iuſtitiæ rigore compenſanda.*

2 *Procedit Cōcluſio, tam quòad Prouocātem, quàm quòad Prouocatum, dūmodò liberè, & ſpontè in arenam deſcenderint.*

3 *Volenti, & Conſentienti nulla Fit iniuria. Homicidium compenſationem exigens, debet eſſe iniuſtè patratum.*

4 *Non adeſt obligatio reſarciendi damna in Duello illata, etiamſi fuerit Moderamen exceſſum, ex Bonacina.*

5 *Inter Duellatores non adeſt Vſus duellica damna compenſandi.*

1 RESPONDETVR ad Quæſitum: *Spontè, & Liberè* Duellantem, ſiuè Prouocauerit, ſiuè Prouocatus fuerit *Ad nullam teneri Reſtitutionem*, ob vulnera, vel cædem illatam inimico. Ità Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 8. num. 112. §. Dico tertiò*, his verbis. Si Occiſor fuit Prouocatus ad Duellum, *ad nihil tenetur*, quàmuis exceſſerit *Fines* inculpatæ tutelæ. Ratio eſt; quia Prouocans videtur *condonare*; dat enim poteſtatem Prouocato faciendi contrà ſe, quantum poteſt. Idem dic, ſi ſe *mutuò Prouocaſſent*, vel *Prouocatus* acceptat liberè; cenſentur enim ſibi inuicem *condonare* iniuriam, & damnum. Denique idem dicendum, quandò Prouocatus in rixa occideret Prouocantem, vel Occiſus, &

Reſponſio ad Quæſitum.

Filliucius.

Ratio.

Occiſor ſe mutuò prouocarunt ob eandem rationem.

Oſtenditur vllum eſſe diſcrimen inter prouocantē, & prouocatum quòad obligationē reſtitutē di.

2 Vbi aduerte diſiunctiuam illam, *vel prouocatus acceptat liberè*; non enim diſtinguit Filliucius, inter Prouocatum, qui ad ſingulare Certamen deſcendit, nè vilipendatur apud Mundanos, vt inquit Rebellius *loc. cit. in ſuperiori Quæſito*. Siuè quia ad certamen deſcendit, ſolùm ex eo, quòd aliter euitare nequeat infamiam, vt opinatur Bañes, ſed *indefinitè* loquitur Filliucius de *Quocumque Prouocato*, dummodò tamen *liberè* acceptet; in eo enim caſu tàm Prouocans, quàm Prouocatus, *liberè* ad Duellandum conuenientes, ſibi inuicèm *iniuriam, & damnum condonare* cenſentur.

Leſſius.

Ratio militat de omni liberè Duellante.

Idem docet Leſſius *de Iuſt. & Iure lib.2. cap 9. dub.21.* vbi, Qui ab altero, inquit, ad Pugnam prouocatus fuit, *non tenetur ad reſtitutionem*. Ità multi Recentiores. Ratio eſt, quia Prouocans videtur ei *condonare*, dùm facit ei poteſtatem, vt contrà ſe agat, quod poterit. Hæc Ille.

In quibus verbis notandum eſt, de quocumque Prouocato *indefinitè* loqui hìc Leſſium; rationemque adductam probare de quouis Prouocato, *liberè* Duellum Acceptante; ſiquidèm in hoc caſu, vterque, & Prouocatus, & Prouocans *pari conſenſu libero* Pugnam aggrediuntur.

Laymann

3 Pro hac eadem ſententia eſt Laymann, *lib.3. de Iuſt tract.3. par.3. cap.6. num.5.* poſt multas aſſertiones circà obligationem compenſandi damnum, ex homicidio, vel mutilatione illatum, ad extremùm admonet ad hoc, vt Homicida ad reſtitutionem illati damni teneatur, neceſſe eſſe, eum *contrà Iuſtitiam deliquiſſe*. Ex quo colligit, Eum, qui ex condictō in Duellum deſcendit, & vulnus, aut mortem alteri infert, *ad nullam reſtitutionem obligari* Vulnerato, eiuſuè Hæredibus. Ratio eſt, quia alter alterum *iniuria non afficit*;

Quid requiratur ad inducēdam obligationem Reſtitutionis?

hæc enim non fit *violenti, ac conſentienti*, ſicuti notauit Molina *tract. 3. diſp.82.* Leſſius *dub. 21.*

Bonacina.

Quid ſi Duellator moderamen excesſerit?

4 Ità etiam Bonacina *tom. 2. de Reſtitutione, diſp.2. ſect.2. punct.1. propoſ. 1.* hoc pacto. Prouocantes ſe ad Pugnam, vel ad Duellum *ad nullam tenentur reſtitutionem*, ſi ſe occidant. Ratio eſt; quia ſe Prouocantes, cenſentur *cedere Iuri ſuo*. Hinc patet, (ſubdit) Prouocatum ad Pugnam, *non teneri ad reſtitutionem*, occidendo Prouocantem, *etiamſi exceſſerit modum, ac moderamen*.

Cōcluſio.

Ex quibus omnibus relatis Doctoribus, noſtra apertè confirmatur reſponſio ad Quæſitum, cùm manifeſtum ſit, Eos de quouis Duellatore *indefinitè* accepto, idem ſentire, hoc eſt, *ad nullam teneri reſtitutionem* ob cædem, vel vulnera inflicta in Duello, ſpontè, & liberè commiſſo.

Confirmatio.

5 Præterea confirmari rursùs poteſt ex quotidiana *Praxi*; experimento enim in dies videmus; ſiuè Occiſor in Duello, liberè ſuſcepto, ſit Prouocans, ſeù Prouocatus, nullam tamen *fieri ſolere reſtitutionem*. Et hæc dicta ſufficiant, quòad *ſpontè, & liberè* in Duello Pugnantem.

QVÆSITVM XLIX.

Vtrùm Duellatori coactè oblatum Duellum acceptanti, ſint illata damna compenſanda, etiamſi illicitè Duellum acceptaſſet?

SVMMARIVM.

1 *Cogens Alterum ad Duellandum, ad compenſationem illati damni tenetur.*

2 *Coacte Duellans, ſi Prouocatorem, qui eum coëgit, interemerit, à Reſtitutione excuſatur.*

Illi-

3 *Illicitè Duellum Acceptans, Prouocante occiſo, homicidij Reus erit, ſed à reſtituendi onere immunis.*

4 *An aliqua lege obſtringamur, iniuſtum Aggreſſorem ſeruare incolumem?*

5 *An arma, & ſpolia Prouocatoris in Duello proſtrati, diripere poſſit Prouocatus?*

6 *Hoſte caſo in Duellico conflictu, eius ſpolia diripere, ad propriam defenſionem neceſſarium non eſt; ideòque ſi direpta fuerint, reſtituenda erunt.*

Reſponſio ad quæſitum.

1 RESPONDEO *affirmatiuè*. Et ratio eſt, quia ex tali *coactione* ſequitur, Acceptatione Duelli *inuoluntariam*, ac proindè *inualidam* eſſe; *Contractus* enim, metu in Conſtantem Virum cadente, extortus, non ſolùm *Iure Poſitiuo*, ſed etiam, vt Alij volunt, *Iure Naturali*, eſt *inualidus*. Ex quo ſequitur, quicquid damni inferatur, coactè ſuſcipienti Duellum, *iniuſtè* inferri, ac proptereà iniuſtum Prouocatorem ad illati damni *compenſationem* teneri, nimirùm ad ſoluendos ſumptus vulnerum, ad leuandam egeſtatem, & cætera incommoda, quæ ex tali Duello in Prouocatum, eiuſq; Vxorem, ac Liberos redundant: Quinimmò *tenetur* etiam, Arma, Veſtes, & omnia quæ diripuit, *reſtituere*.

Prouocãs tenetur reſtituere.

2 E' contrà verò, Qui *coactè* Duellum acceptauit, ſi Prouocatorem occideret, vel vulneraret, *ad nihil compenſandum* pro illatis vulneribus, cæteriſque indè emergentibus damnis, *teneretur*. Et ratio eſt, quia *ſponte* ſe talibus diſcriminibus expoſuit Prouocator, aliumque *coëgit*, vt ſe defenderet. Quæ aperta ſunt (inquit Hurtadus, *infrà citandus*) ſi Acceptator Duelli pugnauit *licitè*, & ſinè peccato; quemadmodùm, Qui Me *iniuſtè* petit gladio, *tenetur de damno dato*; Ego verò *minimè*, licèt eum interficiam cum Moderamine inculpato.

Prouocatus ad nihil tenetur.

3 Quòd ſi ex parte Prouocati *illicita* fuerit Duelli acceptatio: Dico tunc Prouocatum homicidij *crimen* commiſiſſe; *ad nihil* tamen reſtituendum *teneri*, cum Prouocator *ſponte* Iuri ſuo ceſſerit. In hoc tamen diſſentit Molina *tract.36.diſp.82.num.2.* quia Prouocator non præſumitur velle cedere Iuri ſuo, *niſi Alius viciſſim cedat*: ſed hoc eſt falſum: Cùm enim *ſponte* velit Duellum, licèt alius *coactè*, cenſetur proindè *ſponte* velle etiam, quæ Duellum *per ſe* ſequuntur, licèt Alius *coactè*: eſt ergo in vtroque diuerſa ratio voluntarij.

Quid dicẽdũ ſi Prouocatus illicitè Duellum acceptaſſet? Molina.

4 Sic etiam iniuſtum Aggreſſorem, non debeo *ex Iuſtitia*, ſed tantùm *ex Charitate* incolumem ſeruare, nulla alia ratione, niſi quia ille, iniuſtè me aggrediendo, *ceſſit Iuri ſuo*, cæteriſque bonis, quibus cedere poterat; ac proindè mors, quæ ſequeretur, illi tanquàm *voluntaria* adſcriberetur: *ſponte* enim mortis periculo ſe expoſuit, dùm meam mortem, iniuſta, ac aperta aggreſſione intentauit; quapropter Clerici occidentes Aggreſſorem iniuſtum, *excuſantur* ab Iniuſtitia contrà ipsũ occiſum. Ità Leſſius *lib.2.cap.9.num.44.* Hurtadus *de Spe, & Char. vol.2.diſp.170.ſect.20.§.135.& §.162.* & Alij.

Iniuſtus Aggreſſor an ſit incolumis ſeruãdus? Leſſius. Hurtad.

5 Quòd autem pertinet ad arma, veſtes, ac reliqua iniuſti Prouocatoris bona: Dico, *non poſſe Prouocatum ea diripere*. Et ratio eſt, quia, cùm talis contractus fuerit *inualidus*, proindè Prouocatus illorum non acquiſiuit dominium; in inualido enim contractu *adimitur* Ius Contrahentibus, in aliorum bona. Probatur à pari, de Exponente pecuniam ludo, quam non poteſt in alium transferre, & ad quam reſtituendam Alius tenetur: Exponens enim, *lucra reſtituere tenetur*, ob *inualiditatem* contractus ludi, & ob *iniuſtitiam*, quia non eſſet æqualis vtrique.

Spolia Prouocatoris diripi nequeunt à Prouocato. Ratio. Paritas de ludente alienis nũmis.

6 Petes hîc, Cur etiam non teneatur Prouocatus de damno ſe-

Aliud breue Quæſitum.

quuto

quuto ex Prouocatore vulnerato, ſicut è contrà, ipſe Prouocator tenetur? Reſpondeo, diſparitatem eſſe, quia damna illa non potuerunt vitari (*niſi cum graui incommodo*) quorum *cauſſa* fuit Prouocator iniuſtus: at verò ſpolia non habent neceſſariam *connexionem* cum illa coactione, & *ſinè violentia* dimitti poſſunt.

Diſparitas inter Prouocatum, & Prouocantem.

Cùm igitur *Prouocator* omnia potuerit *abſque violentia* dimittere, & non dimiſerit, *tenetur ad omnia damna*, quæ ſequuntur: at *Prouocatus* ad ea tantummodò tenetur, quæ *ſinè violentia* dimittere potuit; ergo cùm non potuerit dimittere, quin ad propriam defenſionem vulnera, vel necem Prouocanti inferret, *non tenetur* propterea ad huiuſmodi dāni compenſationem. At non ità de bonorum direptione; nàm cùm dimittere potuerit ſpolia, vel arma ab occiſo Aggreſſore diripere, cùm illorum *direptio non ſit ad propriam defenſionem neceſſaria*; proindè, ſi ea diripuerit, *reddere tenebitur*. Tandem conſentit Molina, ratione iniuriæ illatæ à Prouocatore, & fatetur hanc ſententiam eſſe Multorum, quam ſequitur Bonacina *diſp. 2. de reſtitutione, quæſt. vltim. ſect. 2. p. 1. num. 2.* & expreſsè Hurtadus *loc. cit.*

Quid ſentiendū de armis, ſpolijſque direptis à Duellatore?

Molina.

Bonacina.

Hurtad.

QVÆSITVM L.

An redacto in Duellum Bello, ſuſceptaque Monomachia ad Prælia dirimenda, Princeps iniuſtè belligerans teneatur de damno illato?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt affirmatiua. Duellum iniuſti Belli pars, reſtituendi obligationem parit.*

2 *Princeps iuſtè belligerans, quomodò dicatur Duellum offerre, vel acceptare?*

3 *Iuſtum Bellum Gerens, hoſtili Principe in Duello deuicto, ad quid teneatur?*

4 *Pro Re aliqua Duellantes, eam Victori reddere tenentur.*

1 RESPONDEO *affirmatiuè*. Et ratio eſt, quia cùm totum Bellum, vt ſupponimus, *iniuſtum* ſit, *iniuſta* quoque erit quælibet eius *pars*, ac proindè *Duellum*, vtpotè talis *Belli pars*: vt ergo *teneretur* Princeps, iniuſtè belligerans, de *omni damno*, quod ex toto *Bello* ſequeretur; ità etiam de damno *tenetur*, quod ex qualibet eius parte, hoc eſt *ex Duello*, in caſu poſito, ſequitur.

Reſponſio ad quæſitum affirmatiua.

2 Nequè obſtat, alterum Principem, *iuſtè* belligerantem, obtuliſſe, aut acceptaſſe Monomachiā: nàm cùm non poſſet alia via, bona ſua retinere, aut recuperare, *violenter* deuenit ad offerendum, vel acceptandum Duellum, ac proindè ſunt ei *omnia damna* iniuſtè illata, *compenſanda*.

Soluitur tacita obiectio.

3 Ipſe autem Princeps *iuſtè* belligerans, quàmuis de illatis damnis non teneatur, *tenetur* tamen *deſiſtere* à Bello propter *fidem* publicam, bonumque commune, aliòquin fruſtrà redigerētur in Duellum Bella, ſi adhùc, conſummato Duello, ſupereſſet *reclamandi locus*, aliudque Prælium redintegrandi materia. Idque certiſſimum eſt, ſi Pactum fuerit iuratum. Ità Hurtadus *loc. infrà cit.*

Quid decidendum de Principe iuſtè belligerante?

4 Prætereà, ſi duo Principes, aut duo alij Priuati, ad vitandas lites, & Contentiones, Ius reuocent in Monomachiam, ſiuè illa ſit iuſta, ſiuè iniuſta, dummodò *ſpontè* ſinè alterius *coactione* Duellēt in tali caſu *Victori reddenda* eſt Res, pro qua contenditur. Quod patet, quia Monomachia tunc eſt quaſi quidam *ludus* prohibitus, aut permiſſus, cuius

Monomachia quaſi per ludū ſuſcepta, an obligationem reſtituendi pariat?

aleæ ſpontè ſe expoſuerũt dicti Duellatores. Ergo Monomachus Victor, Rẽ, pro qua Se Monomachiæ, quaſi per ludum expoſiit, iure ſuo accipere poteſt. Ità Hurtadus *de Spe. & Char. tol. 2. diſp. 170. ſect. 20. §. 163. & 164.*

Hurtad.

QVÆSITVM LI.

Verùm Duellantes in ludicro Duello, hoc eſt in Haſtiludio, cæteriſque publicis Ludis, teneantur ad reſtitutionem damni illati?

SVMMARIVM.

1 *Reſtituere non tenentur, ſi debitas ſeruauerint Ludi Conditiones.*

2 *Refertur Deciſio alterius Caſus, in quo Mancipium, inter ludendum, mutilatum fuit.*

3 *Homicidium ex ludo prohibito ſequutum, qua pœna puniendum ſit?*

1 RESPONDEO cum Molina *de Iuſt. & Iure tom. 4. tract. 3. diſp. 37. num. 4.* Ad Nullam teneri *reſtitutionem*, dummodò *Primò*, talis ludus ſit publicè permiſſus: *Secundò*, ſi nulla fraus, aut prauus animus interficiendi, aut vulnerandi Colluſorem interueniat: *Tertiò*, ſi talis ludi leges, ac ritus ſeruentur, nec aliqua tranſgreſsio fraudulenter committatur. Ità cum Bal. & Alijs, quos citant Gregorius Lopez *l. 5. verb. Como en manera de iuego. tit. 8. par. 7.* & Couarruuias, Clement. *ſi furioſus, par. 2. §. 4. nu. 8.* conſentitque *l. ex plagis. §. vltim. ff. ad leg. Aquil.*

Molina. Conditiones requiſitæ. Bald. Gregor. Lopez. Couarru.

2 Nàm cùm Multi ad pilã luderent (vt ibi habetur, & refert Molina *loc. cit.*) & inter eos luderet Mancipiũ cuiuſdam, vnuſque colludentium impelleret Mancipium, nè pilam reciperet, atque ex eo impulſu Mancipium ceciderit, ac crus fregerit, ſtatuitur, qui illud impulit, *ad nihil teneri Domino Mancipij*; quia vſus eſt *Iure ſuo*, iuxtà *leges* eius ludi, illud ità impellendo, caſuque potiùs id damnum euenit, quàm culpa impellentis.

In ludo mancipiũ Mutilans damnum illatũ non reſtituit Domino.

3 Eiuſdem ſententiæ eſt etiam Laymann. *lib. 3. de Iuſtit. tract. 3. par. 3. cap. 6. num. 5.* vbi ait: Ab ijs, qui ludo periculoſo, v. g. Haſtiludio congrediuntur; *ſi ludi leges, ſeruentur*, & aliquis ludentium, alterum *ſinè dolo*, ſeù formali intentione occiderit; *non exigi compenſationem*, propter *pactum* remiſſionis, quod *implicitè* inter ludentes intercedere cenſetur. Quod ſi talis ludus publica auctoritate permiſſus ſit, *nulla pœna* homicidæ decerni debet: ſin autem prohibitus, *pœna arbitraria* affici poterit. Ità Laymann *loc. cit.*

Laymann. An ſint puniendi homicidæ ex ludo & quomodo?

QVÆSITVM LII.

An puériliter Duellantes iaciendo inuicem Saxa, Mala medica, luteos Globulos, niueas Pilas, aut quid ſimile, teneantur ad Reſtitutionem damni illati?

SVMMARIVM.

1 *Ità Duellantes, ab onere compenſandi damna ſequuta immunes ſunt.*

2 *An peccent contrà Iuſtitiam, & contrà Charitatem? & quomodo ſibi inuicem condonare poſſint damnorum Reſtitutionem?*

2 *Quibus pœnis ſint afficiendi, ſi fuerit expreſſe vetitum ſic pueriliter Duellare?*

SÆPISSIME' abſque bellicis Armis, puerilia quodāmodò Duella committuntur, vt quandò Pueri, & Adoleſcentes in duas diuiſi turmas, lapides inuicem iaculantur, vel pilas ex luto, vel niue cōfectas, vel Bacchanalium tempore, Malis medicis inuicem pugnant, ex quibus tamen, vt experimento comprobatum eſt, multa ſequi ſolent damna, ad quorum compenſationem dubium eſt, An teneantur dicti pueriliter Duellantes.

Molina.

Reſponſio negatiua.

1 Reſpondet Molina *de Iuſt. & Iur. tom. 4 tract. 3. diſp. 37. num. 4.* Percuſſorem, aut Interfectorem eo modo, *non teneri* ad damna ſubſequuta, quandò *mutuo conſenſu* pugnatum eſt inter eos, eiuſque ludi limitum facta non fuerit tranſgreſſio: nam quàmuis in eo ludo *peccatum* interueniat, contrà quintum Decalogi præceptum, interdum læthale, ſi cum periculo fiat notabilis læſionis, & multò magis, ſi cum mortis diſcrimine fieret, vt accidere poteſt cùm ſaxa iaciuntur; *mutuus* tamen *conſenſus* ità Pugnantium, ſeſeque inuicem mutuo tali periculo exponentium, videtur facere percutientes *immunes* ab onere reſtituendi damnum ſequutum.

Ratio.

An peccent ſic Duellantes?

2 Et licèt cum Domini non ſint propriæ vitæ, ac membrorum, non poſſint facere alijs copiam ipſos percutiendi, vt alij ſimilem copiam ipſis faciant, eaque ratione contrà propriam *Charitatem*, & quodammodò contrà *Iuſtitiam*, Dei comparatione, efficiant, ſe ipſos periculo mortis, ac læſionis corporalis, ſinè iuſta cauſa exponendo, & *peccent* ſimiliter *contrà Charitatem* Proximi, & *contrà Iuſtitiam* ſuo modo, Dei comparatione, intendendo alios ità percutere, eaque de cauſa id peccatum ſit contrà quintum Decalogi præceptum, nihil impediente eo mutuo conſenſu ità Pugnantium ad victoriam, ac gloriam recreationis gratia &c. Nihilominùs *condonare* ſibi inuicem potuerunt eo Contractu oneroſo, inter eos æquali, *reſtitutionem* damnorum, ſi quæ indè ſequerentur: Sicut *condonare* poſſunt eadem damna ſibi reſtituenda poſtquam ipſis illata fuiſſent, nullo præſcio tali conſenſu, ac Contractu oneroſo.

An poſſint hanc reſtitutionem ſibi muicè condonare?

3 Quatenùs verò id delictum eſt contrà quintum præceptum Decalogi, modo explicato, atque in detrimentum Reipublicæ, *Homicida* eo modo, aut *Percuſſor puniri* poterit, ac debebit à Publicis Poteſtatibus, *moderata pœna* propter id delictum, eo quòd ludus ille non omninò permittatur, neque approbetur à Republica, atque *augere* Poteſtates publicæ poterunt, ac debebunt eas pœnas, ſi præceſſit earum *expreſſa inhibitio*, nè ità luderetur, vt ſæpè inhiberi ſolet, quandò ex eo ludo damna timentur. Ità Molina *loco citato*, quocum Ego etiam ſic ſentiendum puto.

An ſint puniendi, & quomodo?

QVÆSITVM LIII.

Vtrùm Duellatores Duello oblato, & acceptato, quàmuis pugna non fuerit commiſſa, pœnas contrà Duellantes à Clemente VIII. inflictas contrahant?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi, orta ex Clementina Conſtitutione.*

2 *Prouocantes, aut Acceptantes Duellum, ſunt Excommunicati, iuxtà Quorundam ſententiam, etiam non ſequuto Duello.*

3 *Cauſa acceſſoria Naturam cauſæ principalis ſequi debet.*

Po-

4 Ponitur ſecunda ſententia Aſſerentium, Non contrahi Excommunicationem, niſi Pugna ſequatur.

5 Gladiatores cur olim dicerentur Arenarij? Quid ſignificet apud Latinos, in arenam deſcendere?

6 Oſtenditur quomodò nihil Clemens VIII. innouauerit, quòad Excommunicationem cõtrahendam ab ipſis Duellatoribus, niſi pugna ſequatur.

7 Excommunicatio ob delictum impoſita, non contrahitur, niſi delicto conſummato: dummodò aliter non exprimeretur à Legislatore. Extendens manum ad percutiendum Clericum, & non percutiens, non eſt Excommunicatus. Idem aſſeritur de Homicida, Inimici morte non ſequuta.

8 Quæ Simonia Excommunicationis pœnam, & Reſtituendi Obligationẽ pariat.

9 Non punitur affectus, niſi ſequatur effectus. Pœna Pragmatica de Falſis, Quinàm puniatur?

10 Oſtenditur Quinàm Doctores hanc ſecundam ſententiam negatiuam doceant, & amplectantur.

11 Stylus Romanæ Curiæ legem facit, cùm ſaltem virtuale Pontificis præceptum continet.

12 Satisfit cæteris Argumentis, contrà ſecundam ſententiam negatiuam.

Ratio dubitandi.

1 DIXIMVS iam ſuprà *Quæſito* xxI. per ſolam Duelli oblationem, vel acceptationem, immò, & per acceſſum ad Duellicum campum animo Duellandi, non contrahi Duellicas Cenſuras ac pœnas, iuxtà Gregorianam Conſtitutionem, cùm ex Gregorio XIII. *Monomachiam Committentes*, Excommunicatione afficiantur: nunc verò idem Dubium proponitur in terminis Clementinæ Conſtitutionis, quę maiorem dubitandi anſam prębet, cùm diſtinctè *Prouocantes* Excommunicationis pœna afficiat ibi: *Excommunicamus &c. ex compoſitò ineuntes, nec non id ſcelus Suadentes, aut Prouocantes &c.* ex quo, prima fronte apparet per ſolam Prouocationem contrahi Duellicas Cenſuras, quàmuis non ſequatur Duellum.

Greg. xiij. — Clem. viij

Prima ſẽtentia. — Peregrin. — Filliucius.

2 PRIMA SENTENTIA EST AFFIRMATIVA, eamque tuentur Peregrinus *quæſt.* 41. *num.* 1. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 29. *num.* 170. quam

Prima ratio deducta ex ſtylo Curiæ.

Primò probant; quia hæc eſt *Perſuaſio* Peritorum, & *Praxis* in Pœnitentiaria, & *Stylus* Curiæ, qui facit legem.

Pius iv. — Secunda ratio ex Conſtitutione Pij iv.

Secundò, in Conſtitutione Pij IV. expreſsè ſubijciuntur Excommunicationi *Facientes Diffidationem*: ſed Clemens in ſuo Diplomate, omnes comprehenſos in Bulla Pij, & Gregorij complectitur; ergo etiam *Prouocantes* ad Duellum, quàmuis actu non Pugnent.

Tertia ratio ex Clemẽte viij.

Tertiò, ex Clemente ligantur Cenſuris, qui quoquomodo ſe immiſcuerint Duellicis Actionibus, inter quas connumeratur *Prouocatio*: ſed Actiones illæ, quæ ibi recenſentur, ſunt prohibitæ ſub Cenſuris; *quàmuis Pugna non ſequatur*: ergo idem dicendum de *Prouocatione*.

Quarta ratio ex tribus Abſurdis vitandis.

3 Quartò, quia aliòquin plura ſequerẽtur abſurda. *Primum* eſt Cauſam acceſſoriam, non ſequi naturam cauſæ principalis: ſed *Inſtigatio*, & *Conſilium* ſunt acceſſoria, & puniuntur *etiam Pugna non ſequuta*: Duellum autem eſt cauſa principalis, & non puniretur, *niſi Pugna ſequuta*: ergo cauſa acceſſoria non ſequeretur naturam cauſæ principalis.

Primum Abſurdũ.

Secundum abſurdum eſt, quia ſequeretur, ſolum Militem Prouocatorem, & deſcendentem in Arenam teneri his Legibus, quia de illo ſolo expreſsè agit Clemens.

Secundũ Abſurdũ.

Tertium abſurdum eſt, quia ſequeretur eſſe prohibitam *ſcripturam* alicuius rei, & non *prolationem*: ſed ſcriptio libelli prouocatorij eſt prohibita cum Excommunicatione: ergo.

Tertium Abſurdũ.

Secunda ſententia negatiua.

4 SECVNDA SENTENTIA NEGATIVA eſt Sanchez, Bona-

cinæ, Hurtadi, Riccij, Nouarij, & aliorum in locis infrà citandis; qui omnes aſſerunt, *Pugna non ſequuta*, *non contrahi Excommunicationem*.

Greg. xiij.

Probat hanc ſententiam Hurtadus, quia Gregorius XIII. non comprehendit ſub Excommunicatione Duellatores, *niſi Pugna ſequuta*, vt clarè conſtat ex eius Bulla: & Nos etiam ſupra oſtendimus *Quæſito xxi.* Sed Clemens VIII. in hac re *nihil innouat*. tàm quòad *Prouocantem*, quàm quòad *Prouocatum*: ergo neuter Cenſuris afficietur, *niſi Duello ſequuto*.

Probatur prima pars negatiuæ ſententiæ quò ad prouocatum.

5 Quòd autem nihil innouauerit, quòad *Prouocatum*, Probatur: ait enim §. 5. *Ex condictò ad ſingulare Certamen deſcendat*, *aut illum prouocet*, ex quo infertur Prouocatum præſtringi Clementina lege, *Si deſcendat*: *Deſcendere* autem plus eſt, quàm *accipere* Duellum: eſt enim perindè apud Latinos *in Arenam deſcendere*, *ac Pugnare*; nam prouocare *in Arenam*, eſt prouocare *ad Pugnam*: accipitur enim *locus* pro *actione* in eo exercenda: vndè Gladiatores appellabãtur *Arenarij*, quia pugnabant in Circo *Arena* conſperſo. Cùm igitur Põtifex agens de Prouocato requirat *deſcenſum in Arenam*, in ſenſu dicto eſt accipiendus in lege pœnali. Neque alibi iterùm agit de Prouocato, *Pugna non ſequuta*.

Gladiatores Arenarij.

Probatur ſecunda pars quò ad prouocatorem.

6 Probatur etiam, quod nihil innouauerit, quòad *Prouocatorem*: nullibi enim coniungitur Duellatori Prouocanti Excommunicatio, *Pugna non ſequuta*: immò quoties Duellatorum meminit Clemens, ait: *Duellum ex compoſitò ineuntes*, vt conſtat ex §. 7. vbi de nouo additur Excommunicatio: *Quinimmò de nouo etiam per præſentes &c. Excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quaſcumque &c. ſingulare Certamen ex compoſitò ineuntes*. Ex quo Paragrapho, vt cenſet Hurtadus, explicanda eſt tota Bulla, ob quod quandò §. 5. dixit: *Ad ſingulare Certamen deſcendat*, intelligitur iuxtà §. 7. vbi ſuam de nouo adijcit Cenſuram, nempè: *Prouocet, exiſtens in Arena, ineunſque Certamen*. Pugnantes enim tàm Prouocatorem, quàm Prouocatum excommunicat; ad quod vſus eſt illa diſtinctione, Inter *Deſcendentem*, aut *Prouocantem*, ideſt inter *Prouocatum*, & *Prouocatorem*: neque enim Prouocatio paſſiua aliquem excuſat ab Excommunicatione, quàmuis aliquam Excuſationem videretur habere, quam non habet Prouocator. Ità Hurtadus *de Spe, & Charit. diſp. 170. ſect. 21. ſubſect. 4. §. 196.*

Clem. viij.

Quomodo explicentur ab Hurtado verba Clementinæ Conſtit.

Hurtad.

Alia ratio ex generali regula deducitur

7 Præterea hæc ſententia fundatur in generali illa doctrina, nempè, quandò pœna infligitur propter delictum, Eam *non contrahi, delicto non conſummato*, niſi aliter exprimatur à Legiſlatore, vt patet In Volente percutere Clericum, manumq; extendente, vel gladium euaginante ad eum percutiendum, Qui *ſi verè non percutiat*; vel ob errorem, vel ob impedimẽtum, *non contrahit Excommunicationem* Canonis, *Si quis ſuadente Diabolo*. Sic etiam ſi quis percutit aliquem, ſi non ſequitur mors, *non contrahit Cenſuram* (ſi Cenſura lata eſt ob homicidium) quòuſque *ſequatur mors*, quæ ſi ſimpliciter non ſequitur, quàmuis miraculosè impedita, *ſimpliciter Cenſuram non contrahit*: quia quàmuis ante mortem, actio ex parte delinquentis ſit conſummata, non tamen *eſt conſummata*, proùt ſignificatur *nomine homicidij*, quod propriè ſignificat actionem delinquentis, proùt coniũctam cum morte, vt eruditè aduertit noſter P. Thomas Del Bene *in Dubitationib. Moral. de Comitijs, ſeu Parlamentis, dubit. 4. ſect. 19. ſubſect. 31. Subcorollar. 9. num. 2.* Sic etiam, qui ſcribit ad aliquem *non contrahit Cenſuram* latam ob ſcribendum ad illum, quòuſque ad illum Scriptura perueniat; ſicut qui profert hæreſim in externo, abſque conſenſu hæretico interno,

Percutere volens Clericũ, & non percutiens nõ contrahit Cenſuras.

Quid dicẽdũ de Homicida morte nõ ſequuta?

Thomas Del Bene

Scribens litteras.

Proferens verba Hæreticalia.

non

non contrahit Excommunicationem latam contrà Hæreticos; quia non eſt *perfectè* Hæreticus.

Riccius.

8 Addit Riccius exemplum aliud de *Crimine Simoniæ*, quod quàmuis inter enormia computetur, vt crimen homicidij, teſte Panormitano *in cap. Quæſitum. de tempor. ordinat. cap. Inquiſitionis, de accuſationib.* tamen Simonia reſtitutionem imperans, & Excommunicationem inducens, non complectitur *Simoniam conuentionalem* imperfectam, vt habetur per Graſſium *in 1. par. Deciſ. lib. 2. cap. 56. num. 25. & ſeqq.* Ex quo ſimiliter infert Riccius, nec fore Excommunicatum Prouocantem ad Duellum, *Duello non ſequuto.*

Panormit.

Simonia conuentionalis an Excõmunicationem inducat?

Graſſius.

9 Quam ſententiam confirmat generali, vt ipſe ait conſuetudine Italiæ, vt *non puniatur affectus, niſi ſequatur effectus*, vt per Grammaticum *in deciſion. 2. num. 8.* & alios Doctores ad hanc rem ibi citatos. Vndè quàmuis à lege imponatur pœna priuationis *Emphiteutæ* vendenti rem abſque Domini voluntate; intelligitur tamen *de venditione*, quæ habuit *effectum* per traditionem ſequutam: Sic etiam quòd pœna *Pragmaticæ de falſis*, non ſit puniendus ille, *qui petijt tantùm* debitum, *ſed non exegit*, cum effectu, etiamſi ad actum executionis deueniſſet, vt per varios Textus ibi conglobatos probat Riccius *tom. 3. Reſolution. 52.*

Grãmat.

Alij ſimiles Caſus deciduntur ex Riccio.

Riccius.

Ratio.

10 Et ratio horum omnium à priori eſt, quia leges iſtæ ſunt pœnales, & odioſæ, ac proindè *ſtrictè interpretandæ. Odia* enim ſunt ſemper *reſtringenda.* propterea quandò in Iure fertur Cenſura *propter aliquod delictum*, ſemper niſi aliud exprimatur, intelligenda eſt *de delicto* in genere ſuo, *ex omni parte perfectè conſummato.* Cùm igitur ſola Prouocatione non ſit *conſummata Monomachia*, ideò Prouocantes, vel Acceptantes Duellum, non eſſent Excommunicati.

Auctores profitẽda ſententia negatiua. Hurtad.

Hanc ſententiam expreſsè tenet Hurtadus *loco ſuprà citato*, citans ibidem Sanchez *lib. 2. cap. 59. num. 28.* aſſerentem, *Solos* Excommunicari *Socios*, Pugna non ſequuta; *non verò Duellatores* ipſos; & Bonacinam *diſp. 2. de Cenſuris, quæſt. 6. num. 16.* & expreſſe etiam tenet Nouarius *in Summa Bullar. ſuper Bullam Clementis VIII. de Duello, n. 9.* vbi ſic quoque ſe cenſuiſſe refert, cùm in Ciuitate Caſtellanetæ, Generalis Vicariatus Officium exerceret, in quodam Caſu ſequuto. Citat Nouarius ibidem Riccium, & Bonacinam, ſed teuerà Riccius *loc. cit.* nec Gregorianæ, nec Clementinæ Conſtitutionis meminit; & Bonacina loquitur de Excommunicatione lata à Gregorio XIII. vt benè aduertit noſter Alphonſus de Leone *de Cenſuris Recoll. 4. lit. D. verbo Duellum. fol. 307.*

Sanchez.

Bonacin.

Nouarius.

De qua Conſtitutione loquatur Bonacina.

Riccius generaliter loquitur.

Alphonſ. de Leone.

Reſpondetur ad Argumenta, pro Prima Sententia affirmatiua adducta.

Soluitur primũ argumentũ.

11 Ad Primum de *Perſuaſione* Peritorum, *Praxi* Pœnitentiariæ, & *Stylo* Curiæ, qui facit legem, reſpondet Hurtadus, Auctores huius ſententiæ, non eſſe imperitos, neque ignaros ſtyli, qui facit legem, quandò habet, *aut formale, aut virtuale præceptum* Pontificis, non verò, quandò illud non habet: de Præcepto autem in hoc Caſu, *nihil Nobis conſtat.*

Soluitur ſecundum argumentum.

12 Ad ſecundum reſpondetur concedendo Conſequentiam, nempè comprehendi in Clementino Diplomate omnes comprehenſos in Conſtitutione Pij IV. non tamen comprehendi, niſi ipſa *Pugna conſummata.*

Soluitur tertiũ argumentũ.

Ad tertium de Excommunicatione lata à Clemente contrà eos, qui quoquomodò *ſe immiſcuerint* Duellicis actionibus, &c. Reſpondetur, Clementem ea voce *immiſcuerit*,

non

non egiſſe de ipſis *Duellatoribus*, ſed de illorum *Socijs*; quia de Duellatoribus egerat priùs, vt conſtat ex eo §. 5. de quibus nihil dixit, niſi *Deſcendere*, & *Prouocare*. Deindè proſequitur ad *Socios* noua periodo, his verbis: *Nec non iiſdem pœnis, Decreto, & Conſtitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ ſint de dirimendo Certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, &c.* Agit ergo de alijs perſonis diſtinctis à Duellatoribus.

Explanātur verba Clementinæ Conſtitutionis.

Deinceps §. 6. progreditur ad omnes, qui quoquomodò *inſtigant*, *ſuadent*, aut *fouent* Duellum, his verbis: *Præterea pari ratione prohibemus omnia, & ſingula eius generis ſcripta &c.* Deindè recenſet, quæ committuntur à Socijs ad inſtigandos Duellatores: quia verò hæc ſunt finita, dixit Pontifex: *In præmiſſis, vel eorum aliquo ſe quomodolibet immiſcuerint*. Præmiſſæ autem erant omnes illæ diligentiæ. Ergo &c. Ità ad hoc argumentum reſpondet Hurtadus *vbi ſuprà* §. 198. *proprijs verbis*.

Hurtad.

Quinam dicantur ſe immiſcere alicui negotio?

Præterea nequè verba illa; *Quoquomodo ſe immiſcuerint* &c. in rigore dici poſſũt verificari de *Duellatoribus*, nàm qui eſt Principale Agens alicuius negotij, non dicitur *ſe immiſcere* illi, ſed illud *ſuſcipere*. Dicuntur autem *immiſceri*, qui *aliquid efficere* volunt in tali negotio, auxilij, officij, ſiuè obſequij, aut beneuolentiæ gratia, &c.

Probatur non ſequi abſurda.

Ad quartum de abſurdis, quæ ſequerentur, Reſpondetur, non ſequi Primum; nàm *Conſilium* non eſt cauſa *acceſſoria* Duelli; Duellatores enim habent pro cauſa principali *ipſum Duellum*; pro acceſſoria verò *alias diligentias*, vt litterarum Scriptionem, præparationem Armorum, & alia: Hæc ſequuntur naturam *Cauſæ principalis*; non enim puniuntur Excommunicatione, niſi *Pugna ſequuta*: At verò aliorum *Conſilia* pertinent ad aliam cauſam, nempè ad peccatum *aliarum perſonarum*, quod rectè poteſt puniri *aliter*, ac peccatum Duellatorum.

Reijcitur primum abſurdū.

Neque ſequeretur ſecundum abſurdum; quia Summus Pontifex Clemens, de omni Duellatore *ſolemni*, & *priuato* loquitur, dùm cæteras confirmat Conſtitutiones; expreſſa autem *mentio Militis*, ideò facta eſt; quia in reliquis Conſtitutionibus *non erat* adeò expreſſa.

Reijcitur ſecũdum abſurdū.

Neque ſequeretur tertium, quia ſi Duellator eos libellos mittat, aut euulget, *non contrahit* has pœnas niſi *Pugna ſequuta*; Socij autem eas contrahunt, Pugna etiam non ſequuta, in quibus *Scriptio*, & *Prolatio eodem modo* puniuntur. Ità Hurtadus *loc. cit.*

Reijcitur tertium abſurdū.

QVÆSITVM LIV.

Quo tempore Duellici Cooperatores Excommunicationis pœnam contrahant?

SVMMARIVM.

1 *Tres Termini aſſignantur, in quibus Conditio in Clementino Diplomate appoſita, adimpleta cenſeatur.*
2 *Ponitur dubium aliud, ortum ex Præuenſione in impediendo Duello.*
3 *Cooperatores non incidunt in Excommunicationem, ſi Duellum non impediuerint, ab Alijs præuenti, iuxtà probabilem ſententiam.*
4 *Quando Duellica Cooperatio dici poſſit delictum conſummatum?*
5 *Quodnam ſequeretur Abſurdum, ſi oppoſita admitteretur ſententia?*
6 *Quod in Iure determinatum non eſt, Prudentis Viri Arbitrio determinandum relinquitur.*

CVM Duellicis Cooperatoribus non Simpliciter, & *Abſolutè*, ſed *Conditionatè*, ſub illa nimirùm Conditione: *Si per Eos non*

ſte-

ſteterit, quòminus &c. Cenſuræ, ac cæteræ pœnæ impoſitæ ſint: Oritur hinc dubium, Quando prædicta Conditio adimpleri cenſeatur, ac proindè, Quo tempore Duelli Cooperatores in Excommunicationem incidant?

Primus Terminus

1 Reſpondeo *Primò*, Dictos Cooperatores Cenſuras contrahere, *cùm primùm Duellica pugna committitur.*

Secundus Terminus

Vel *ſecundò*, ſi non committatur, tunc contrahere, *cùm committenda fuiſſet*, niſi Alij, non verò ſi ipſi Cooperatores impedimentum præſtitiſſent.

Tertius Terminus

Vel *tertiò* ſi Tempus ad Duellum præſcriptum non erat, ſed tantummodò locus deſignatus, & condictus, tunc demùm eos incidere in Excommunicationem, quãdo *Duellatores* ad condictum locum *accederẽt*, & per ipſos Cooperatores *non ſtaret*, quòminus Illi pugnarent. Ità Peregrinus *quæſt. 5. num. 13.* & Bonacina *de Cenſuris tom 1. diſput. 2. quæſt. 6. punct. 1. propoſ. 4. num. 33.* & vide etiam *noſtrum Quæſitum* 38. *num. 3.* vbi hanc difficultatem ex parte attigimus.

Aliud Quæſit.

2 Sed Petes, an eſſent etiã Excõmunicati Cooperatores, ſi Duellum, ad quod cooperati ſunt, *tẽpore nondùm elapſo, impediretur ab Alijs*, antequàm ipſimet impedirent? & Ratio dubitandi eſt, quia ex vno Capite, Impedimentum *non ab ipſis Cooperatoribus* poſitum eſt, vt loquitur Clementina Conſtitutio: *Si per Eos non ſteterit:* ſed ab Alijs: ex altero capite, licèt ab Ipſis poſitum non ſit; *poterat* tamen poni, cùm nondùm, vt ſupponimus, *elapſum eſſet* tempus, pro Duello ineundo, deſignatum, ergo &c.

Reſpõſio.

Prima ratio.

3 Reſpondeo, *Probabile eſſe dictos Cooperatores in Caſu poſito non fore Excommunicatos*. Et ratio eſt, quia quàmuis Cooperatores Duellum non impediuerint, *poterant* tamen illud impedire, antequàm committeretur, tempore condicto: ergo ſi Alij præueniendo impediuere, non proindè eſſent Ipſi Excommunicati, *cùm adhuc per Eos ſtare potuerit*, *quòminus pugna committeretur*.

Secunda ratio.

4 Prætereà. Excommunicatio ob delictum impoſita, contrahi non ſolet, *niſi delicto conſummato*; ſed Duellica Cooperatio nequit dici, *delictum conſummatum*, niſi eo tempore, quo Cooperatores Duellum impedire *omiſerint*: ergo ſi ante talem omiſſionem, fuerit aliundè impeditum Duellum, *non cenſetur conſummatum delictum*, ac proindè *nec* Excommunicatio contrahitur.

Tertia ratio ex Abſurdo vitando.

5 Vlteriùs. Si verum eſſet contrahi Excommunicationem in caſu poſito, ſequeretur hoc abſurdum, nimirùm Cooperatores ipſos incidere in Cenſuras, *propter licitam actionem alterius*. Sequela probatur: Nàm *non inciderent* quandò Cooperationẽ præſtarent, vt etiam concedunt Aduerſarij: Nec quandò ſequuturum fuiſſet Duellum; quia, vt ſupponimus, ipſimet Cooperatores, niſi præuenti fuiſſent, impedimentum præſtitiſſent: *ergo tunc ſolummodò* contraherent, *quandò* Alij præueniendo, ipſos principales Duellatores impediunt, nè ad Pugnandum accedant, vel ſi acceſſerint, nè Pugnent. Ergo *ex licita*; ac laudabili Iſtorum, qui impediunt *actione*, contraherent Illi Excõmunicationem; Sed hoc non videtur admittendum: Ergo &c.

Quodnã eſſet hoc Abſurdũ?

Peregrin.

Bonacina

6 Hæc Sententia *probabilis eſt*, licet oppoſita, ſua non careat probabilitate, vt benè aduertunt Peregrinus, ac Bonacina, *locis citatis* Ideòque cùm tempus non ſit à Summo Pontifice in Clementina Conſtitutione *determinatum*, pro dicta conditione, *Si per eos non ſteterit*, adimplenda, ſtandum erit arbitrio Iudicis, vel Confeſſarij: Nàm quod à Iure *non determinatur*, *arbitrio* boni Viri, vel Iudicis determinandum erit, *iuxtà Textum in cap. de Cauſis. §. 1. extrà de Officio Delegat. l. 1. ff. de Iure deliber.*

QVÆ-

QVÆSITVM LV. & vltimum.

Vtrùm Morientes extrà Duellicum conflictum priuandi ſint Eccleſiaſtica ſepultura, quandò tamen eorum mors ſequuta non eſt ex læthali vulnere accepto in Conflictu, ſed ex imperitia, vel defectu Chirurgi, vel ex aduerſo medicamine, vel ex melancholia &c?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio eſt negatiua. Conciliantur duæ ſententiæ oppoſitæ, in ſolutione propoſiti quæſiti.*

2 *Conflictus ſumi poteſt phyſicè, & moraliter: Vtroque modo ſumptus non inducit priuationem Eccleſiaſticæ ſepulturæ in caſu poſito.*

3 *Cauſæ accidentariæ, Duellatorum mortem maturantes, an reddant eos immunes à pœna priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ?*

Proponitur ratio dubitãdi.

1 INTER eos, qui ex Duello moriuntur, nõ nulli ſunt, qui licèt læthalia vulnera in Duellico conflictu acceperint; de eorum tamen non omninò deſperatur ſalute, ſed ſpes aliqua elucet viuendi, dummodò eis opportuna adhiberentur remedia, ex quorum defectu, maturatur deindè mors: quod etiam contingere poteſt ob Chirurgi imperitiam, vel ex mœrore, quo ſaucij Duellatores afficiuntur, dùm ægro corpore in lecto decumbunt, vel ex alijs inopinatis caſibus, quibus humana ſalus ſubiecta eſt: & de *Sic morientibus* dubium eſt, *An ſint etiam priuandi Eccleſiaſticâ ſepultura*, iuxtà Tridentini, ac Clementis VIII. prohibitionem.

Reſpondetur igitur ad Quæſitum *NEGATIVE*, quod non ſolùm procedere poteſt in ſententia eorum, qui (vt in ſuperioribus Quæſitis oſtenſum eſt) probabiliter tuentur, *priuandos non eſſe* Duellatores Sacri Loci ſepultura, etiamſi mortis eorum ſolùm cauſæ fuerint vulnera in Duello accepta, dummodò tamen poſt Conflictum, & extrà Duellicam Palæſtram, *Contriti; vel Confeſſi, ac à Cenſuris abſoluti*, ex hac vita decedant: Verùm etiam in ſententiâ eorum, qui *negant* eos ſic morientes, in Sacro loco humandos eſſe. — Reſpõſio ad Quæſitum. — Iuxtà vtrãque ſentẽtiam procedit reſponſio.

2 Probatur, quia vel *Conflictus*, in quo mors ſequuta, eſt cauſa priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſumendus eſt *phyſicè*, vel *moraliter*: Si primum, iam locum non habent in hoc caſu Iura prohibentia Sacri loci ſepulturam; iſti enim non moriuntur, vt ſupponimus, *in ipſo actu* Duellici *Conflictus*, vt loquitur Tridentinum: *Si in ipſo Conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura*. Et Clemens VIII. *Si in ipſo Conflictu obierint, ſepultura Eccleſiaſtica, perpetuò priuatos eſſe volumus*. — Ratio. — Prima pars, quoad Cõflictum phyſicè ſumptum. — Concil. Trident. — Clem. viij

3 Si vero ſumatur *moraliter Conflictus*, neque dici poſſet, eos mortuos eſſe *in Conflictu*; nàm præter vulnera in Duello accepta, *alia acceſſerint Cauſæ* prædictæ mortis, quas, vt ſuprà diximus, eueniſſe ſupponimus. Cùm ergo *in Conflictu, nec phyſicè, nec moraliter* ſumpto, huiuſmodi Duellatores, deceſſerint, proindè, *non eſt eis* ex hoc capite, *deneganda Eccleſiaſtica ſepultura*. Ità Hurtadus *de Spe, & Char. vol. 2. diſp. 170. ſect. 21. ſubſect. 1. §. 177.* vbi ſic concludit. Si conſtaret mortem maturatam aliqua ex his cauſis accidẽtarijs, ſi homo moreretur *etiã intrà breue tempus*, non diceretur *mori in Conflictu*, aut in *Palæſtra*. Et hæc dicta ſufficiãt de Duelli prohibitione. — Secunda pars quoad Conflictum moraliter ſũptum. — Hurtad.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS

DE DVELLI SPECIEBVS;

AC

LICITAE DEFENSIONIS MODIS

IN COMMVNI.

SECTIO PRIMA

DE SPECIFICA DIVISIONE DVELLI.

REPETITO tertiùm Campo, rediuiuum ad Pugnam redit DVELLICVM MONSTRVM, & Herculeæ inſtar HYDRÆ, multiplici Ceruice ſuperbum, eò formidoloſius, quò deformius ſeſe ſpectandum oſtendit. Credideram Illud nuper Pontificiæ Prohibitionis Gladio in Vaginam remiſſo, Spiritum emiſiſſe; ac ſuperiori expirante Tractatu, protinùs expiraſſe. Verùm diuerſa iterùm CAPITA extollit, varias prætendit SPECIES, Spectaculi nouitate, non Oblectamento, ſed Terrori Spectatoribus futuras. Oriuntur hæ variæ SPECIES ex Formali (vt in Lycæo dicitur) Termino, ac FINALI ex CAVSA, quæ fœcunda veluti Parens, multiplicata Specierum Prole, continuò ſoboleſcere ſolet. Enimuerò ad Singulare Certamen, non Omnes Vno clangente Claſſico, vocantur Duellatores: non Singuli in Arenam, pari pro-

perant gradu: non eodem omnium Animi, Furore ad Arma incenduntur: non Omnes æquali victricis Lauri Spe, atque Cupidine in Martium Campum deſcendunt: nec denique iiſdem Omnes agitantibus Curis, Cauſiſque impellentibus, ad Duellicam Palæſtram propelluntur. Sed, vt de Ciuili Bello cecinit Ille

Lucanus lib. 2.

QVEMQ; Suæ rapiunt ſcelerata in Prælia CAVSAE:
HOS polluta DOMVS, LEGESQVE in Pace timendæ:
HOS ferro fugienda FAMES, Mundique ruinæ
Permiſcenda FIDES.

Itá Nonnullos ſola VLCISCENDI Crudelitas: Multos DIRIMENDI Lites Opportunitas: HOS DOMINANDI Libido: Illos Se, Suaque DEFENDENDI Neceſſitas: Alios ſola OSTENTANDI Vires Voluptas: & Alios denique Vulgaris illa, ſed impia Se PVRGANDI Conſuetudo, ad Duella committenda vocat, trahit, impellit. Vt nimirùm inter armorum fulgores, Veritatis lumen ſplendeſcat: denigrata falſis criminibus fama, effuſo cruore candeſcat; & patentia toto corpore vulnera, facunda veluti ora, Victoris Innocentiam teſtentur. Has ergo omnes Duelli SPECIES è totidem finalibus cauſis deductas, modò impetu vno indagare aggrediemur, ac prætereà omnia hæc Duellici Monſtri Capita, vnico ictu obtruncare conabimur, cùm An Duellum omne quouis fine commiſſum, Chriſtiano ex Orbe exterminandum ſit, quæremus: At ſi irriti noſtri ceſſerint Conatus, mox redintegratis viribus, & face, & ferro armabimur, ac in ſequenti huiuſce Operis Tractatu, in ſingulas Duelli Species, ſingillatim noſtri Theologico-Moralis calami aciem acuemus, ibi de Duelli Speciebus, non in communi, vt modò, ſed in particulari, iterùm Deo volente, acturi.

QVÆ-

QVÆSITVM I.

Quot ſint Duelli Species?

SVMMARIVM.

1 *Duellum ex diuerſis Cauſis finalibus ſpecificè diuerſificatur.*
2 *Tres Duelli Species in Iuriſperitorum ſententia aſſignantur.*
3 *Ex Caietano, & alijs Theologis, Sex ſunt Duelli Species.*
4 *Enumerantur ſingulæ Species, ac explicantur ſimul ex Caietano.*
5 *Duellum ad Diuini Honoris, vel Catholicæ Fidei defenſionem ſuſceptum, ad quam Speciem reducatur?*
6 *Secundam ſententiam amplectitur Auctor, & ſex Duelli Species cum Caietano, & alijs Doctoribus, conſtituit.*

DVPLEX eſt circà ſpecificam Duelli diſtinctionem Sententia, pauciores, vel plures conſtituens Duelli Species. Primam Sententiam Iuriſperiti adinuenerunt, alteram Theologi. Oritur hæc ſpecifica diſtinctio ex diuerſis cauſis finalibus, propter quas iniri ſolent Duella, vt nimirùm propter honorem: vitæ, vel bonorum Defenſionem, &c. Ex quibus variæ eliciuntur Species.

Prima ad Quæſitū Reſpōſio. Ioann. de Lignano. 1 RESPONDET IGITVR PRIMO ad Quæſitum Ioannes de Lignano, *in Tractatu de Duello, cap. 2. num. 1. Tres* eſſe Duelli *Species*. Fit enim, inquit, Duellum, aut propter *Odij Exaggerationem*, aut propter *Gloriam conſequendam* in publico ex viribus corporis, aut propter *Purgationem* alicuius Delicti obiecti.

Tres Duel li ſpecies. Prima ſpecies. 2 *Primum* Fit propter *Exaggerationem* Odij, cum Aliqui ſolo Odio, originaliter Naturali, & maturitatis inter ſe orto, inducuntur ad ſe inuicem exanimandos, vel exterminandos; & de hoc non reperitur aliquid Iure cautum, ſed ex principijs Naturalibus tractum videtur.

Secunda Duelli ſpecies. *Secundum* verò, quod fit propter *Gloriam*, ortum habuit à ſenſuali cupiditate, prona, vt experientia patet ad conſequendam in publico Gloriam, vt fit in publicis Spectaculis, vbi vires corporis varijs modis exercentur: & de hoc reperitur Iure Cautum, & Ciuili, & Canonico: Ciuili quidem, vt patet *ex ff. ad leg. Aquil. l. Qua actione. §. Si quis in Colluctat. & l. Vnica. Cod. de Gladiatorib. lib. 11. & ff. de his, qui notant. Infam. l. Athlet. &c.* Canonico autem Iure, vt habetur, *cap. 1. de Cleric. pugnant. in Duello &c.*

Tertia Duelli ſpecies. *Tertium* propter *Purgationem* fit, cùm aliquod Delictum obijcitur, & Opponens, ad Probationem fortè carens alijs probationibus, vel etiam non probans, *offert* ſe probaturum viribus corporis, Duello ſuſcepto: vel Ille cui obijcitur, vult ſic *ſe purgare*, & de Innocentia ſua docere: Et de hoc etiam habetur Iure cautum, vt in *Cap. Monomachiam*, &c. Hactenùs Ioannes de Lignano, ex cuius mente breuiter colligo, Tres eſſe Duelli Species

I. Propter Odij Exaggerationem.

II. Propter Gloriam conſequendam in publico, ex viribus corporis.

III. Propter Purgationem alicuius Delicti obiecti.

Secunda reſponſio ad Quæſitum. 3 RESPONDET SECVNDO, ad Quæſitum Caietanus *in 2. 2. queſt. 95. art. 8. SEX eſſe Cauſas finales* potiſſimas, ad quas Singularis Pugna ordinatur. Quarè ex Caietano *SEX ſunt Duelli Species*, iuxtà numerum finalium Cauſarum, propter quas Duellum committitur: Non enim alio pacto Duelli Species inter ſe diſtinguuntur, niſi *ratione diſtincta finalis Cauſæ*. Enumerat autem Caietanus, *loco citato*, Duelli Cauſas, quarum. Sex cauſæ finales Duelli.

4 Prima eſt, inquit, *Manifeſta-*

Prima cauſa finalis Duelli ſeù prima Duelli ſpecies ex Caietano.

tio Veritatis, dùm ſcilicet aliqui confidunt ſuam victoriam Teſtem Fore Veritatis, quia nimirùm ipſe Duellator *Innocens* eſt, aut Ius habet, & ſimilia: Quarè tale Certamen inter Purgationes vulgares annumeratur, & *ab Eccleſia damnatur*, vt patet ex *cap. Monomachiam*: Et Nos latè probauimus ſuprà, *Sect.* 1. *Quæſit.* 2. cùm de Canonica Duelli Prohibitione ageremus.

Secunda Duelli ſpecies.

Secunda Cauſa eſt, *Oſtentatio Virium*, ſic olim Goliath indicebat Iſraelitis Duellum, 1. *Reg.* 17. & aliquandò etiam vtriuſque Exercitus milites, Ducibus annuentibus, talia Duella committere ſolent.

Tertia Duelli ſpecies.

Tertia Cauſa eſt, *Euitatio Ignominiæ*; quia ſcilicet reputaretur aliquis vilis, ac degeneris animi, ſi oblatum Duellum detrectaret.

Quarta Duelli ſpecies.

Quarta Cauſa eſt, *Terminatio Litis Criminalis, aut Ciuilis*, quandò ſcilicet non poteſt aliter terminari lis, niſi Duello acceptato: Alioquin, aut non acceptans Duellum, *Iuſtitiam* non poteſt *conſequi*: aut *liti ſuccumbit*, cum ſuo, & Multorum quandoque magno damno.

Quinta Duelli ſpecies.

Quinta Cauſa eſt, *Indulgentia multitudinis*, quandò ſcilicet feruente duas inter Patrias Bello, & parcendo Multitudini, de conſenſu partium Bellum in Duellum reſoluitur, vt à multis actum eſt, ſicuti Hiſtoriarum monumenta teſtantur.

Sexta Duelli ſpecies.

5 Sexta Cauſa eſt, *Defenſio vitæ propriæ, & ſuorum*, cum nimirùm Aliquis comminatur ſe alterum occiſurum, aut bona eius direpturum, *niſi Duellùm acceptet*, & ſi quidem aliquis actualiter impetatur, non eſt dubium, quin *Vim vi repellere liceat cum Moderamine inculpatæ tutelæ*: ſed hoc propriè non eſt Duellum (inquit) quoniam Duellum ſonat *duorum Bellum ex condictò*. Ad hoc reducitur illud (ſubdit Filliucius loco infrà citãdo) quod ſuſciperetur *ad defenſionem honoris Dei*; vt ſi quis Hæreticus, & Turca blaſphemaret veram fidem, & Duello contendere vellet, ſe rectè dicere. Sic Caietanus, quem ſequitur Leſſius *lib.* 2. *cap.* 39. *§.* 31. & *ſeqq.* vbi eaſdem *Sex Cauſas*, ad quas Duellum ordinàri poteſt, recenſet. Ità etiam Laymann *tract.* 3. *par.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 5. Filliucius, *tom.* 1. *tract.* 29. *in* 5. *precept. Decalog. cap.* 8. *num.* 136. & quamplures Alij;

Filliuc. — Caietan. — Leſſius. — Layman.

6 Horum omniũ ſententiam *Nos etiã amplectimur*, magis enim explicitè Duelli ſpecies innoteſcunt, per *Sex adductas Cauſas Finales Duelli*, quã per *Tres* illas à Ioanne de Lignano in principio allatas, quæ *implicitè* quidem *Sex* iſtas continent.

Diuiditur ergo ſpecificè Duellum in Manifeſtatiuum, ſeù Purgatiuum, In Oſtentatiuum virium, Euitatiuum Ignominiæ, Terminatiuum litis, Euitatiuum Belli: ac Vitæ, & Bonorum; quinimmò & Diuini Honoris Defenſiuum. Singulas autem ſpecies ſeorſim in ſequenti Tractatu examinandas relinquimus, modò tamen in genere celebrem hanc Quæſtionem proponere, ac decidere ſufficiat.

QVÆSITVM II.

Vtrùm omnes Duelli Species ſint illicitæ, ac prohibitæ: ſeù vtrùm Duellum, vt ſic, quocumque fine commiſſum ſit illicitum, itàut Duellantes Excommunicationem, cæteraſque Duellicas pœnas contrahant?

SVMMARIVM.

1 *In nullo Caſu licet ſingularis Certaminis periculo ſe exponere, iuxtà primam Sententiam.*

Quid

2 *Quid agendum ſentiat Alenſis, in Caſu, quo aut moriendum, aut Duellandum eſſet?*

3 *Ponuntur aliæ Doctorum ſententiæ contrà Duellum quouis fine commiſſum, conglobatæ.*

4 *Ex quauis Duelli Specie omnia damna in Pontificijs Diplomatibus enumerata, pariter oriuntur, iuxtà primam ſententiam.*

5 *Ratio in vno pœnalis legis Caſu expreſſa; an ad alium non expreſſum Caſum extendatur?*

6 *Quæ interpretatio ſit in lege adhibenda? Communis loquendi vſus propriæ vocabuli ſignificationi an ſit præferendus?*

7 *A Piò IV. ac Tridentini Concilij Patribus, quomodò Duelli vſus prohibitus fuerit?*

8 *Intentio, ac Cogitationes an humana lege puniantur?*

9 *Afferuntur aliæ rationes ad probandum, ſemper illicitum eſſe Duellum.*

10 *Iuſta Cauſa, Iuſtus Ordo, & Iuſtus animus, ad iuſtam Hominis interfectionem requiruntur.*

11 *Ponitur altera ſententia affirmans, quandoque Committi poſſe Duellum. Explicatur duplex Duelli Acceptio, ex Lyrano.*

Diuina reuelatione præmonitus Dauid, ſingulare certamen contrà Phyliſtæum ſuſcepit, ex Lyrano.

12 *In duobus Caſibus Duellum committere licet, ex Lyrano, & alijs Doctoribus.*

13 *Duos inter Exercitus feruente Bello, rem committere licet ſingulari certamine, ex Maiore.*

14 *Duellum ab iniuſto Calumniatore oblatum an acceptari poſſit?*

15 *Reſoluitur Quæſitum, ac Statuitur non Omne, nec ſemper illicitum eſſe Duellum.*

16 *Ex Dauidico Duello, quàmuis Deo inſpirante, commiſſo, colligitur non eſſe intrinſecè malum Duellum.*

17 *Variæ rationes pro hac ſecunda ſententia adducuntur, earumque ſoluuntur impugnationes.*

18 *Quid ſenſerint Lyranus, & Toſtatus de Quibuſdam Sanctis Principibus, Duella quandoque permittentibus.*

19 *Poſtrema ratio iuxtà Auctoris mentem, pro Quæſiti ſolutione firmanda.*

20 *Soluuntur omnia argumenta à primæ ſententiæ Auctoribus adducta.*

CELEBRE hoc Quæſitum, quod ferè per omnium ora verſatur, maiori examinandum eſt Studio, nam vtrinque Celeberrimi Theologi, validiſſimis argumentorum Telis inter ſe acriter dimicant, cumque contrà Duellum inuehātur, actu Duellicam pugnam committere, fas ſibi eſſe ducunt. Liceat proindè Nobis impunè eam ſpectare, vt tandem dirimere certamen, ac vtramque Conciliare poſſimus ſententiam.

Prima Sententia Aſſerentium, Duellum ſemper eſſe illicitum.

1 RESPONDENT PRIMO. Nonnulli *Affirmatiuè* ad Quæſitum, & abſque vllo diſcrimine aſſerunt: *Duellum omne*, aut ad necem, aut ad vulnera tendens, eſſe immane, impium, *nulloque tempore licitum*. Ità Alexander Alenſis, *in 4. par. quæſt. 11. memb. 2. art. 3. §. 4.* vbi hæc habet. *Nullo Caſu licet Duellum offerre*, neque illatum, vel oblatum ſuſcipere, cùm Monomachia ſit in lege Ciuili prohibita, & eius prohibitio in Canone approbata. Alexand. Alenſ.

2 Sed ſuſtinebit ne *Innocens*, in Cauſa Criminali ſe *ſuſpendi* in confuſionem propriam, & generis ſui, & Patriæ ſcandalum? *Credo quod ſic*, in Caſu iſto cum confeſſione Innocentiæ ſuæ, & reputatione humili, ſe iſta aliàs meruiſſe. Omninò ergo videtur mihi, quòd *Exiſtens* in *voluntate*, vel *propoſito*, aliqua cauſa Retinens Duellum ſi ammò, ad Sacram Communione non admitti non debet ex Alenſ.

committendi Duellum, eòquod prohibitum eſt,& eòquod committere cauſam ſuam ſorti Duelli, eſt Deum tentare; intendit facere, quod illicitum eſt, *non debet accedere ad Sacram Communionem*. Hactenùs Alexander.

3 Huic ſententiæ adhærent D. Antoninus *in 3. par. tit. 4. cap. 3. §. Poſtremò*. Hoſtienſis, Alanus, & Alij, quos refert, & ſequitur Abulenſis *in cap. 17. lib. 1. Reg.* Roſella *verb. Duellum*, Silueſter etiam *verb. Duellum. quæſt. 2. num. 4.* vbi hæc habet. Tutior eſt, & verior opinio, quòd omnes indiſtinctè peccent mortaliter, nimirùm Duellantes, quocumque fine duellent. Et affirmat ibidem hanc omnium Doctorum ſui Ordinis ſententiam eſſe, in nullo caſu conceſſum eſſe Duellum. Ità etiam Abulenſis *loc. cit.* Paulus Comitolus, *lib. 6. q. 6.* Henricus Gandauenſis *in Quodlibeto 5. quæſt. 32.* vbi, Nec pro re (inquit) vlla temporali, nec etiam pro vita ſuſtinenda debet conſentire Duello, ſed potiùs ſe deberet permitti ſuſpendi. Ioannes Turrecremata, *in cap. Monomachiam. 2. quæſt. 5.* Sotus, *in 5. de Iuſt. & Iur. quæſt. 1. art. 8. colum. extrema*, Suarez *de Charitate diſp. 13. ſect. vltima num. 5.* Peregrinus *de Duello, quæſt. 1.* & quamplures Alij, vnanimi ſententia contrà Duellum pluribus rationibus inuehuntur. Sed videamus quibus argumẽtis Duellum omne illicitum eſſe, quemcumque ob finem ſuſcipiatur, relati Authores probare contendant.

D. Anton. Hoſtienſ. Alanus. Abulenſ. Roſella. Silueſter. Paulus Comitolus. Henric. Gandauenſ. Turrecrem. Sotus. Suarez. Peregrin.

Prima ratio deducta ex interdictione Summorũ Pontificũ Duella prohibentium.

4 Probat igitur *Primò* Peregrinus, quia Summi Pontifices abſque vllo diſcrimine deteſtabilem Duelli vſum prohibuerunt, cùm ex Duellis, corporum, & animarum pernicies, ac Diuini Numinis offenſa ſequeretur; ſed hæc ac cætera damna, nõ minùs ex vnius ſpeciei Duello, quàm alterius ſequi poſſunt: ergo non minùs vna, quàm alia, ac proindè omnes Duelli ſpecies, ac Duellum omne, quouis fine commiſſum prohibitum, ac illicitum erit.

5 *Secundò* Lex pœnalis, cuius ratio eſt expreſſa per legem, ad alium caſum non expreſſum extenditur, ſi ratio ſit par ſimpliciter, ſeù eadem, vel maior, dummodò Legiſlator aliquid in contrarium, peculiari ratione motus, non diſpoſuerit, vt docet Silueſter *in verb. Lex. §. 18. verſic. Et dico.* & habetur *in cap. Dudum. 2. de elect. cap. Cùm directa. de confirma. vti. cap. 1. de tempor. ordinand. lib. 6.* Nàm ratio comprehendit omnes caſus, etiam non expreſſos in Lege, & Conſtitutione, *l. bis ſolis. Cod. de reuoc. donation.* Sed ratio in Pontificijs Conſtitutionibus expreſſa, eſt *interitus*, & *pernicies* animarum, & corporum, & offenſio Diuinæ Maieſtatis, quæ *ratio par* ſimpliciter reperitur in omni Duello Cruento, quocumque fine fiat: ergo Omnes Duellantes ligantur pœnis ſtatutis in hac Conſtitutione, *quocumque fine* Duellum committatur.

Secunda ratio deducta ex identitate rationis in Duellica prohibitione appoſitæ. Silueſter.

6 *Tertiò*. Quia in omni diſpoſitione quantùmuis odioſa, ac reſtringibili, *Interpretatio* adhibenda eſt, *iuxtà communem loquendi vſum*, vt docet Gloſſa, *in cap. Nonnulli. in verb. Vltrà. de reſcriptis Doctorum. in cap. olim. de verbor. ſignificat.* & Panormitanus, *in cap. 2. de Arbitr. & in cap. 1. de Iudic.* quia vſus loquendi præfertur proprio ſignificatui vocabuli, *cap. Quamuis. de verbor. ſignif.* Sed iuxtà communem loquendi vſum, Duellum intelligitur omnis particularis Pugna Cruenta, ex vtraque parte voluntariè ſuſcepta, quocumque fine fiat: ergo Duella omnia Pontificijs Conſtitutionibus erunt prohibita.

Tertia ratio. Panorm.

7 *Quartò*. Ante Concilium Tridentinum, & Conſtitutionẽ Pij IV. Duella publicè admittebantur, *quocumque fine fierent*; ſed per Pium IV. & Concilium Tridentinum Duellorum vſus *ſimpliciter* prohibitus fuit,

Quarta Ratio.

& ità

& ità *ſimpliciter*, & *generaliter* fuerunt in vſu receptæ dictæ Leges; nàm poſtmodùm nullo pacto fuerunt admiſſa Duella publica; ergo cùm ſint ità *generaliter* in vſu receptæ, abſque vlla diſtinctione, ſic *generaliter* intelligi, & explicari debent *cap. in iſtis. §. leges. diſt. 4. l. Præſes. ff. de officio Præſidis*, & proinde ità interpretari, & declarare debemus Clementinam Cōſtitutionem; cùm ſit confirmatiua, & declaratiua, tàm Conſtitutionis Pij IV. quàm Concilij Tridentini; vt patet, *in verſiculo, ac inſuper*. Et Conſtitutio, quæ fit ad roborandam, & interpretandam aliam, intelligenda eſt *ſecundùm eam*, vt clarè ſentit Gloſſ. quam putat ſingularem Cardinalis *in Clementina Statutum in verbo Conſuetudine, de electione, oppoſitione* 3.

Quinta ratio.

8 *Quintò*, Lex humana punit *actionem externam, non autem intentionem cap. Cogitationis de Pœnit. diſt. 1. l. Cogitationis. ff. de pœnis*. Sed actio externa *eadem* eſt in Duello Cruento commiſſo ex odio, vel alio fine: Igitur omnia Duella prohibentur quocumque fine fiant.

Sexta ratio.

9 *Sextò* probant Alij: Duellum eſt *actus malus*, ex lege interdictus: ergo nulli licet ſe defendere Duello.

Septima ratio.

Septimò, Quia in Duello *non eſt iuſta defenſio*; in iuſta enim defenſione vnus eſt Aggreſſor, & alter Defenſor: At in Duello vterque eſt Aggreſſor, & vterque vult alium occidere: ergo &c.

Octaua ratio.

Octauò. Priuata auctoritate *occidere hominem nunquàm licet*, niſi cùm fortè Alter te inuadit Iniuſtè, ſed non ex condictò te ad Pugnam laceſſat: verùm Ineuntes Duellum priuata auctoritate, & cōtrà Leges, & Sanctiones Eccleſiaſticas, & Iura Naturæ pugnant, & vulnera ſibi infligunt, & vitam hauriunt: ergo, &c.

Nona ratio.

Nonò. *Innocentem occidere*, aut ad illius Interfectionem Alteri quoquomodo aſſentiri, nunquàm eſt *vllo Iure* permiſſum; Sed in Duello Cruento ſemper reperitur in Altero voluntas, ac libido interimendi Innocentem, & in Altero voluntas aſſentiendi conatui, ſeù Certationi, qua Sons in Inſontem arma conuertit; ergo id genus certandi, ſemper debet eſſe damnandum.

Decima ratio Alenſis.

10 *Decimò*. Probatur ab Alenſi, *in 3. par. quæſt. 34. memb. 2. art. 2. §. 1.* ſic. Vt Iuſta ſit hominis Interfectio, tria requiruntur in Interficiente: *Iuſta cauſa*, *Iuſtus ordo*, *Iuſtus animus*. *Cauſa*; vt mereatur mortem, qui eſt interficiendus: *Ordo*, vt polleat poteſtate publica, qui auctor eſt necis, & conuictum ſit crimen: *Iuſtus animus*, vt amore Iuſtitiæ, non libidine vindictæ, vel pœnæ cupiditate interficiatur: nihil horum interuenit in Duello Cruentò, & in ijs, qui Illud exercent: ergo Duellum, quouis fine ſuſceptum, eſt illicitum.

Requiſita ad iuſtam hominis interfectionem.

Secunda Sententia Aſſerentium, Duellum aliquandò licitum eſſe.

Secunda Reſponſio ad Quæſitum.

RESPONDENT SECVNDO ALII AD QVÆSITVM NEGATIVE, nimirùm: Duellum non ſemper eſſe illicitum. Ità Lyranus, explanans verba illa Capitis decimiſeptimi libri primi Regum: *Audita ſunt autem verba, quæ locutus eſt Dauid; &c.* ſolita litteræ interpretatione interrupta, Quæſtionem proponit, Vtrùm Duellum ſit licitum. Et multis vltrò citròque dictis, duplicem tandem pro ſolutione, Duelli acceptionem ponens, *Duellum* poteſt accipi, inquit, *dupliciter*. Vno modò, *propriè*; & ſic Duellum eſt ſingularis Pugna Duorum: vt per victoriam Vnius appareat eius Iuſtitia, tanquàm per Diuinum Iudicium, & Alterius Iniuſtitia: & ſic ſecundùm omnes Doctores *Duellum*

Lyranus.

Duplex Duelli Acceptio.

est

Explicatur prima Duelli acceptio.

eſt illicitum, tàm ex parte *Appellantis*, quàm etiam *Recipientis*, & etiam *Iudicantis*, *& Conſulentium*, *& fauorem Præſtantium*; quia ibi eſt manifeſtè *tentatio Diuina*: & hoc modo loqui videntur de Duello Iura Ipſum prohibentia. 2. *q.* 5. *cap. Monomachiam extrà*, *de Purgatione vulgari*: niſi per reuelationem Diuinam manifeſtum fuerit: quòd Deus ſic velit indicare ſuam Iuſtitiam: & hoc modo dicunt Sancti, & Doctores Catholici, Dauid ſingulare Certamen inijſſe cum Goliath; quia ſibi *reuelatum* fuit à Domino, quòd ſic volebat indicare ſuam Iuſtitiam contrà Philiſtæos: Vndè procedens contrà Philiſtæum, dixit. *Ego venio contrà te in nomine Dei viuentis.* & ſic non fuit propriè *Duellator*, ſed magis Diuinæ Iuſtitiæ *Exequutor*.

Explicatur ſecunda Duelli acceptio.

Alio modo poteſt accipi Duellum largè, prout eſt Bellum Vnius cum Vno abſq; expectatione Diuini Iudicij; ſed vt per virtutem, vel fortunam, vel omnibus iſtis, vel aliquibus eorum concurrentibus aliqua controuerſia inter eos Criminalis vel Ciuilis terminetur. Hactenùs Nicolaus diſtinguit, qui ſequutus poſteriorem Duelli acceptionem minùs propriam, nonnulla circà Duelli legitimum vſum definit, duoſque admittere videtur Caſus, in quibus Singulare Certamen committere liceat.

Primus Caſus.

12 *Primus eſt*. Cùm quis vel ad mortem, vel ad bonorum ſpoliationem eſſet *damnatus*, niſi Duellum acceptaret, ac nulla alia ratione vitam, ac bona ſua, tueri poſſet.

Secundus Caſus.

Secundus. Quandò legitima Iudicum, vel Principum authoritate, aut permitteretur, aut concederetur Duellum *ad maiora mala auertenda*, Iuſtum cenſendum foret: nàmq; id à B. Ludouico Galliarum Rege, à Carolo Magno, pluribuſq; Alijs permiſſum fuiſſe legitur; Quia ei, inquit Lyranus, qui habet curam alicuius Communitatis, licitum eſt minora mala permittere, ad euitanda maiora: ſicut licitè permittuntur Meretrices in Ciuitatibus, nè omnia turbentur libidinibus, vt etiã dicit Auguſtinus. Sic Ille.

B. Ludouicus Carolus Magnus.

Lyranus.

An liceat minora mala permittere ad euitanda grauiora?

Auguſtinus.

Hanc tandem ſententiam amplectuntur nonnulli inſignes Theologi, tàm Speculatiui, quàm Morales; ſic Maior *in* 4. *ſent. diſt.* 15. *qu.* 16. *in vetuſtioribus voluminibus*. Caietanus, *in* 2. 2. *q.* 95: *art.* 8. *coll.* 4. *Commentarij*. Viguerius, *in Theologicis Inſtit. cap.* 12. *§.* 3. *verſ.* 9. *in veſtigijs herens Caietani*; Angelus, *in ſumma, verbo*, *Eodem*. Toletus, *in ſumma Caſuum, lib.* 5. *c.* 6. *penè in extremo*. Nauarrus; *in ſumma cap.* 11. *nu.* 39. Ex his tamen Aliqui Ius committendi Duellum magis coarctant, quàm Lyranus.

Maior.

Caietanus

Viguerius

Angelus.

Toletus.

Nauarrus

Lyranus.

Maior.

13 Nam Maior, *in illa q.* 16 *in reſponſione ad primum argumentum, Vnũ* probat *Caſum*, nimirùm; Cùm controuerſia duos inter Exercitus dirimenda eſt, & ex parte, inquit, Duellantis, cauſa eſt Iuſta, vel ambigua. *Alterum caſum* exponit, *in reſponſione ad* 6. *argumentum*: cùm de vita alicuius eſt actum, niſi ad ſingulare Certamen deſcendat.

Vnus Caſus ex Caietano.

14 Caſum vtrumq; admittit Caietanus, ſed de Secundo tutiùs loquitur, quàm Maior. Sic enim Caietanus *loco citato*. *In vno tamen caſu licitum Mihi videtur acceptare Duellum*, quandò ſcilicet *Accuſator* euidenter calumniatur; & præualet contrà me Innocentem ad mortem, ſiue ad mutilationem: Tunc enim ex quo impetit me Iudicis gladio, iniuſtiſſimè ſinè dubio occidet, vel mutilabit me: ego non habens aliud refugium, habeo Iuſtum Bellum offenſiuum contrà eũ, & propterea ſi offert mihi Duellum, poſſum acceptare, de conſenſu Principis, & tueri meliori modo, quo poſſum. Ità Ille.

Quid ſenſerit Caietanus de altero caſu poſito.

De Primo verò Caſu, Caietanus illic, his verbis ſtatuit: Fateor tamen, quòd in Caſu, quo *Pars habens Iuſtum Bellum*, cognoſcit vires

ſuas,

ſuas, & quòd oportet, aut confligere, & ſuccumbere; aut acceptare Duellum, quòd *licitè acceptat Duellum*: Transfert enim quaſi certum caſum in dubium, & in ſpem victoriæ, vtendo omnibus ſuis viribus. Nec ſolùm licitum eſt, tali parti in prædicto neceſſitatis articulo conſtitutæ, acceptare; ſed etiam prouocare ad tale Duellum, reſoluendo Bellum in Duellum.

Viguerius. Armilla. Nauarrus. Toletus.

Probant ambos Caſus Viguerius, & Armilla *locis iam indicatis*, necnon Nauarrus, & Toletus *iiſdem locis*.

Angelus.

Angelus, *in verbo Duellum*, benignior eſt in Duello concedendo; affirmat enim Illud *eſſe licitum*, cùm ſinè Duello quis, nedùm vitam, ſed nec res ſuas retinere poteſt. His poſitis, ſit tandem

Quæſiti Reſolutio.

Suprema Reſponſio ad quæſitum.

15 VNICA CONCLVSIO: *Duellum regulariter loquendo eſt illicitum, non tamen ſemper, reſpectù cuiuſcumque finis*. Ità Authores *pro ſecunda ſententia citati*; & propterea Leſſius, *in opere morali lib. 2. c. 39. nu. 4. & 7.* Azorius 3. *par. lib. 2. c. 5. q. 3.* Sanchez *in ſumma lib. 2. c. 36. num. 16.* Lucas Floronus *c. 5. §. 3.* Becanus, *de fide c. 26. q. 4.* Laymann, *c. 5. n. 1.* Valentia, *tom. 3. q. 17. diſp. 5. §. Eſt autem aſſertio*. Filliucius, *tract. 15. c. 5. n. 109. §. Tertiò notandum*. Bonacina, *queſt. 6. propoſ. 2. num. 18. §. Reſpondeo*. Diana, *par. 5. tract. 1. §. 27.* Alphonſus de Leone, *de Cenſuris. Verbo, Duellum. pag. 309.*

Leſſius. Azorius. Sanchez. Floronus. Becanus. Laymann. Valentia. Filliucius. Bonacina. Diana. Alphõſus de Leone.

Prima ratio.

16 *Primò* probatur *ex Duello Dauidis* cum Goliath. 1. *Reg.* 17. ergo licitum eſt Duellum.

Impugnatur ex Comitolo.

Reſpondet Comitolus, *lib. 6. q. 16. num. 10.* Inane eſſe hoc argumentum, atq; facilè eludi poſſe: Nam ait, *Diuino Impulſu, & Iuſſu*, Duellum illud fuiſſe à Dauide ſuſceptum. Et Henricus Gandauenſis idipſum confirmat Diui Auguſtini auctoritate, *in quodam Sermone de Pugna Dauid, & Gobæ*.

Henricus Gandauenſis. D. Auguſtinus.

Solutio impugnationis.

Sed contrà. Si per Te, *eadem Quæſtione num. 4.* Duellum omne eſt Immane, Impium, *nulloque tempore licitum*, quonàm pacto Dauid Diuino Impulſu, atq; Iuſſu potuit acceptare Duellum? quod enim *eſt intrinſecè malum*, vt Mendacium, ac Odium Dei, ad id quidèm, nec Diuinus Impulſus, nec Præceptum eſſe poteſt; ergo ſi Duellum eſſet intrinſecè malum, non poterat ad Illud Deo inſpirante, aut præcipiente, Dauid propelli.

Secunda ratio.

17 *Secundò* probatur: *Si pro tua ſalute*, & rerum tuarum conſeruatione, potes, qui te adoritur, occidere, cur eadem de cauſa non poteris idē facere in Duello?

Impugnatio.

Reſpondet Comitolus *vbi ſuprà*. Quia in Duello, ambo qui manus conſerunt, ſunt *Aggreſſores*: at omnis priuata Aggrediens auctoritate, per ſcelus, iniuriamq; aggreditur.

Solutio.

Sed contrà. Si Duellum acceptetur, vel pro Iniuſta Morte effugienda, vel pro Honore recuperando, vel pro Bonis in notabili quantitate tuendis, iàm ſupponimus *Acceptantem* priùs fuiſſe *Inuaſum* ab Eo, qui vel mortem eſt Illi molitus, vel dedecore Eum affecit, vel Bonis in notabili quantitate Eum ſpoliauit: ergo *Acceptans* Duellum non eſt *Aggreſſor*, ſed vel ſuæ Vitæ, vel Honoris, vel Bonorum *Defenſor*, vtpotè Inuaſus: ergo falſum eſt, quòd *in Duello* ambo ſint *Aggreſſores*, ſed Vnus illatam Vim Vi, *vt Defenſor* quidèm repellit.

Tertia ratio.

Tertiò probatur. Si duobus Reis Capite Damnatis, vitam, hac conditione, pollicetur Iudex, vt illam Duelli periculo offerant: Tunc hi Sontes periclitatione Duelli, iuſtè Saluti ſuæ conſulere poterunt: ergò licitum eſt quandòque Duellum.

Reſpondet Comitolus: In pri-

Impugnatio.

primis, non poſſe Iudicem, quem ſcelerum Iuſtum Vindicem eſſe oportet, noxios à patibulo in Gladiatoriam Pugnam deducere, ijſque Impunitatem dare; quorum vitam certo ſupplicio anthoritas Legum deſponderet: ac plura congerit ad id confirmandum.

Reſponſio ad impugnationē.

Sed contrà. Non eſt præſens difficultas, An in prædicto Caſu *peccet* necne Iudex, ſed *An licitum ſit Duellum* illud, Capite Damnatis à Iudice oblatū, acceptare. *Primum* trāſeat, vel potiùs concedendum, *Iudicem* in tali caſu *peccare*, imò eſſe omni vituperio dignum. Quis enim Iudicem illum, vel Principem commendabit, homines morti adiudicatos, quo tempore æternæ ſalutis, ac vitæ conſilia inire debent, ſuaq; ſcelera deteſtari, atq; eorum veniam, ſupplici à Deo prece impetrare, tamquàm Laniſtas ad muruam cædem cohortari? Circà *Secundum*, verò nihil reſpondere videtur Comitolus, An ſcilicet Illi Capite Damnati, *licitè* pugnent: equidèm non dubito, quìn Illi *legitimè* Pugnent, cum de vita tuenda Pugnent, ac Iure Naturæ *licitum ſit* Cuiq; ſeipſum defendere, atq; à morte præcauere.

An peccet Iudex offerendo Duellum Reis Capite Damnatis?

Quinta ratio.

Quintò. Facit v.g. Cornelius Tiberio vim: armata manu, certam ei mortem denunciat, niſi ſecùm Duello confligat: An non licebit, ſingulari Certamine Tiberio, ſi non vitam, ſaltem ſpem vitæ dubiam redimere?

Impugnatio.

Reſpondet Comitolus: Ob multas cauſas id non licere.

Solutio.

Sed contrà. Quia omnes illæ rationes non obſtant, quominùs in tali Caſu liceat Tiberio *Duellum* acceptare, vt certam mortem, in dubiam vitæ ſpem commutet: Sicq; in tali caſu licita eſt Duelli Acceptatio, quàmuis illicita præceſſerit Prouocatio.

Sexta ratio.

18 *Sextò*. Lyranus opinatur, Beatum Ludouicum, & Carolum Magnū, pluresq; alios Principes, qui Religionis, ac Sanctitatis fama præfulſerunt, Duella nonnunquàm permiſiſſe, & conceſiſſe ad grauiora mala auertenda, aut prohibenda.

Impugnatio ex Toſtato.

Reſpondet Toſtatus *loco ſuprà citato*, dupliciter: vel concedendo Duella, *Eos peccaſſe*: neq; enim Viri pij ſinè culpa vitam agunt; vel vt benignius quid dicatur, *Eos reuelante, & impellente Deo, quod fecerunt, effeciſſe*.

Solutio.

Sed contrà. Si ad mentem Toſtati, Deus impulit aliquandò ad Duellum committendum: ergo *ex Toſtato*, *Duelli commiſſio* aliquandò *eſt licita*. Probatur Conſequentia. Impium enim eſt aſſerere, Deum ad id, quod eſt per ſe *& intrinſecè malum* impellere; alìoquin Deus cauſa eſſet peccati, quod eſt abſurdum: ergo, ſi per Te, Deus aliquandò ad Duellum impulit, vtiq; *Duellum ex ſe, & præcisè ſumptum non eſt, intrinſecè malum, proinde non ſemper illicitum*.

Alia ratio iuxta mentem Authoris.

19 Tandem noſtram Concluſionem ſic Ego probarem, & hæc ratio, ni fallor Mihi videtur potiſſima. Sic igitur probo: Ex Iure Naturæ habetur, quod *Inuaſus licitè poteſt Inuaſorem repellere*, vt omnes fatentur; ſed in ijs caſibus, in quibus Duellum dicitur eſſe licitum, *Duellator* ſemper ſupponitur iàm *Inuaſus*, ſiuè in Bonis in magna quantitate, ſiuè in Honore plurimùm exiſtimando, vel in vita tuenda: ergò *Duellator*, ex Iure Naturæ habet, quòd aliquandò *Duellum licitè committat*. Suppono tamen *abſolutè*, & *ſimpliciter*, aliud medium non ſupereſſe Inuaſo ad vim ſibi illatam, vel certò inferendam, *licitè* repellendam.

Confirmatio.

Tandem omnia, quæ diximus, confirmari poſſunt; quia Iniuſtus Inuaſor, ſeruato inculpatæ tutelæ Moderamine, *licitè* ab Inuaſo occidi poteſt, etiamſi Inuaſus *fugam arripere poſſit*; ſed Fuga tamen Ipſi ludibrio, & dedecori futura eſſet, vt te-

nent

nent Hurtadus 2. 2. *diſput.* 170. *ſ.* 135. & Diana *tom.* 5. *tract.* 4. *reſolut.* 1. Sic etiam *Inuaſus* non ſolùm pro vitæ, ſed etiam honoris, pudicitiæ, vel etiam bonorum, quando ſunt in notabili quantitate, defenſione, *poteſt Inuaſorem occidere*, vt docet Molin. *tom.* 4. *tract.* 13. *diſput.* 17. & Diana *loco ſupràcit. reſolut.* 9. Ergo Inuaſus multò magis *licitè Duellum committere* poterit cum Inuaſore, à quo, vel in Bonis, vel in Honore iniuſtè inuaditur.

Quas ob cauſas poſſit Inuaſus Inuaſorem necare?

Diluuntur Argumenta Primæ Sententiæ.

Primum argumentum euertitur.

20 *Ad Primum* oppoſitę Sententiæ Argumentum Reſpondetur, *concedendo Maiorem*, nimirùm Summis Pontificibus, & Concilij Tridentini Patribus, animum, mentemque fuiſſe, Duelli vſum prohibendi, ex quo Animarum, & Corporum interitus, ac pernicies ſequitur, cum grauiori Diuini Numinis offenſa; *Negatur tamen Minor*, hoc eſt, *omnia* hæc in quocumque Duello cruento, quouìs fine commiſſo *contingere*, vt patet in caſibus ſuperiùs enumeratis, ex quibus, etſi quandòque interitus quìdem ſequatur; *Animarum tamen pernicies non ſequitur*, neque Diuina læditur Maieſtas, cùm nimirùm *rationabili ex cauſa* committuntur, vt poſitos caſus Conſideranti patebit.

Quænam Duella Sũmi Pontifices prohibuerũt?

Nec profectò Summis Pontificibus animus fuit, interitum prohibendi *tantùm*, *qui ex Duello ſequitur*, cum hic aliquandò, iuſtis interuenientibus cauſis, vt ſequatur, *licitè*, permitti ſoleat; ſed illum Summi Pontifices prohibere voluerunt interitum, *cui animarum pernicies annectitur*, ac diuinæ Maieſtatis copulatur offenſa; quod tunc ſolummodò accideret, cum Duellum *irrationabili ex cauſa* iniretur, *prauo enim fine* Duellicam pugnam *ſpecificante*, impia, ac deteſtabilis ea redderetur; *actiones enim à fine moraliter ſpecificantur*.

Reſponſio ad 2. Argumentũ.

Ad Secundum, conceſſa Maiori, ac prima Minoris parte, negatur altera, in qua dicitur, *parem* in quouìs Duello cruento, prohibitionis *rationem* militare, nàm, vt ſuprà diximus, ratio illa militat in quibuſdam Duellis, *irrationabili fine* commiſſis, quæ ùtique dubium non eſt, quìn prohibita, ac deteſtabilia ſint, & Chriſtiano ex Orbe exterminanda: Non verò militat in quibuſdam Duellis; quæ, prout *ratio & neceſſitas* poſtularet, *rationabili fine* committi poſſent, vt dictum eſt.

non eadẽ prohibitionis ratio eſt in qualibet Duelli ſpecie.

cætera argumenta euertuntur.

Ad Tertium Reſpondetur, communem loquendi vſum, eſſe tantummodò de *Duellis irrationabili, ac illicito fine* commiſſis, quæ communiter iniri ſolent; non autem de Duellis *iuſta cauſa* geſtis, ſeu gerẽdis, quæ cùm raró committi ſoleant, ideò communis loquendi vſus ad ea non extenditur, nec ſub communi Duellorum appellatione veniunt.

4 ſoluitur.

Ad Quartum, iàm patet, illa quidèm Duella prohibita eſſe, in quibus nulla interuenit *iuſta cauſa*, qua opus illud, prima fronte illicitum, iuſtum, ac licitum reddatur.

Solutio 5. argumẽti.

Ad Quintum, concedendo humanam legem punire actionem externam, ſupponit tamen Lex, eam directam *ex praua intentione*, ſeu *fine* Operantis, à quo fine *actio* illa externa *formaliter ſpecificatur*; negatur autem Minor, ſcilicet actionem externam in omni Duello cruento commiſſo, eandem eſſe, ſeu eodem modo directam à Duellantis fine: ac proindè non *pari poena puniendam*; nec *prohibitam* eſſe, dicere oportet.

Solutio 6.

Ad Sextum: Negatur Duellum ſimpliciter, ſemper, ac *intrinſecè* eſſe actum malum, & lege interdictum, ſed cum prauis circumſtantijs eſt affectum; quamobrem, ſi in aliquibus caſibus, *iuſtæ* accederent *circumſtantiæ*, non poſſet dici actus malus, nec abſolutè & *indefinitè*, ſed tantùm

regulariter loquendo, à lege interdictus..

Solutio ſeptimi. *Ad Septimum*, negatur ſimpliciter Antecedens,non enim qui Duellum committeret, vt Supponitur, Inuaſor eſſet, ſed *Inuaſus*, vt fuſiùs ſuprà oſtendimus in poſtrema, pro noſtra Concluſione probanda,ratione adducta.

Solutio octaui. *Ad Octauum*,conceſſa Maiori,negatur Minor, vt ex dictis iàm patet.

Noni argumenti ſolutio. *Ad Nonum*: Conceſſa Maiori, negatur Minor; ſemper enim *Duellator*, alteri iuſtè Duellanti eſt *nocens*, *& inimicus*; ac proindè ſtante iuſta, ac rationabili cauſa,*licitè* poterit Aggreſſus, Duellantem Aggreſſorem necare; Iuſta autem cenſetur cauſa, ſi, vel in bonis in magna quantitate, vel in honore plurimùm exiſtimando, vel in vita tuenda ſupponatur Inuaſus; iuxtà ea, quæ ſuperiùs diximus.

Decimi ſolutio. *Ad Decimum* Reſpondetur diſtinguendo: vel loquimur de cæde hominis *iuridicè*, præuia nimirùm Iudicis, ſeu Principis Sententia peragenda: vel de priuata cæde,priuata inquam, ſed *legitima*: Ad primam, vltrò *concedimus* illa tria requiri in Interficiente, ſcilicet *iuſtam cauſam*, *iuſtum ordinem*, *ac iuſtum animum*; *ſecùs* verò ad ſecundam, ad quam ſatis eſt,ſi iuſta acceſſerit cauſa,vt fuſè iàm in toto hoc Quæſito, hactenùs explicatum eſt.

QVÆSITVM III.

Vtrùm Duellum ſit malum ex ſuo genere?

SVMMARIVM.

1 *Malum ex ſuo genere, quodnàm dicatur?*

2 *Affirmatiuam ſententiam, quinàm tueantur?*

3 *Referuntur Auctores Oppoſita, & vera ſententia.*

4 *An ſit aliquod diſcrimen inter Duellum,& Monomachiam; inter Homicidium, & Cædem hominis?*

1 SVPPONIMVS, illud dici malum ex ſuo genere,quod ità ex Obiecto ſemper eſt malum, vt nullo vnquàm pacto poſſit *intrinſecè* participare rationem boni, vt eſt v.g. Mendacium, vel Odium Dei &c. Malũ ex ſuogenere quid?

2 RESPONDENT PRIMO' Aliqui ad Quæſitum: Duellum ità eſſe *intrinſecè* malum, vt nullo vnquàm caſu, reddi poſſit licitum. Hanc ſententiam tuentur Alexand. Alenſ. *4. par. quæſt. 1. memb. 2. art. 2.* Sanctus Antoninus *in 3.par.tit.4. cap. 3.* Hoſtienſis, Alanus, & Alij, quos refert,& ſequitur Abulenſ. *in cap. 17. lib. 1. Reg.* Henricus Gandauenſis, *Quodlib. 5. quæſt. 32.* Vbi poſtquàm de Iuſtitia, atq; Iniuſtitia Duelli diſputauit, ſic tandem inter contrarias ſententias dijudicauit. *Vndè*, nec pro re vlla temporali, nec etiàm pro propria vita ſuſtinenda *debet conſentire Duello*; ſed potiùs ſe deberet permitti *ſuſpendi*; Vndè quia *contrà præceptum legis Naturæ* eſt, quoàd effectum, & intentionem occidendi, & expreſsè contrà *præceptum legis diuinæ* eſt, quoàd intentionem ſigno ſenſibili, propria ſuſpicione Iudicium diuinum experiendi: Igitur *nulla lex iuſta, fieri Duellum permittit, aut permittere poteſt*; nec cuiuſquam auctoritate, aut quacumque conſuetudine contraria,diutiſſimè obſeruata, *licitè* poteſt pugnari per Duellum. Immò quicumque in Duello pugnant, & quicumque eis auctoritatem, conſilium, auxilium, fauorem, aut permiſſionem præſtant, cùm poſſint impedire, *participes ſunt homicidij*, *& mortaliter peccant*. Hucuſque Gandauenſis. Idem ſentiunt Ioannes à Turrecremata *in cap. Monomachiam*

Prima ſẽtentia affirmatiua.

Alenſ. S.Anton. Hoſtienſ. Alanus. Abulenſ. Henric. Gandau. Turrec.

2.*quæſt.*

Sotus. Comitol. Silueſt. Tabiena. Peregrin. Suarez.

2. *quaſt.* 5. Sotus *in* 5. *de Iuſtit. & Iur. quaſt.* 1. *art.* 8. *column. extrema*. Paulus Comitolus *lib.* 6. *quaſt.* 16. Silueſter *verb. Duellum quaſt.* 2. Tabiena *verbo Duellum quaſt.* 3. *num.* 4. Peregrinus de Duello *quaſt.* 1. Suarez *de Charit. diſp.* 13. *ſect. vltima.*

Quibus rationibus ſuadeatur?

Hanc ſententiam, prędicti Auctores, quorum Princeps videtur Alenſis, iiſdem rationibus probant, quibus probare conati ſunt, omnes Duelli Species eſſe ex genere ſuo illicitas, vt in ſuperiori Quæſito videri potetit; Nos illas, breuitati ſtudentes, hic non reperemus.

Secunda ſententia negatiua.

3. SECVNDO NEGATIVE RESPONDENT. Alij; nempè Duellum, *non eſſe intrinſecè*, & ſimpliciter malum, ſed aliquandò licitum. Ità Lyranus *in c.* 17. *lib.* 1. *Reg.* Maior *in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 16. Caietan. 2. 2. *quaſt.* 95. *art. vltimo*. Angelus *in ſumma, verb. Duellum*. Toletus *in ſumma Caſuum lib.* 5. *cap.* 6. Nauarr. *in ſumma cap.* 11. *num.* 39. omneſque Auctores ſuprà citati, *Quæſito* 2. pro ſecunda Opinione. Huic Opinioni libenter, & Nos ſubſcribimus: Suadetur autem iiſdē rationibus, quas ſuprà, *Quæſito* 2. pro ſecunda Opinione retulimus.

Lyranus. Maior. Caietan. Angelus. Toletus.

An diſtinguendum ſit inter Duellum, & Monomachiam?

4 Non videtur prætereundum, quod Hurtadus 2. 2. *diſp.* 70. *ſubſect.* 1. §. 43. ſtrictè admodū diſcriminat inter Duellum, & Monomachiā, ſicut inter homicidium, & cædem hominis; vult enim *Homicidium*, præter phyſicam cædem denotare etiam, talem *cædem contrà Iuſtitiam*, ac Dei legem committi; nomine autem *Cadis*, venire *quamlibet* phyſicam *occiſionem*, itaut præſcindatur *à licita*, *vel illicita*: Ità etiam *Duellum*, ex vi propriæ ſignificationis, importare *ſingulare Certamen, initum contrà Dei legem*, vndè idem eſſe interrogare: Vtrum Duellum ſit licitum? ac interrogare, Vtrùm contrà Dei legem pugnare liceat? *Singulare* autem *certamen*, ſeu Monomachiam, quamlibet phyſicam pugnandi actionem ſignificare.

Quæ diſcrimina, an ſint reuerà admittenda, Conſiderantis arbitrio relinquitur; inanis enim potiùs, ac de ſolo nomine videtur Quæſtio.

SECTIO II.

DE QVAESITIS CIRCA Licitam Defenſionem

In Ordine ad Duelli Species explicandas, neceſſariò præmiſſis.

QVamquàm Singularis Certaminis aleam experiri, quandòque licitum eſſe videatur, vt Sapientiſſimi in ſuperiori Sectione relati Theologi docuere; tantæ tamen in eo ſuſcipiendo Certamine, ſunt Conditiones adhibendæ, vt nō ampliùs Duellum, ſed Iuſta potiùs quodammodò dicenda ſit DEFENSIO, quam non ſolùm licitam, immò & neceſſariam eſſe, Natura ipſa omnium ore proclamat. Nàm, vt benè Romanæ Eloquentiæ Princeps, ait: *Illud eſt non modo Iuſtum, ſed etiam neceſſarium, cùm Vi Vis illata defenditur: hoc & Ratio Doctis, & Neceſſitas Barbaris, & Mos Gentibus, & Feris Natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper Vim quacumque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent*. Quamobrem examinaturi, quibus in Caſibus impunè liceat, vel Duellum offerre, vel oblatum ſuſcipere, generalia quædam circà Conditiones in quacumque licita Defenſione ſeruandas, Quæſita præmittimus; ex quo- Tullius Oratione pro Milone.

rum

rum ſolutione,facilior ad Duellicas Species ſingillatim explanandas, aditus aperietur.

QVÆSITVM I.

Vtrùm Defenſio ſit aliquo Iure licita?

SVMMARIVM.

1 *Defenſionem, Iure Naturæ licitam eſſe, auctoritate Plinij, Ciceronis, & Aliorum probatur.*
2 *Idem ratione, ex naturali Animantium inclinatione, deducta, confirmatur.*
3 *Iure Gentium eſſe licitam, auctoritatibus, & ratione ſuadetur.*
4 *Quid de Iure Canonico, ac Ciuili?*
5 *Cur Chriſtus, Petri Defenſionem recuſauerit?*
6 *Apoſtolus, Romanis, non licitam Defenſionem, ſed Vindictam prohibuit. Se defendere, ſumitur quandòque, pro Vlciſci, in ſacris litteris.*
7 *Patres, non Iuſtam Defenſionem, ſed Odium, & Exceſſum, & Defenſionem non neceſſariam deteſtantur.*

1 RESPONDEO: Defenſionem, ſeù *inſtantis, vel iam illatæ vis, atquè iniuria propulſationem*(hæc enim videtur Defenſionis Definitio) omni quidem Iure Naturali, & Gentium, Canonico,ac Ciuili,licitam eſſe.

Iure Naturæ licitam eſt Defenſionem.

Prima Pars reſponſionis probatur *Primò* Auctoritate: *Leonum feritas* (inquit Plinius) *inter ſe non dimicat: Serpentum morſus non petunt Serpentes: Sed ſi vis inferatur, nulla eſt, cui non ſit ira: non ſit animus iniuriæ impatiens, & prompta, ſi noceas, ad ſe defendendum alacritas.* Et Cicero: *Hanc non ſcriptam, ſed natam legem eſſe* dicit: *quam non didicimus, accepimus, legimus: Verùm ex Natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis*: vt notat Connan. *lib. 1. Commentar. Iur. Ciuil. cap. 4. num.* 8. Hanc ſententiam confirmare videtur Caius, *in l. 4. in princip. ff. Ad leg. Aquil.* vbi, *Naturalem rationem permittere* dicit, *vt quis aduersùs periculum ſe defendat*. Sic etiam hanc confirmare intelligitur Vulpianus in *l. 1. §. cùm arietes. ff. ſi quadr. paupe. fec. dic. & d. l. 1. §. vim vi. ff. de vi, & vi arm.* quia illìc Defenſionem,etiam brutis Animantibus tribuit: at hìc Ius Defenſionis, Natura comparatum eſſe affirmat, & concordat *Clement. Paſtoralis. §. Cæterùm. de re iudic. & cap. Ius Naturale. 7. diſtinct. 1.* Quibus in locis, Defenſio de Iure Naturali eſſe dicitur.

Plinius. Cicero. Connan. Caius. Vulpian.

2 *Secundò* Probatur ratione; quia vitæ, corporiſque ſimplex *Defenſio* omnibus Animantibus tributa, *Naturalis* eſt; hæc enim ex naturali inclinatione oritur, quæ Homini, cęteris cum Animantibus, eſt communis.

Ratio.

3 Secunda Pars reſponſionis; nempè quòd *Iure Gentium* licita ſit Defenſio: Probatur I. ex Cicerone *pro Milone*, dicente, *Vim vi repellere licere,* ipſius Naturæ vocem, & omnium Gentium legem eſſe. Et ex Liuio:Ità Iure Gentium comparatum eſſe, vt *Arma Armis propulſentur*.

Iure Gẽtium eſſe licitam. Cicero. Liuius.

II. Probatur, quia Defenſio, quæ ratione nititur, & qua Societas humana conſeruatur, *Iuris Gentium* eſt; nihil enim aliud eſt Ius Gentium quàm Naturalis ratio, omnes inter homines diffuſa: Sicut autem homines, qui ad ſocietatem, & communionem nati ſunt, ex Naturali ratione neſas eſſe iudicant, alterum alteri inſidiari: Ità *iuſtum eſſe* ſtatuunt, *vim atque iniuriam propulſare*.

Ratio.

Quòd

Iure etiā Canonico ac Ciuili licere.

4 Quòd deniquè *Iure Canonico*, *ac Ciuili* ſit licita Defenſio, patet, quia hoc vtroque Iure, Ius Naturale, & Gentium eſt confirmatum. Et quidem Ciuilis legis verba habentur *in l. 3. ff. de Iuſt. & Iure* nimirùm: *Vt vim, atquè Iniuriam propulſemus: Nam Iure hoc euenit, vt quod Quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, Iure feciſſe exiſtimetur. Et cùm inter nos cognationem quandam, Natura conſtituerit, conſequens eſt, hominem homini inſidiari, nefas eſſe.*

Idem confirmatur *l. 1. ff. de vi, & vi arm. & l. etſi. ff. ad leg. Aquil. & cap. Significaſti. & cap. Si verò 1. de ſentent. Excomm. & Clement. 1. de homicid.*

Matth. 26.

5 Sed dices *Matth. 26.* Dominus Petro volenti ſe, & ipſum defendere, ait: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*: Et Apoſtolus *ad Romanos 12. Non vos defendentes Chariſſimi.* Ergo licita non eſt Defenſio.

Apoſt. ad Rom. 12.

Chriſtus Petri defenſion ē, quia vindictæ ſpeciem habebat, recuſauit.

Reſpondetur I. Petrum reprehendi: nàm Defenſio illa, *Vindictæ* potiùs, quàm *Defenſionis* ſpeciem præſeferebat; non enim probabile erat, armatam Militum Cohortem, Vnico Petri gladio potuiſſe repelli. II. Quia *contra* Domini *voluntatem* erat, cuius expectandum fuiſſet reſponſum. III. Quia Dominus tali Defenſore *opus nō habebat, nec decebat* eum tali modo defendi. Quapropter, ait Petro: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim Legiones Angelorum?* IV. Quia *contrà Patris mandatum* erat, mortem, pro redimendo humano Genere, ſubeūdam, tali Defenſione effugere: Vndè ad eundem Petrum dictum eſt: *Ioannis 18. Mitte gladium tuum in Vaginam: Calicem, quem dedit mihi Pater non bibam illum? quomodò ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* Vide D. Auguſtinum, *tract. 112. in Ioannem.*

Matth. 26.

Ioan. 18.

Auguſtin.

6 Ad illud Apoſtoli reſpondetur: *Defendere*, ibi accipi, pro *Vlciſci*: vt colligitur ex Græco Textu οὐκ ὑμᾶς ἐκδικοῦντες, & patet, quia infrà ſubdit Apoſtolus, Deo reſeruandam eſſe *vindictam*. *Scriptum eſt enim, Mihi vindictam, Ego retribuam dicit Dominus.* Simili modo *cap. 1. & 2. libri Iudith. Defendere*, prò *Vlciſci* accipitur: Nàm cùm Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorū, omnem Terram ſuo ſubiugaturus Imperio, Nuntios proindè ad diuerſas miſiſſet Regiones, à quibus omnibus vnanimi ſententia reluctantibus, cùm vacui, ac ſine honore remiſſi, & abiecti eſſent, *tunc indignatus Nabuchodonoſor Rex aduersùs omnem Terram illam, iurauit per Thronum, & Regnum ſuum*, quod *defenderet ſe* (hoc eſt) *Vlciſceretur de omnibus Regionibus his.*

Apoſtolus ſolam vltionem reprehendit.

Iudith.

Nomine defenſionis, quandoq; venit vltio.

7 Dices Secundò: Multa obijci poſſent ex Patribus, inſinuantibus huiuſmodi Defenſionem illicitam eſſe.

Sed Reſpondetur: Hi Patres loquuntur, vel de *Vindicta*, vt Cyprianus, *lib. 1. epiſt. 1.* & Cyrillus Alexandrinus, *lib. 11. in Ioan. cap. 35.* vel *de Defenſione non neceſſaria*, vt Ambroſius, *lib. 3. offic. cap. 4.* vel *de Aggreſſione*, vt Auguſtinus, *epiſt. 154. quæ eſt ad Publicol.* vel deniquè loquuntur *de Periculo Exceſſus*, Odij, Iræ, & debitæ Moderationis, vt idem Auguſtinus *lib. 1. de Libero arbitrio. cap. 5.*

Cyprian.

Cyrill. Alexand.

Ambroſ.

Auguſtin.

QVÆ-

QVÆSITVM II.

In quonàm conſiſtat Moderamen Inculpatæ Tutelæ, in licita Defenſione.

SVMMARIVM.

1 *Moderamen, iuxtà primam ſententiam ſeruatur, cùm Aggreſſus videt ſibi imminere mortem, niſi Aggreſſorem interficiat.*

2 *Vel in eo conſiſtere, quòd non vtatur Aggreſſus maiori vi, quàm ſit neceſſe ad Iniuriam propulſandam, docet ſecunda ſententia.*

3 *Arbitrio boni Viri id relinquendum, docent Alij.*

4 *Tantum debere Aggreſſum nocere, quantum neceſſarium iudicat ad vim illatam repellendam, iuxtà Petrum Nauarra.*

5 *Id ſolùm fieri debere, quod neceſſarium videtur ad periculum euitandum, docet De Lugo.*

6 *Quid tandem Auctor cum Diuo Thoma, circà id ſentiat?*

CVM Iura omnia licitam Defenſionem permittētia, de illa intelligātur Defenſione, quæ eſt cum *Moderamine Inculpatæ Tutelæ*; meritò Nos, explicata iàm licita Defenſione, explicandam aggredimur Conditionem illam, ſeù Circumſtantiam *Moderaminis* Inculpatæ Tutelæ.

Prima Reſponſio. Molina.

Diana.

Tunc poſſe interficere, cùm mortem ſibi inferendam timet.

1 Primò reſpondent Molina, *de Iuſt. & Iur. tom. 4. tract. 3. num. 5.* Diana, *par. 5. tract. 4. reſolut. 1.* Defenſionem cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ in eo cōſiſtere, quandò Aggreſſus videt, aut rationabiliter timet ſibi inferri poſſe mortem, niſi Aggreſſorem interficiat, aut niſi id efficiat, vndè mors Aggreſſoris poteſt ſequi, vel re ipſa ſit ſequutura, nihilq; tunc ei occurrit: nequè facilè, ſi voluiſſet, potuit occurrere, attenta perturbatione illius Conflictus, Circumſtantijſque concurrentibus, quod (*ſaluo ſuo honore*, quem decens erat ipſum tunc ſeruare) efficeret, vt ſeipſum tutò à periculo, ſinè Aggreſſoris morte, liberaret, dicendum eſſe cum *Moderamine* Inculpate Tutelæ interfeciſſe. Hęc Molina.

Secunda Reſponſio

Leſſius.

Id fieri poſſe, ſine quo non poteſt depelli Iniuria.

2 Secundò reſpondet Leſſius *de Iuſt. & Iur. lib. 2. cap. 9. dub. 8. nu, 43.* Conſiſtere in ea *Moderatione, ſinè qua Iniuria depelli non poteſt*; quia in Defenſione non potes vti maiori vi, quàm ſit neceſſe ad Iniuriam arcendam: aliòqui non eſt Defenſio, ſed Vltio: vndè teneberis ad reſtitutionem. Itàque eum, qui percuſſit, & iàm fugit, vel certè deſtitit, & ampliùs non metuitur, *non potes occidere, vel repercutere*; (niſi fortè interdùm ad Defenſionem honoris) quia illa *Repercuſſio non eſt neceſſaria* ad vitam tuendam ab Iniuria, vt quæ iàm illata ſit. Si tamen paret ſe Percuſſor ad feriendum ſecundò, vel putetur aliter non deſtiturus, *poteſt ſtatim repercuti*, ſi aliòquin vis eius declinari nequeat. Ità Leſſius.

Tertia Reſponſio

Laymann

Abbas.

3 Tertiò Reſpondet Laymann *in Theol. mor. lib. 3. de Iuſt. & Iur. ſect. 5. tr. 3. p. 3. cap. 3. n. 1. circà medium. §. Porrò.* Quod (vt optimè ait Abbas, *in c. Olim. 1. num. 14. de Reſtit. Spoliatorum*) boni Viri *arbitrio* relinquendum eſſe, ſi videlicèt Aliquis conſideratis Circumſtantijs loci, temporis, perſonarum, &c. contrà Aggreſſorem modo faciliori, benigniori defendere ſe non poſſe, *rationabiliter* exiſtimat, quàm ità ipſi reſiſtendo, præueniendo. Vide etiam Alexandrum de Neuo *ſuper Abb. in cap. Significaſti 2. de homicid. lit. D.* Hucuſquè Laymann.

Alex. de Neuo.

Quarta Reſponſio

Petrus Nauarra.

4 Quartò Reſpondet Petrus Nauarra, *lib. 2. de Reſtit. cap. 3. num. 337.* Vt tantum ſibi aſſumat de nocendo Proximo, *quantum eſt neceſſe* ad repellendam vim ſibi illatam. Aliàs liuore *vindictæ* potiùs, quàm Iure *Defenſionis* factum cenſebitur, &

Reus homicidij dicetur, ſi aliter euadere poteſt. Hactenùs Nauarra.

Quinta reſpōſio. De Lugo. 5 Quintò Reſpondet Cardinalis De Lugo, *tom. 1. de Iuſt. & Iure, diſp. 10. ſect. 6. num. 137. Moderamen* inculpatæ tutelæ conſiſtere, quòd *id ſolùm fiat, quod neceſſarium eſt* ad proprium periculum vitandum: Quarè ſi id aliter vitari poteſt, non poteſt Proximus occidi, vel vulnerari: ſi poſſit item vulnerando, periculum euitari, *non poteſt occidi*. Fundatur autem hæc veritas in Iure ipſo Naturæ, quod quemlibet eo caſu armat *licitè* in ſui Defenſionem. Nihil enim tàm Naturale eſt, quàm vnumquemque *ſe ab iniurijs defendere*; ſicut è contrà, nihil magis quieti, & paci humanæ repugnaret, quàm ſi Scelerati impunè poſſent quoslibet, abſque vlla reſiſtentia lædere. Vndè *in cap. Ius Naturale. diſt. 1.* inter ea, quæ ſunt Iuris Naturalis, hoc numeratur, *violentiæ per vim repulſio*. Sic De Lugo.

Vltima reſponſio. ex Auctore. D. Thom. 6 Vltimò breuiter Ego cum D. Thoma, *de Iuſt. & Iure, quæſt. 64. art. 7. in corpore.* Reſponderem: *Moderamen* inculpatæ tutelæ conſiſtere in quadam *Moderata repulſione violentiæ illatæ, vel inferendæ*, quam ſic explicat D. Thomas: Si Aliquis ad defendendam propriam vitam, vtatur maiori violentia, quàm oporteat, erit illicitum: Si verò *moderatè* violentiam repellat, erit *licita Defenſio*: Nàm ſecundùm Iura, vim vi repellere licet, cum *moderamine* inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, vt homo actum *Moderatæ* tutelæ prætermittat, ad euitandam occiſionem alterius; quia plùs tenetur homo vitæ ſuæ prouidere, quàm vitæ alienæ. Hæc S. Thomas.

Verùm hæc doctrina, ſic generaliter tradita, magis innoteſcet ex ſequentibus Quæſitis, circà Moderamen inculpatæ tutelæ, Specialiter examinandis.

QVÆSITVM III.

Vtrùm ad Moderamen inculpatæ tutelæ requiratur æqualitas; itàvt inermis cum inermi, armatus cum armato; nec diſpari, ſed pari telorum genere congrediatur?

SVMMARIVM.

1 *Quorumdam Sententia affirmatiua proponitur.*

2 *Reſponſio eſt negatiua: Regula ad moderamen inculpatæ tutelæ ſeruandum, non ex æqualitate armorum, ſed ex occurrenti neceſſitate eſt deſumenda.*

3 *Leges, vniuerſaliter defenſionem permittentes, nullum armorum genus præſcribunt.*

4 *Diſcrimen vitæ ſubiret, qui certa ſalutis via abiecta, armorum æqualitatem in defenſione attenderet.*

5 *Opprimenti magis, quàm Oppreſſo faueretur, ſi paria arma Oppreſſus conquirere teneretur.*

6 *Cur Innocentius III. Sacerdotem impari inſtrumento, & ictu nempè ligone in capite repercutientem, à pœna homicidij non excuſauerit?*

1 AFFIRMATIVE' reſpondent nonnulli Iuriſperiti, ac Iuriſprudentiæ Interpretes, in *l. 3. ff. de Iuſt. & Iur. & l. 1. Cod. vnde vi iuncta Gloſſa eiuſdem Textus; in verbo Moderamine;* ac prætereà Nauarrus, Nauarr. *in Manuali cap. 15. num. 3.* & Carrerius, Carrer. *in Practica, §. Homicidium 6. num. 96.* & Alij, quos idem *Auctor loco citato* refert.

2 NEGATIVE' tamen reſpondendum eſſe arbitror, cum Antonio Anton. Gomez, *3. tom. variar. reſolut. cap. 3.* Gomez. *num. 22. & 23.* Molina, *tom. 4. tract. 3.* Molina.

De Lugo.

*diſp.*11. *num.* 5. De Lugo, *de Iuſt. & Iure tom.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 6. *num.*151 qui omnes aſſerunt, ad Defenſiónem cum Moderamine inculpatæ tutelæ, *non requiri*, vt Inuaſus aduerſùs Aggreſſorem inermem, *Armis non vtatur* ad ſe ipſum defendendum, aut potentiora, & nocentiora ad illatam vim repellendam, non adhibeat arma. Idque nedùm *in exteriori Foro* fas eſſe cenſendum eſt, vt cum communi Doctorum ſententia affirmat, ac probat Antonius Gomez *loc. cit.* ac diuerſa Ciuilia Iura conſentiunt, *vt l.*2. *tit.*8. *par.*7. *l.*2. *&* 3. *Cod. ad leg. Corneliam de Sicarijs*. Verùm etiā *in Foro Conſcientiæ*, idem ſentiendum eſſe, putat Molina *loc. cit.*

Anton. Gomez.

Non eſt attendēda armorum æqualitas, ſed neceſſitas occurrens.

Aduertendum tamen eſt, hac in re, ſumendam non eſſe regulam *ex æqualitate*, vel *inæqualitate* armorum, ſed *ex neceſſitate*; in tali enim caſu inuadi poteſt aliquis, vt meritò quibuſuis armis ad propriam Defenſionem vti poſſit; quis enim diceret (vt rectè ſubdit De Lugo *loc. cit.*) non poſſe Puerum, vel Fœminam ferro vti ad defendendum ſe à Viro, qui eos manibus velit ſuffocare?

Leges nō coarctant defenſionem ad æqualitatem armorum.

3 Probatur igitur noſtra Sententia I. ex Legibus, *abſque vllo deſcrimine* propriam Defenſionem generaliter permittentibus, nec eam coarctantibus ad paritatem armorum, vt patet *ex l.* 3. *ff. de Iuſt. & Iur. Quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, Iure feciſſe exiſtimatur. & ex l.* 2. *Cod. ad leg. Cornel. de Sicarijs. Si quis Aggreſſorem ad ſe venientem, gladio repulerit, non tenetur homicidij.* Cùm igitur hæc Iura diſcrimen nullum ponant, nec præſcribant, quo armorum genere ſe quiſque defendere poſſit, ſed *ſimpliciter* loquantur; non erit proindè à Nobis huiuſmodi permiſſio limitanda, nec modus præſcribendus ſe defendere volentibus ab iniquo Aggreſſore.

Ratio.

4 Probatur II. ratione; iniquum eſt enim, ſe deſcrimini objicere, & *certiorem ſalutis viam relinquere*: vel potiùs ſtultum eſt, cùm quis firmioribus armis ſe defendere poſſit, his abiectis, ſuæ ſalutis obliuiſci. Sic etiam iniquum, & abſurdum eſt, *Percuſſoris arbitrio committere*, quomodò alter ſe tueri debeat: At ſi verum eſſet, in licita Defenſione pari armorum genere vtendum eſſe, vel abſque armis, ab Inermi Aggreſſore ſe defendere, *ſequerentur prædicta Abſurda*; in caſu enim, quo quis me pugione inſequeretur, non poſſem illi gladio, *tanquam impari telo* reſiſtere, ſed me quoque pugione defendere, vel ſi nullum haberē, fugere, aut vim pati cogerer, certiori interim meæ ſalutis ſpe abiecta.

Cōfirmatio.

5 Confirmatur prætereà; quia Aggreſſor plerùmque vim infert *ex compoſitò*, & *ex induſtria*, ac in omnem euentum eſt instructus: E contrà Inuaſus, plerùmque eſt imparatus, & ità inopinato terrore concuſſus, vt quid ſibi faciendum ſit, *vix animaduertere queat*: Ac proptereà, ſi telum illud, quod fortè ad propriam Defenſionem arripuit, abigere teneretur, & primùm circumſpicere deberet, quibus armis inuadatur, vt æqualia arma ad illatam vim repellendam conquireret: Quis non videt magnam illi ex hoc *imminere calamitatem*, & ità magìs *Inſidiatori*, atque *Opprimenti*, quàm *Oppreſſo fauere*? Concludendum eſt igitur, *quocumque armorum genere* vim repelli poſſe, nec paria arma ad licitam Defenſionem requiri.

Magna immineret oppreſſo calamitas ſi armorū paritatem cōquirere deberet.

6 Cui tamen Sententiæ obſtare videtur, quod Innocentius III. *in cap. Significaſti* 18. *in fine, extrà de homicidio* affirmat; *Sacerdotem*, qui à Sacrilego priùs percuſſus fuit, *à pœna homicidij non penitùs excuſari*, tùm ratione Inſtrumēti, ſcilicet *Ligonis*, quo percuſſit; tùm quoque ratione membri repercuſſi, nempè *Capitis*; quia cùm Ligo graue Inſtrumentum ſit, non poteſt leuem plagam inferre; & quia modico ex ictu capitis,

Cur Innoc. III. ligone repercutientem, homicidam declarauit?

mor-

mortis diſcrimen oriri poteſt, vt Pontifex Innocentius *in dict. cap.* loquitur : ergo non quouis armorum genere, vis repelli poteſt.

Panormitani reſpõſio.

Ad hoc reſpondet Panormitanus *in dict. cap Significaſti*: Pontificem hic loqui de Sacerdote *vindicante ,animo occidendi*, eò quòd non percuſſus repercuſſit.

Reijcitur.

At hæc reſponſio locum habere nequit; quia *in dict. cap. Significaſti*, *verſic. Si verò*. apparet Sacerdotem illum, à Sacrilego percuſſum, repercuſſiſſe.

Auctoris reſponſio.

Meliùs igitur reſponderi poteſt: Sacerdotem in propulſanda vi, *Moderamen inculpatæ tutelæ exceſſiſſe*; quia manu fortè percuſſus, Ligone repercuſſit, & quia alteram partem corporis, & non caput, cuius vulnera ſolẽt eſſe læthalia, leuiùs repercutiendo, *vim repellere potuiſſet*: Itàque læthali ligonis ictu, non tàm vim propulſare, quàm *vindictam ſumere* voluiſſe intelligitur. Nec verò Pontifex ligonem, *per ſe, quatenùs eſt ligo* in Defenſione improbat: quia Lex permittit, & Natura docet, *vim vi propulſare*, nec certum armorum genus præſcribit, ſed idcircò ligonem deteſtatur, quòd cum illo Defenſor *Modum Defenſionis exceſſit*, vt iàm explicatum eſt. Nullum ergo armorum genus in licita Defenſione excluditur.

Vindictã, & exceſsũ non inpapria inſtrumenta cõdẽnauit.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm ad Moderamen inculpatæ tutelæ requiratur, vt propulſatio in continenti fiat, non autem ex temporis interuallo?

SVMMARIVM.

1 *Prima Sententia diſtinguẽs inter Vim Rebus, & Vim Perſonis illatã, refertur.*
2 *Secunda, & oppoſita Sententia (nempè quamlibet propulſationem eſſe illicò faciendam) adducitur, & probatur.*
3 *Limitatur hæc ſententia. cùm quis è proprio fundo fuerit expulſus, vel quid ſimile paſſus, itàut aliquod temporis interuallum ſit ipſi indulgendum.*
4 *Tempus hoc lege non definitum, prudentis Iudicis arbitrio præſcribendum relinquitur.*

1 PRIMO' reſpondent nonnulli, diſtinguendum eſſe, inter Vim, quæ *Perſonis* infertur, & inter vim, quæ infertur *Rebus*: Et illam quidem in ipſo Pugnæ feruore, *in continenti* repellendam eſſe, non autem poſteà, vt colligitur *ex l. ſi ex plagis 52. §. Tabernarius. ff. ad leg. Aquil. & l. 1. §. cum arietes. ff. Si quadrup. pauper. ſec. dic.* Hanc verò etiam *poſt biduum, & triduum* repelli poſſe affirmant, *iuxtà Gloſſam in l. 3. §. eum igitur. in verbo Continenti*.

Prima ſententia.

2 SECVNDO' communiter reſpondetur, Ad hoc vt Defenſio ſit cũ Moderamine inculpatæ tutelæ, *Propulſationem in continenti faciendam eſſe*, hoc eſt illicò in ipſa Concertatione, & Congreſſu, antequàm ad alios actus perueniatur. Ità ex præcitatis Textibus colligirur, & notant Baldus, & Alexander, *in l. 1. Cod. Vnde vi.* Et ratio eſt, quia aliòquin non eſſet *Defenſio*, ſed potiùs *Vindicta*; nàm Vis, quæ ex interuallo infertur, *cogitatè*, & *ex propoſito* infertur: & ità non ad Defenſionem, ſed ad vltionem Spectat. *L. nullus. 14. Cod. de Iudæ. & Cœlic. l. 3. §. eum 4. ff. de Vi, & vi arm. & cap. Porrò 3. iunct. Gloſſ. 2. Extr. de diuort.*

Secunda & communior ſententia affirmatiua.

Baldus. Alexand.

3 Verùm, quàmuis tàm Perſonarum, qnàm Rerum Defenſio, ſit in continenti facienda, vt diximus, dici tamen poteſt, quòd ſi quis,

E proprio fundo expulſus poteſt ex interuallo illum recuperare.

Vi de Fundo ſuo v.g. expulſus ſit, nec illũ *per ſe* recuperare poſſit, æquum videri, vt illi aliquid *tẽporis indulgeatur*, quò accerſere poſſit Amicos, fundumque ereptum, iterùm conſequi valeat: *Gloſſ.in l. 3. §. Eum igitur. in verb. Ex continenti*. & notant Doctores, *in l.1. Cod. Vnde vi*. Et ratio eſſe poteſt, quia durante iniuſta Fundi occupatione, etiam *iniuſta, & violenta offenſio durare videtur*, vt notat Maſcardus, *de probation. concl.* 1126. *num.* 52.

Quantum temporis ſit indulgendum?

4 Cùm autem tempus hoc, non ſit lege definitum, *arbitrio iudicis* moderatè ſtatui oportet: *Arg. l.1. §. 1. ff. de Iur. deliber.* Vndè Salicetus, *in l.1. num.* 10. *Cod. Vnde vi.* exiſtimat, Spoliato, ad rerum ſuarum recuperationem, non tantùm biduum, vel triduum, ſed pro ratione circumſtantiarum, *latius tempus eſſe indulgendum*; Intrà illud enim tempus, quo nulla Defenſoris negligentia apparet, is ſemper res ſuas *animo retinuiſſe*, ſemperque illas *in continenti defendere* voluiſſe intelligitur. Sic etiam quandò Hoſtes publici aliena Caſtra inuadunt, etiam *ex interuallo expelli poſſunt*; quia quandò violentia eſt *ſucceſſiua*, & ſemper ineſt *in actu* ſecũdo, & ſucceſſiuè, licitum eſt reſiſtere etiam *ex interuallo*, eò quòd reſiſtentia coniuncta eſt cum Vi, vt notat ex Baldo Maſcardus, *concluſione ſuprà citata num.* 53.

QVÆSITVM V.

An Modum licitæ Defenſionis ſeruet, qui non illatam, ſed imminentem vim repellit? ſiuè, An in ſui Defenſionem licitum ſit præuenire eum, qui paratus eſt Te iniquè aggredi?

SVMMARIVM.

1 *Senſus Quæſiti, & ratio dubitandi explicatur. Duo ponuntur Caſus ad vberiorem quæſiti explicationem.*

2 *Prima ſententia negatiua Syluij, Salonij, & aliorum. Quid ſpecialiter doceat Nauarrus de eo, qui propriè dici poſſit Aggreſſor.*

3 *Plures rationes ex varijs Iurium Textibus deſumptæ, pro hac prima ſententia referuntur.*

4 *Qui actu vim non infert, ſed illam eſt illaturus, futurus tantummodò timetur Aggreſſor: quare cum talis non ſit actu, non debet ad necem præueniri.*

5 *Secunda Reſponſio proponitur, nempè licitum non eſſe ſimpliciter Aggreſſorem præuenire &c. niſi actu inſidias parauerit, vel quid ſimile fecerit, quod, niſi illum occidendo, non poſſet effugi.*

6 *Rationes pro vtraque parte huius ſecundæ ſententiæ, adducuntur.*

7 *Tertia Reſponſio aſſerens talem præuentionem eſſe quidem illicitam, cùm res eſt dubia, & ſolùm eſt ſuſpicio mortem iniuſtam parari.*

8 *Poteſt tamen iuxtà hanc ſententiam præueniri, & interfici is, à quo rationabiliter mors timetur, vel mala intentio præſumitur, quique admonitus non deſiſtit, nec rationem reddendo, timentium animos vult quietos reddere; imminente tamen periculo, aliter non euadendi mortem.*

9 *Idem dicendum de eo, qui priùs occidere decreuit, dummodò alia non pateat via euadendi mortem.*

10 *Aggreſſoris occiſio, ob eius nequitiam ſit medium neceſſarium Aggreſſo, ad propriam vitam tuendam.*

11 *Alia refertur ſententia, docens poſſe occidi irruentem Inimicum, arma, vel inſidias parantem, modò aliud non ſuperſit remedium: rationes etiam pro hac ſententia adducuntur.*

12 *Auctoris Reſponſio cum tertia ſententia congruit: nempè, licèt vehementia ſint inditia, non licere tamen interficere,*

quamdiù res eſt dubia, & niſi Aggreſſor monitus non deſiſtat &c.

13 *Milites in Arcibus excubias agentes, non debent bellica Inſtrumenta cum globis explodere, contrà quemcumque ſuſpectum accedentem; idemque de obuijs Triremibus aſſeritur.*

14 *Poteſt tamen irruens Inimicus, ac inſidias parans occidi, iuxtà doctrinam in quarta reſponſione adductam, ſi tamen aliud non ſuppetat euadendi remedium.*

15 *Impetus etiam Offendentis, ac armorum terror, ſufficiens Cauſa eſſe poteſt ad vim imminentem propulſandam.*

16 *An ſolæ minæ ſufficiant, vt quis iniuſtus dicatur Aggreſſor.*

17 *Argumenta primæ, & oppoſitæ ſententiæ ſoluuntur.*

1 DVBIVM eſt, An quandò aliquis iniuſtum homicidiũ *nondùm aggreditur*, illud tamen aggredi, ac exequi decreuerit, *fas ſit illum interficere*, antequàm aggrediatur: Dubitandi enim ratio eſt; quia ſi non interficeretur futurus Aggreſſor, maximum deindè mortis diſcrimen Tibi *imminere*, poſſet; quinimmò abſque dubio, vt ſupponimus, ſupremum vitæ diem, violenta cæde clauderes, Illo, Te cùm effugere nequiueris, Inuadente. Exemplum eſto, v.g. Mulier, quæ conſcia ſit iniqui propoſiti, ac mortis, quam contrà eam Maritus molitur, & ſequenti nocte exequetur; nec aliter valeat ſibi ab illo præcauere, quæritur an Mulieri liceret, potui, aut cibis *miſcere venenum*, illudque in cœna *Marito potandum prabere*? Aut accepto gladio, quem Maritus ſub ceruicali ad eam interficiendam abdidit, illum *præueniendo interficere?*

Exemplũ pro maiori quæſiti intelligẽtia de Muliere cui Maritus mortem intentat.

Aliud exemplum ſit de eo, cui falſum crimen imponendum eſt: v.g. certò ſcit Aliquis ſe *falſo crimine* accuſandum à ſuis Inimicis. Vndè probabiliter veretur, nè tanquàm Reus à tot falſis Teſtibus conuictus, *Capite ſit damnandus*: neque alio medio ſuam teſtari poteſt innocentiã, aut capitalem ſententiam in Iudicio dandam poſt allegata, & probata, aliquo pacto impedire: Quæritur, An liceret ei *falſos Teſtes Neci dare*, antequàm falſum crimen ad Iudices deferatur, an potiùs teneretur *ſe falsò ab illis accuſandum*, & falſi criminis maculam, proprio ſanguine eluendam permittere?

Exemplũ aliud de Imponentibus falsũ crimen.

Adducuntur Aliorum Opiniones.

2 RESPONDENT PRIMO ad Quæſitum Syluius *in 2. 2. S. Thomæ, quæſt. 64, art. 7.* Salonius *ſupra eumdem D. Thomæ articulum, Controuerſ. 1. concl. 3.* & Corduba (vt quibuſdam videtur) *dub. 1. Non licere præuenire eum, qui paratus eſt iniquè aggredi, ac proinde licitæ Defenſionis Modum, Aggreſſorem præueniendo, non ſeruari.*

Prima reſponſio. Syluius. Salonius. Corduba.

Pro hac Sententia citatur etiam Nauarrus, *in Manuali cap. 15. num. 3.* vbi ait: *Non licere occidere alium, antequàm aggrediatur: nè occidatur ab eo, habita opportunitate id faciendi, licèt ſciatur id eum velle facere, quia nulla Iura Naturalia, nec Humana hoc permittunt in Alium, quàm in Aggreſſorem.* Subdit tamen ibidem Nauarrus: *Se credere poſſe, illum dici Aggreſſorem, vt poſſit licitè occidi, qui decreuit interficere aliquem, cui nullum eſt effugium euadendi mortem, niſi eum, qui id decreuit: præueniat, antequàm aggrediatur, eaque de cauſa, Mulierem, quæ nouit ſe interficiendam à Marito pugione: quem ſuppoſuit ceruicali, ad eam dormientem occidendam, & quæ aliter mortem non poteſt euadere, concluſa ianua claue, poſſe præuenire, ſuumque interficere Maritum.* Hæc Ille.

Nauarra.

Quinam propriè dicatur Aggreſſor?

3 Prima pars huius reſponſionis probari poteſt. I. ex Textu *in cap. Si verò. de Sentent. Excommun.* vbi habetur: *Quod Percuſſio Ei non*

Prima ratio pro prima reſpõſione.

impu-

imputatur, ſi in continenti vim repellat: ergo ſupponit Textus, Vim repellendam eſſe *in continenti*, hoc eſt, *dùm actu inuaderis*, non verò antea; aliòquin tibi culpæ imputabitur.

Secunda ratio.
Baldus.

II. Ex Textu, *in l. 1. ff. de extraordinar. criminib.* & ex Baldo, alijſque Doctoribus, *in l. Si quis non dicam. 5. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* vbi dicitur: Tunc cenſeri Aggreſſoris conatum adeſſe, quandò Vis imminet: *Iàm autem in imminente vi, tantùm Aggreſsoris adeſt conatus*: Ergo, ſi Mulieri à Viro, vel Viro à falſis Teſtibus, *non imminet, ſed imminebit Vis*, nequit dici, quòd *adſit* Aggreſſoris conatus, ac proindè nequit *futurus Aggreſsor*, præueniendo, interfici.

Quando cenſeatur adeſſe conatus Aggreſſoris?

Tertia ratio.

III. Probatur *ex l. 1. §. Diuus.* ibi: *Nam ſi gladium ſtrinxerit, & eo percuſſerit. ff. Ad leg. Cornel. de Sicarijs.* vbi ex Iuriſconſulto Marciano innuitur non ſufficere ad declarandum occidete volentis animum, *quòd gladium ſtrinxerit, niſi & eo quoque percuſſerit. dicto §. Diuus.* Ex quo infertut, tantò minùs dici poſſe *Aggreſsorem* Vxotis, Virum, qui non *ſtrinxit, ſed* pugionem *parauit*, nec *Aggreſſorem* Titij, v. g. qui *non* adhùc illum in Iudicio falſo crimine *accuſauit, ſed* falſos Teſtes ad eum accuſandum *parauit*: ergo ſi Iſti non cenſentur Iniqui Aggreſſores, *ſola præparatione* armorum, vel falſorum Teſtium, *fas non eſt*, contrà eos præueniendo, inſurgere, nec ab eis, nondùm offendentibus, ſe defendere.

Quonam ſigno oſtē datur animus occidere volentis?

Quarta ratio a priori pro prima ſententia,

4 Et Ratio horum omnium à priori eſt; quia niſi quis *actu Vim inferat*, ſed tantùm *Vim illaturus* præſumatur, aut Vim inferre minetur, non cenſetur *actualis, ſed futurus* timetur Aggreſſor: ergo non poteſt *licitè præueniri* ad necem, ſed ſolummodò fas eſt, *actu ſe parare* ad futuram Defenſionem, ſicut ille ſe actu parat ad futuram offenſionem.

Secunda Reſpōſio. Bannes.

5 RESPONDET SECVNDO ad Quæſitum Bannes, *de Iuſt. & Iure, quæſt. 64. artic. 7. §. Dubitatur quartò: Licitum non eſſe ſimpliciter præuenire eum, quem timeo futurum eſſe Aggreſſorem: At poſtquàm Aggreſſor fecit iàm aliquam actionem, parando mihi inſidias, quas ego aliter effugere non poſſum, niſi occidendo illum, tunc licitum eſſe mihi, medio tempore, antequàm inſtet meum damnum, occidere Inſidiantem, etiamſi pro tunc quietus ſit.*

6 *Probat Primam Partem* huius reſponſionis; quia illa præuentio, non eſt propriè *Defenſio*, ſed directè eſt *occiſio* hominis, ordinata ad conſeruationem propriæ vitæ; quemadmodùm, ſi Adultera nouit, quòd Maritus eſt conſcius Adulterij, quod illa commiſit; qui tamen nondùm quicquam parauit, nihil dixit, vndè colligatur, quòd eſt *actualis Aggreſſor*: nihilominùs Mulier prudēter timet, quòd eā ſit occiſurus: Dicimus quòd in hoc caſu *nō eſt licitum præuenire Maritum*, & per Inſidias illum occidere.

Ratio pro prima parte. Secundæ reſponſionis ad quæſitum

Præterea, illud vniuerſale Principium, *Vim Vi repellere licet*, nullo modo *verificatur* in illo caſu, quin potiùs verificatur, quandò ſuprà iniuriam factam, altera redditur.

Confirmatio.

Probat ſecundam Partem: quia tunc propriè loquendo, eſt *Defenſio* vitæ meæ: nàm profectò moraliter loquendo, ille eſt *Actualis Aggreſſor*: v. g. in caſu poſito, *poteſt Mulier Adultera occidere Maritum, de quo certa eſt, quod iàm habet, vel venenum paratum, vel gladium*, aut aliquid ſimile; tunc enim *Vim repellit, moraliter* loquendo, quàmuis *phyſicè* pro tunc ipſe Maritus nihil agat. Ità Bannes *loc. cit.*

Ratio pro altera parte eiuſdē ſecundæ reſponſionis.

7 RESPONDET TERTIO ad Quæſitum Molina *de Iuſt. & Iur. tom. 4. tract. 3. diſput. 12. numer. 1.* Quandò ſolùm eſt *ſuſpicio*, mortem Iniuſtam parari, aut decerni, *eſto vehementia ſint inditia*, tem ità ſe habere, interim tamen, dùm res eſt dubia, *nefas eſſe interficere eum, de quo eſt ea ſuſpicio*; quoniam in dubio, an aliquis innocens ſit, propter ſolam

Tertia ſententia Molinæ.

Sola ſuſpicio ſatis non eſt ad iuſte præueniendū futurum Aggreſſorem, ex Molina.

ſuſpi-

ſuſpicionem, quòd non ſit innocens, eſto vehemens illa ſit, nefas eſt eum interficere.

Si admonitus Aggreſſor nõ deſtiterit, poterit iuſta cautione præueniri.

8 Cæterùm hoc non impedit, quòminùs, ſi Quis faceret aliquid, vndè *rationabiliter* mors timeretur, aut eo modo accederet, vt *ſiniſtra* aliqua *intentio* de eo poſſet rationabiliter *præſumi*, poſſet *admoneri*, vt deſiſteret ab ea re facienda, aut nè accederet, ſignificando illi, iuſtè timeri de illo ſiniſtram intentionem: quòd *ſi admonitus, deſiſtere non vellet*, neque ſufficientem redderet rationem, quæ ſatisfaceret, ac pacatos animos timentium redderet, periculumque eſſet, aliter non euadendi mortem, *poſſet tunc interfici tanquàm iniuſtus Aggreſſor*, ſibique imputare deberet culpam, quòd non deſtiterit, nec reddiderit ſufficientem rationem, quæ animos pacaret. *Neque enim eſt expectandum, vt priùs interficiat*, ſed prouidendum eſt *de Iuſta Cautione, ac Defenſione*, nè damnum, quod ex illo timetur, eueniat. Hæc Molina.

Quædam generalis Regula ex Molina pro licita defenſione.

9 Arbitratur tamen *num. 2. fas vniuersìm eſſe interficere eum, qui nos interficere decreuit, quandò aliter non patet via euadendi mortem, vel graue periculum mortis, quod nequitia illius ex eo decreto nobis imminet, ſiuè, qui id ità decreuit, dicendus iam* Aggreſſor ſit, ſiuè non; id enim quæſtio eſt de vocabulo.

Ratio pro tertia ſententia.

10 Probat hanc Concluſionem; quia vnicuique *Iure Naturali* id licet efficere, quod alterius nequitia, *Medium* eſt effectum *neceſſarium ad ſuæ propriæ vitæ conſeruationem*, nihil impediente, quòd id ſit auferre ab illo alio vitam: eò quòd *charitatis ordine* præferre vnuſquiſque poſſit Conſeruationem ſuæ vitæ propriæ, vitæ alterius, præſertim *quando nequitia* illius alterius, factum eſt *Medium neceſſarium* ad propriam vitam conſeruandam; quò fit, vt quandò iniuſto alterius decreto, quo iniuſtè auferre decreuit ab illo vitam,

Vitæ propriæ conſeruatio, alterius vitæ præferri potest, etiam charitatis ordine ſeruato.

factum eſt Huic medium neceſſarium ad ſuam vitam conſeruandam, cãmue à veriſimili mortis periculo eruendam, illum *ante vertere; interficiendo* illum priùs, *licitum* id Huic ſit, ſiuè ille alius, ob id decretum, dicendus ſit Aggreſſor, ſiuè non.

Alia ratio

Neque enim idcircò fas eſt interficere iniuſtum Aggreſſorem, quia aggreditur, ſed quia *aggreſſione conſtituit iniuſtè in diſcrimine vitam Aggreſſi*, itàut nulla alia pateat via, ad eam eruendam ab eo periculo, *niſi illum interficiendo*; quo fit; vt ſi ſolo decreto, aut quacumque alia ratione ſimiliter ponat quis *iniuſtè* vitam alterius in diſcrimine, neque alia pateat huic via ad eam à tali diſcrimine eruendam, quàm illum interficiendo, *poſſit licitè* eum interficere. Ità Molina *loc. cit.* eumque ſequutus eſt Diana; *part. 5. tract. 4. reſol. 5.*

Diana.

Quarta ſententia.

11 RESPONDENT VLTIMO ALII ad Quæſitum: *Poſſe impunè occidi Inimicum irruentem, arma, aut inſidias parantem*, (quamuìs priùs non læſerit) *ſi aliud non ſuperſit euadendi remedium*. Ità Sotus, *lib. 6. de Iuſt. & Iur. quæſt. 1. art. 7.* Gomez, Syluius, & Corduba, quos pro hac ſententia citat, & ſequitur Petrus à Nauarra, *lib. 2. de reſt. cap. 3. num. 349. & ſeqq.*

Sotus. Gomez. Syluius. Corduba. Nauarra.

Ratio pro quarta, & vltima ſententia.

Ratio, quam hi Doctores afferunt, eſt, quia in tali caſu, reuerà Ille, qui arma, aut inſidias parat, cenſetur *Inuaſor*; Si enim inſidias machinetur, & nullum ſit euadendi diffugium, quìs non videat eſſe *veram Defenſionem*, ſe quacumque via liberare à malo, ſibi per Vim impendente? Si ergo eſt *Defenſio*, ergo ab altero eſt *Aggreſſio: Defenſio namque eſt Aggreſſioni correlatiua*. Quare, ſi veneno perimere poſſet, licitè faceret. Vndè etiam Corduba fatetur, *licere conuertere venenum in propinantem*, cùm aliud non eſt remedium. Hinc Cicero in oratione, *pro Milone: Non poteſtis* (ait) *obliuiſci Iudices, Inſidiatorem Iure interfici poſſe.*

Defenſio & Aggreſſio ſunt correlatiua.

Córduba.

Cicero.

Neque

Explicatur Textus.

Petrus Nauarra.

Neque obſtat Textus *in cap. Si verò de ſentent. Excommunicat.* vbi habetur, Vim in continenti repellendam eſſe, quia *in continenti repellitur*, vt explicat Petrus Nauarra *dum alter aggreditur* per inſidias, & armorum apparatum. Maximè,quia,vt idem Doctor exiſtimat, ſenſus illius Capitis eſt, quòd *accepta iniuria*, non licet, Quia non videtur facere *in continenti*: Secùs *antequàm accipiatur*; quia ſemper eſt vera *defenſio*. Et ſentit Couarruuias, in *§. Vnico, nu. 3. Relectio. de Homicid. 3. parte*. Qui benè animaduertit, attendendum eſſe *periculum mortis*, ex inſidijs *imminentis*. Vt enim à culpa,& à tota pœna,tàm Irregularitatis, quàm ab alijs tēporalibus pœnis, liber ſit,*debet eſſe prudens*, & veriſimile periculum mortis. Aliòqui non diceretur omninò *inculpata tutela*, ſicut quicumque alius occidens, omiſſo debito Moderamine: & ità pœna erit ſecundùm quantitatem periculi imponenda.

Couarru.

Auctoris Reſponſio ad Quæſitum.

Vltima reſponſio ad Quæſitū ad mentē Auctoris.

12 RESPONDEO igitur Primò ad Quæſitum: *Non licere* interficere eum, quem times, nè te aggrediatur, quandò ſolùm eſt *ſuſpicio*, & res adhùc dubia eſt, quamuis vehementia ſint inditia. Ità Molina *in tertia Reſponſione* citatus, & De Lugo, *tom. 1 de Iuſt. & Iur. diſp. 10. ſect. 6. nu.* 152. vbi cum Molina docet, Quòd *ſi quis aliquid faceret, vnde rationabiliter mors timeretur, aut eo modo accederet, vt ſiniſtra intentio de eo, poſſet rationabiliter præſumi, admonendus eſſet nè accedat, aut nè id faciat; quia rationabiliter de eo timetur*.

Molina.

De Lugo.

Quomodo procedendum cōtra eū, qui monitus non deſiſtit?

Quod ſi admonitus non deſiſteret, nec ſatisfaceret, ac quietos redderet Animos Timentium, poſſet interfici, vt Iniuſtus Aggreſſor: neque enim expectandum eſt, quòd priùs lædat, ſed cautè præuidendum nè lædat.

13 Ex quo infertur (vt optimè aduertit De Lugo) Milites, qui excubias agunt in Arcibus, *non debere* bellica Inſtrumenta cum globis explodere, ſtatìm ac vident aliquem ad murum accedentem: ſunt enim plerùmque *non Hoſtes, ſed Amici*, Innocentes, & Simplices, qui priùs ſemel, & iterùm *admonendi eſſent*, vt recederent, mortem eis comminando. Idem etiam dicendum eſt de Triremibus, ac Nauibus obuiàm factis, in quas non ſtatìm tanquàm in hoſtiles, Bellica ſunt explodenda tormenta, ſed priùs *admonendi ſunt Nautæ*, vno, aut altero in pacis, & amicitiæ ſignum, Bellico tormento exploſo, & ſi viciſsìm non reſpondeant illi, ac fœderis inditia præbeant, tunc Iure æſtimari *ſolent hoſtiles*, & oppugnari.

Corollariū ex præcedenti doctrina.

Quid ſentiendum de accedētibus ad mænia Vrbis,vel Arcis?

Quid de Nauibus, aut Triremibus obuijs?

14 RESPONDEO Secundò: Si quis videat Inimicum irruentē, arma, atque inſidias parantem, ſi aliud non ſuperſit euadendi remedium, *poteſt eum præueniendo occidere*. Ità Doctores pro quarta Reſponſione citati.

Secunda Auctoris reſponſio.

15 RESPONDEO Tertiò: Ad Vim imminentem legitimè propulſandam, *Impetus Offendentis, & armorum terror ſufficit*. Sequitur hæc Reſponſio ex præcedenti, & inſuper probatur: *Ex l. Idem eſt. 3. §. Qui armati. 5. verſic. Sufficit enim terror armorum. ff. de Vi, & vi arma.* & ex Accurſio, Cyn. Bartholo, & Alijs, *in l. 1. Cod. Vnde Vi*. ſufficiunt, inquam, præparamenta ad nocendum, *l. 2. Cod. ad l. Cornel. de Sicarijs. & l. Sed etſi. 5. in princ. ff. ad l. Aquil.* Nàm ſi quis Percuſſorem ad ſe venientem, vel ſe ferro petentem, gladio repulerit, & occiderit, *non tenetur homicidij*, vt Imperator Gordianus,& Iuriſconſultus Vulpianus teſtantur, *in dict. l. 2. & dict. l. Sed etſi in principio*.

Tertia reſponſio.

Accurſius

Barthol.

Gordian. Imperat.

Vulpian.

Ex quo colligitur, quòd ſi Iure occidi poſſit, qui ad te venerit, &

ferro

Nō eſt ex pectādus primus ictus Percu tieris, ſed ſatis eſt ſi acceſſe rit ad percutiendū.

ferro te petierit, *non ſit expectanda percuſſio, ſed ſatis eſſe ipſum acceſſum*, vt Iure dicaris te defendere, ac Vim propulſare, etiam cum Aggreſſoris nece. Et profectò, ſi primus eſſet ictus expectandus, vt *licitè* tui Defenſionem ſuſcipere dicereris *ſubeſſet periculum*, nè adeò grauem ſuſciperes ictum, vt ex hac vita decederes, vel ſaltem debilitatis viribus, vlla ampliùs, aut exigua defendendi facultas tibi ſupereſſet, & priùs *iniuſtam pœnam luere* cogereris, quàm ab alio *iuſtam exigere* poſſes.

Solę minę ſufficiunt, vt quis habeatur pro Aggreſſore, Ex quibuſdā DD.

Iaſon.

16 Quapropter Accurſius, & Cyn. arbitrati ſunt, *ſolas minas ſufficere*, in eo, qui minas exequi *conſueuit*, ad hoc, vt dicatur Iniuſtus Aggreſſor, & contrà eum licitè armis inuehi queat. *not. d. l. 1. Cod. Vnde vi.* & hoc communiter approbatum dicit Iaſon *in l. 3. num. 14. ff. de Iuſt. & Iur.*

Sed limitatur, & impugnatur hæc ſententia.

Verùm hæc ſententia, *non videtur ſimpliciter admittēda:* nàm minæ quandòque ad terrorem tantummodò incutiendum, non verò ad exequutionem necis fiunt. Vndè Bartholus, *in d. l. 1. num. 9. Cod. Vnde vi.* hanc ſententiam, tùm demùm admittit, *ſi extent actus, & argumenta Animi, reipsà nocere Volentis*. Nàm ſi quis ſimpliciter tibi cædem minatur, æquum non eſt, eum ſtatìm Vi *inuadere*, cum nulla adhùc vera adſit *Offenſio:* minæ enim nihil aliud ſunt, quàm verba, quæ meritò *non verberibus*, ſed iterùm *verbis* ſunt repellenda. At ſi poſt minas, ferrum arriperet, gladium ſtringeret, & in te cum impetu ferretur, *rectè Te opponeres;* tunc enim quodammodò *in vita periculo* verſareris; cùm neſcires *quomodò, & quouſque* Aggreſſor tibi Vim inferre vellet; nec eſſet Tibi vlteriùs cunctandum ad imminentem Vim propulſandam: *Vbicumque enim Cunctatio periculoſa eſt, iuſtum eſt, vt præuenias; quia melius eſt occurrere in tempore, quàm poſt exitum vindicare: meliùs, inquam, eſt occurrere, & mederi, quàm*

Minæ minis, verba verbis repellenda ſunt.

Si cunctatio noceat præuenire licebit.

iniuria accepta, vindictam quærere; vt prudenter loquuntur Imperatores Theodoſius, & Arcadius *in l. 1. Cod. Quandò lic. vnicuique ſinè Iudic.* & Imperator Gallienus. *in l. Si vt allegas. 4. §. 1. Cod. ad leg. Cornel. de Sicarijs.*

Theodoſ. Arcadius. Gallien.

Soluuntur Oppoſita Argumenta, pro Prima Reſponſione Negatiua, adducta.

Primum argumentum euertitur.

17 *Ad Primum* Reſpondetur: Percuſſionem non tantùm accipi pro *illata* iàm Percuſſione, ſed etiam pro *imminenti:* Ex quo ſequitur, quòd Defenſio facta, dùm Percuſſio imminet, cenſeatur etiam facta *in continenti*, ſi non *phyſicè*, ſaltem *moraliter*: ergo rectè Tibi non imputabitur; quia *moraliter* in continenti Vim repellis.

Reſponſio ad Secundum.

Ad Secundum Reſpondetur: Ad excuſationem Defenſionis, parùm referre, an *Aggreſſor* alterum *percuſſerit*, an verò percutere *Voluerit. l. 3. Cod. ad leg. Cornel. de Sicarijs, & l. Sed etſi 5. in princip. ff. ad leg. Aquil.* quia ob Vim imminentem, cenſetur *moraliter conatus Aggreſſoris adeſſe:* & alter ſemper verſatur in periculo, nec ſcire poteſt, *quouſque alter progredi velit*, ac propterea meliùs eſt præuenire, quàm cum vitæ periculo primum ictum excipere. *dict. l. 1. Cod. Quandò liceat vnicuique.*

Reſponſio ad Tertiū.

Ad Tertium Reſpondetur: Ex Lege illa. *§. Diuus.* colligi tantummodò, habuiſſe animum aggrediendi, qui non tantùm gladium *ſtrinxit*, ſed etiam *eo percuſſit:* non verò ſequitur, quòd ſi non percuſſerit, nec ſtrinxerit, non habeat animum aggrediendi, ac proindè, quòd dici nequeat *moraliter* actualis Aggreſſor.

Ad Quartum, ſeù ad Rationem

Reſponſio ad Quartum argumentum.

adductam, Reſpondetur: Eum, qui Vim inferre minatur, cenſeri actualem Aggreſſorem, non *phyſicè*, ſed *moraliter*, eo pacto, quo hactenùs explicatum eſt.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm Moderamen Inculpatæ Tutelæ ſeruaretur, ſi cùm iàm accepta eſſet Iniuria, ac Contumelia, & non vlteriùs impenderet, repercuteretur Aggreſſor?

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio negatiua proponitur, docens repercuſſionem poſt illatam iniuriam, eſſe illicitam.*

2 *Cur bona à Latrone vi eripere liceat, ſecùs autem honorem iniuſtè ablatum repercuſſione recuperare, iuxtà Soti doctrinam?*

3 *Plures Alij Auctores pro eadem ſententia referuntur.*

4 *Nulli pro præterita Iniuria licet, iuxtà hanc ſententiam, aliquem occidere: ſecùs autem eſt de Republica, cui licet, etiam aliorum delicta præterita punire: Sed in quo caſu id liceat?*

5 *Punitio Reorum ad bonum publicum ordinatur, vt terror alijs incutiatur, &c.*

6 *Ponitur ſecunda ſententia affirmatiua, docens, tantum iniuria, ac vulneris inferri poſſe, quantum neceſſarium videtur ad honorem deperditum recuperandum.*

Plures Auctores citantur pro eadem ſententia.

7 *Si repercutere tali pacto non liceret, magna cuique daretur occaſio, Nobiles, ac Illuſtres Homines dehoneſtandi.*

8 *Maior vrget ratio, vt quis iuſtè poſſit repercutere, vt recuperet honorem iam deperditum, quam nè illum amittat à principio.*

9 *Honoris iniuſtus Detentor dicitur, qui iniuria illata, debitam ſatiſfactionem præſtare contemnit.*

Eadem ratio currit, iuxtà hanc ſententiam, de licita recuperatione honoris, ac bonorum.

10 *Etiam cum damno alterius, honor iniuſtè ablatus, recuperari poteſt.*

11 *Eadem doctrina exemplo explicatur, ac firmatur.*

12 *An iniuſtus Aggreſſor teneatur (iuxtà hanc ſententiam) repercuſſionem ſuſtinere, & ſe etiam occidi permittere?*

14 *Auctoris ſententia, pluribus concluſionibus diſtincta ponitur, pro Quæſiti ſolutione.*

Animo vindictæ repercutere nunquàm licet: Quid pro Animo vindictæ intelligatur?

14 *Si Iniuſtum Inuaſorem quis ex odio occideret, contrà charitatem, non contrà Iuſtitiam peccaret.*

15 *In Iuriſprudentia, iuſta qualibet Defenſio cenſetur, etiam vlciſcendi animo facta Si ſola actio externa inſpiciatur.*

16 *Secùs tamen eſſet, ſi licita Defenſionis ratio, non ex ipſo actu propulſandi iniuriam, ſed ex animo eſſet examinanda.*

17 *Vim repellere licitè poteſt Inuaſus, tantùm durante offenſione.*

18 *An Moderamen in Defenſione fuerit ſeruatum, arbitrio Iudicis eſt remittendum?*

19 *Offenſione ceſſante, propulſatio quoque ceſſare debet.*

20 *Aggreſſorem (poſt illatam vim) fugientem Occidens, moderamen excedit.*

21 *Secùs autem eſt ſi Aggreſſor modicùm recedit, vt iterùm aggrediatur.*

22 *In dubio ſemper præſumendum eſſe, Deſiſtentem eſſe iterùm aggreſſurum, docet Bartholus.*

23 *Quomodò ex mente Auctoris conſtare poſſit, eum, qui ſemel deſtitit, eſſe iterùm aggreſſurum.*

24 *Repercuſſio ſemper eſt illicita, ſi Ag-*

greſ-

greſſor ad alia diuerterit negotia, vel domi quietus maneat.

25 *Secùs autem eſt, ſi vel ſatisfacere contemnat, vel de irrogatà iniuria ſe iactet, vel poſt Iniurias illatas fugerit.*

Adducuntur Aliorum Opiniones.

Prima ſententia negatiua Soti.

1 PRIMA OPINIO Negatiuam Partem amplectitur. Ità Sotus *de Iuſt. & Iur. lib. 5. quæſt. 1. art. 8. in fine*, vbi expendens verba illa Apoſtoli: *Non vos defendentes, &c*; quę Græcè idem ſonant, ac *Non vos vindicantes*, vt ſuprà oſtendimus, hæc habet: *Licèt Vim dum infertur repellere; non tamen illàtam iniuriam, niſi per publicam auctoritatem vindicare*.

An ceſſare iam volentem liceat repercutere?

2 Eodemmet articulo, paulò antè, Sibimet obijcit, hoc pacto: Nobili, qui in Conflictu, vulnus accepit, licere videtur, hoſtem ceſſare iàm volentem, *repercutere*; non quidèm *in Defenſionem* Vitæ, ſed *Honoris*, quem ei abſtulit: Nàm ſi licet Expoliato, Bona à fugiente Latrone, vi eripere, cur non & Iſti eripere Honorem?

Quæ ſit diſparitas inter iniuſtū ereptoré bonorum, ac honoris?

Et Ipſemet reſpondet, diſparem eſſe rationem: nàm latro *aſportat tua Bona*, quæ ab illo *eripis*: in Caſu verò præſenti, Ille, qui te dehoneſtauit, non ſecùm *portat tuum honorem*, quarè non potes illum iàm *vindicare* (Soti verba ſunt) niſi per vindictam, quæ *ſoli publicæ Poteſtati* licet.

Gomez.

3 Eiuſdem Sententiæ videtur Gomez apud Petrum Nauarram, *lib. 2. de reſtit. cap. 3.* & argumentum eſt à poſteriori, quòd non liceat *illatam Iniuriam*, Aggreſſorem repercutiendo, *repellere*; quia, qui ſic repellit, licèt in Foro exteriori *mitiùs puniatur*, ratione paſſionis; tamen *reuerà punitur*: ergo ſignum eſt, *talem Repercuſſionem illicitam eſſe*. Idem docuit Ricchardus *in 3. diſtinct. 37.* vt refert Nauarrus *num. 3. cap. 15.* Idem ſenſit Angelus, *verb. Defenſio. in principio. & Summ. Confeſſ. Precept. 5. cap. Quandò liceat hominem occidere*, & apertè Armilla *verb. Moderamen.* ob eandem Soti rationem; & Couarruuias *in Relection. §. vnico, num. 4.* qui alia ratione id probat; quia nimirùm *iniqua eſt commutatio*, ſaltem, inquit, illa *non eſt æqua*, vt pro meo honore ſeruando, maximum vitæ bonum à Proximo auferam.

Riccard.

Angelus.

Armilla.

Couarr.

De Lugo.

Iniuria de præterito an licitè poſſit puniri?

4 Eandem ſententiam tueri videtur Cardinalis De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom. 1. diſp. 10. ſect. 2. num. 78.* aſſerens, Quod ſi offenſa, & Iniuria eſſet de præterito, & pro qua ſatiſfactio non deberetur ex Iuſtitia, nec damnum eſſet imminens in futurum; *non videretur, quòd poſſet* in ea hypoteſi, *vnus homo occidere alium, in meram pœnam delicti* contrà ſe commiſſi, ſicut poteſt nunc de facto vna Reſpublica occidere aliquos ex alia Republica, quandò ipſa non vult punire malefactores ſuos, qui aliquid contrà Innocentem Rempublicam commiſerunt.

5 Et ratio, inquit, eſſe poteſt, quia occidere aliquem in pœnam Delicti, ideò eſt licitum; *quia ordinatur ad bonum publicum*, vt alij terreantur, vel *ad tutelam* eius, qui paſſus eſt Iniuriam, vt nec à Delinquente, nec ab Alijs inpoſterùm, quid ſimile patiatur.

Præter defenſionem nūquam licet occidere.

Idem De Lugo *loco citato num. 181.* concludit, in ordine ad Difficultatem propoſitam, veram eſſe regulam vniuerſalem, quod *citrà Caſum Defenſionis*, nunquàm priuatus homo alium hominem occidere poteſt.

Secunda ſententia affirmat.

Nauarr.

6 SECVNDA OPINIO Affirmantem Partem ſequitur. Ità Nauarrus *cap. 5. num. 3.* Fatetur, licitum eſſe *repercutere*, & læſorem inſequi, & tantum ei vulneris, ac Iniuriæ inferre, quantum neceſſarium ſibi eſſe putabit, vt amiſſum honorem recuperet.

Mercad.

Antonin.

Ratio pro hac ſententia.

Idipſum docuit Mercadus, *tract. 6. cap. 4.* & Victoria *in Relect. de Iure Belli. quaſt. 2. num. 5.* & videntur eiuſdem mentis eſſe Armilla, *verb. Defenſio. §. 3.* Antoninus *3. par. tit. 4. cap. 3. §. 1.* Ratio Nauarri eſt, quoniam *faceret ſui honoris Iacturam*, non perſequendo, & vulnerando. Et addi poteſt, quòd *Latronem* fugientem cum bonis ablatis, *licet* inſequi, & occidere: ergo & honorem *Auferentem, & Fugientem*.

Petrus Nauarr.

Alia ratio pro hac ſententia.

7 Petrus Nauarra *lib. 2. de Reſtitut. cap. 3. num. 383.* cum hac Secunda Sententia conuenit, eamq; probat, quia Prima Sententia, *viam occaſionemque* cuique præberet, Nobiles, atque Illuſtres homines *contumelijs onerandi*, aliiſque *Iniurijs* turpiter *dehoneſtandi*, à quibus certè *abſtinerent Ij*, qui eas inferre impudenter audent, ſi ſentirent cum fortibus, & conſtantibus Viris, ſibi eſſe pugnandum.

Confirmatio eiuſdē ſententiæ.

8 Prætereà, quia *antequàm ſit accepta Iniuria*, poteſt quis ob tutandum honorem, ex Omnium Sententia *percutere*, pulſando, ac præueniendo: Et eadem eſt ratio, *poſtquàm* accepta eſt; Immò maior videtur, *vt recuperet honorem Iniuſtè ablatum*, quàm vt non amittat à principio. Si enim Ille non repercutit (dicti Auctoris verba ſunt) parui habetur à Populo, non minùs, quàm ſi à principio non impediret, & veluti puſillanimis, *& inhabilis iudicatur ad Officia*, aliaque ſimilia. Deindè, quia *Latronem fugientem* licet ſagitta confodere, igitur & *honoris Iniuſtum Ablatorem*.

Nulla eſt diſparitas inter iniuſtum Detentorem honoris, ac bonorum.

9 Contrà diſparitatem illam à Soto adductam de actuali *Inuaſore*, ac de *Latrone*, inſtat Petrus Nauarra *loc. cit. num. 385.* tali pacto: Numquid etiam ille, qui Iniuria illata, relinquit dehoneſtatum offenſum, & ſatisfactionem, quam facere tenetur, præſtare negligit, non ſui Proximi *honoris Iniuſtus Detentor dicetur?* *Honor* enim non eſt corporale aliquid, quod in burſa, vel arca retineri poſſit, vt pecunia, & alia temporalia Bona: ſed eſt *clara cum laude notitia*, quæ de Inſignibus Viris habetur. Ille autem, qui facit Iniuriam, cauſa fuit, vt de me, eam opinionem Alij non habeant; & *tamdiù auferre, & detinere eam, eſt dicendus, quandiù ſatisfactionem facere contemnit*: aliàs diceremus *Detractores* non poſſidere, & Iniuſtè retinere honorem, nec reſtitutionem illius facere debere, cùm non habeant apud ſe, vt Fur habet pecuniam.

Quamdiù ergo non ſatisfacit Iniuriam, *Iniuſtè detinet honorem* Proximi, quem ipſe, eius humiliatione recuperauiſſet: Et ità *Inuaſor* eſt, & damnum ex futuro pendet, ac per conſequens *propria eſt Defenſio*. Sicut ergo genus eſt Defenſionis rerum, eas non ſolùm præſeruare, nè pereant, vel auferantur; ſed etiam *ablatas recuperare*, ſi poſſis; ità *genus eſt honoris defendendi*, non modò curare, *nè recipias Iniuriam*, ſed etiam *cùm percuſſus es, ac laceſſitus, eam à te repellere, honoremque recuperare, etiam percutiendo, ſi poſſis*: cùm aliud non ſupereſt remedium, aut eſt ignominioſè viuendum.

Amiſſa Bona, & Perditum honorem recuperare, æquiparantur, ex Nauarra.

10 Nec mirum, quòd *cum damno Alterius* recuperem, quod ipſe à Me iniuſtè abſtulit. Si enim ego non poſſem *recuperare honorem* perditum, niſi auferendo ab eo pecuniam, proculdubio, *Iure Defenſionis* poſſem accipere, ſicut poſſem accipere eandem pecuniam pro recuperatione rei familiaris. Cur ergo quandò Iniuria æſtimari non poteſt pecunia, non potero alio *medio æquali* honorem, & æſtimationem perditam *recuperare*, etiam cum damno Aggreſſoris, *animo tamen vindictæ ſecluſo?* Ità Nauarra.

Eadem ratio aliter confirmatur.

Explicatio ac confirmatio præcedentis doctrinæ.

11 Hanc Doctrinam latiùs explicat idem Doctor *loc. cit.* tali exēplo. Si Petrus ſuaderet meo Debitori v. g. vt mihi non ſolueret debitum: ſum autem certus, quòd

nulla

nulla alia via recuperare poſſum, *niſi Petrum de medio* auferendo, quo ſublato, ſcio recuperaturum, numquid non liceret Petrum *occidere*, ſi bìs, terque monuiſſem, vt ab ea mente deſiſteret? Sanè *videtur, quòd poſſem, non minùs, quàm Latronem*: Sicut ſi ſuaderet, vt me occideret, & tamen Petrus non aufert rem meam, neque portat.

Obiectiones aliquot cōtra hanc ſententiam ſoluuntur.

Dices: In effectu *deportat*, quoniam *eſt cauſa* Iniuſtæ Detentionis. Sic Alter (Reſpondet Nauarra) licèt honorem ſecùm non aſportet, eſt tamen *cauſa* malæ meæ exiſtimationis, &ità in effectu ſemper manet *Iniuſta* honoris mei *Detentio*. Licebit ergo *occidere*, ſi eo medio, & nullo alio poſſum Iniuriam vitare, ac recuperare honorem.

An debeat iniuſtus Inuaſor ſinere ſe occidi.

12 Sibimet obijcit: Ergo teneretur Aggreſſor Repercuſſionem ſuſtinere patienter, & occidi ſe ſinere; ſi enim iuſtè percutitur, non poteſt reſiſtere, & ſe defendere; aliàs daretur Bellum, vtràque parte Iuſtum, ſecluſa ignorantia: Sed id conceſſu indignum eſt, conſequitur ergo non licere repercutere.

Reſpondet, quòd non tenetur permittere ſe occidi; quia poteſt *veniam petendo*, vel aliter, *ſatisfacere*, & ad *id tenetur*: Quod ſi faciat, iàm *iniuſtè inuaditur*, & ſe defendere etiam offendendo, poteſt: *Si verò nolit*, non mirum, quòd *careat Iure* ſuo ſe defendendi. Ità Petrus Nauarra.

Sententia Auctoris.

13 Noſtram Sententiam nonnullis Reſponſionibus, quò diſtinctiùs, eò clariùs patebit. Sit igitur

Prima Auctoris Reſponſio.

PRIMA RESPONSIO AD QVAESITVM. Non licet *animo vindictæ* repercutere, ſed tantùm *ſe defendendi*. Eſt communis apud Omnes. Tunc autem *animo vindictæ* fit, quandò non *puro animo* proprium ſeruandi honorem, ſed par pari reddendi, ſeù, vt vulgò dicitur (*Per render la pariglia*) & ſic eſt accipiendum *cap. ſignificaſti*. 2. *de Homicid.* vbi Innocentius III. inquit: *Vim vi repellere, omnia Iura, Legesque permittunt, non ad vindictam ſumendam, ſed ad Iniuriam propulſandam*. Et in hoc, dubium non eſt, cùm non ſolùm Chriſtiana Lex, ſed Naturalis id doceat: Deo enim ſoli, & Iudici eius locum tenenti, vindicta relinquenda eſt.

Quando in Defenſione, animus vindictæ interuenit? Innoc. iij.

Quarè ſi quis eo animo vim vi repellit, vt ſe contrà vim illatam *defendat*, *non delinquit*, quia non animum interficiendi, ſed tantùm ſe defendendi habet. At ſi Vim illatam eo animo repellit, vt contrà Aggreſſorem *vlciſcatur*, omninò *peccat*, quia abeſt animus defendendi, & adeſt animus lædendi, qui iuxtà Dei Legem prohibitus eſt.

An peccet contrà Iuſtitiā qui ex Odio Iniuſtum Inuaſorē occidit? Diana. De Lugo.

14 Adde: Quòd licèt Inuaſus occideret Iniuſtum Inuadentem, *ex odio*, vel *affectu vindictæ*, peccaret quidem *contrà Charitatem*, non tamen *contrà Iuſtitiam*, atque adeò non teneretur ad reſtitutionem. Ità Diana, & quàmplures Doctores, quos ipſe affert, *par. 5. tract. 4. reſol. 2.* & De Lugo, *tom. 1. de Iuſt. & Iur. diſp. 10. ſect. 6. num. 138.* ſuperadditque: Quòd licèt aliquis *ex errore* putaret, non licere in Defenſionē propriam, occidere Inuaſorem, & idcircò *peccaret affectiuè* contrà Iuſtitiam; *non tamen teneretur ad reſtitutionem*; quia effectus ipſe non fuit *contrà Iuſtitiam*, licèt ex ignorantia putaretur eſſe contrà Iuſtitiam.

Secunda Auctoris Reſpōſio. Iuris prudentia nō inſpicit animū ſed tantùm actum externum.

15 SECVNDA RESPONSIO. In Iuriſprudentia, difficiliter oſtendi poteſt, non eſſe Iuſtam Defenſionem, Si Defenſor, non defendendi, ſed vlciſcendi animum habeat. *Probatur*. Quia Iuriſprudentia, non tàm *animum*, quàm *actum propulſandi* inſpicit; *Defenſio* enim plùs *in facto*, quàm *in Iure* conſiſtit, & magis *ex*

actu

actu propulſandi, quàm *ex animo* cognoſci poteſt: *inter Arma* enim, teſte Cicerone; *ſilent Leges*. Tùm etiam, quia actus propulſandi, apertè indicat qualis ſit Defenſio. Si enim Defenſor violentam, & Iniurioſam Offenſionem non exceſſit, & *tamdiù* Vim, atque Iniuriam propulſauerit, *quamdiù* Vis, atque Iniuria durarunt, ex eo ſatis innoteſcit, Defenſionem ritè factam, quia apparet in hac Propulſatione, *Moderamen* Inculpatæ Tutelæ *ſeruatum eſſe*.

Cicero.

16 Quòd ſi Iuſtæ, ac licitæ Defenſionis ratio, non *ex actu* Iniuriam propulſandi, ſed *ex Defendentis animo* examinanda eſſet, fieri poſſet vt *Defenſor* pro *Vltore*, & è contrà *Vltor*, pro *Defenſore* haberetur: Enimverò ſi quandò Inuaſorem Vi repelleres, putares te vltionem ſumere ex Inuaſore, iàm *ceſſaret Defenſio*, cùm non adeſſet defendendi animus. & tamen, ſi *actus* propulſandi inſpiceretur, reuerà eſſet *licita Defenſio*; Vim enim Vi repelleres, quod omni Iure conceſſum eſt.

17 TERTIA RESPONSIO. Durante Offenſione, licitè poteſt Inuaſus Vim repellere. Probatur *ex l. 1. §. Vim Vi. ff. de Vi, & Vi armata*. Nàm *quamdiù* inſtat Aggreſſor, *tamdiù* rectè Vis repellitur, & *quamdiù* durat offenſio, *tamdiù* quoque licitè ſuſcipitur Defenſio, *dict. l. 1. §. Vim Vi*. Et ſic durante offenſione, non poteſt Defenſori præſcribi, *quòuſque ſe tueri debeat*; quia ignorare poteſt, quòuſque Offendens progredi velit, vt notat Baldus *in dict. l. 1. num. 10. Cod. Vnde Vi*. Ex quo ſequitur tunc impunè occidi Aggreſſorem, quàmuis leuiori vulnere fortè reprimi potuiſſet; vt pariter notat Baldus, *in d. l. 1. nu. 10. per l. 1. & 2. Cod. Quandò licet vnicuique*: & Hippolytus, *in l. Is qui. 2. num. 16. Cod. Ad l. Cornel. de Sicarijs*.

Tertia Authoris Reſpōſio. Ratio pro tertia concluſ. Baldus. Hippolyt.

18 At verò, quia *Propulſatio*, ac *Defenſio* in facto conſiſtunt, & *vulnera ad menſuram non dantur*, cùm Defenſor, ac Propulſator non habeat in manu ſtateram, vt ad certam menſuram reuerberare, vel ſe ad æquilibrium tueri poſſit, idcircò *Moderatio Inculpatæ Tutelæ, certa, & infallibili regula* comprehendi nequit, ſed in tanta factorum multitudine, *Iudicis arbitrio* relinquendum eſt, vt ipſe perpendat, an meræ Defenſionis Limites, Defenſor exceſſerit necne. Ità Panormitanus, *in cap. Olim. de reſtitut. ſpoliat.* quem refert, & ſequitur Salomonius, *in l. 3. num. 10. §. Inculpata*. Vndè Baldus, *in l. 3. num. 9. ff. de Iuſt. & Iur.* de Moderatione Inculpatæ Tutelæ loquens: Iſtam, ait, Vir bonus ex multis perpendet; nàm de factis hominum *non datur regula*, propter nimiam factorum multiplicitatem, & *regula debet eſſe Iuris, non Facti*, Vndè etiam Panormitanus *in dict. cap. Olim: num. 15.* De hoc, ait, *non poteſt dari certa regula*, ſed oportet conſiderare qualitatem perſonarum, & actuum, & veriſimilem timorem imminentem. Vndè denique Zaſius, *in l. 3. ff. de Iuſt. & Iure, num. 12.* hoc Inculpatæ Tutelæ Moderamen, in æquilibrio Ciuili conſiſtere dicit, vt *non ſit oppugnatio atrocior, quàm inſultus*: De eo tamen non poſſe dari *certam legem*, ideòque totum *arbitrio* boni Viri, hoc eſt, Iuſti Iudicis committendum eſſe. Quadecauſa, etiam Menochius, Moderamen Inculpatæ Tutelæ inter illos Caſus refert, qui *arbitrio* Iudicis committuntur, *lib. 2. de arbitrar. Iudic. Quæſtion. Caſu 277.*

Quinàm debeat Iudicare an Defenſio moderamen exceſſerit? Panormit. Salomonius. Baldus. Panormitanus. Zaſius. Menoch.

19 QVARTA RESPONSIO. Offenſione ceſſante, Inuaſi Propulſatio ceſſare debet. *Et ratio eſt*, quia inter Offenſionem, & Propulſationem eſt *mutuus reſpectus*, & relatio: ſunt enim correlatiua: ergo ceſſante *Vno*, ceſſare debet & *Alterum*. Quamobrem, ſi quis vltrà Offenſionem, adhùc propulſando inſiſteret, is non ampliùs *Defenſor*, ſed *Vltor* eſſet, & magis alterum in vitæ

Quarta Authoris Reſpōſio. Ratio.

diſcri-

diſcrimen conijcere, quàm ſe à Vitæ periculo liberare conaretur.

Aggreſſore fugientem, iniuſtè inſequendo, Moderamen exceditur.

20 Vndè ſi *Aggreſſor* poſt Vim illatam *aufugeret*, & *Alter* eum fugientem ſinè cauſa *inſequeretur*, & occideret, certè Moderationem Inculpatæ Tutelæ *non ſeruaret*; quia iàm ceſſante Vi, ſe non ampliùs *defenderet*, ſed *vlciſceretur*.

Quid dicendum ſi Aggreſſor deſiſtat, vt iterùm aggrediatur?

21 Secùs tamen dicendum, Si Aggreſſor recederet quidèm, ſed *ad tempus*, vt ſcilicet redintegratis viribus, *iterùm aggrederetur*. Et ratio eſt, quia tunc nondùm cenſeretur *ceſſare Offenſio*, ac proindè, nec ceſſare deberet *Defenſio*; quamdiù enim Alter *offendendi* animum retineret, tamdiù quoque *Defenſioni* locus relictus videretur.

22 Sed petes: Quomodò conſtare poteſt, vtrùm *Aggreſſor* recedens, ſit ad Offenſionem *regreſſurus*, an non?

Bartholus

Reſpondet Bartholus: In dubio præſumendum eſſe, Illum receſſiſſe, *vt regrederetur*. Hæc autem reſponſio nimìs dura videtur, & ſæpè daretur errandi locus: eo enim tempore Defenſor, vel Ira, vel mortis metu turbatus, ſemper dubitat, nè Aggreſſor reuertatur, ac proindè ſemper res in dubio eſſet.

Ex quib⁹ circũſtantijs poſſit cognoſci, deſiſtentẽ eſſe iterum aggreſſurũ?

23 Humaniùs igitur, ac benigniùs reſpondetur, id *ex circumſtantijs* exiſtimandum eſſe; quàpropter in Defenſione Vrbis v. g. non ſolùm oppugnantibus reſiſtere, ſed etiam *abeuntes, ac fugientes Hoſtes perſequi licet*; Iuſtus enim tunc metus ſubeſt, nè illi redintegratis viribus, iterùm derelictam Vrbem aggrediantur, vt ſæpiſſimè euenit; immò, vt paſsìm teſtantur Hiſtoriæ, quàmplurimi Exercitus fugam ex induſtria arripuerunt, vt iterùm hoſtilis Exercitus Milites imparatos inuaderent. Sic olim Græci decennali obſidione fatigati, ac fracti Bello, vt inquit Ille, Fatiſque repulſi, inſtructis Nauibus, reditum in Patriam ſimularunt, vt tandèm Troianam Vrbem euerterent, atque Hoſtes inopinato terrore concuſſos, eò faciliùs, quò ſecuriùs aggrederentur. Nec irrita eorum vota ceſſerunt, quandòquidem inclytam Illam, quam

Vigilius Aeneid. lib. 2.

Non anni domuere decem, non mille
Carina,
Inuadunt Vrbem, ſomno, vinoque
ſepultam,
Cæduntur Vigiles, Portiſque patentibus omnes
Accipiunt ſocios, atque agmina conſcia
iungunt.

Quid ſentiendum de Latronibus, & Graſſatoribus &c.?

Pariter præſumi poteſt ex circumſtantijs, *Graſſatores*, *Latrones*, agrorum *Propulſatores*, & ſimiles, etiamſi fugam arripiant, *iterùm reuerſuros eſſe ad aggrediendum*; à tali enim hominum genere ſemper extrema extimeſcimus *l.* 1. *&* 2. *Cod. Quandò licet vnicuique*. Et ratio eſt, quia etiam Recedentes, *offendendi animum, & delinquendi propoſitum* retinere intelliguntur.

Quinta Auctoris Reſpõſio.

24 QVINTA RESPONSIO. Si iàm Aggreſſor ad alia negotia diuertit, aut eſt domi quietus, illum *repercutere non liceret*; aliàs daretur via multis Reipublicæ perturbationibus, ſcandalis, inſidijs, & inimicitijs; paulatìmque libido vindictæ, Chriſtianos animos poſſideret; quòd certè tàm eſt à manſuetudine Chriſtiana, ac Euangelica veritate abhorrens, quàm Gentilium, & Mundanorum Legibus conſonum. *Eſſet enim Chriſti Legibus, & Doctrinæ maximè aduerſum*, locuſque daretur innumerabilibus odijs, & inimicitijs, ſi Inimicum à mala mente deſiſtentem, & percutere, & ei aliud malum inferre licere, doceretur: Maximè, quia in Mundo ſummam nobilitatis gloriam ſibi comparat, qui Iniuria neglecta Inimicum ſatisfacientem recipit in gratiam, & vltione non perſequitur. At *vbi honor non periclitatur*, iuxtà omnium ſententiam.

non

non licet repercutere; Quarè proculdubio, immoderata, libidinoſa, atque inhumana talis Defenſio eſſet, Ethnicis digna magis hominibus, quàm Chriſtiana Religione inſtructis, imò Barbaris certè magis, quàm Fidelibus conſona, ità prorsùs, vt *Aggreſſio* vel *Vindicta* potiùs, quàm *Defenſio*, meritò ſit appellanda.

25 Quòd ſi Inimicus irrogata iniuria, aut ſatisfacere negligat, aut quod peius eſt, & quidem ſępiùs cōtingit, ſuperbè ſe iactet, aut tandem, poſtquàm plures intulerit contumelias, iniuriato relicto, aufugiat; non videtur omninò à ratione alienum, quin in tali caſu iuxtà ſecundam ſententiam, contrà talem Inimicum *licitè* poſſit procedi.

In quibus caſibus ſecunda ſẽtentia admitti poſſit.

Nec dicas id Chriſtianæ manſuetudini, ac ſynceræ charitati Euangelicæ legis aduerſari, quìn & odijs corde retinendis viam aperire: Nàm dictæ ſententiæ Authores Reſpondent, idem quoque, imò *quid peius* ex oppoſita ſententia ſequi, quia patens via, & maxima cuique daretur occaſio, Nobiles atque Illuſtres Homines contumelijs onerandi, alijſquè iniurijs, atque opprobrijs, turpiter dehoneſtandi, quod quidèm magìs à *Chriſti manſuetudine eſt alienum*; à talibus autem iniurijs, haud dubium, quìn abſtinerent ij, qui eas inferre impudenter audent, ſi ſentirent cum fortibus, & conſtantibus Viris, ſibi eſſe pugnandum.

Quæ abſurda ſequantur negata ſecunda ſententia.

Prætereà, vt omnes fatentur, antequàm accipiatur Iniuria, *licitè* poteſt quis, *ob tutandum honorem, præuenire*, ac percutiendo, iniuriam illam *propulſare*; multò magis igitur, idem fieri poterit, inquiunt Illi, poſtquàm iniurijs quis fuerit affectus, cùm *eadem*, imò & *potior* vrgeat *ratio*, nempè *honoris*, iàm iniuſtè ablati *recuperandi*.

Si denique hìc vlteriùs inquiras, quænàm ex adductis primis opinionibus probabilior cenſenda ſit, primane illa Soti, an verò ſecunda Nauarri? *Reſpondebo* & alio ſimili Quæſitò: *Quis Me conſtituit Iudicem* ſuper hoc? ſufficit Mihi, meam appoſuiſſe, ac firmaſſe ſententiam; cœterùm id Peritiorum arbitrio libentiùs relinquo;

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Aliquis in licita Defenſione poſſit per ſe, & principaliter intendere mortem Inuaſoris?

SVMMARIVM.

1 *Poteſt in Iuſta Defenſione, mors Inuaſoris intendi, modò neceſſaria iudicetur ad euitandum violentas illius manus, iuxtà primam ſententiam.*

2 *An ab iniuſto Aggreſſore vitã auferre, conſiderata circumſtantia finis, ſit malum, & contrà quintum Decalogi Præceptum?*

3 *Cur ſola non ſufficiat percuſſio, vt proindè mors Inuaſoris, tamquàm medium neceſſarium ad propriam vitam tuendam, ſit neceſſariò eligenda?*

4 *Impoſſibilis quandòque redderetur ſui Defenſio, ſi mortem Inuaſoris intendere non liceret.*

5 *Quanàm circà id ſit Mens D. Thomæ, iuxtà Leſsij explicationem?*

6 *Aliæ rationes pro eadem ſententia adducuntur.*

7 *Auctores plures pro ſecunda ſententia negatiua referuntur.*

8 *Pro Quæſiti ſolutione ſtatuitur, poſſe Inuaſum intendere propriam defenſionem vt finem: Inuaſoris occiſionem, vt medium & per accidens. Inuaſoris occiſio, eſt effectus præter Defendentis intentionem.*

9 *Pro huius doctrinæ explicatione, exempla aliqua adducuntur.*

Reſer-

10 *Refertur Molinæ Reſponſio ad exempla adducta.*

11 *Dicta Reſponſio refellitur, & ratio primæ Concluſionis, iiſdem exemplis confirmatur.*

12 *Oſtenditur parem eſſe rationem in exemplis adductis, ac in caſu poſito in præſenti Quæſito:*

13 *Sitne Inuaſoris occiſio tantummodò permiſſa, an verò vt medium neceſſarium, per ſe intenta, vt contendit Molina?*

14 *Inuaſus ſe defendens, dicitur nedùm cauſa phyſica, ſed etiam moralis, reſpectu Defenſionis: at reſpectu occiſionis inuaſoris, non item.*

15 *Inuaſoris cædem, per ſe & principaliter intendere ad propriam Defenſionem, nullo pacto licet.*

16 *Hominis occiſio ad publicam auctoritatem ſpectat; nec medium ſimpliciter neceſſarium eſt ad propriam vitam tuendam.*

17 *Licitè quis poteſt perſiſtere in aliqua actione ſecundùm ſe bona, ad conſeruationem eius, ad quod Ius habet ordinata; eſto ex illa aliquis effectus alteri nociuus oriatur.*

18 *Quandonàm teneatur quis ab aliqua actione deſiſtere, licèt actio illa ſit bona, & aliquo modo vtilis?*

19 *Satisfit Argumentis oppoſitæ ſententiæ.*

20 *Aliud Argumentum contrà Vtramque Reſponſionem ad Quæſitum, diluitur.*

QVÆSITVM hoc celebre eſt, eiuſque deciſio ad alia quàmplura Moralia Quæſita explicanda, plurimùm conducit: Idcircò liceat Mihi hìc tantiſper pedem figere, ac cum MOLINA acerrimo oppoſitæ Sententiæ Defenſore præcipuè Scholaſticum DVELLVM committere, pro licita, immò neceſſaria Defenſione Angelici Doctoris, cuius Doctrinam, vel ab incunabulis ſum veneratus, ac tutatus, ſemperque tueri conabor.

Adducuntur Aliorum Opiniones.

1 PRIMA OPINIO EST AFFIRMATIVA. Ità Sotus, *de Iuſt. & Iur. lib. 5. quæſt. 1. art. 8. ante medium §. Dubium namque.* Nauarr. *in Manual. cap. 15. num. 2.* Couarruuias, *in Clement. Si furioſus, par. 3. §. vnicò.* Leſſius, *lib. 2. cap. 9. num. 53.* Molina, *de Iuſt. & Iur. tom. 4. tract. 3. diſp. 11. num. 4.* Diana, *par. 5. tract. 4. reſol. 16.* Quorum omnium apertiſſimè docet *loco citato* Molina, poſſe Aggreſſum *intendere mortem Aggreſſoris, petendo ictu cor, aut iugulum Aggreſſoris, animo eum proſternendi, ac necandi,* quandò videt ità ſibi eſſe neceſſarium ad tutè euadendum manus illius: aitque reijciendam eſſe eam Metaphyſicam; ex qua id non licere arguitur: ratio namque, quam ad hoc noſtrum, & commune omnium Aſſertum probandum, inquit, confecimus, ſanè probat poſſe, *velle, ac intendere etiam mortem illius in ſui Defenſionem,* conſeruationemque ſuæ propriæ vitæ, tanquàm in finem vlteriorem, quandò iudicat *mortem ad eum finem neceſſariam.* Metaphyſica verò, quã impugnamus ad aliud non inſeruit, quàm ad Moralem Doctrinam turbandam, ad erroneas Conſcientias in materia ſatis lubrica gignendas, læthaliſque peccati ſcrupulos, minimè neceſſarios illis inijciendum, qui iuſtè, ac licitè ſe defendunt.

Prima ſententia. Sotus. Nauarr. Couarr. Leſſius. Molina. Diana.

Ratio Molinæ pro prima ſententia.

2 Hanc ſententiam confirmat Molina, his rationibus, tali pacto, I. Quoniam *auferre vitam à noſtro Iniuſto Aggreſſore,* eumue interficere, quandò nequitia illius, eſt id medium Nobis neceſſarium ad noſtram vitam conſeruandam, nè ab illo iniuſtè Nobis eripiatur, *non eſt contrà Quintum Præceptum Decalogi,* neque eſt res mala, ſed bona, *ex circumſtantia optimi illius finis,* & quod Aggreſſor ipſe, ſua nequitia, ac Iniu-

Prima eiuſdem ſententiæ confirmatio.

Occidens tali pacto nõ peccat cõtraquintũ Decalogi Præceptum.

ſtitia id fecerit medium neceſſarium ad eum finem: ergo licitum eſt, *id velle, ac intendere*; neque enim obiectum illud ijs circumſtantijs veſtitum, eſt malum, ſed bonum.

Secunda confirmatio.

3 II. Quandò ſi Aggreſſor viuat (Molinæ verba ſunt) *periculum eſt, nè Nos interficiat*, mors ipſa Aggreſſoris, eſt medium neceſſarium ad tuendam, ac defendendam ab illo noſtram Vitam; Percuſſioque, qua nos defendendo, illum interficimus, non eſſet medium ad id ſufficiens, neque proindè ſufficiens Defenſio, *niſi eſſet Interfectio Aggreſſoris*; quarè in eo euentu, eum ictum eligimus, eumque ictum *neceſſe* eſt nobis eligere ad eum finem, qui *mortem efficiat, & vt illam efficiat*, quia aliter non poſſumus tutò euadere mortem Iniuſtam, quam ex Aggreſſore timemus: ergo licitum nobis tunc eſt, & *mortem illius intendere* ad finem Conſeruationis, at Defenſionis vitæ noſtræ, & *eligere* ad eam efficiendam, medium, ſeù actum, qui illam efficiat, & vt illam efficiat, vt tandem finem præcipuum Conſeruationis Vitæ noſtræ, ea via obtineamus. Sic probat Molina *loc. cit.* in licita Defenſione, poſſe *per ſe, & principaliter* intendi mortem Inuaſoris.

Alia Ratio ex Leſſio pro eadem ſententia.

4 Hoc alio medio vtitur Leſſius, *loco citato*, ad idem probandum, tali pacto. Niſi liceret Inuaſoris mortem intendere, *Defenſio ſui, ſæpè impoſſibilis redderetur*; ſæpè enim fieri nequit, vt te defendas, niſi Inuaſori vulnus læthale infligas, vt ſclopo, vel haſta, &c.

Explicatio doctrinæ D. Thom. ex Leſſio.

5 Sed oppoſitam Doctrinam D. Thomæ, ſic explicat: Quòd autem D. Thomas inſinuat, *priuatæ Perſonæ non licere occidere Inuaſorem, niſi per accidens*; omiſſa Soti ſolutione, ſenſus eſt, Perſonæ priuatæ *non eſſe licitum abſolutè deſiderare*, vt Inuaſor moriatur; hoc enim *non eſt neceſſarium* ad ſui Defenſionem; ſufficit enim, vt concidat viribus deſtitutus, nè ampliùs lædere poſſit. Non tamen vult negare; quin *modis omnibus* poſſit ſe tueri, & intendere quicquid ad hoc prudenter iudicatur neceſſarium; Vnde in periculoſo Conflictu *non debet eſſe ſcrupuloſe anxius*, nè hoſtem læthaliter vulneret, ſed poteſt eum ferire eo modo, quo commodiùs fuerit, vt vim ipſius comprimat; etiamſi caput, vel pectus traijciendum foret; quòd ſi mors ſequatur, id ei diſplicet, non enim id directè, & ſecundùm ſe intendebat; & hoc eſt, quod vult Caietanus, & Alij. Ità Leſſius.

Poſtrema ratio pro prima ſententia.

6 Eandem ſententiam Alij probant hoc pacto: Si enim te latro per vim inuadit, *non peccare videris, ſi in ea parte corporis eum, lædere cupis, qua læſa ſaluus euadere poſſis*; quandò non occurrit melior euadendi modus; quia hoc modo, Natura iubente, te defendis; & ità illud medium eligis, quod ad finem Defenſionis, nempè ad ſalutem tuæ vitæ, pertinet: & quia ſi ità te non defendis, Vitam tuam negligis, qua in re *non leuiter peccas*. Nec ſanè fieri poteſt, vt Defenſor, qui ob metum necis, & Vitæ periculum, eſt alienus à mente, *iuxta Lbac conſultiſſima. 8. in verb. Sed cum humana fragilitas. Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* curiosè, & ſubtiliter perſcrutari poſſit, an ſua *intentio in occiſionem*, vt finem; an verò in propriæ Vitæ *Conſeruationem* dirigatur, ſed ei omninò ſufficit, vt quocumque modo ſe inculpatè defendere poteſt, nō ſe defendere intermittat. Et proptereà, cum hoc *& Ratio Doctis, & Neceſſitas Barbaris, & Mos Gentibus, & Feris Natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacumque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent*, vt Cicero *pro Milone*, ait: Cùm, inquam, omni Iure *Vim Vi*, etiam cum cæde alteriùs *repellere* liceat, certè occiſionem, prohibitum conſeruandæ vitæ medium, nemo vocare debet.

Impoſſibile eſt vt ie actu defendens cogitet, an per ſe mortem Inuaſoris intendat, iuxta aliquorum ſententia.

Cicero.

Secunda ſententia.

7 SECVNDA SENTENTIA EST NEGATIVA. Ità expreſsè

D. Thomas 2. 2. *de Iuſt. & Iure quæſt. 64. art. 7. in corpore*, vbi docet *illicitum eſſe, quòd Homo intendat occidere Hominem, vt ſe ipſum defendat, niſi ei, qui publicam habet auctoritatem*. Caietanus, *in Commentarijs*, eandem Doctrinam amplectitur. *§. Intellige benè*. Sic etiam Bañes, *tom. 5. de Iuſt. & Iur. eadem quæſt. 64. art. 7. §. Dubitatur quintò*.

Auctoris Sententia.

Prima Auctoris Reſponſio ad Quæſitū.

8 RESPONDEO IGITVR PRIMO ad QVÆSITVM, *Poſſe Inuaſum per ſe intendere propriam Conſeruationem*, tanquàm finem, per licitam Defenſionem, tanquàm per Medium, ex quo Inuaſoris occiſio per accidens, & præter Inuaſi intentionem ſequatur.

Ratio.

Probatur tali pacto: Vnicus actus duplicem ſortiri poteſt effectum, quorum alter ſolùm ſit *in Intentione*, alter verò *præter Intentionem*: ergo idem Defenſionis actus duplicem hunc habere poteſt effectū, &c. ergo dicendum eſt, *propriam Conſeruationem* eſſe effectum à Defendente intentum; *Inuaſoris* verò *occiſionem* eſſe effectum, præter Defendentis Intentionem.

Exemplū pro explicatione præcedentis doctrinæ.

9 Antecedens probatur ſimul, & explicatur nonnullis exemplis: Et *Primò* quidem Potationis vini optimi, ac potentis ad ſtomaci debilitatem roborandam, quæ vini Potio *Vnica* cùm ſit, *duplicem effectum* ſortiri poteſt, alterum *in Intentione*, nimirùm debilis ſtomaci roborationem, alterum *præter Intentionem*, ſcilicet ebrietatem: ergo Vnicus actus, duplicem habere poteſt effectum, &c. ergo idem dicendum de licitæ Defenſionis actu.

Aliud exemplum.

Secundò Pariter probatur exemplo Medicinæ, quæ *per ſe* tendit ad Infirmi ſalutem, licèt *per accidens* virium deſtitutio eiuſdem ægroti ſequatur.

Tertium exemplū de concurſu cauſæ primæ cū ſecunda.

Tertiò Probatur exemplo concurſus Cauſæ primæ ad actionem Cauſæ ſecundæ, quæ eſt *à Deo*, quatenùs bona eſt; quatenùs verò eadem actio neceſſariò annexam habet malitiam, ſeù deformitatem, eſt *à libero hominis arbitrio*, contrà Diuinam legem operante; & tamen Deus nullo modo intendit malitiam illam, ſeù deformitatem; neque *directè*, neque *indirectè*: neque Deus dicitur peccati cauſa ſimpliciter, ſed *permittit tantùm, propter aliud maius bonum*. Ità omninò ſe habet Defendens in licita ſui Defenſione, dùm *per ſe propriam Defenſionem intendit; per accidens* verò, & præter intentionem, Inuaſoris occiſionem; Conſequentia non indiget probatione, cùm neceſſariò ex præmiſſis ſequi videatur.

Reſponſio Molinæ ad ſecūdum exemplū adductum.

10 Reſpondet Molina *loco ſuprà citato*: Maximum eſſe diſcrimen inter Rem præſentem, de qua Quæſtio eſt, & adducta exempla, quorum ſecundum à Caietano adducitur: Debilitatio enim ægroti, inquit Molina, non eſt *medium neceſſarium* ad vitam ægroti conſeruandam, ſed euacuatiò humorum vndè illa ſequitur; eſt *medium ad id neceſſarium*; & ideò non eſt ipſa, quæ intenditur, dùm medicamentum applicatur, quo euacuantur humores; aut dùm inedia præcipitur; vt humores à natiuo calore conſumantur, aut ſimul etiam à febri, ſed ſolùm his medijs intenditur imminutio, aut euacuatio humorum, quæ annexam habet ægroti debilitationem, *minimè intentam, ſed permiſſam* ad maius bonum conſequendum.

Medium neceſſariū debet eſſe ſcitum, & per ſe intentum.

Quòd ſi debilitatio ægroti eſſet medium neceſſarium ad vitam ægroti conſeruandam, eſſet *per ſe intenta*, tanquàm minus malum eiuſdem ſuppoſiti, ad maius bonum ſalutis, ac vitæ aſſequendum, & ad euitandum maius mortis malum; quemadmodùm quandò neceſſaria eſt præciſio membri ægroti ad

conſeruandum ſuppoſitum, licitè elicitur, ac intenditur ea præciſio ad eum finem.

Refellitur reſponſio à Molina adducta.

11 Sed contrà, quia exempla adducta de vini Potatione, ac de Medicina, &c. tendunt ad probandum, vnum, eundemque actum duplicem habere poſſe *effectum*, alterum *in Intentione*, alterum *præter Intentionem*, vt explicatum eſt; ex quo noſtra probatur Reſponſio, in qua diximus, eundem Defenſionis actum, in Intentione habere *propriam Defenſionem*; & præter Intentionem, *Inuaſoris necem*. Nunc verò Molina prætermiſſa duplici hac conſideratione eiuſdem Defenſionis, confugit ad probandum, ad ægroti vitam medium neceſſarium non eſſe, virium debilitationem, ſed euacuationem humorum: At de hoc quis ambigit? Peto tamen Ego à Molina: *Finis per ſe intentus* à Medicina, eſtne debilitatio, an verò ægroti ſalus, ad quam eligitur, vt medium neceſſarium, humorum euacuatio?

Paritas de exemplis adductis confirmatur.

13 Vtique reſpondebit, quod ſit ægroti ſalus. Tunc ſic inſurgo: Sicuti ad ægroti ſalutem, vtpotè ad finem per ſe intentum, eligitur humorum euacuatio, tanquàm medium neceſſarium, ad quod deindè conſequitur *per accidens*, & præter Intentionem, ægroti debilitatio: ità à pari, ad propriam Conſeruationem tanquàm ad finem per ſe intentùm, eligitur Defenſio, tanquàm medium neceſſarium, ad quod poſteà *per accidens*, & præter Intentionem ſubſequitur Inuaſoris occiſio, & *in hoc paritas*, quam cum Caietano adduximus, conſiſtit.

Obijcitur à Molina, & aſſignatur diſparitas.

13 Neque Nobis obſtat id, quod pro ſe affert Molina, nimirùm, quod quādò ad ſalutem alicuius eſt neceſſaria Potio, ex qua ſequitur alienatio ad tempus talis ægroti, vel amiſſio vſus rationis, aut alius effectus, quem non liceat per ſe *intendere*, ſed *permittere*, intendendo effectum longè diuerſum; tunc ipſe effectus non intenditur, ſed permittitur: intenditur autem in longè diuerſum finem optimum, id, vndè talis effectus ſequitur, non curando, quòd is effectus ſequatur, quia obligatio non eſt impediendi, ſeù non permittendi, quòd eo modo per accidens ſequatur. In re autem de qua diſputamus, mors ipſa Iniuſti Aggreſſoris eſt *medium neceſſarium* ad conſeruandam, ac defendendam propriam vitam, ex nequitia ipſiuſmet Aggreſſoris, & licitum, vt *intendatur*, & vt media adhibeantur, vndè per ſe ſequatur, atque vt ſequatur ad finem optimum conſeruandi, ac defendendi vitam noſtrã, quo fit, vt licitum ſit tunc *mortem Aggreſſoris*, ad Conſeruationem, ac Defenſionem Vitæ noſtræ *intendere*.

Retorquetur obiectio.

Sed contrà: Sicutì per Te, Alienatio ad tempus talis ægroti, vel amiſſio vſus rationis, aut alius effectus, *non per ſe intenditur* in neceſſaria Potione, ſed ad illam *per accidens* ſequitur, & permittitur. Sic dicam Ego, quòd *ad neceſſariam Defenſionem, quæ per ſe tendit ad propriam Vitam conſeruandam*, per accidens ſequitur, præter Intentionem, & permiſſiuè Inuaſoris occiſio.

Cùm autem dicitur, *mortem* Iniuſti Aggreſſoris, eſſe *medium neceſſarium* ad conſeruandam, ac defendendam propriam Vitam, & idcircò poſſe per ſe intendi: non verò amiſſionem vſus rationis, eſſe medium neceſſarium ad ægroti ſalutem, ideòque non eſſe *per ſe*, ſed *per accidens* tantummodò, & *permiſſiuè* intendendam.

Eiuſdem Auctoris Inſtantia reſoluitur.

Tunc contrà ſic arguo: Videtur hæc eſſe principij petitio; aſſumitur enim id, quod probandum foret. Siquidem in præſenti Quæſito, id quod inquirimus eſt, An mors Iniuſti Inuaſoris ſit *medium per ſe neceſſarium* ad propriam Conſeruationem; de hoc inquam Quæſtio

eſt,

D. Thom. Caiet. Bannes.

eſt, & Nos cum D. Thoma, Caietano, Bañes, & Alijs, *locis ſuprà citatis*, conamur probare, omninò Aggreſſoris necem non eſſe *per ſe* neceſſariam, ſed tantùm ipſius Aggreſſi Defenſionem: enimverò, ſi *Me vitam meam* defendente, *ipſe Aggreſſor ab inceptis deſiſteret*, mors eius non ſequeretur; at verò ſi adhùc perſiſteret, & alia mihi *non ſupereſſet defendendi facultas*, tunc neceſſariò ex ſuppoſitione, Aggreſſoris occiſio ſequeretur, non verò ex ipſa Defenſione; vt eſſet Defendentis operatio volita, & moralis, & propterea proptiè reſpectu illius Defenſionis, dicitur *effectus per accidens permiſſiuè*, & præter Operantis Intentionem.

Concluditur occiſioné Aggreſſoris eſſe effectum per accidens, nó per ſe.

14 Immò Inuaſus, reſpectu Defenſionis *eſt cauſa phyſica, & moralis*: eligit enim ſciens, & prudens talem Defenſionem, tanquàm *medium neceſſarium* ad propriam conſeruationem, *per ſe* intentam, tanquàm finem: reſpectu verò occiſionis ipſius Aggreſſoris, *eſt cauſa tantùm phyſica, non moralis*, cùm illam *per ſe* non intendat, ſed *per accidens* ſequatur, niſi fortè Inuaſus ex vindicta, & odio Inuaſoris, per ſe illam intendat.

Defenſor nó dicitur cauſa moralis reſpectu occiſionis Inuaſoris.

15 RESPONDEO SECVNDO ad Quæſitum: Non licere Inuaſo, *per ſe*, & *principaliter intendere* in licita Defenſione Inuaſoris cædem, ſed propriam Conſeruationē, ad quam per accidens, & præter Intentionem ſequatur Inuaſoris occiſio. Hæc reſponſio eſt ad mentem Angelici Doctoris.

Secunda Auctoris reſponſio.

16 Probatur, quia Hominis occiſio *ſpectat ad publicam auctoritatem* propter commune bonum, vt probat D. Thomas *artic. ſuprà citato*: ergo, &c.

Prima ratio pro ſecunda cóncluſione.

Præterea: Hominis occiſio non eſt *medium neceſſarium* ad Vitam Inuaſi conſeruandam: ergo Inuaſo non licet *per ſe intendere* Inuaſoris necem. Antecedens ex dictis patet; Si enim Inuaſor *ab inuadendo deſiſteret, non occideretur*, & Inuaſi conſeruaretur Vita: ergo Inuaſoris occiſio *per accidens* ſequitur, ex ſuppoſitione nimirùm, quòd *inſiſtat in Inuaſi Aggreſſione*, qui licitè ſe defendendo, Conſeruationem propriam, *per ſe intendit*, ad quam *per accidens* ſequitur, & præter Intentionem, Aggreſſoris occiſio.

Secunda ratio.

Ex dictis Duas Regulas collige, quæ plurimùm deſeruiunt ad ſimilia Quæſita explicanda.

Corollarũ ex præcedenti doctrina.

17 Prima Regula eſt: Quandò actio bona ſecundùm ſe, ex qua ſequitur aliquis effectus, ſecundùm ſe illicitus, vel nociuus reſpectu alterius, eſt Mihi neceſſaria ad conſeruationem eius, ad quod Ius habeo, erit mihi *licitum in bona illa actione perſiſtere*, dummodò effectus, qui per accidens ſequitur, non ſit communibus bonis notabiliter nociuus. Et multò magis *perſiſtere licebit* in illa actione, quandò *communis boni promotiua eſt*. Hæc Doctrina verificatur in actione Defenſionis propriæ Vitæ, ad quam Aggreſſoris occiſio ſequitur: & in ſumptione Medicinæ, ad quã per accidens ebrietas, vel ſeminis emiſſio ſequitur. Verificatur etiam maximè in Bello iuſto, quandò Milites pugnantes contrà Hoſtes, & Ciuitatem, occidunt pariter Innocentes, *per accidens, & præter Intentionem*. Sic enim expedit communi bono, quòd Milites non deſiſtant ab Impugnatione Ciuitatis, etiamſi Innocentes ſint in tali bellico Conflictu interimendi.

Prima regula.

Exempla pro explicatione huius doctrinæ.

18 Secunda Regula eſt: Quandò actio illa, quæ bona eſt, aut certè non eſt mala ſecundùm ſe, *non eſt* mihi *neceſſaria*, ſed potiùs parùm vtilis: & ſi deſiſtam ab illa, parùm, aut nihil nocumenti mihi accidit: & ex alia parte ſequitur aliquod nocumẽtum notabile proximo: *teneor ceſſare ab illa actione*, vel ex Charitate, vel ex Iuſtitia. V.g. ſi quis relaxandi animi gratia, velit iaculari ad ſco-

Secunda regula.

Quandó teneatur quis ab aliqua actione deſiſtere, licèt in ſe non ſit mala?

pum,

Exemplū pro explicatione præcedentis doctrinæ.

pum, ad quam actionem, Ille Ius habet: tamen ſi dùm vult iaculari, videat hominem tranſeuntem, & nihilominùs iaculetur, & occidat Hominem; non poteſt dici illa occiſio effectus *per accidens*, & *præter intentionem* Iaculantis, ſed effectus *per ſe*, licèt *indirectè volitus*. Et ratio eſt, quia Ille *tenebatur ceſſare* ab illa actione, ex qua ceſſatione, parum, aut nihil damni reportaſſet: quàmuis aliàs haberet poteſtatem iaculandi. Et Similiter in alijs caſibus philoſophandum eſt.

Ad Oppoſita Reſpondetur.

Primum argum. diluitur.

19 Ad Primum negatur ſimpliciter Antecedens: Non enim *medium neceſſarium* ad vitam conſeruandam eſt Inuaſoris occiſio; proindè Inuaſo *illicita* erit, vt hactenùs explicatum eſt.

Diluitur ſecundū.

Ad Secundum eodem pacto reſpondetur, vt ſuperiùs diximus, & omninò negandum eſt, doctrinam hanc ſcrupuloſam eſſe, immò plùrimùm neceſſariam ad ſcrupulos vitandos: neque hanc Metaphyſicam improbandam, immò *maximè commendandam* eſſe, vtporè noſtrarum operationum directiuam, nè in illicita Defenſione Inuaſus coràm Deo peccet, cuius oculis omnia nuda ſunt, & aperta; idcircò Nos Chriſtianam hanc Metaphyſicam, & amplecti, & docere debemus.

Petri Nauarri Obiectio cōtrà primā, & ſecundā concluſionem.

20 Sed rursùs contrà traditam diſtinctionem in prima, & ſecunda Reſponſione ad Quæſitum, inſurgit Petrus Nauarra, *lib. 2. de reſtitutione, cap. 3. num. 339.* vbi ait, Eam diſtinctionem *ſubtilem* magis, *quàm veram*, & ad mores accommodatam, præcipuè in illo Conflictu, reijciendam eſſe, quoniam *Inuaſus ſciens, & volens*, non verò *caſu*, & *ignoranter* occidit, vt omnes fatentur; ergo actus eſt humanus, & volitus: ergo *ex Intentione* finis procedit, ſicut omnis electio mediorum oritur ex intentione finis.

Paritas de Iudice directè intēdēte Reū Occidere.

Fateor autem (idem Nauarra inquit) quòd cùm *Intentio ſit de fine*, non poteſt quis proximi mortem *intendere*, ità vt ibi ſicut *in fine* ſiſtat; ſed intendere illam, vt medium electum ad finem propriæ Defenſionis, licitum eſſe debet. Aliàs dicere oporteret, quòd Iudex non poteſt Reum *ex Intentione* occidere; non enim vult illius mortem, ibì ſiſtendo: eſſet enim crudelitatis, & odij, ſed vult mortem ob bonum pacis, & communis vtilitatis Reipublicæ. Quod enim *Priuatus* facit occidendo, vt *ſe defendat*, id facit *Iudex pro bonō Reipublicæ*. Vndè vel *Iudex* non poteſt *directè* mortem intendere, vel ſi poteſt pro bono communi, æquè poterit *Priuatus*, pro bono propriæ Perſonæ, vndè impertinens eſt illa Diſtinctio. Ità argumentatur contrà noſtram Diſtinctionem Petrus Nauarra *loco citato*.

Reſpōſio.

D. Thom. Caiet. Bannes.

Sed miror profectò hunc ſubtilis ingenij Doctorem in Diſtinctionem illam à D. Thoma, Caietano, Bañes, atque Alijs traditam, probatam, & commendatam, tàm acriter inuehi, tanquàm in *ſubtilem* magis, quàm *veram*. Vndè ad eius Argumentū reſpondeo, concedendo quidem Antecedens: Quis enim ambigit, quòd Inuaſus non *ignoranter*, ſed *ſciens*, & *volens* Inuaſorem occidat. Conſequens verò diſtinguendum eſt: Ergo occiſio eſt actus humanus, diſtinguo: Si loquamur *phyſicè*, & materialiter, concedo; *moraliter* autem, nego. vt ex ſupradictis patet.

Occiſio in uaſoris quomodò ſit actus humanus?

QVÆ-

QVÆSITVM VIII.

An ſi Aggreſſor eſſet Ebrius, vel Phreneticus, vel etiam ſi eſſet Sui Compos, ſed aliundè conſtaret, Eum reperiri in ſtatu peccati, licitè ob Defenſionem occidi poſſet ab Eo, qui dum inuaditur, moraliter credit ſe eſſe in ſtatu Gratiæ?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur Auctores pro prima ſententia negatiua.*

2 *Ex Charitate vnuſquiſque tenetur vitam Spiritualem Proximi, vitæ propriæ corporali præferre, ex quibuſdam DD.*

3 *Accurſius, & D. Auguſtinus pro hac prima ſententia referuntur.*

4 *Ciuiles Leges, licèt permittant tales exiſtentes in peccato interfici poſſe; non tamen reddunt Interfectorem à culpa immunem.*

5 *Non poteſt occidi Aggreſſor in caſu tantùm quo compos non eſſet ſui, vt ſi eſſet Ebrius, vel Phreneticus. ex De Lugo.*

6 *Secunda ſententia, oppoſitum docet, nempè omnes tales Aggreſſores licitè interfici.*

7. *Exempla aliqua ex Soto, ad oppoſitam ſententiam improbandam.*

8 *Propria temporalis ſalus, tunc ſolum eſt periculo exponenda, cùm eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad Spiritualem ſalutem Proximi.*

9 *Idque exemplo explicatur:*

10 *At ſecùs eſt, ſi non ſit ſimpliciter neceſſaria.*

11 *Aggreſſoribus exiſtentibus in peccato, occaſio daretur inuadendi Iuſtos, ſi ab illis licitè non poſſent interfici.*

12 *Iuſta, ac defenſiua bella eſſent illicita, ſi Aggreſſorum exiſtentium in peccato, habenda eſſet ratio.*

13 *Rerum Proximi curam habere nemo tenetur, niſi in euentu neceſſitatis.*

14 *Præceptum charitatis, ad procurandam ſalutem æternam Proximi, obligat tantùm in caſu neceſſitatis, iuxtà communem doctrinam.*

15 *Huius Doctrinæ exemplum adducitur.*

Quomodò intelligatur præceptum, Diliges proximum tuum ſicut teipſum?

16 *Ex Auctoris ſententia: Ebrius, vel Phreneticus Aggreſſor exiſtens in peccato, occidi poteſt etiam ab eo, qui credat ſe eſſe in ſtatu gratiæ.*

17 *Eadem eſt ratio de occiſione iniuſti Aggreſſoris, ac de occiſione Ebrij, vel Phrenetici.*

18. 19 *Ebrius vel Phreneticus, licèt in ſtatu peccaminoſo exiſtens, non poſſit ab illo reſurgere; tamen in illo ſciens, & volens ſe liberè conſtituit, & conſequenter etiam pœnæ tali peccato debitæ, ſe liberè ſubiecit.*

20 *Non tenetur Iudex à condemnando Reo deſiſtere, quàmuis præuideat illum impœnitentem ex hac vita deceſſurum.*

21 *Vitam propriam, alienæ: Vitam Innocentis, Noxij vitæ præferre, omni Iure licet; ſeruato tamen inculpatæ tutelæ moderamine. Quid ſi Inuaſor eſſet innocẽs?*

22 *Quomodò intelligendum ſit, ordine charitatis, vitam Proximi Spiritualem, propriæ vitæ corporali eſſe præferendam?*

1 PRIMA SENTENTIA eſt Aſſerentium: Nefas eſſe huiuſmodi Aggreſſorem tunc interficere. Prima ſẽtentia negatiua. Ità Gerſon, *in tract. de Euchar.* Gerſon. Auguſtinus de Ancona *in Opuſ. de Auctor. Eccleſ.* Auguſt. de Ancona. Ricchardus de S. Victore, *in Opuſ. de Charit.* Ricchard. Victorin. & Baſolis ab Abulenſi, *in c. 5. Matth. quæſt. 109.* Baſol. relatus.

2 Nititur hæc Sententia tali fundamento; Fundamẽtũ huius ſententię. quia nimirùm lege, ac ordine Charitatis, *vita Spiritualis Proximi*, præponenda eſt *vitæ propriæ corporali*; ſed ſi Aggreſſor in

ſtatu peccaminoſo exiſtens occideretur, irreparabiliter ſempiternam amitteret fœlicitatem, ac æternum incurreret Interitum: Et ex altero capite, Si Inuaſus in Gratiæ ſtatu exiſtens, permitteret ſe ab Eo interfici, ſolùm temporalem amitteret vitam, cum ingenti ſuo merito: ergo concurrentibus ſimul, hinc morte corporali, illinc verò ſpirituali, teneretur Aggreſſus ſub læthali peccato, pati potiùs ſe morti dari, quàm Aggreſſorem morti tradendo, æternæ Damnationi addicere.

Accurſius

3 Accurſius *in Gloſſa l. vt Vim. ff de Iuſt. & Iur.* vniuersìm affirmare videtur, *Iure Cæli* nefas eſſe interficere Aggreſſorem. Et einſdem ſententiæ videtur fuiſſe Auguſtinus, *lib. 1. de liber. arbitr. à cap. 5. & rurſus à cap. 15. iunctio fine cap. 14: anteced.*

Verba D. Auguſtini pro eadē ſententia.

Nàm dicto Capite quinto, ſic cum Euodio agens, ait Auguſtinus: *Priùs mihi diſcutiendum videtur, vtrùm vel Hoſtis irruens, vel Inſidiator Sicarius, ſiue pro Vita, ſiue pro Libertate, ſiue pro Pudicitia, ſinè vlla interficiatur libidine* (hoc eſt appetitu, qui à recta ratione, ac lege Dei æterna, deordinare faciat, & amittere virtutem, ac peccare, iuxtà intentum Auguſtini in eo libro; vt benè explicat Molina *loco citato.*) Et tunc Euodius: *Quomodò poſſum arbitrari carere Iſtos libidine, qui pro his rebus digladiantur, quas poſſunt amittere inuiti* (in quibus vitam proculdubio comprehendit) *aut ſi non poſſunt, quid opus eſt pro his vſque ad hominis necem progredi? Non ergo Lex iuſta eſt, quæ dat poteſtatem, vel Viatori, vt Latronem, nè ab eo Ipſe occidatur, occidat: vel cuipiam Viro, aut Fœminæ, vt violenter ſibi Stupratorem irruentem, ante illatum Stuprum, ſi poſſit, interimat.* Hæc Auguſtinus.

Lex non poteſt cui quā iuſtè cōcedere, vt exiſtentes in peccato interficiat, ex Auguſtin.

Ciuiles Leges id concedentes, quomodò ſint intelligendæ?

4 Et in progreſſu manifeſtè ſentire videtur, Ciuiles Leges, quæ id concedunt, ſolùm eſſe *Permiſſiuas,* vt impunè id fiat, ad maiora Reipublicæ damna vitanda, non verò reddere eiuſmodi Interfectores *Immunes* à culpa, contrà *Quintum Decalogi Præceptum.* Legemque Dei æternam, quam tranſgrediuntur ob inordinatum appetitum ad vitam, aut nè turpitudinem circà proprium corpus patiantur, quam ſine peccato, amiſſioneque Caſtitatis pati poſſunt, ſi non conſentiant, vt poſſunt; aut ob inordinatum appetitum ad res externas.

5 Hanc Sententiam ſequi videtur Eminentiſſimus Cardinalis De Lugo *de Iuſt. & Iur. tom. 1 diſp. 10. ſect. 4. num. 143.* in eo tantum caſu, quo Aggreſſor eſſet *Ebrius, vel Phreneticus,* non autem, quandò eſſet *Sui Compos:* ait enim *loc. cit.* huiuſmodi *Ebrium, vel Phreneticum,* iniuſtè quidèm materialiter, ſed tamen abſque libertate Inuadentem, dum conſtet Eum in ſtatu peccati reperiri, *non videri poſſe licitè occidi* ab Eo, qui moralem aliquam certitudinem habet, ſe *in ſtatu Gratiæ* exiſtere; & rationem aſſignat, quia tunc verè non poteſt Proximus ſibi conſulere, & ſubuenire in illa extrema neceſſitate, & periculo certo æternæ damnationis, niſi Inuaſus, propriam vitam pro Ebrij, vel Phrenetici Inuaſoris remedio exponat. Hic tamen caſus (ſubdit De Lugo) rariſſimus eſt, quòd conſtet Illum eſſe in ſtatu peccati, ob quod in æternum damnandus ſit.

Sententia De Lugo.

Ratio.

6 SECVNDA SENTENTIA eſt Caietani *in 2. 2. quæſt. 64. art. 7. §. Ad hoc dicitur.* aſſerentis; Quod licèt *magnæ Charitatis* eſſet, vt Is, cuius vita non eſt neceſſaria alienæ ſaluti Spirituali, priuari ſe pateretur vita præſenti, vt Inuaſor haberet ſpatiū Pœnitentiæ, & ſic ſe Deo redderet: ad hoc tamen *non tenetur,* quoniam ponere vitam pro anima proximi, non eſt actus Charitatis, ad quem *de neceſſitate tenemur,* niſi in caſu, quo *tenemur Eius ſaluti prouidere.* Conſtat autem, quòd hic non eſt caſus talis; quoniam iſte in nullo eſt neceſſita-

Secunda ſententia.

Caiet.

Ratio pro hac ſententia.

tis, ſed iniquæ voluntatis articulo conſtitutus.

Quia igitur Defenſori incumbit cura prouidendi ſaluti propriæ vitæ, nec tenetur prouidere vitæ Corporali, aut Spirituali Inuaſoris, conſequens eſt, vt cum ordinata dilectione Charitatis, amet magis Salutē Spiritualem Proximi, quàm vitam propriam, & tamen hunc actum tutelæ nō prætermittat, cum conſequente damno vtriuſque vitæ alterius; quia ad hunc effectum *non tenetur*, quia *non eſt ſibi commiſſa cura de Illo*, ſed de corpore proprio, &c. Hæc Caietanus.

Soti Opinio cum ſecunda ſententia congruit.

7 Sotus, *de Iuſt. & Iur. lib. 5. quæſt. 1. circà medium §. At verò*; Caietani veſtigijs adhæret docens; Quòd Gerſonis Opinio non ſolùm *Naturale Ius peruerteret*, verùm etiam Chriſti Iugum, quod ſuaue eſt, & leue, *acerbum faceret, atque importabile*. Quænàm, inquit, Iuſtitia eſſet in lege, quæ ſubditos cogeret, vt vitam, quam Mortales tanti æſtimant, cuiuſcumque temeritati, & audaciæ dono darent?

Exemplis oſtenditur oppoſitam ſententiā eſſe reijciendam.

Si Me, ſubdit, Tyrannus ad malum vrgeret, vitam pro virtute deberem ponere: ſed tamen, quod cuicunque volenti me iniquiſſimè occidere, id permittere cogar, intollerabilis res eſſet. Immò *non ſolùm Vitam* non cogor Illi dare, verùm neque *Honorem*, neque *Famam*, neque *Bona* mea. Eſt v.g. impurus homo, & peruicax, qui iurat, niſi dedero Ei pondus auri, patraturum ſeſe graue aliquod ſcelus, vtrùm propterea Ego ſtringar petitionem ſuam Illi concedere? Minimè.

Obiectio primæ ſententiæ ſoluitur ex Soto.

8 Ad Argumentum ergo (ipſemet ſubdit) conceditur, *ordine Charitatis*, magis eſſe diligendam Salutem Spirituale Proximi, quàm noſtram temporalem. Hæc autem Charitatis Lex ſolùm obligat, vt quoties ad huiuſmodi Spiritualem Salutem, mea fuerit temporalis *ſimpliciter neceſſaria*, debeam Illam periculo offerre.

Exemplū pro ſuperioris doctrinæ explicatione

9 Exempli gratia. Laborat Ciuitas aliqua, vel Perſona ignorantia invincibili, quam ego ſolus poſſum tollere: deberem certè, *ordine Charitatis*, cum periculo vitæ, veritatem detegere. Item ſi mihi incumbit ex officio; nàm tempore Peſtis tenetur *Prælatus*, & tempore Belli, *Princeps* non deſerere Populum; quia hoc ſecundo Caſu non ſola *Charitas*, verùm & *Iuſtitia* concurrit.

Lex charitatis nō obligat, cū propria vita temporalis non eſt neceſſaria ad vitam ſpiritualē Proximi.

10 Vbi autem vita mea non eſt neceſſaria, ſed Ipſi ſciunt ſe malè agere, & poſſunt ceſſare, & *ſua culpa non ceſſant*, Ego non teneor: ſed ad perfectionem Charitatis quandòque id pertineret. Et hoc expreſsè docet D. Thomas, *in 1. & 2. Concluſione in ſolutione ad 3. & quæſt. 25. eadem 2. 2. art. 8.* ait: Quòd licèt dilectio Inimici *in præparatione* animi ſit neceſſaria, quandò neceſſitas occurrerit: tamen extrà talem neceſſitatem diligere Inimicum, non eſt, niſi de perfectione Charitatis.

Rationes aliæ ex Soto, pro hac ſecunda ſententia.

11 Ad propoſitum ergo vt deſcendamus, Qui me Vi armata priuatìm adoritur, ſua culpa id facit; quarè mea vita non eſt Illi neceſſaria: & ideò *non teneor Illi ſuccurrere*: Aliàs occaſio porrigeretur peruerſis hominibus Iuſtos inuadendi, nempè dùm certi eſſent ab Illis non ſe eſſe occidendos: Simili enim audacia Machabæorum Hoſtes Sabbathis eos adoriebantur, arbitrantes tunc Eos non poſſe pugnare. Quarè, vt legitur *1. Mach. 2. Decreuerunt etiam diebus illis Sanctis, ſeſe Armis defendere*.

Lib. 1. Mach. c. 2.

Haud ergo eſt conſequens: Teneor diligere Salutem Proximi Spiritualem, præ mea Corporali: ergo teneor Illam extrà caſum neceſſitatis plùs ſeruare. Vnicuique nàmque mandata eſt cura ſuæ Vitæ, ſuorumque Bonorum: non autem Alienorum, etiamſi pretioſio-

ra ſint: Sicuti ſeruare Pater tenetur, magis filium ſuum, quàm extraneum longè meliorem. Hæc Sotus.

Alia ratio ex Molina pro hac ſecunda ſententia.

12 Molina hanc eandem Doctrinam tradit *to.4.diſp.*13.*n.*2.quam à Soto hauſerat pro ſolutione propoſitæ Difficultatis, additque pro huius ſententiæ confirmatione optimum quidem argumentum, tali pacto: Data contraria ſententia, quòd ſcilicet lege Charitatis, nè Iniqui Interitum ſua culpa incurrant æternum; teneamur pati ab Eis Iacturam Iniuſtam Vitæ, cæterorumque noſtrorum Bonorum temporalium, *condemnantur Bella Iuſta, etiam Defenſiua*, quibus Aduerſarij contrà Nos cum aperto læthali peccato pugnant; eò magis, quò magis perſpicuum eſt, Illos cum Iniuſtitia pugnate.

Confirmatio.

13 Confirmatur: Quoniam cura rerum ſuarum *ſemper* vnicuique incumbit, Alienarum nonniſi *in euentu neceſſitatis*, quandò ſcilicet indigent opera noſtra; eaque de cauſa quandò Proximus *per ſeipſum* poteſt ſibi ſufficienter prouidere, *non tenemur illi ſubuenire*, ſaltem cum noſtro notabili detrimento, eſto detrimentum illius longè ſit grauius.

De Lugo. Quandò adſit obligatio procurandi ſalutē æternam Proximi?

14 De Lugo *loc. cit. num.* 142. cum Molina conſentit, ac optimè quidem reſpondet: Obligationem Charitatis ad procurandam Salutem æternam Proximi, non eſſe vniuerſalem, niſi in caſu *neceſſitatis extremæ*: ad neceſſitatem autem requiri, quòd Proximus noſtro auxilio indigeat. Cùm ergo Inuaſor Iniuſtus, non indigeat mea ope, Ipſe enim *poteſt facilè ſibi conſulere*, non me inuadendo Iniuſtè, non cenſetur eſſe in neceſſitate graui, nedùm extrema: quarè *ceſſat* omninò *obligatio* ſubueniendi, quia hæc ſolùm eſt reſpectu Indigentiæ. Ille verò, qui poteſt ſe ſaluare, non indiget, vt conſtat.

15 Sic etiam, ſi aliquis habens, quo cibos ſibi comparet, nolit expendere, & fame moriatur, *non obligor ex Charitate* ad dandum Ei ex meis pecunijs, vt emat, quia non indiget; Charitas autem non obligat cum eo rigore ergà omnes Proximos, ſed ergà verè indigentes.

Exemplū proexplicatione præcedentis doctrinæ.

Ratio à priori eſt, quia hæc obligatio fundatur in illo Naturali Præcepto. *Diliges Proximum, ſicut te ipſum*. Seù. *Quod tibi vis fieri, fac Alijs*. Hoc autem intelligitur de ijs, quæ *rationabiliter* volumus, & deſideramus ab alijs; nemo autem rationabiliter vult, vt Ipſe, qui proprijs pecunijs poteſt ſuæ neceſſitati ſubuenire, adiuuetur ab Alijs: Sic etiam nemo *rationabiliter* deſiderat, quòd dùm poteſt facilè ſuæ ſaluti conſulere, Alium non inuadendo Iniuſtè, ſubueniatur ab Alijs, ſinentibus ſe *Iniuſtè* occidi, vt eius ſaluti conſulant. Hactenùs De Lugo; cuius reſponſionem proprijs verbis adduximus, cùm ſatis quidem ad rem ſit, & ſolidam contineat Doctrinam.

Præceptū diligendi proximū obligat ei tum ad ſubueniē. dum illi in ijs, quæ rationabiliter deſiderantur.

Auctoris Sententia.

16 RESPONDEO igitur ad Quæſitum. In caſu, quo *Ebrius*, vel *Phreneticus*, in peccaminoſo ſtatu exiſtens, inuaderet Alium in ſtatu Gratiæ exiſtentem, de quo ſit Moralis aliqua certitudo; in tali inquàm caſu videtur, huiuſmodi Inuaſorem *licitè poſſe à tali Inuaſo occidi*. Hæc Reſponſio eſt directè oppoſita Reſponſioni De Lugo.

Ebrius, vel Phreneticus Aggreſſor, licitè occidi poteſt.

17 Primò probatur ad hominem: Nàm per ipſummet De Lugo, Iniuſtus Inuaſor, ſi ſit in ſtatu peccati, ratione Aggreſſionis actualis Iniuſtæ, poteſt *licitè* occidi ab Inuaſo; etiamſi moraliter credat ſe eſſe in ſtatu Gratiæ: ergo *Ebrius*, vel *Phreneticus*; quem aliundè conſtaret eſſe in ſtatu peccati, à quo poſteà per phreneſim, vel Ebrietatem non

Prima ratio pro Auctoris ſententia.

poſſit reſurgere, *licitè poterit ab Inuaſo occidi*, etiamſi moraliter credat ſe eſſe in ſtatu Gratiæ.

Antecedens etiam vltrò conceditur à Soto, & Molina *locis ſuprà citatis*, & communiter. Conſequentiam autem ſic probo. Ideò *Ebrius*, vel *Phreneticus* non poteſt occidi in ſtatu peccati ab Inuaſo, qui moraliter ſit in ſtatu Gratiæ &c. ; quia Salus æterna Proximi, præferenda eſt Vitæ temporali, propriæ ; ſed in vtroque Caſu *eadem ratio viget*: ergo de vtroque Caſu, idem eſt ſentiendum.

Reſponſio De Lugo ad argumentũ ſuprà allatũ.

18 Sed reſpondebit De Lugo: Diſparem eſſe rationem ; Nàm in Primo Caſu, Iniuſtus Aggreſſor,ità eſt in læthali peccato, vt ſit in ſtatu, à quo *reſurgere poteſt*, ſi velit, & eius nequitiæ adſcribendum eſt, quòd non reſurgat: at verò *Ebrius*, vel *Phreneticus* in tali ſtatu, *hic*, *& nunc* exiſtit, ratione Ebrietatis, vel Phreneſis ; vt *ab eo ſtatu moraliter*, *& phyſicè*, *hic*, *& nunc reſurgere nequeat*: proindè eius æterna mors, quæ ex occiſione ſequeretur, non eſt adſcribenda nequitiæ Ebrij, vel Phrenetici, ſed nequitiæ Inuaſi, à quo temporalis mors Illi infertur.

Impugnatur hæc Reſpõſio.

19 Sed contrà. Ebrius, vel Phreneticus, ante Ebrietatem, vel Phreneſim, *ſciens*, *& volens liberè ſe conſtituit in tali ſtatu peccati*; cui (circà hoc enim totius huius Difficultatis cardo vertitur) æterna mors debetur; ergo *eius nequitiæ liberè ab Ipſo volitæ* adſcribendum eſt, quòd poſteà in ſtatu Ebrietatis, vel Phreneſis, æternæ morti deſtinetur.

Liberè peccans, liberè ſe ſubijcit Pœnæ peccati.

Probatur Conſequentia; Quia, qui liberè peccat, liberè conſequenter ſe ſubijcit pœnæ peccati, quæ eſt æterna mors: Quòd autem talis pœna Illi infligatur, vel *immediatè* poſt peccatum, vel *mediatè* poſt Phreneſim, aut Ebrietatem, hoc ad Diuinum Conſilium, & ad Theſaurum Diuinæ Sapientiæ ſpectat, nec eſt in manu peccatoris, Deo dicere: Cur ità facis? Semper tamen Peccatoris nequitiæ eſt adſcribendum: ergo par ratio omninò in vtroque illo Caſu: Nàm *liberè peccator ſe conſtituit in tali ſtatu*, cui mors æterna debetur, quàmuis poſteà ſua antecedenti culpa, à tali ſtatu phyſicè reſurgere nequeat.

Secunda ratio pro Auctoris ſententia.

20 Secundò Probatur noſtra Reſponſio; Nàm *Iudex*, qui ſciret Reum Capite Damnatũ nolle Contritionis actum elicere, nec Confiteri, & Pœnitentiam agere, non tenetur *à Condemnatione deſiſtere*, quàmuis ſciret Reum, ratione talis ſtatus in æternùm fore damnandum, alioquin facilè quiſquam fingeret, ac conuerti nollet, vt Capitis Damnationem euitaret: ergo neque Inuaſus *ceſſare debet* à ſui Defenſione contrà *Inuaſorem Ebrium*, vel *Phreneticum*, quàmuis ſciret exiſtere Illum in miſerrimo peccati ſtatu. Antecedens ab omnibus admittitur, Conſequentia ex paritatis ratione ſequitur.

Tertia ratio.

21 Potiſſima tandem ratio ad noſtram Sententiam comprobandam, illa eſt; quod Naturale Ius dictat, vitam propriam, alienæ; & Innocentis Vitam Noxij Vitę præferendam eſſe. Quarè non ſolùm in Ciuili Iure, ſed etiam in Canonico, quod pietati magis accedere ſolet, id licitum eſſe ſæpiſſimè decernitur: immò eſſe de Iure Naturali declaratur. Vndè *Exodi* 22. dicitur. *Si effringens Vir domum*, *vel ſuffodiens fuerit inuentus*, *& accepto vulnere mortuus fuerit*, *Percuſſor non erit Reus Sanguinis*. Et idem habetur in *cap. Ius Naturale*. *Prima diſtinctione in Textu*, *& in Gloſſa Satis apertè*, *& in Clement*. 1. *de Homicid*. *& in cap*. 3. *§. ſi verò*. *de ſentent*. *Excomm*. ſic dicitur. Si verò *Clericus ſibi Vi irruentem*, *Vi repellat quis*, *non debet propter hoc ad Sedem Apoſtolicam tranſmitti*, *ſi incontinenti Vim Vi repellat*; *cùm Vim repellere omnes leges*, *omniaque Iura permittant*. Et in *cap*. *Interfeciſti*. *de Ho-*

Ex varijs Iuriũ textibus oſtẽditur, vitã propriam, alienæ ſemper eſſe præferendam.

Exod. 22.

micid. idem habetur, & *in l. 2. tit. 8. partit. 7. & in l. 3. & 4. tit. 13. lib. 8. ordina. & in cap. ſignificaſti. 3. de Homicid,*

Inculpatę tutelæ moderamen ſeruari debet.

Id tamen fieri debet cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ, *non* ad ſumendam *vindictam*, ſed ad Iniuriam propulſandam; vt prædicta Iura docent. *& cap. Olim. ibidem, 1. de reſtitut. ſpol. & in cap. Dilectum. de ſentent. Excomm. in 6.* vt in ſuperioribus Quæſitis oſtendimus,

Vide Doctrinã ſuperiùs allatam nu. 6. & 7.

Caietan.

Sotus,

Ad Rõ. 12

22 Quomodò autem ſit intelligendum, quòd ordine Charitatis magis ſit diligenda Salus Proximi Spiritualis, quàm noſtra temporalis, optimè docent Caietanus, & Sotus *locis ſuprà relatis,* quorum Doctrinam amplectimur, ac nihil ſuperaddendum videtur; nolo enim, vt cum Apoſtolo loquar, *plùs ſapere, quàm oportet ſapere.*

QVÆSITVM IX.

Vtrùm licita ſit Defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ reſpectu cuiuſcumque Perſonæ, ſiue Aggreſſor ſit Rex, ſiue Dux, ſiue alia Perſona Reipublicæ valdè neceſſaria.

SVMMARIVM.

1 *Regem, aut Perſonam Reipublicæ neceſſariam in defenſione interficiens, moderamen non ſeruat, iuxtà primam ſententiam.*

2 *Doctrina Bañes, ad eandem ſententiam confirmandam, adducitur.*

3 *Molina opinio cum eadem ſententia congruens, affertur.*
Perſona Reipublicæ neceſſaria mortaliter peccat, niſi Inuaſorem occidendo, ſuam tueatur Vitam.
Idemque dicendum, ſi eius Inuaſio, aut Occiſio, in Vxoris, & Filiorum detrimentum cederet.

4 *Quid ſi aggrediens ſit Rex, aut talis, ex cuius interitu, bella, & turbationes in Republica naſcerentur; quidue, ſi nulla timeatur futura perturbatio?*

5 *Quid tandem; ſi vel congredientes pares ſint, vel ex Aggreſſoris interitu, nullum timeatur detrimentum, iuxtà mentem eiuſdem Doctoris?*
Alij citantur Auctores pro eadem ſententia.

6 *Secunda ſententia proponitur, docens Defenſionem, etiam contrà Superiores ſumptam, eſſe licitam.*

7 *Ad mortem iniuſtè Damnatis, etiam licitum eſt ſe contrà Principes defendere, iuxtà hanc ſecundam ſententiam.*
Rationes, ad eandem ſententiam firmandam, adducuntur.

8 *Quæſitum reſoluitur, & cum prima ſententia ſtatuitur, Defenſionem contrà Perſonas Reipublicæ neceſſarias, eſſe illicitam.*

9 *Diui Thomæ, & Gloſſæ auctoritates pro hac ſententia.*

10 *Lex Naturalis præferendi commune bonum particulari, eſt lex potior, ac fortior, quàm ſit lex, Vim Vi repellendi, ob ſui Defenſionem.*

Adducuntur aliorum Opiniones.

Prima ſẽtentia. Sotus.

1 PRIMA OPINIO eſt, Soti *de Iuſt. & Iur. q. 1. art. 8. §. quin verò;* aſſerentis, quòd ſi Aggreſſor eſſet Rex, vel Dux, vel alia Perſona, quæ valdè eſſet Reipublicæ neceſſaria; Inuaſus autem eſſet Perſona vilis, cuius vita ad bonum commune nihil referret, tunc Inuaſum ex Charitate *teneri lethum potiùs ſubire*, quàm alteri inferre.

Et è contrà contingere poteſt caſus, quo teneatur Inuaſus ſub pœna peccati mortalis, vllo pacto ſinere ſe occidi pro Inuaſoris ſalu-

te, vt ſi vice verſa, Princeps, aut quævis alia Perſona Reipublicæ perquàm commoda ab impuro aliquo, & nefario impeteretur; In tali inquam caſu, *teneri Inuaſum potiùs laceſſentem occidere*, ſi ad ſui Defenſionem opus eſſet, quàm ſe ab Inuaſore occidi permittere. In reliquis verò medijs caſibus, quàmuis quilibet Inuaſus Ius habeat ſe defendendi, nihilominùs, inquit Sotus, *liberum ei eſſe* propter Charitatem, Iuri eiuſmodi renunciare, ac proindè Aggreſſoris vitam, ſuæ vitę anteferre.

Bañes. 2 Haud aliter ſentit Bañes *de Iuſt. & Iur. q. 64. art. 7. antè medium concl. 2. §. hęc concluſio*, vbi ait, licitum quidem eſſe homini ſe defendere cum Moderamine inculpatæ tutelæ, occidendo Inuaſorem, cum quadam tamen exceptione, quandò ſcilicet *ex morte Aggreſſoris ſequitur notabile damnum Reipublicæ*; tunc enim tenetur homo, potiùs pati mortem, quàm occidere Inuaſorem cum tãto damno boni communis, & hoc ipſa Natura nos docet, experimur enim, quòd grauia elementa proprios motus deorsùm obliuiſcũtur, & aſcendunt ſursùm, nè detur vacuum, quod eſſet maximum damnum vniuerſi.

Occidens Inuaſorem qui ſit vtilis Reipublicæ, an peccet cõtrà charitatem, & contrà Iuſtitiam?

Sed nihilominùs, inquit, dicimus, quod ſi occiderit Inuaſorem defendendo propriam vitam cum Moderamine, *non peccat contrà Iuſtitiam commutatiuam* per comparationem ad Inimicum occiſum, ſed *peccat mortaliter, & contrà charitatem*, & pietatem contrà Patriam, & inſuper *contrà Iuſtitiam commutatiuam* per comparationem ad Rempublicam, cui maximum detrimentum infert; aliud enim eſſet non defendere Regem, cum poſſis, & aliud occidere; etenim in priori caſu peccas tantùm *contrà charitatem*, in ſecundo verò peccas *contrà Iuſtitiam* cõmutatiuam, damnificando Rempublicam. Ità Bañes.

Molina. 3 In idem ferè incidere videtur id, quod docet Molina *de Iuſt. & Iur. tomo. 4. tract. 3. diſp. 14. num. 1.* vbi tribus aſſertionibus ſuum ſenſum aperit circà præſentis dubij ſolutionem.

Quid ſentiendum ſi vita Inuaſi eſſet neceſſaria Reipublicæ?

Aſſerit primò: Aggreſſum teneri ſub reatu læthalis culpæ Aggreſſorem interficere, *ſi poſſet, ac neceſſe eſſet* ad ſuæ vitæ tutelam, ſi tamen ipſius vita multùm Reipublicæ, vel in ſpiritualibus, vel in temporalibus neceſſaria eſſet.

Aſſertionem hanc probat, quoniam in caſu poſito, agitur *de communi maximo bono*, in cuius præiudicium non poteſt Aggreſſus abſque læthali culpa, vitam ſuam medio illo licito non conſeruare, neque ad id cenſenda eſt facta ei facultas à Deo, cuius quòad dominium eſt vita ipſius, nihil impediente damno Inuaſoris, in quod ſua culpa incidit.

Quid ſi ex Inuaſi morte Vxor, Liberi, tota que familia ſit damnum ſubitura?

Pariter ſentiendum eſſe, quandò ex Inuaſi morte, maximum *in Familiã, Vxorem, ac Liberos*, quos alere Inuaſus tenetur, detrimentum redundaret; & ratio eſt, quia licet Iuri ſuo cedere poſſet, ac propriam vitam temporalem, temporali ſimul, & æternæ Aggreſſoris vitæ poſtponere; non tamen *Iuri ſuorum* cedere poſſet, illis enim ipſius vita eſt neceſſaria ad alimenta, educationem, ac protectionem, quæ à vita ipſius dependent, habendam.

Specialis aſſertio de Rege inuaſo ſe inuadente.

4 Aſſerit ſecundò: Quandò Aggreſſor eſt talis, cuius vita *multùm Reipublicæ intereſſet*, quandò nimirùm ex interitu Regis v.g. turbationes, & bella ſuccederent ob Regni ſucceſſionem, Aggreſſus verò Perſona communis eſſet; tunc teneri eum *ſub læthalis culpæ reatu*, potiùs mortem pati, quàm in ſui Defenſionem, talem interficere iniuſtum Aggreſſorem.

An liceat occidere Regẽ inuaſo ſe aggredientem quando ſucceſſorẽ habet?

Si tamen eſſet Rex aliquis habens ſucceſſorem, qui æquè benè Rempublicam gubernaret, tunc In-

uaſus ab eo iniuſtè, licitè poſſet eum interficere, vt vitam ſuam defenderet; Et Ratio eſt, quoniam ex Morte talis Principis, non tantum damnum ſequitur Reipublicæ, vt propter illud teneatur Inuaſus mortem perpeti iniuſtam, nè ſuum Aggreſſorem interficiat.

Quid ſentiendum quando Inuaſor, & Inuaſus eſſent paris conditionis?

3 Aſſerit tertiò: In caſu, quo Aggreſſor, & Aggreſſus *pares eſſent*, aut certè ex Aggreſſi morte non ſequeretur Reipublicæ longè maius detrimentum, neque vita illius, vxori, ac filijs eſſet non leuiter neceſſaria, tunc fas Aggreſſo eſſet, vel occidere Aggreſſorem, vel eum non interficere, ac permittere potiùs ſe ab illo interfici, non ſolùm, ne ille ſimul cum morte temporali interitum incurreret æternum, ſed etiam, ne ille, vel ſolam amitteret corporalem vitam, eſſetque id egregiæ Charitatis actus. Hactenùs Molina.

Diana. Leſſius.

Diana *tom. 5. tract. 4. reſol. 2. propè finem* cum Molina conſentit; Sic etiam Leſſius. *lib. 2. cap. 9. dub. 8. num. 24.*

Malderus.

Malderus 2. 2. *D. Thom. tract. 3. cap. 1. dub. 7. aſſert. 3.* Soti ſententiam ſequitur, limitat tamen in caſu, quo Inuaſus à Principe, probabiliter ſibi metueret ex ſubitanea nece animæ periculum.

Secunda ſententia. D. Anton. Silueſter. Io. de Lig. Armilla. Vaſquez. Marſil. Zabarel.

6 SECVNDA OPINIO eſt D. Antonini *in 3. par. tit. 4. cap. 3. §. 1.* docentis pro ſalute, & vita, Defenſionem aduersùs Superiorem, & Abbatem ſuſcipi poſſe. Ità Silueſter *in Verbo Bellum, à num. 4.* citans Ioannem de Lignano: Armilla *in Verbo, Defenſio, num. 4.* Ità etiam Vaſquez *lib. 1. Illuſtr. controu. cap. 18. num. 8.* Marſil. *in Conſil. 4. num. 6.* & Zabarella *in Clementina 1. de pœnis*; dùm docent, quòd licet, abſque cenſura Excommunicationis *cap. Si quis ſuadente*. percutere Pontificem pro Defenſione neceſſaria, & allegat Marſil. pro hac doctrina Innocentium *in cap. Quantæ de ſent. Excomm.*

Comitol. D. Thom.

7 Hanc Sententiam acriter tuetur Comitolus *in reſponſ. moral. lib. 4. quæſt. 10. num. 14. & 15.* vbi cum D. Thoma quærit, vtrùm Condemnato ad mortem, liceat ſe defendere, ſi poſſit? Et cum eodem reſpondet: Si condemnatus ſit *iuſtè*, non ſe poſſe defendere, neque reſiſtere: poſſe autem, *ſi iniuſtè* condemnetur. Alio modo, inquit, D. Thomas condemnatur aliquis iniuſtè, & tale iudicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundùm illud. *Ezechielis 22. Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem*, & ideò ſicut *licet reſiſtere latronibus*, ità licet reſiſtere in tali caſu *malis Principibus*. Et quæ (ſubdit Comitol.) in hac parte à D. Thoma dicuntur, à nemine contradicuntur Theologo, aut ſummarum Scriptore, quod Ego ſciam; atque paulò infrà addit: Nec memini me legiſſe quempiam eorum, qui de iuſta ſui Defenſione loquuntur, qui in neceſſitatem ſubeundæ mortis conijciant aliquandò eum, qui per vim, & iniuriam ab altero petitur.

Ezec. 22.

Petrus Bizfeldius.

Pro hac eadem ſententia pugnat Petrus Bizfeldius, *de iniurijs, & damno dato cap. 1. quæſt. 5. concl. 6.* vbi hæc habet: *Contrà quemcumque iniuſtè inuadentem, licet ſe defendere, etiam occidendo cum Moderamine inculpatæ tutelæ, contrà Dominicum a Soto, &c.*

Ratio pro ſecunda ſententia.

Probatur hæc opinio, quia non ſolùm lex Naturalis dictat, ſed omnia Iura vim vi repellendam permittunt, nec diſtinguunt; ergo vbi leges, & Iura non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus per *l. de pretio ff. de publ. in rem action.* Gloſſam, Bartol. Alber. & Alios *ibidem*; cũ enim talis Defenſio ſit Iuris Naturalis, conuenit vnicuique, vbique, ſemper, & contrà quamcumque Perſonam; vndè, etſi *Perſona ſit publica, & Reipubl. neceſſaria*, ſi iniuſtè aliquem inuadat, Inuaſus *poteſt ſe defendere*, etiam occidendo, modo Moderamen iuſtum non excedat, ſi

Barthol.

alius

alius modus non ſit elabendi: nec in hoc læditur Charitas, quæ quandò eſt ordinata *incipit à ſeipſo*, itaut poſſim vitam meam præferre vitæ alterius cuiuſcumque Perſonæ.

Auctoris Sententia.

Vltima Sententia ex Auctore pro Quæſiti ſolutione.

Prima ratio.

Lex Naturalis eſt, commune bonum particulari eſſe præferendum.

8 In tanta igitur ſententiarum varietate, Soti ſententiæ adhærendum eſſe Mihi videtur; atque ad id aſſerendum, hac potiſſima moueor ratione, quia nimirùm *commune bonum, particulari eſt præferendum*. Quod Axioma, tàm in naturalibus, quàm in moralibus, nec non etiam in Politicis communiter receptum eſt: Hinc videmus Elementa, propria aduerſante inclinatione ad vacuum replendum confluere: Terram ſuo pondere deorsùm tendentem, surſùm eleuari; Ignem ſua leuitate ſublime petentem, deorsùm præcipiti curſu deſcendere. Hinc quoque miramur Animantia, rationis expertia, Natura dictante, totum corpus trucidandum offerre, nè, vel leui vulnere nobilior pars afficiatur, & in nobis ipſis hoc ipſum iugiter experimur, cum manum, brachium, pro capite tuendo, præcidenda vltrò offerimus. Idem ergo in caſu poſito *aſſerendum omninò eſt*; ac proinde dicendum, *Inuaſo propriam* potiùs *mortem*, quàm Inuaſoris eſſe eligendam, ſi tamen Inuaſore pereunte, *maximum ſubitura eſſet* Reſpublica *detrimentum*.

Secunda ratio ex D. Thoma

9 Noſtra hæc Sententia Angelici Doctoris auctoritate fulcitur, qui *in* 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. hæc habet. *Licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus; Niſi fortè propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua grauis turbatio timeretur*. Ex quibus verbis, liquidò infertur, tàm ſcandalo vrgente, quàm graui turbatione imminente, pro his vitandis *licitum non eſſe reſiſtere malis Principibus*. Et in hoc etiam ciuilem Gloſſam fautricem reperio *ad l. vt vim ff. de Iuſt. & Iur.* nam ait: *Vim illatam ab eo, cui ſubditi ſumus, & à Magiſtratu, etiam iniuſtè, nequaquàm propulſari debere, aut poſſe.*

Gloſſa.

Poſtrema ratio pro Auctoris ſententia.

Denique, ſic noſtram firmo ſententiam, manente Axiomate illo, *Commune* ſcilicet *bonum, particulari præferendum eſſe*; nam quàmuis Lex naturalis, *Vim Vi* cum moderamine inculpatæ tutelæ cuicumque propulſare dictet, eſt tamen altera Lex potior, quæ naturalis quoque eſt, nimirùm *Commune bonum, eſſe particulari præferendum*. Concurrentibus igitur his duabus legibus ſimul, altera alteri, ac debilior fortiori cedit, ac proinde ceſſat obligatio ſeipſum defendendi, adueniente hac altera maiori obligatione, præferēdi commune bonum: ſicque oppoſitæ ſententiæ fundamenta, nemine impellente corruunt, ac abſolutè dicendum, ſi is, qui inuadit ſit Rex, aut Dux, aut quilibet Reipublicæ valdè neceſſarius, potiùs necem ſubeundam eſſe Inuaſo, quàm illis Aggreſſoribus ad necem vſque reſiſtendum.

QVÆSITVM X.

Vtrùm qui Togatam vitam profitentur, moderamen Iuſtæ Defenſionis excedant, ſi reſiſtendo, Inuaſorem occidant?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur Prima Sententia Affirmatiua, docens illos Moderamen excedere, modò abſque graui detrimento, vel Perſonæ, vel famæ, fugam arripere nequeant.*

2 *Eccleſiaſtici tamen, ac Religioſi, nec-*

non

non etiam viles Perſonæ, & quibus armorum non eſt profeſſio, nunquam excuſantur, iuxta hanc ſententiam.

3 *Negatiua, & vera Sententia proponitur, nempè quaſcumque Perſonas, etiam quibus non eſt Armorum vſus, concurrentibus debitis Circumſtantijs, non excedere Moderamen &c. ſi Inuaſorem interficiant.*

4 *Non eſt neceſſè, vt militarem vitam, vel Armorum vſum profiteatur quis, ad hoc, vt licitè Aggreſſori poſſit reſiſtere.*

5 *Quid Auctores pro prima ſententia relati, aſſerant de ijs, qui licitè non poſſunt reſiſtere.*

Prima Sent. affirm.

De Lugo. Couarr. Sotus. Gomez. Iul, Clar. Leſſius. Molin. Vaſqu.

1 AFFIRMATIVE' Reſpondet Eminentiſs. Cardinalis De Lugo *de Iuſt. & Iur. tom.1. diſp.10. ſect.8. nu.166.* Qui pro ſe citat Couarruuium, Sotum, Gomez; Iulium Clarum apud Leſſium *dubio 8. n.44. & dub.12. n.75.* Molinam *diſp.17. num.1.* Vaſquez *dub.9. nu.34.* Turrian. *diſp.27. dub.3.* Qui omnes docent, quod quandò Inuaſus, *abſque graui detrimento* fugere nequit, vt nimirùm, vel quia fugiendo, faciliùs ab Inuaſore offenderetur, vel occideretur; vel quia ex fuga, dedecoris & ignominiæ, & Ignaui hominis non leuem maculam contraheret: Tunc *licitum eſſe perſiſtere*, etiam ſi neceſsè eſſet ad ſui Defenſionem, Inuaſorem occidere.

Ratio pro prima ſẽtentia.

Et ratio eſt, quia ille ſolùm Iuſtæ Defenſionis Moderamẽ excedere dicitur, qui *potens aliter commodè periculum illud euitare, non vult tamen præſentem effugere occaſionem*, ſed Aggreſſorem mauult percutere, vel occidere; Ergò imminente maximo vel famæ, vel Vitæ periculo in fuga arripienda; vtique non tenebitur Inuaſus fugæ ſe dare; ſicuti, nec etiam tenebitur Patria exulare, cum vitæ, ac fortunarum iactura, vt Aggreſſorem effugiat. Ita ſentiunt relati Auctores.

Limitatio præcedẽtis reſponſionis.

2 Verùm, ſubdit De Lugo *loc. cit.* Non excuſari Perſonas viles, in quibus fuga nihil, vel parum dedecoris generat, neque etiam Perſonas Eccleſiaſticas, vel Religioſas, quibus ad laudem potiùs, quàm ad dedecus dabitur, quòd armis non vtantur ad ſe defendendum, quorum vſum non profitentur, ſed potiùs Vitam Togatam, & inermem; quarè idem dicendum videretur de alijs etiam Sæcularibus, & Laicis litterarum Profeſſoribus, vt *Aduocatis, Medicis, Regis Conſiliarijs, & ſimilibus*, quibus armorum vſus, aut profeſſio non eſt.

Vera ſententia negatiua.

Sotus. Nauarrus. Valentia. Bañes. Salon. Nauarra. Aragon. Tanner. Molin. Diana.

3 NEGATIVE' autem Reſpondendum Mihi videtur cum Soto, Nauarro, Valentia, Bañes, Salonio, Nauarra, & Aragonio apud Tannerum *tom. 3. diſp.4. quæſt. 8. dub.4. nu.73.* Turrian. *in 2.2. tom.2. diſp.28. dub.3. num.1.* Eſcobar *par.1. de puritate & nobilitate probanda, q.1. §.8. num.13.* Azor. *tom.3. lib.2. cap.1. quæſt.14.* Gomez *tom.3. variar. reſol. cap.3. num.23.* Molina *tom.4. tract.3. diſp.17.* Diana *tom.5. tract.4. reſol.9.* Quorum omnium vnanimis ſententia eſt, pro Defenſione honoris, qui notabilis ſit momenti, *habita Perſonarum ratione, ac concurrentibus circumſtantijs inſpectis*, licitum eſſe interficere Aggreſſorem, *quandò aliter* honor conſeruari *non poteſt* (vt ſi ſit Homo ingenuus, cui dedecori ſit fugere) tunc ab Alio eum aggrediente, fugere non teneri, ſed defendendo propriam Perſonam, ac honorem, interficere poſſe Aggreſſorem, quandò aliter non poteſt vtrumque conſeruare.

Sed Sæculares, & Laici litterarum Profeſſores, vt *Aduocati, Medici, Regij Conſiliarij, & ſimiles, Perſonæ ſunt Ingenuæ*, illiſque dedecori eſſet fugam arripere, quandò inuaduntur, iuxtà prudentem hominum exiſtimationem, ergo non tenentur fugere, vt opinatur De Lugo, ſed reſiſtere poſſunt, atque Inuaſorem,

cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ interficere.

Obiectio. 4 *Inſtat Ipſe*: Hi omnes vitam Inermem profitentur, illiſque, nec Armorum profeſſio, nec vſus eſt: ergo ſugere tenentur.

Solutio. *Sed Reſpondetur*. Tranſeat Antecedens, negatur autem Conſequentia. Et ratio eſt, quia neque apud Iuriſperitos, neque apud Morales Theologos, neque etiam apud Mundi Sapientes reperitur, talem circumſtantiam neceſſariam eſſe, ad licitè Inuaſori reſiſtendum, vt nimirùm *Inuaſus militarem vitam, vel Armorum vſum profiteatur*; ſed ſatis eſſe eum TALIS STATVS, PROFESSIONIS, AC CONDITIONIS ESSE, Cui Ignominiæ, ac dedecori ſit, fugam arripere: Huiuſmodi autem ſunt Litterarum Profeſſores, Aduocati, Medici, Regij Conſiliarij, & ſimiles. ergo &c.

Quæ ſit ſententia Auctorũ quos citat De Lugo. 5 Ad Auctores autem, quos citat: Reſpondetur, Illos loqui de Perſonis *viliſſimæ ſortis, ac infimæ plebis*, quibus dedecus non eſt, fugere; Litterarum autem Profeſſores, *Perilluſtres ſunt*, nec illos, fugiendo, Ignominiæ maculam contrahere decet.

QVÆSITVM XI.

Vtrùm quandò Inuaſus dedit cauſam Iniuſtam grauem Inuaſionis, teneatur fugere?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur prima Sententia docens teneri fugere, etiam cum ſui incommodo.*
Quinàm Auctores hanc ſententiam tueantur?
2 *Oppoſita Sententia ponitur, ad mentem Auctoris.*
3 *Quæ ſit Sententia Caietani, pro prima Opinione citati?*
4 *Rationes pro Negatiua Sententia aſſeruntur.*
5 *Qui iuſtam dedit cauſam Inuaſionis licèt peccauerit, ſe tali periculo exponendo; in ipſo tamen periculo conſtitutus, Ius defendendi ſe, non amittit.*
6 *Fur ſe ab Inuaſore defendere, etiam illum occidendo, licitè poteſt.*
Idem dicendum de Iniuſto Aggreſſore, ſi poſtquàm deſtiterit, ab Aggreſſo inuadatur.
7 *Inuaſus, qui dedit cauſam Inuaſionis, ſi Inuaſorem cum Moderamine inculpatæ tutelæ interficiat, non tenetur ad reſtitutionem.*
8 *Si cauſam iuſtam non dederit Inuaſionis, Hæredes occiſi Inuaſoris ad reſtitutionem damnorum Inuaſi, tenentur.*
9 *Notabiliter excedentes in Defenſione, ad quam Reſtitutionem teneantur?*

1 AFFIRMATIVE' Reſpondet De Lugo, *tom.1. de Iuſt. & Iur. diſp.10. ſect.8. nu.168.* & exemplum adducit de Inuaſo, quandò verbis contumelioſis irritauit, aut cum Vxore Inuaſoris repertus fuit, vel alapam ei dedit; tunc, inquit De Lugo: Si poſteà Inuaſus poſſit euadere fugiendo, *non poteſt licitè occidere Inuaſorem*: Pro ſe citat Corneio, *tract.5. de Irregularit. diſp.4. dub. 1. quæſt. 4.* Portell. *in dub. regul. verbo, Homicidium, nu. 32. in fine*; Idem anteà docuerat Suarez, *tom.5. de Cenſ. diſp 46. ſect.1. num.12.* qui benè aduertit (ſubdit idem De Lugo) ex fuga in ijs caſibus, nullam, aut exiguam infamiam incurri. Sed licèt incurreretur, non ideò poteſt Inuaſus non fugere, quia cùm ipſe dederit cauſam Iniuſtam eiuſmodi Inuaſioni, tenetur ex Iuſtitia reſarcire damna, & procurare, nè ſua cauſa, Inuaſori graue damnum eueniat, quale eſſet occidi in ea rixa, ob neceſſariam Defenſionem. Si ergo poteſt hoc im-

Prima ſententia.

De Lugo

Corneio.

Portell.

Suarez.

Ratio pro prima Sẽtentia.

pedire per fugam, *ad id tenetur etiam cum ſuo incommodo*; grauius enim eſt malum, quod ille alius Inuaſor incurreret, ſi occidatur, cuius mali ipſe Inuaſus, vt conſtat, primus Iniuſtus Auctor fuit per cauſam Iniuſtam, quam ex ſe poſuit.

Nauarrus Pro hac Sententia videtur Nauarrus *in Sum. cap.* 15. *num.* 7. vbi citat Antoninum 3. *p. tit.* 5. *cap.* 8. §. 1. (Antonius) Sed titulus ille quintus, duo tantùm habet capita, & in eis nihil dicit Antoninus. Citat etiam Caiet. (Caietan.) *quaſt.* 64. *art.* 8. ſed immeritò, vt mox patebit.

2 NEGATIVE' tamen eſt Reſpondendum cum Silueſtro, Mercado apud Petrum Nauar. *lib.* 2. *de Reſtit. cap.* 3. *num.* 362. Villalob. *in ſum. tom.* 2. *tract.* 12. *diffic.* 10. *num.* 7. Vega *in ſum. tom.* 1. *cap.* 127. *caſu* 11. Salon. *in* 2. 2. *quaſt.* 64. *art.* 7. *controu.* 1. *concl.* 2. Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 15. Bañes. *de Iuſt. & Iure quaſt.* 63. *art.* 7. *concl.* 3. Diana *tom.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 3.

(Secunda ſententia. Silueſter. Mercadus. Petr. Nauar. Villalob. Vega. Salon. Molin. Bañes. Diana.)

3 Quod verò Caiet. docet *loco ſupracitato*, ſolùm eſt, quòd ſi quis dat cauſam rei illicitæ, quæ *ad homicidium natura ſua ordinatur*, vt quia v. g. aliquem vulnerat, ex quo vulnere ille moritur, non excuſatur ab homicidio. Secùs, ſi *illud opus illicitum*; ex quo ſequitur illud peccatum, *non ordinetur natura ſua ad illud*. (Caietani ſententia.) Vndè, ſi Inebriatio Loth eſſet peccatum mortale, non propterea (inquit Caiet.) eſt puniendus propter Incæſtum, quia non ordinatur natura ſua Inebriatio ad Incæſtum.

Ex qua doctrina, potiùs colligitur noſtra Sententia, quia cum Adulterium non ordinetur natura ſua ad occiſionem Mariti, imò magis videatur ordinari ad occiſionem Adulteri, non erit imputanda mors Mariti, Adultero. Eſſet autem imputanda, ſi Adulter extrà Defenſionem vulneraret, & indè ſequeretur mors.

4 PROBATVR igitur hæc Negatiua Sententia, quia Adulter v. g. ex iniuria, quam facit Marito, non amittit Ius naturale propriam Vitam defendendi, ergo etiamſi cauſam dederit Inuaſionis, fugere non tenebitur. (Ratio pro ſecunda ſententia.)

Præterea: Ipſe Inuaſor, Iniuriam, & Vim facit, etiamſi priùs factis, aut verbis laceſſitus fuerit: Ergo Vim illam & Iniuriam repellere, *licitum* erit Inuaſo.

Confirmatur à ſimili, quia Proximo in extremam neceſſitatem *ſua culpa, & prodigalitate delapſo*, tenetur quis v. g. ſuccurrere, ergo multòmagis *ſibimet ipſi opitulari tenetur*, dum in extremo illo diſcrimine violentæ Aggreſsionis reperitur, ac proindè licitè ſe defendere poteſt à tali Aggreſſore, etiamſi *ſua culpa* cauſam dederit, vt ab illo inuaderetur: (Cōfirmatio.)

5 Fateor tamen, quòd ſi Adulter, vel Laceſſitor, mortis periculum ex tali actione oriturum præuiderit, *peccaret quidem peccato homicidij* in corde ſuo ex prauo illo affectu, tale nàmque periculum præuidens, nihilominùs, ſponte ſe in illo conſtituit; At verò poſteà, in ipſo periculo conſtitutus, *Ius defendendi ſe non amittit*, immò tunc illi eſt maior ratio ſe defendendi, vt ſe commiſſi ſceleris *poeniteat*, quod in tali conflictu, & animi perturbatione haud ità facile eſt. Suffragatur huic doctrinæ Bañes *loco ſuperiùs cit.* (Iuſtè præbens cauſam Inuaſioni quandam peccatum committat?)

6 Et iuxtà hanc doctrinam cum Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 15. *num.* 2. dicendum eſt, licitum eſſe Furi, qui ad furandum domum aliquam ingreſſus fuit, interficere illum, qui ea de cauſa vult talem furem interficere, quandò aliter euadere non poteſt eam mortem. (Corollaria ex præcedenti doctrina.)

Idem dicendum eſt de eo, qui à principio fuit Iniuſtus Aggreſſor, & vult poſteà deſiſtere, idque ſignificat Aggreſſo, qui ipſum interficere molitur: in tali enim caſu, ſi

Ag-

Aggreſſus à Pugna deſiſtere nolit, & ipſe aliter mortem, aut mortis periculum euadere nequeat, niſi interficiendo illum, non peccat ſi interficiat. In foro tamen exteriori, vt homicida punietur. Item in Conſcientiæ foro reſtituere tenebitur omnia damna ſubſequuta, ſi Aggreſſus Iuſtam non habuit cauſam ſibi perſuadendi omninò, eiuſmodi à principio Aggreſſorem, voluiſſe iam omninò deſiſtere. *Et ratio eſt*, quia per primam Iniuſtam Aggreſſionem, horum omnium fuit cauſa damnorum, neque Aggreſſus iuſtam habuit rationem exiſtimandi, ipſum verè deſiſtere velle à prima ſua praua intentione, vt proindè ipſe quoque aggredi deſiſteret.

7 Petes obiter, An teneatur Inuaſus ad reſtitutionem, occidendo Inuaſorem, cui dedit cauſam Inuaſionis, per contumeliam, v.g. adulterium, aut aliam iniuriam?

Inuaſus qui iuſtam dedit cauſam inuaſionis, an ad reſtitutionem aliquam teneatur?

Reſpondetur: Non teneri ad reſtitutionem, ſi occidat cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ. Ità Molina *diſp.*81. *num.*5. Rodriquez, 1.*par. cap.*136.*num.*2. Petrus Nauarra *lib.*2. *cap.*3.*num.*62. vbi citat Silueſtrum, & Mercadum: contrà Nauarrum *cap.*15. *nu.*7. Ratio eſt, quia, qui afficit alium contumelijs, *non amittit Ius defendendæ vitæ ſuæ:* ergo Iuſtè poteſt ſe defendere, occidendo *cum Moderamine* Inuaſorem, quem per contumelias prouocauit.

Molina. Rodriq. Nauarra. Silueſter. Mercadus Nauarrus

8 Multò magis dicendum eſt, Inuaſum, qui occidit Inuaſorem, cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ, *non teneri* ad reſtitutionem, cùm *non* fuerit cauſſa *Iuſta* damni: Immò Hæredes Inuaſoris occiſi, tenentur reſtituere damna, quæ paſſus eſt Inuaſus, qui cum Moderamine occidit Inuaſorem (hæc enim damna iniuſtè patitur Inuaſus, ob culpam Inuaſoris.) Ità Molina, & Nauarra *locis ſuprà citatis*. Leſſius, *lib.*2. *dub.*20. Bonacina, *to.*2. *de reſtit. diſp.*2. *propoſ.*1. *num.*4. *&* 5.

Quid dicendum, ſi iuſtam nõ dederit cauſam?

Leſſius. Bonacina.

9 Ille verò tenetur ad Aliquam reſtitutionem, ſed non ad Integram, quandò ſe defendendo occidit Inuaſorem, excedendo notabiliter, Iuſtam Moderationem ità vt peccet in illo exceſſu.

Excedentes in Defenſione ad aliquã reſtitutionem tenẽtur.

Ratio, cur teneatur ad Aliquã reſtitutionem, eſt; quia facit Iniuriam Alteri, & eſt *cauſſa Iniuſta* damni.

Ratio verò, cur non teneatur ad Integram reſtitutionem, ad quam teneretur, ſi fuiſſet Iniuſtus Aggreſſor, eſt, vt ait Silueſter, *verb. Reſtitutio* 3. *Quæſito* 2. Azorius, 3.*par. Quæſito* 8. Gomez, *tom.*3.*variar.cap.*3. *num.*38. Leſſius, *dub.*20. Filliucius, *num.*213. & Alij contrà Nauarrum, *cap.*15. *num.*24. Rodriquez, *cap.*139. *num.*2. *ad finem*. & Vaſquez, *dub.*4. *§.*3. tùm quia, qui prior alium inuadit, videtur *ex parte cedere Iuri ſuo*; conſequenter Inuaſus non obligatur ad reſtitutionem *omnium damnorum:* tùm quia difficillimum eſt, vt Inuaſus iuſtum temperet dolorem, quin tantiſper excedat Moderamen; ergo æquitas non videtur poſtulare, vt Inuaſus obligetur ad reſtitutionem *omnium damnorum*, ſed potiùs ad arbitrium boni Viri.

Silueſter. Azorius. Gomez. Leſſius. Filliucius. Nauarrus. Rodriq. Vaſquez.

QVÆSITVM XII.

Verùm Vir Nobilis, vel Miles, &c. Modum Defenſionis non ſeruet, ſi cùm euadere poſſit, reſiſtere potiùs, quàm fugere velit?

SVMMARIVM.

1 *Viros Nobiles, ac Milites non teneri fugere, ſed inſiſtendo, licitè Inuaſorem*

occidere, ex communi Doctorum ſententia aſſeritur, ſi Moderamen ſeruauerint.

2 *Magno eſſet dedecori talibus Perſonis, fuga potiùs, quàm armis Vim euadere.*

3 *Sola fuga multoties non ſufficit ad pericula euitanda.*

4 *Pluribus Iurium Textibus, & Iuriſperitorum auctoritatibus, idem confirmatur.*

5 *Licitè poteſt Inuaſus, ſtatim armis ſe defendere, nec videre tenetur, an ſinè periculo, ac dedecore poſſit fugiendo Vim euadere.*

6 *Fuga quandòque potiùs auget, quàm minuat periculum, & magis Inuadenti prodeſt, quàm Inuaſo.*

7 *L. Scientiam. §. Qui cùm aliter. ff. ad l. Aquil. Quomodò intelligi debeat?*

8 *Quid ſenſerit Baldus circà fugam, vel repercuſſionem Aggreſſoris?*

9 *Qui ab iniuſto Aggreſſore fugere potiùs, quàm ei reſiſtere vellet, ob Charitatem, nullam honoris iacturā pateretur.*

10 *Quid dicendum ſit de Clericis, Religioſis, ac Plebeijs, an ſcilicet teneantur fugere potiùs, quàm armis reſiſtere?*

Reſponſio negatiua.

1 RESPONDEO cum communi Doctorū Sententia: Non teneri Virum Nobilem, vel Militem fugere, ſed poſſe cum Moderamine inculpatæ tutelæ licitè interficere Aggreſſorem. Ità Abbas, *cap. Olim.* 1. *num.* 17. *de Reſtitut. Spoliator.* Maior, *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 20. *circà* 4. *Obiectionem; contrà* 1. *Concluſ.* Tiraquellus, *cap.* 20. *de Nobilitate num.* 64. Clarus, *§. Homicidium, num.* 26. & 32. Sotus, *lib.* 5. *de Iuſt. quæſt.* 1. *art.* 8. *dub. vlt.* Nauarrus, *cap.* 15. *Manual. num.* 4. Aragonius, 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. Sayrus, *lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 8. Vaſquez, *in Moral. de Reſtit. cap.* 2. *§.* 1. *dub.* 8. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. Hurtadus, *in* 2. 2. *diſp.* 170. *§.* 135. Laymann, *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 3. *ſect.* 5. *de Iniuſta læſione corporis*, Bañes, *de Iuſt. & Iur. quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 2. *§. Ex dictis ſequitur.* Diana, *par.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 1. *in fine, & reſol.* 9.

Abbas. Maior. Tiraquel. Clarus. Sotus. Nauarr. Aragon. Sayrus. Vaſquez. Leſſius. Hurtad. Layman. Bañes. Diana.

Prima ratio.

Turpe eſt Nobilibus viris, vel Militibus potiùs fugere quàm armis ſe defendere.

2 Ratio, qua hi Doctores hanc Sententiam probant, eſt, quia Nobilibus Viris, aut Militibus *magno dedecori* eſſet, poſthabito Armorum Præſidio, *ſeſe fugæ dare*, & ad quālibet Vim, inſtar Leporis ſuam ſalutem pedibus committere, quod Demoſtheni Oratori, & Antilocho Poëtæ obijcitur. Vterque enim conſpecto hoſte, abiectis clypeis aufugit. At quæ ſunt ignominioſa, & quæ exiſtimationem, & verecundiam noſtram lædunt, à Nobis fieri non poſſe credendum eſt. *l. filius,* 15. *ff. de Conditione Inſtit. & fac. l. Nepos Proculo* 125. *in fine, in verb. Cùm ſalua dignitate mea potero. ff. de verb. ſignif.*

Secunda ratio.

Fuga non ſēper ſuſſicit ad Vim euadendā.

3 Præterea: Nec ſola fuga euadi aliquandò poteſt periculum: nàm fugiendo, incitatur Aduerſarius, & audacior redditur, iuxtà illud: *Qui priori Iniuriæ non reſiſtit, nouam accerſit.* præſertim cùm Aduerſarius iàm anteà ad Vim faciendam ſit paratus, & fortè Viribus, ac pedum celeritate, alterum longè ſuperet: Ac proindè tibi fugienti non leue vulneris periculum immineret, ſi Aduerſario nudum, & inerme tergum relinqueres.

Tertia ratio ex Iurū Textibus, & cōmuni Iuriſperitorū ſententia.

4 Fauent huic Sententiæ quàmplurimi Textus Ciuilium legum, iunctis Gloſſis, ac Iuriſperitis, earumdem Legum Interpretibus, quorum omnium Vna vox eſt, Non fugiendum, ſed reſiſtendum eſſe iniquo Aggreſſori. Ità Bartholus, *in l.* 1. *Cod. Vndè vi. num.* 8. Angelus, & Salicetus, *ibidem.* Baldus. & Alij *in l.* 3. *ff. de Iuſt. & Iur.* Iaſon, *num* 38. & Decius, *num.* 35. Viuius, *Deciſionum. lib.* 3. *deciſ.* 439. *num.* 30. Et profectò, *in l.* 3. *ff. de Iuſt. & Iure*, generaliter dicitur, *Vim propulſandam.* & *in l.* 1. *§. Vim vi. ff. de Vi, & Vi arm.* generaliter quoque dicitur: *Vim Vi, Arma Armis repellenda.* & *in l. Scientiam. §. Qui cùm aliter. ff. ad l. Aquil.* habetur, VIM

Barthol. Angel. Salicet. Baldus. Iaſon. Decius. Viuius.

In Textibus Vim Vi repellere permittentibus nulla ſit mentio de fuga.

VI DEPELLERE, OMNES LEGES, OMNIAQVE IVRA PERMITTVNT. Neque in his Textibus mentio vlla habetur de fuga, nec talis permiſſio Vim Vi depellendi, *conditionatè*, ac dependenter conceditur, ſed *abſolutè*, ac ſimpliciter abſq; illa conditione, *Niſi poſſint fugiendo euadere*. Ità dictæ ſententiæ Auctores.

Prima Obiectio.

Petrus de Anchar.

Zenzelin.

5 Sed objicitur Primò, ex Petro de Anchar. & Zenzelino, *in Clement. vnic. de Homicidio*, & ex Alijs: Videndum eſſe, An quis ſinè periculo, & dedecore fugere poſſit, vel non poſſit: & non ſtatim recurrendum eſſe ad Arma, vt illata, vel inferenda Vis repellatur.

Solutio.

Non eſt attendendū, an quis ſinè periculo nec dedecore fugere poſſit

At reſpondent præcitati Doctores: Id opus non eſſe, cùm Iura *ſimpliciter, & indiſtinctè* Vim Vi propulſandi, & repellendi facultatem tribuant: & præstereà, vt plurimùm id fieri nequit; nàm in tali imminēti periculo, perturbatus illius, qui inuaditur animus, non eſt aptus ad exequendum munus ſuum, nec ad plenè deliberandum, quid ſinè periculo, & dedecore tunc fieri deceat, ac debeat.

Fieri nequit, vt Inuaſus videat, an ſinè periculo ac dedecore fugere poſſit.

Et quàmuis aduerteret, poſſe aliquo pacto tunc dedecoris notam eludi, adhùc tamen præualeret metus, nè fugiendo, ab hoſte perſecutore opprimeretur, dùm ei tergum inerme relinqueret; ac proindè meritò ei ignoſcendum eſſet, ſi Vim non fugeret, ſed propulſaret. *argum. l. hac conſultiſſima. 8. §. At cum humana, Cod. qui teſtam. facere poſſ. & l. 1. in princip. ibi, Nam interdum. ff. de Exercitor. act.*

Inſtantia.

6 Rursùs dices: Poſſet arripere fugam, & ſi deindè Aduerſarius perſequeretur eum fugientem, tunc iterùm ſe vertere, illique reſiſtere valeret, & ſic neque ſubeſſet vlli periculo locus: nàm ſemper integrum eſſet ei, ſe ab hoſte tueri.

Solutio.

Sed reſpondetur. Quàmuis dubium non ſit, quin id fieri poſſit, tamen ità fugiendo, non euaderetur, nec minueretur periculum, quinimmò maius ſuſciperet incrementum: nàm debilitatis corporis viribus, ac fractis ſpiritibus inter fugiendum, difficiliùs ſe contrà Inuaſorem defendere valeret Inuaſus: Quapropter non tenetur id mediū amplecti, quod magis Aduerſario, quàm ſibi profuturum eſſet, quia ordinata Charitas incipit à ſe ipſo, ac propria Salus (*cæteris paribus*) alterius ſaluti anteponitur.

Fuga periculum auget.

Secunda Obiectio.

7 Objicitur Secundò *in l. Scientiam. §. Qui cum aliter. ff. ad l. Aquil.* haberi hæc verba, quæ dictæ Sententiæ oppoſita eſſe videntur; dicitur enim ibi: *Cùm aliter ſe quis tueri non poteſt, quàm ſi feriat Aduerſarium, eum Innoxium eſſe*. Ergo è contrà valet inferri, quòd ſi poſſet ſe ALITER tueri, nempè fugiendo, & fugere nollet, ſed potiùs in Aggreſſorem irrueret, eumque vulneraret, non cenſeretur Innoxius.

Solutio.

Non eſt percutiendum, cùm alijs medijs poteſt vis repelli.

Sed Reſpondent DD. illi: Ex contextu indè colligi poſſe, ly *Aliter* non innuere fugam arripiendam eſſe, ſed tantummodò importare aliquem alium Defenſionis modum, qui adhiberi poſſet, antequàm deueniretur ad feriendum Aduerſarium: Et de hoc dubium non eſt; quin ſi adhiberi poſſet, & non adhiberetur, non eſſet Innoxius Repercuſſor.

8 Fateor tamen, quòd ſi honeſta ſuppeteret declinandi periculum opportunitas, abſque vlla ignominiæ nota, tunc conſultiùs eſſet fugæ ſe dare, quàm Certaminis aleam experiri velle. Quam benè hæc omnia paucis expreſſit Baldus: *Ego dico*, inquit, *quòd ſi fuga eſt ſuſpecta, quia Aduerſarius eſt à tergo, quòd non tenetur quis fugere. Sed ſi non eſt ſuſpecta, ſed eligibilis apud graues, & ſenſatos Viros, qui ceſſando dant locum vacuum, & innoxium, tunc debet quiſque fugere, & abſcondere ſe, & fugere rumores: & iſtud eſt de prudentia Naturali. Auis enim volando euadit, latebraſque quærit. Et ſicut in homine eſt excellentior Natura*:

Baldus.

Aliquandò potius fugere debet Aggreſſus, quàm armis reſiſtere.

ità

ità prouidentia maior non debet furenti ſe opponere. Et optimè quidem ac prudenter ſubdit. *FVROR eſt, ſi furioſum euitare poſſis, & nolis: IVSTITIA eſt defendere ſe: TEMPERANTIA eſt, cum Moderamine hoc facere: FORTITVDO eſt non pauere, ſed inculpabiliter reſiſtere: PRVDENTIA eſt euitare maius malum inter duo, &c.* Hactenus Baldus.

Virtutes Cardinales quomodò in hacta Defenſione exerceantur?

9 Porrò, quæ diximus, non ſecundùm Imperium, ſed ſecundùm Permiſſionem intelligenda ſunt: Si enim Vir Nobilis, aut Miles Chriſtianæ pietatis, ac manſuetudinis inhærens veſtigijs, fugam potiùs arripere velit, quàm Aggreſſori reſiſtere, NVLLAM EXINDE' DEDECORIS MACVLAM CONTRAHET; QVINIMMO' SVMMAM CONSEQVETVR GLORIAM, ET TANQVA'M VERVS NOSTRI REDEMPTORIS IMITATOR, ERIT SVMMOPERE COMMENDANDVS, AC CÆLESTIBVS PRÆMIIS DITABITVR; IVXTA' ILLVD: BEATI MITES, QVONIAM IPSI POSSIDEBVNT TERRAM.

Matth. 5.

Clerici, Religioſi, ac Seculares paruæ exiſtimationis, tenentur potiùs fugere

10 De Clericis autem, Religioſis, ac etiam Sæcularibus paruæ exiſtimationis, aliter diſcurrunt DD. aſſerentes: Teneri eos fugere potiùs, ſi poſſent, quàm reſiſtere Aggreſſori, & Percutientem repercutere. Ratio diſparitatis eſt; quia Religioſorum, ac Clericorum laus, non in Armorum Vſu, ſed *Virtutum Charitatis*, Humilitatis, ac Patientiæ conſiſtit: Et Sæculares illi, vt ſupponimus Infimæ ſortis, exiguam, aut nullam, fugiendo, ſui honoris iacturam paterentur. Ità ex communi docet Couarruuias *in Clement. Si furioſus. par. 3. §. vn. num. 4.* Abbas, *cap. Suſcepimus, num. 4. de homicid.* Maior *loco ſuprà citato*. Pro maiori tamen huius Reſponſionis intelligentia, peculiare Quæſitum de Clericis, ac Religioſis erit inſtituendum. Sit igitur.

Ratio, cur ſupradictę perſonæ potiùs fugere teneantur?

Couarr. Abbas. Maior.

QVÆSITVM XIII.

Vtrùm Clerici, ac Religioſi Modum Defenſionis non ſeruent, ſi potiùs reſiſtere velint, quàm fugere?

SVMMARIVM.

1 *Clerici, ac Religioſi, regulariter loquendo, tenentur potiùs fugere, ſi poſſint, quàm Aggreſſori reſiſtere.*

2 *Quiſque tenetur Proximi mortem euitare, præcipuè quandò poteſt ſinè ſuo detrimento.*

Milites, & armorum Profeſſores, non tenentur fugere: Idem etiam de Clericis, ac Religioſis aſſeritur, ſi ex fuga magis periclitentur.

3 *Adducuntur aliorum Doctorum ſententiæ, pro maiori explicatione Sententiæ Auctoris.*

4 *Eccleſiaſtici Nobiles in aliquo Caſu, ſi magnum dedecus ex fuga incurrerent, non tenentur fugere: Idem etiam de quacunque Perſona aſſeritur, ſi abſque graui damno non poſſit fugere.*

1 RESPONDETVR Primò cum Nauarro, *in Manuali, cap. 15. num. 3.* Antonio Gomez, *3. tom. variar. reſolut. cap. 3. num. 23.* Diana, *par. 5. tract. 4. reſol. 1. in fine, & reſol. 9.* & Molina, *tom. 4. tract. 3. diſp. 17. num. 1.* Clericos, & Religioſos, generaliter loquendo, teneri potiùs fugam arripere, ſi poſſint, quàm Aggreſſori reſiſtere; eòquod Ipſis dedecori non vertatur fuga, *ſed potiùs laudi*. Et prætereà, quia Proximi vita ſeruanda eſt, etiamſi proprij honoris, ac exiſtimationis iactura aliqua facienda eſſet. Ità Molina *loc. cit.* vbi hæc habet. Si Perſonæ non ſit dedecori fugere, vt quia eſt Perſona *Eccleſiaſtica*, *aut Religioſa*,

Prima reſponſio ad Quæſitũ. Nauarr. Gomez. Diana. Molina.

Proximi vitæ habẽda eſt ratio etiam cũ aliqua iactura proprij honoris.

cui

cui dedecus eſt arma ſumere, tenetur fugiendo, conſeruare Vitam propriam, ac Proximi. Item, quod ſi Inuaſus, Perſona ſit de infima Plebe, ac talis, cui dedecus non ſit fugere, aut parùm admodùm, tenetur etiam fugere. Ingenuus etiam, ſi ſinè vllo dedecore poteſt ſe recipere, antequàm Aduerſarius adueniat, tenetur etiam id efficere.

Ratio pro prima reſponſione ad Quæſitum.

2 Ratio autem horum omnium eſt; quoniam, ſi cum aliquo ſuo detrimento poſſit quis mortem proximi vitare, tenetur id efficere. Inter *Milites* autem, eſto Inuaſus humili loco ſit natus, & Aggrediens ſit Ingenuus, regulariter non tenetur Inuaſus fugere; quoniam id magno *Illi eſt dedecori*, habita *ratione Status*, Militariſque diſciplinæ, quam ſequitur. Quandò ex fuga magis periclitaretur Inuaſus, quàm ſi non fugeret; quia Aggreſſor maiores vires aſſumeret, aut à tergo ità fugiens faciliùs interficeretur, vel incideret in Inſidias Ei paratas, non teneretur fugere, *eſto eſſet Perſona Eccleſiaſtica, aut Alia*, cui fugere non eſſet dedecus. Hæc Molina.

Milites nō tenentur fugere.

Inuaſus non tenetur fugere quādò ex fuga magis pericli tatur.

3 Pariter etiam Sotus *de Iuſt. & Iur. lib.5. quaſt. 1. art. 8. circà finem.* Sacerdotes, inquit, & Monachi fugere omninò in tali caſu tenentur (quandò ſcilicet vident Hoſtem ad ſe gladio appropinquare, & fugiendo poſſent liberare vitam) vtpotè quorum honor non eſt Conflictum illum expectare, quippè quos Armorum vſus, niſi in extrema neceſſitate non decet. Et idem eſt de Plebeio Infimæ ſortis, qui nullam prorsùs honoris iacturam, fugiendo faceret.

Soti ſententia.

Religioſos ac plebeios, armorum vſus nō decet, niſi in extrema neceſſitate.

Leſſius *de Iuſt. & Iur. lib.2. cap.9. dub.8. num.44.* Religioſi, inquit, tenentur fugere, quia id Illis non probro, ſed laudi datur; non enim Illorum Laus eſt in armis, & audacia, ſed *in Pietate, & Humilitate*. Si tamen nolint fugere, non peccabunt, *contrà Iuſtitiam*, etiamſi Inuaſorem occidant, Iuſta Moderatione ſeruata; vt docet Iulius Clarus *de homicidio, num. 32.* addens hanc eſſe communem ſententiam; incurrent tamen Irregularitatem, &c.

Leſſius.

Non fugiētes, ſed reſiſtentes, non peccant cōtrà Iuſtitiam, ex quibuſdam DD.

Iul. Clar.

4 Reſpondetur Secundò Clericos, & Religioſos, cæteraſque Eccleſiaſticas Perſonas, in aliquo caſu non teneri fugam arripere, ſi Eis talis fuga ignominioſa foret. Ità De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom. 1. diſp. 10. ſect. 8. num. 167.* Si in aliquo caſu, inquit, *Eccleſiaſtici* etiam magnum dedecus ex fuga incurrerent, *non tenerentur fugere*, quia regula propoſita formaliter eſt vera, neminem quicumque ille ſit, teneri fugere, quandò abſque graui damno fugere non poteſt. Ità De Lugo, & antè ipſum idem docuit Filliucius, *tom. 1. tract. 20. c. 5. nu. 133.* cum Felino, *in cap. Suſcepimus, de homicidio.* Hæc autē doctrina de Clerico, & Eccleſiaſtico. *Nobili* præcipuè videtur intelligenda: ſiuè hæc nobilitas à Sanguinis claritate, ſiue à Dignitatis excellentia procedat.

Secunda reſponſio Auctoris ad Quæſitum.

De Lugo.

Eccleſiaſtici, ſi magnum dedecus incurrant non tenētur fugere.

Filliuc.

Felinus.

Nobiles præcipuè non tenētur fugere

QVÆSITVM XIV.

Vtrùm Clerici, vel Religioſi non fugientes, peccent contrà Iuſtitiam, Inuaſorem occidendo?

SVMMARIVM.

1 *Clericos tali pacto reſiſtentes, ſolùm contrà Charitatem peccare, docet prima ſententia.*

2 *Secunda, & vera ſententia ponitur, docens, etiam contrà Iuſtitiam peccare, ſi cùm poſſint, nolint fugere, ſed reſiſtere.*

3 *Ratio, cur non peccent tantùm contrà Religionem ſed etiam contrà Iuſtitiam.*

Ex

4 *Ex Verbis Innocentij III. Idem colligitur.*

Prima ſent. Iul. Clarus. Leſſius.

1 PRIMO reſpondent Iulius Clarus, *lib.5. Sentent. §. Homicidium, verſic. Idem, & multò magis*. Leſſius, *lib.2. cap.9. dub.12. num.88.* & Alij: Religioſos, & Clericos non fugientes, ſed reſiſtentes, peccare ſolùm contrà *Charitatem*, non verò contrà *Iuſtitiam*.

Secunda ſententia. Nauarra. Rodriq. Vaſquez. Bonacina. De Lugo.

2 Secundò reſpondent Nauarra, *lib.2. cap.3. nu.389.* Rodriquez, *1.par. cap.136. num.13.* Vaſquez, *de reſtitutione dub.9. n.35.* Bonac. *tom.2. diſp.2. de reſtitutione, q. vlt. ſect.1. punct.1. num.11.* De Lugo, *de Iuſt. & Iure tom.1. diſp.10. ſect.8. num.170*: Prædictas Perſonas *contrà Iuſtitiam* peccare, quandò abſque graui incommodo fugere poſſint, & nolint, ſed potiùs Inuaſori reſiſtant.

Ratio pro ſecunda hac ſententia.

Hanc Sententiam Ego quoque amplector: Moueor autem hac ratione; quia tunc ſolùm hominis occiſio ſecundùm Iuſtitiam licita eſt, quandò ad Vitam tuendam, vel ad damnum graue vitandum, neceſſaria eſt; At in caſu poſito nulla eſt neceſſitas, nec grauis damni euitandi, nec Vitæ tuendæ, vt ſupponitur: Clerici enim, ac Religioſi, nullam ſubeunt, fugiendo, & patienter ſuſtinendo, ignominiam, quàmuis Viro ſæculari, ac Nobili, fuga ignominioſa foret: ergo peccant contrà *Iuſtitiam* Inuaſorem repercutiendo, cùm abſque graui incommodo fugere nolint.

Nauarra.

3 Huius Sententiæ, vt dixi, eſt Petrus Nauarra *loco citato*, vbi nonnullis alijs relatis Doctoribus, hæc ſubdit. Clericos, in Caſu poſitō, mortaliter peccare, non tantùm contrà *Religionem* ſui Status, ſed etiã *contrà Iuſtitiam*, & teneri ad reſtitutionem, ſicut veros homicidas, quoniam in his locum non habet Defenſio honoris; cùm enim humilitatem, modeſtiam, ac manſuetudinem profiteantur, nullum eis dedecus accreſcit ex aliorum contumelijs, aut eòquod fugiant, ſed potiùs ſumma gloria, & bonum nomen; neque parui habentur, ſed magni potiùs, cùm non Bellatores, ſed Dei, & humilitatis Cultores, & Chriſti patientiæ Imitatores habeantur à populo, vndè potiùs eis vituperio datur, etiam apud vulgus, quòd iniurias, ac contumelias realiter tentent.

Clericis nõ reſiſtẽtes, nedũ honorem nõ amittunt, ſed magna eis gloria accedit.

4 Si ergo nullus amittitur honor ex patientia, & tolerantia iniuriæ illatæ, nullo pacto eis licebit repercutere; ex quo enim honor non defenditur, qui nullus eſt, non tàm propellere, quàm vindicare iniuriam cenſendi ſunt. Cui deciſioni egregiè fauere videtur Innocentius III. *in cap. Significaſti. 2. de Homicidio*. vbi loquens de Presbytero, ſic ait. *Si verò quemadmodùm perhibetur, Sacerdos iſte priùs ab illo percuſſus, mox eum ligone in capite repercuſſit, quàmuis Vim vi repellere liceat cum Moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad iniuriam propulſandam, non videtur ab homicidio excuſari &c.*

Verbis Innoc. III. idem confirmatur.

QVÆSITVM XV.

Vtrùm in Defenſione occidens alium cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ, ſit Irregularis?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur ratio dubitandi, orta ex doctrina D. Thomæ.*

Explicatur doctrina D. Thomæ ex Caietano.

2 *Occidens alium ad ſuæ Vitæ Defenſionem, non incurrit Irregularitatem, dummodò Moderamen inculpatæ tu-*

tela

telæ notabiliter non excedat.

3 *Pœna Irregularitatis non contrahitur ob ſolam prauam intentionem, vel odium contrà Aggreſſorem, ſed ob actionem externam iniuſtam.*

4 *Etiamſi Inuaſus dederit cauſam Inuaſionis, non amittit Ius ſe defendendi, nec pœnam Irregularitatis incurrit, ſi Inuaſorem occidat.*

5 *Quænam Iura videantur obſtare huic ſententiæ?*

Quomodo intelligenda ſint prædicta Iura, ac præcipuè Tridentinum Concilium?

6 *Occidens Inuaſorem cum Moderamine inculpatæ tutelæ, vt ſe defendat à graui percuſſione, vel mutilatione, non contrahit Irregularitatem: idque intelligitur, etiamſi nolit fugiendo, tale homicidium euitare, dummodò fuga eſſet illi cauſa amittendi honorem.*

7 *Occidens Iudicem parantem iniuſtam Mortem, non incurrit Irregularitatem. Idemque aſſeritur ex quorundam DD. ſententia, etiamſi Iudex eſſet Reipublicæ neceſſarius.*

8 *Captus ab Hoſtibus, ſi carceris Cuſtodem interficiat, vt mortis periculum euadat, non incurrit Irregularitatem: modò aliter non poſſit tale periculum euitare.*

9 *Clamans contrà Fures, etiamſi clamando fuerit cauſa, vt Fures deprehenſi, Morti adiudicentur, non incurrit Irregularitatem: ſecùs autem eſt, ſi clamaret animo vindictæ, vel vt Fures interficerentur.*

10 *Occidens Inuaſorem, vt ſe defendat à graui deformitate vultus, non fit Irregularis.*

11 *Nec etiam Irregularitatem incurrit, qui cùm non poſſit ſeipſum defendere, tradit alteri arma ad ſui Defenſionem.*

12 *Idque intelligendum eſt, etiamſi Is, cui tradidit arma, occideretur ex tali Defenſione.*

13 *In Foro externo non cenſetur Quis Immunis ab Irregularitate, niſi probet ſe interfeciſſe Aggreſſorem ob ſui Defenſionem.*

14 *In Foro interno Prudentis Viri Iudicio relinquendum eſt, An Quis Inuaſorem occiderit ad ſui Defenſionem: At in foro externo, id iudicare, ad Epiſcopum pertinet.*

1 DVBITANDI ratio deſumitur ex D. Thoma, 2.2. *quæſt.64.art.7. in Reſponſ ad* 3. vbi ait: Quòd Irregularitas conſequitur actum Homicidij, etiamſi ſit abſque peccato, vt patet in Iudice, qui iuſtè aliquem condemnat ad mortem. *Et propter hoc, Clericus etiamſi ſe defendendo interficiat aliquem, Irregularis eſt, quàmuis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere.*

D. Thomas.

Ratio dubitandi in præſenti Quæſito.

Verùm Caietanus in huius Articuli Commentario, pro dictæ Doctrinæ licita Defenſione, ait: D. Thomam non ſcripturum fuiſſe hanc Sententiam, ſi contraria lex, quæ deindè eſt promulgata, eius tempore extitiſſet: Conſidera, inquit, quòd materia eſt Iuris poſitiui, Irregularitas. Et nouo Iure *in Clementina vnica de Homicidio*, Statutum eſt, quòd is, qui aliter mortem euitare non valens, ſuum occidit Inuaſorem, *Irregularis non eſt, Quæ Lex, ſi tempore Authoris extitiſſet, non ſcripſiſſet hoc Author.*

Quomodò Caietanus D. Thomæ Sententiã explicet.

2 RESPONDETVR ad Quæſitum: *Occidentem* alium ad ſuæ Vitæ Defenſionem *non incurrere Irregularitatem*, dummodò Moderamen Inculpatæ Tutelæ notabiliter non exceſſerit. Ità expreſsè colligitur *ex Clement.* Si *furioſus. de Homicid.* Et præthereà probatur I. Quia huiuſmodi occiſio non cenſetur *Iniuſta*, ac proindè neque Irregularitati ex Delicto expoſita. II. Quia tale homicidium non reputatur *voluntarium*, ſed neceſſarium, ac proindè neque imputari debet ad culpam, & ſic neque ad pœnam.

Reſponſio ad Quæſitum.

Ratio.

Occiſio Inuaſoris ob ſui Defenſionem non cenſetur iniuſta, nec voluntaria.

3 *Primò* Obijcies: Contingere poſſet, vt aliquis Aggreſſorem occideret, non ob ſolam Defenſio-

Primum Argumentum.

nem, ſed etiam *ex odio*, quo contrà illum afficeretur: ergo ſaltem in tali Caſu contraheret Irregularitatem. Conſequentia probatur: nàm in tali euentu committeretur graue crimen: ergo locum habere deberet pœna Irregularitatis.

Reſpôſio. *Reſpondetur* negando vltimam Conſequentiam. Et ratio eſt, quia *pœna Irregularitatis* non contrahitur *ob prauam Intentionem*, atque graue odium contrà Aggreſſorem; ſicutì neque *obligatio reſtituendi* contrahitur ex prauo ſolùm affectu, ſed requiritur *actio externa Iniuſta*. Cùm igitur in poſito Caſu, actio externa homicidij commiſſi ob neceſſariã Defenſionem ſuipſius, ſeruato Moderamine Inculpatæ Tutelæ, non cenſeatur Iniuſta, ſecundùm ſe, ac ſimpliciter conſiderata, ideòque nec pœna Irregularitatis punienda, vt patet *ex citata Clement. Si furioſus*. Ità Molina, *tom.4. tract.3. diſp.72. num.8.* Petrus à Nauarra, *lib.2. de reſtitut. cap.3. num. 345.* Sayrus, *lib.6. cap.17. num. 12.* Bonacina, *tom.1. de Cenſuris, diſp.7. quæſt.4. pun.6. propoſ.1. num.3.*

Molina. Nauarra. Sayrus. Bonacina.

Secũdum Argumẽtum.

4 *Secundò* Obijcies. Multoties ipſemet Inuaſus dedit *Inuaſionis cauſam*, immò præuidit Inuaſionem ſequuturam, afficiendo nimirùm contumelijs alium, vel cum ipſius Vxore Adulterium committendo &c: ergo tunc ſaltem erit Irregularis, ſi Inuaſorem occiderit, quia *Iniuſtam, ac Illicitam* actionem exercendo, commiſſi homicidij voluntaria cauſa cenſetur.

Reſpôſio. Inuaſus, qui dedit cauſam in uaſionis, non contrahit Irregularitatem ſi Inuaſoré occidat.

Reſpondetur negando Primam Conſequentiam; Quia Inuaſus dando cauſam Inuaſionis, non amiſit *Ius defendendi ſuam Vitam*: ſed qui non amiſit Ius defendendi Vitam ſuam, non fit Irregularis, occidendo Inuaſorem cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ: ergo Inuaſus, Inuaſorem ſeruato Moderamine occidendo, non incurrit Irregularitatem, quàmuis *Illi* Inuaſionis cauſam dederit. Maior probatur, quòd nimirùm Inuaſus non amiſerit, ſed adhùc retineat Ius ad propriam Vitam defendendam: nàm ſi v.g. in Adulterio deprehenderetur, tunc quàmuis impunè *in Foro externo* occideretur à Viro Adulteræ, non tamen talis occiſio eſſet à lethali culpa Immunis: ergo ſignum eſt, Adulterum, qui cauſam dedit Inuaſionis, adhùc *Ius habere* ad propriam Vitam defendendam, aliòquin Vir Adulteræ *non peccaret*, occidendo Adulterum, quod eſt falſum: non enim ipſe Ius habet, priuata authoritate Adulterum occidendi, quàmuis Ius habeat *repellendi Iniuriam*, ac impediendi Adulterium. Fauet huic Sententiæ *præcitata Clement. Si furioſus*. vbi videtur hoc expreſsè definiri. Et prætereà ità ſentiunt, Leſſius *lib. 2.* Petrus à Nauarra, *lib.2. cap.3. num.363.* & Alij, quorum Sententiam probabilem exiſtimat Suarez, *de Cenſuris, ſect.1. nu.11.* Henriquez, *lib.14. cap.10. n.3.* Reginaldus *n.110.* contrà Nauarrum, *num.238.* Antoninum, *3.par. tit.5. cap.8.* Molinam, *tom:4. tract.3. diſp.72. nu.5. & diſp.77. num.9.* Vgolinum, *de Irregularitate, cap.29. §.3.* Coninch, *diſp.18. dub.9. num.75.* Filliucium, *cap.5. num.135. & 141.* & Alios, qui contrariam ſequuntur Sententiam.

Leſſius. Nauarra. Suarez. Henriquez. Reginaldus. Nauarrus. Antoninus. Molina. Vgolinus. Filliucius.

5 *Tertiò* Obijcies. *Textum Cap. Si Viduam. diſt. 50.* & *Tridentini, ſeſſ.14. cap.7. de Reformat.* Concilium enim ſicut exigit diſpenſationem in eo, qui commiſit homicidium *Caſu* Vim vi repellendo, ità multò magis videtur eam exigere in eo, qui occidit Inuaſorem, ſequuturã *Præuidens* Inuaſionem; dicit enim Concilium: *Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel Vim Vi repellendo, vt quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur. Quam ob cauſam ad Sacrorum Ordinum Altaris Miniſterium, & Beneficia quæcumque, Iure quodammodò Diſpenſatio debetur, &c.* Si

Tertium Argumẽtum. Concil. Trid.

ergo

ergo Diſpenſatio debetur, incurritur Irregularitas.

Reſpondetur cum P. Nauarra *loco cit. num.* 367. & Bonacina *loco citato*. Prædicta Iura intelligi poſſe de homicidio facto *cum exceſſu*, & non ſeruato Moderamine. Eandem reſponſionem affert Nauarrus, *conſil.* 36. *de homicidio*.

Prima Reſponſio ad Tertium. Nauarra. Bonacina. Nauarrus

Vel Secundò reſponderi poteſt. Intelligi de Diſpenſatione *in Foro externo*. Quarè Concilium non dixit *ſimpliciter* deberi Dipenſationem; ſed deberi *quodammodò* Diſpenſationem. Cur ergo (inquit Nauarra) additur particula illa *Quodammodò?* niſi quia non reuerà, ſed *ſecundùm quid*, *& in foro exteriori* debetur; vel ſi fuit *exceſſus*, ratione cuius quodammodò debetur. Nihil ergo ex præcitatis Iuribus, contrà noſtram Sententiam colligitur.

Secunda Reſponſio ad Tertiū. Præcitata Iura exigunt diſpenſationē ſolùm in foro exteriori.

Ponuntur alia breuioraQuęſita.

6 *Petes Primò*. An ſit Irregularis, qui occidit Inuaſorem cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ, vt ſe à membri mutilatione, vel à brachij debilitatione, vel à graui percuſſione defendat?

Primum Quæſitū.

Reſpondetur Negatiuè. Et ratio eſt, quia defendendo brachium v.g. nè debilitetur, cenſetur vitam propriam tueri, cùm brachium ſit pars, & membrum Vitæ hominis: Sicut autem *licitum eſt Vitam tueri* cum morte Inuaſoris; ità etiam *licitum eſt tueri partem Vitæ*, præſertìm quandò ex huiuſmodi percuſſione, vel mutilatione ſequi poteſt amiſſio Vitæ. Ità Couarruuias, *Clementina, Si furioſus. part. vlt. §. vlt.* & Alij apud Vgolinum, *cap.*39. *§.*1. Auilam, *part.*7. *diſp.*5. *num.*1. & Molinam, *loc. cit. nu.*6. contrà Siluestrum *verb. Homicidium.* 3. *num.*6. Et hoc verum eſt, etiamſi occidens, vel mutilans, potuiſſet tale Homicidium, vel mutilationem, *fugiendo* euitare: Verùm fuga futura fuiſſet Illi, grauis notæ & amittendi honoris cauſa: non enim tenetur Defenſor *prodigere ſuum honorem*, vt benè ait Suarez *diſp.*46. *Sect.*1. *num.*6. Coninch *num.* 90. Filliucius, *tract.*20. *num.* 134.

Reſponſio ad Primū Quæſitū. Couarruuias. Vgolinus. Auila. Molina. Siluester. Suarez. Coninch. Filliucius

7 *Petes Secundò*. An incidat in Irregularitatem, qui occidit *Iudicem* iniuſtè parantem Ei mortem?

Secūdum Quæſitū.

Reſpondetur. Neque in hoc caſu incidi in Irregularitatem: nàm in Clement. *Si furioſus*. eximitur à prædicta pœna quicumque cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ ad ſui Defenſionem Inuaſorem occiderit: nec ibi ponitur diſcrimen aliquod: ergo cùm Clementina *abſolutè* loquatur: Et ex altero capite Iudex Iniuſtè mortem parans, cenſeatur *actualis Aggreſſor*, proindè, qui illum occideret, debito ſeruato Moderamine, eſſet ab Irregularitatis pœna Immunis.

Reſponſio ad Secūdum Quęſitum.

Immò aliqui Doctores, vt refert Bonacina *loc. cit.* Sentiunt hoc verum eſſe, etiamſi *Iudex* eſſet valdè *neceſſarius Reipublicæ*. Et ratio eſt, quia occidens huiuſmodi Iudicem, quàmuis peccaret *contrà Charitatem*, occidendo perſonam publicam valdè vtilem Reipublicæ, non peccaret tamē *contrà Iuſtitiam* peccato homicidij, ac proindè non incurreret Irregularitatem poſitam contrà Homicidas. Et præterea, quia Clementina, *Si furioſus. citata*, abſolutè dicit: Non fieri Irregularem, qui *Iuſtè* occidit Inuaſorem, quandò aliter propriam Vitam tueri nequit; Vbi autem Ius non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. *l. de pretio. ff. de Public. in rem actione*. Ità Vgolinus *loc. cit. §.*5. & Alij.

Bonacina. Quid ſentiant alij DD. in caſu, quo Iudex eſſet neceſſarius Reipublicæ. Vgolinus.

8 *Petes Tertiò*. Quid ſentiendum de eo, qui *Captus* ab Hoſtibus, nè interimeretur, Carceris v.g. Cuſtodem interemit, vt fugiendo, ſuæ Saluti conſuleret, cùm non poſſet aliter Incolumis euadere; An ſcilicet contraheret Irregularitatem, ob tale homicidium commiſſum?

Tertium Quæſitū.

Reſpondetur cum Vgolino *loc. cit. §.*8. & Alijs. *Non fore Irregularem*;

Vgolinus.

Reſponſio ad tertiũ Quæſitũ.

nàm Vim Vi repellit: in tali enim Statu conſtitutus, cenſebatur *inchoatus actus* Iniuſtæ Aggreſſionis, ac proindè licita tunc fuit huiuſmodi Defenſio, nec Irregularitatis pœna puniencla.

Quartum Quæſitũ.

9 *Petes Quartò*. An fieret Irregularis, qui fure domi inuento, clamaret ad vitã, vel res ſuas defendendas, *ad latrones ad latrones, vel cape cape?*

Bonacina.

Reſponſio ad quartũ Quæſitũ.

Reſpondetur cum Bonacina *loc. cit.* Negatiuè, ob eaſdem rationes hactenùs allatas. *Secùs* tamen dicendum eſt, ſi clamaſſet *occide, occide*, præſertìm, ſi potuiſſet alia ratione, quàm furem occidendo, res ſuas defendere.

Clamãtes contrà Fures, in quo caſu incurrant Irregularitatẽ?

Quòd ſi clamando, *ad latrones, ad latrones*, accurriſſent Satellites, ac deprehenſum furem Iudex poſteà morti adiudicaſſet, ipſe clamans, neque Irregularitatem contraheret, dummodò proteſtationem præmiſiſſet: idque *non animo vindictæ*, ſed intentione rei ſuæ conſeruandæ, feciſſet. Ità Vgolinus, *cap.* 14. *§.* 1. *n.* 7. Auila, & Alij.

Vgolinus. Auila.

Quintum Quæſitũ.

10 *Petes Quintò*. Vtrùm occidens Inuaſorem ad ſe defendendum à graui deformitate vultus, incidat in Irregularitatem?

Reſponſio ad quintũ Quæſitũ.

Reſpondetur Negatiuè. *Probatur*, quia in tali Caſu non committitur lethale crimen Inuaſorem occidendo: ergo neque contrahuntur pœnæ Iniuſtè Occidentium. *Prætereà*. Grauis deformitas vultus tanti ab hominibus æſtimari ſolet quanti grauis diuitiarum Iactura, & fortaſſe etiam pluris: multi enim reperiũtur, qui potiùs diuitias amittere vellent, quàm ſtigmata, ſeù ſigna quædam vultum deformantia, pati; Sed qui Inuaſorem occideret ad ſuorum tutelam Bonorum, probabile eſt *non incurrere Irregularitatem*, vt in ſequenti Quæſito oſtendam: ergo ità etiam dicendum in poſito Caſu, eadem ratione vtrobique militante. Ità Sayrus *cap.* 12. *num.* 5. Henriquez, Bonacina, & Alij, contrà Toletum, *lib.* 1. *cap.* 75. Nauarr. Auilam, & Alios, *locis cit.*

Sayrus. Henriq. Bonacina. Toletus. Nauarr. Auila.

Sextum Quæſitũ.

11 *Petes Sexto*. An contraheret Irregularitatem, qui traderet alteri arma ad ſui Defenſionem, cùm non poſſet ſeipſum tueri ab Inuaſore, quem ille alter, talibus armis acceptis, occideret?

Reſponſio ad ſextũ Quæſitũ.

Reſpondetur Negatiuè. Ratio eſt, quia ſicutì licet ſeipſum defendere abſque Irregularitate Inuaſorem occidendo, ità etiam licet, cùm non poteſt per ſeipſum, *alios conuocare* ad ſui Defenſionem, illiſque arma præbere, vt eum ab Inuaſoro liberent. Ità Nauarr. *num.* 212. Molina, *loc. cit. num.* 7. Vgolinus, *loc. cit. §.* 6. Sayrus, *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 14. Suarez, *loc. cit. sect.* 3. *num.* 6. Reginaldus, *lib.* 3. *tract.* 2. *num.* 109. Filliucius, *num.* 161.

Nauarr. Molina. Vgolinus. Sayrus. Suarez. Reginald. Filliucius.

Septimũ Quæſitũ.

12 *Petes Septimò*. An eſſet Irregularis Is, qui arma commodauit alteri, vt eum defenderet, ſi ille alter in tali Defenſione occideretur?

Bonacin. Suarez.

Reſpondet Negatiuè Bonacina cum Suarez *locis citatis*, rationem que affert; Quia is, qui ad ſui Defenſionem alterum conuocauit, eique arma præbuit, *non peccauit*. Quòd autem ille alter occidatur, hoc eſt *per accidens, & præter Intentionem* Commodantis arma, ac proindè non eſt ipſi ad Irregularitatem imputanda mors, quæ ſequuta eſt.

Reſponſio ad ſeptimũ Quæſitum.

Octauum & vltimũ Quæſitũ.

13 *Petes Octauò, & Vltimò*. Quid dicendum *in Foro externo* circà hanc Irregularitatem, An ſcilicet, qui ob ſui Defenſionem alterum occiderit, cenſeatur Immunis ab Irregularitatis pœna?

Vgolinus. Maiolus. Henriq. Reginald.

Reſpondetur cum Vgolino *loc. cit. §.* 6. Maiolo, *lib.* 5. *cap.* 48. *num.* 11. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 10. *num.* 3. Reginaldo, *lib.* 3. *num.* 112. huiuſmodi Occiſorem *non præſumi in Foro Externo* occidiſſe Aggreſſorem ad ſui Defenſionem, *niſi probet*. Et ratio eſt, quia cùm Homicidium, & Mutilatio ex natura ſua, *Mala ſint, & Deli-*

Reſponſio ad vltimũ Quæſitũ.

cta: in Delictis autem præſumatur Dolus, *cap.1.de Præſcriptionib.* Ideò ſequuta Aggreſſoris occiſione, *præſumptio ſtat contrà Occiſorem*: Quapropter Ipſi incumbit onus probandi, ſe ob ſolam Defenſionem contrà Aggreſſorem Arma ſuſcepiſſe. Interim, vt Homicida non eſt ad Ordines promouendus, nec ſuſceptos Ordines exercere debet, antequàm à Iudice, ſeù ab Epiſcopo *declaretur*, Homicidium cauſa Defenſionis patratum eſſe: & hoc ad euitandum *ſcandali* periculum, quod poſſet incurri, vt ait idem Vgolinus *loc. cit.* cum Maiolo *vbi ſuprà num.* 6. qui ibidem etiam oſtendit, quomodò probetur Homicidium Defenſionis cauſa patratum fuiſſe.

Quid ſentendum in foro Interno?

14. Hæc autem in Foro Externo locum habent: nàm *in Foro Conſcientiæ*, Prudentis Viri Iudicio ſtandum erit: qui conſideratis conſiderandis, omnibuſque circumſtantijs inſpectis, Iudicium ferre poterit. Et ſi ipſe iudicauerit Aliquem, *hic & nunc*, propter Homicidium ad ſui Defenſionem commiſſum, non contraxiſſe Irregularitatem, non tenebitur Ille à ſuſcipiendis Ordinibus, vel ſi ſuſceperit, ab ipſorum vſu abſtinere; teſte Suarez, *diſput.45. ſect.5. num.* 9. & Filliucio, *num.* 63. contrà Maiolum *lib.* 5. *cap.*48. *§.*3. *num.*3. *&* 4. apud Suarez *loc.cit.* In Foro autem Externo *ad Epiſcopum* pertinet Iudicium ferre. An Defenſio neceſſaria fuerit, & ſeruatum ſit Moderamen Inculpatę Tutelæ, vt ex Cardinalium declaratione probat Suarez *diſp.* 46. *ſect.*1.*n.*7. *verſ.*2. Filliucius, *nu.* 136. & alij Doctores citati.

Suarez. Filliucius.

QVÆSITVM XVI.

Vtrùm in Defenſione occidens Aggreſſorem cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ, ad defendendum Honorem, ac Bona ſua, ſit Irregularis?

SVMMARIVM.

1 *Irregularitatem non contrahit, qui Aggreſſorem occidit ob ſolam Defenſionem Honoris, vel Bonorum.*

2 *Cur qui Publica auctoritate aliquem occidit, fiat Irregularis; non autem qui occidit Aggreſſorem ob Defenſionem honoris, vel bonorum?*

3 *Irregularitas contrà Occiſorem Iniuſti Aggreſſoris ob Defenſionem Vitæ, vel honoris, &c. non reperitur in Iuribus expreſſa.*

4 *Quænam Iura videantur huic doctrinæ aduerſari?*

5 *Cap. Interfeciſti, & Cap. Significaſti. ſtatuunt eſſe Irregulares eos tantùm homicidas, qui Moderamen in Defenſione non ſeruant.*

Ex Clementina. Si Furioſus. non poteſt colligi eſſe Irregulares eos, qui occidunt Aggreſſorem, ob Defenſionem honoris, vel bonorum.

DIXIMVS iàm in Superiori Quæſito: Non fore Irregularem, qui ad ſuæ Vitæ Defenſionem Inuaſorem occideret, debito ſeruato Moderamine Inculpatę Tutelæ. Proponitur nunc idem Dubium circà Irregularitatem, in caſu, quo occideretur Aggreſſor, ob ſolam Defenſionem *Honoris, vel Bonorum*.

Reſponſio ad Quæſitum.

1 RESPONDETVR ad Quæſitum *Negatiuè*. Et ratio eſt, quia priuatìm Occidens alium ſinè culpa (vt inquit Couarruuias *loco infrà cit.*)

Ratio. Couarru.

non incurrit Irregularitatem: ſed in Caſu poſito talis Occiſio, vt ſupponimus, facta ad Honoris, Rerumque Defenſionem, *eſſet ſinè culpa*: ergo Occidens non incurreret Irregularitatem.

Obiectio.

2 *Sed Dices*. Hæc ratio nihil probat, quandòquidem, qui publica auctoritate alium occidit, etiam fit Irregularis *ex Defectu*, & tamen occidendo non peccat, quinimmò tale homicidium non ſolùm non imputatur illi ad culpam, ſed ad meritum, ſi ſolius Iuſtitiæ zelo, illud commiſerit. Ergo etiamſi in Caſu poſito, talis Aggreſſoris occiſio eſſet *ſinè culpa*, non proindè inferri poteſt, eam fore Immunem ab Irregularitatis pœna.

Reſponſio

Homicidium ob Defenſionem honoris &c. nō cenſetur voluntarium.

Reſpondetur, negando Conſequentiam. Et Diſparitas eſt, quia licèt homicidium, publica auctoritate commiſſum, non ſit culpabile, tamen cēſetur *voluntarium*, ac proindè mirum non eſt, ſi illo commiſſo, contrahatur Irregularitas *ex Defectu*. At in Caſu poſito homicidium Iniuſti Aggreſſoris, non ſolùm non eſt culpabile, ſed etiam cenſetur *Inuoluntarium*, reſpectu Defenſoris Bonorum, atque Honoris; ideòque nulla ex eo contrahitur Irregularitas.

Aliæ Rationes pro Reſponſione ad Quæſitum.

Irregularitas non cōtrahitur, niſi exprimatur in Iure.

3 Prætereà, probari poteſt noſtra Reſponſio ad Quæſitum, alijs rationibus; quia nimirùm Irregularitas non incurritur, *niſi ſit in Iure expreſſa*: Cùm ergo in Iure non exprimatur Irregularitas contrà Occiſorem Iniuſti Aggreſſoris, quandò eum occidit cum Inculpatæ Tutelæ Moderamine ad defendendam Vitam, Honorem, ſuaque Bona, proindè aſſerendum non eſt, talem Occiſorem fore Irregularem. *Tandem* dici poteſt: Quòd ſicuti Irregularitas non incurritur occidendo Aggreſſorem, ob ſolius *Vitæ Defenſionem*, ità neque incurratur occidendo ob *Defenſionem Honoris*, aliorumque *Bonorum*, quæ ſuo modo ſunt ad Vitæ conſeruationem neceſſaria. Patrocinantur denique huic Noſtræ Negatiuæ Reſponſioni Couarruuias, *in Clement. Si furioſus. 3.par. §.vlt.* Petrus à Nauarra, *lib.2. de reſtit. cap.3. num.* 417. Leſſius, *lib.2. cap.9. dubit.*11. *num.*73. Suarez, *tom.*5. *diſp.* 46. *ſect.*2. *à num.*4. Sayrus, *lib.* 6. *cap.* 17. *num.*22. Coninch, *diſp.*18. *num.*80. *&* 88. Filliucius, *tract.*20. *cap.*5. *Quæſtio* 6. *num.*146. *& Quæſito* 7. *num.*149. *& ſeqq.* & Alij, contrà Nauarrum, *num.* 218. Vgolinum, *cap.* 30. Molinam, *tom.* 4. *de Iuſt. & Iur. diſp.* 72. *num.*3. Salonium, 2.2. *quæſt.*64. *art.*8. *controuerſ.*2. Auilam, *par.*7. *diſp.*5. *ſect.* 3. *dub.* 2. Reginaldum, *num.* 107. & Alios apud Petrum Nauarrum *loc. cit.* apud Suarez, *loc. cit. num.*2. apud Toletum, *lib.* 1. *cap.*75. & apud alios præcitatos Doctores. Et fauent etiam *cap. Quia te. diſt.*50. & alia Iura, quibus hoc idem comprobat Suarez, *num.* 12.

Couarru. Nauarra. Leſſius. Suarez. Sayrus. Coninch. Filliuc. Nauarr. Vgolinus. Molina. Salonius. Auila. Reginald. Toletus.

Argumentum contra Reſpōſionem ad Quæſitū.

4 *Sed Obijcies*. In *cap. Interfeciſti*, & *in cap. Significaſti de Homicidio*. habetur, Homicidas eſſe Irregulares. Et in *Clement. Si furioſus.* excipitur ſolùm ab Irregularitate, qui Aggreſſorem occideret *ad ſui Defenſionem*: Ergo, qui occideret ad Defenſionem *Honoris*, vel *Bonorum*, non intelligeretur exceptus, atque Immunis ab Irregularitatis pœna.

Reſpōſio. Filliuc. Suarez. Nauarra.

5 *Reſpondetur* cum Filliucio, Suarez, Petro Nauarra, & Alijs pro noſtra Sententia præcitatis Doctoribus: *Priora illa iura* intelligi de Occidente *priuata auctoritate* cum lethalis peccati culpa, ſeù non ſeruato Moderamine Inculpatæ Tutelæ. Ex Textu autem *Clementinæ*, *Si furioſus*. nihil colligi poteſt contrà noſtram Sententiam: nàm ibi tantùm expreſſè dicitur: Illum non eſſe Irregularem, qui occidit *ad Vitæ ſuæ Defenſionem*: non verò dicitur, illum eſſe Irregularem, qui occidit ad Rerum ſuarum Defenſionem. Cùm ergo dicitur: Qui occidit Aggreſſorem, vt ſuam Vitam tueatur, non eſt Irregularis: ergo, qui occidit, non

Quomodò præcitata Iura ſint intelligenda?

mate- | pœnali | n valet | gumen- | ab vno | nſu ad | um.

vt ſuam Vitam, ſed vt ſua Bona tueatur, contrahit Irregularitatem. *Negatur Conſequentia:* In materia enim pœnali, & odioſa non valet arguere *à contrario ſenſu*. Neque dici poteſt Irregularitatis pœnam contrahi, *niſi ea ſit in Iure expreſſa*.

QVÆSITVM XVII.

Vtrùm in Defenſione occidens Inuaſorem Proximi cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ, contrahat Irregularitatem?

SVMMARIVM.

1 *Irregularitatem non contrahit, qui occidit Inuaſorem ob Defenſionem Proximi.*
Irregularitas tunc incurritur, quandò in homicidio interuenit aliqua culpa lethalis.

2 *Oſtenditur, parem eſſe rationem de occiſore, vel percuſſore Clerici ob Defenſionem Proximi, ac de Occiſore Iniuſti Aggreſſoris Proximi, itàvt neuter incurrat Irregularitatem.*

3 *In Clementina. Si furioſus, non eſt expreſſa pœna Irregularitatis contrà Occiſorem iniuſti Aggreſſoris Proximi.*

4 *Nec Irregularitatem incurrit, qui Inuaſo inermi commodat arma, vt ſe defendat, etiamſi ſequatur mors iniuſti Inuaſoris.*

5 *Occidens iniuſtum Inuaſorem ob Defenſionem, ad quam tenetur ex officio, contrahit Irregularitatem; ſecùs autem eſſet, ſi ad illam Defenſionem non teneretur ex officio.*

DICTVM eſt licere non ſolùm ſeipſum, verùm etiam Proximum ab iniuſto Aggreſſore Vim Vi repellendo, defendere. Dubiũ hinc oritur, An ſicutì propria Defenſio, ex qua ſequitur Aggreſſoris occiſio, eſt ab Irregularitatis pœna Immunis, ità etiam ſit *Proximi Defenſio, poſito*, quòd eum defendendo, Iniuſtus occidatur Aggreſſor?

1 *Reſpondetur* Negatiuè. Et ratio eſt, quia Irregularitas ob priuatum homicidium non incurritur, *niſi culpa præceſſerit* in tali homicidio patrando, vt benè inquit Couarruuias *infrà cit.* Sed occidens Aggreſſorem Proximi, Immunis eſt ab homicidij culpa: (licitum eſt enim *Vim Vi repellere*, non ſolùm ſuiipſius, verùm etiam Proximi defendendi cauſa) ergo pariter Immunis eſt à pœna Irregularitatis. Reſponſio ad Quæſitum. Prima ratio.

2 *Prætereà*. Percuſſor, vel Occiſor Clerici ob Proximi Defenſionẽ, *non contrahit Excommunicationem*, vt communiter tradunt Doctores, cum Innocentio *in cap. Si verò. de Sentent. Excommunicat.* ergo neque contrahit *Irregularitatem* Occiſor Iniuſti Aggreſſoris, ob Defenſionem Proximi. Probatur Conſequentia à ſimili: Sicutì enim non contrahitur in illo caſu Excommunicationis pœna, quia non præſupponitur culpa lethalis, ità nec etiam in Caſu poſito, Irregularitatis pœna contrahi debet, cùm neque præſupponatur culpa aliqua, Proximum adiuuando: Iſta enim Irregularitas *non incurritur ſinè peccato*. Denique cùm dicta Irregularitas *non ſit in Iure expreſſa*, dicendum non eſt, eam contrahi in Caſu poſito. Hanc Sententiam tuentur, ac docent Petrus à Nauarra *lib.2.cap.3. num.419.* Couarruuias, *in Clement. Si furioſus. 3. par. §. vlt. num.5.* Leſſius, *lib.2.cap.9. dub.11. num.73.* Molina *tom.2. de Iuſt. & Iur. diſp.72. num.7.* ex parte Suarez, *diſp.46. ſect. 3.* Reginaldus, *tom.2. lib. 2. cap. 5. num. 60.* Coninch, *num.88. concl.2. & 3.* & Emmanuel Sà, *verb. Irregularitas, num.2.* Filliucius, *num. 106. & ſeqq.* contrà Nauarrum *num.213.* Auilam, *par.7. diſp. 5. ſect. 3. dub. 4.* Maiolum *lib. 5.*

Aliæ rationes. Innocent. Nauarr. Couarruu. Leſſius. Molina. Suarez. Reginald. Coninch. Emm. Sà. Filliuc. Nauarr. Auila. Maiolus.

cap.

Vgolinus. Toletus. *cap.* 48. Vgolinum, *cap.* 32. *num.* 2. Toletum, *lib.* 1. *cap.* 76. *num.* 1. & Alios.

Obiectio. 3 *Sed Obijcies* contrà Reſponſionem ad Quæſitum: *In Clement. Si furioſus* dicitur nō fore Irregularem, qui Aggreſſorem occiderit ad ſui Defenſionem, nec vlla mentio fit *de Defenſore Proximi*: ergo occidens Aggreſſorem Proximi, non erit ab Irregularitatis pœna Immunis.

Reſpōſio. *Reſpondetur*. Quàmuis in Clementina non excipiatur ab Irregularitate *Defenſor Proximi*, tamen neque *exprimitur* pœna Irregularitatis contrà eum, qui occiderit Aggreſſorem Proximi: ergo ſequuta occiſione non erit occiſor Irregularis, cùm neque in Clementina illa, neque alibi ſit contrà eum Irregularitatis pœna expreſſa, neque in pœnalibus à contrario ſenſu argumentari valeat. Ità Suarez *loco cit. num.* 5. & Alij. *Prætereà* reſponderi poſſet: Clementinam illam intelligendam eſſe de occidente alterum *voluntariè* cum peccato mortali, quod vt ſupponimus, locum non habet in Caſu poſito.

Suarez.

Primum Quæſitū. 4 *Petes hîc*. An eſſet Irregularis, qui videns Inuaſum Inermem eſſe, ei commodaret arma, vt ſe ab Iniuſto Inuaſore defenderet, ex quorum commodatione armorum ſequatur Inuaſoris occiſio?

Reſpōſio. Vgolinus. *Reſpondetur* Negatiuè, contrà Vgolinum *loc. cit. §.* 6. *num.* 2. idque colligitur ex rationibus pro Reſponſione ad Quæſitum probanda adductis, & videtur ſequi à fortiori: Si enim non eſſet Irregularis, ſi Aggreſſorem Proximi occideret *proprijs manibus*, tantò minus eſſet Irregularis *ſi accommodaret arma* Occidenti illum.

Secundū Quæſitū. 5 *Petes Secundò*, An eſſet Irregularis, qui occideret Aggreſſorem ob Defenſionem alicuius, quem teneretur defendere?

Reſpōſio. *Reſpondetur* cum diſtinctione: Aut enim teneretur defendere illum *ex officio*, & vtique in hoc caſu incideret in Irregularitatem occidendo Iniuſtum Aggreſſorem illius. Exemplum eſto de Iudice, qui ratione muneris ſuſcepti, tenetur Ciues defendere ab Iniuſtis Aggreſſoribus, qui tamen Reos morti adiudicando, fit Irregularis *ex Defectu*, vt communiter fatentur Doctores, ac præcipuè Molina *loc. cit. num.* 7. Suarez *loc. cit. ſect.* 3. *num.* 3. Filliucius *nu.* 159. Reginaldus *num.* 109. & Alij. Si verò non teneretur ex officio aliquem defendere ad Iniuſto Aggreſſore, ſed tantummodò ratione Amicitiæ, Charitatis, Obſequij, Conſanguinitatis, Beneuolentiæ, &c. vt ſi defenderet *Principem*, *Patrem*, *Vxorem*, *Filium*, &c. in tali caſu, occidendo Aggreſſorem Illorum, *ob ſolam Defenſionem*, ac ſeruato Moderamine Inculpatæ Tutelæ, non incideret in Irregularitatem, vt ijdem præcitati Auctores fatentur, & ſequitur ex dictis in Probatione Reſponſionis ad Quæſitum.

Occidens Aggreſſorem ob Defenſionē, ad quā tenetur ex officio, incurrit Irregularitatem.

Molina. Suarez. Filliuc. Reginald.

Occidens Aggreſſorem ob Defenſionem alicuius, ratione charitatis, amicitiæ, &c. an incurrat Irregularitatē?

QVÆSITVM XVIII.

Vtrùm pro neceſſaria Pudicitiæ Defenſione, liceat Puellis, atque Adoleſcentulis Aggreſſorem occidere?

SVMMARIVM.

1 *Puellæ, atque Adoleſcentuli, licitè poſſunt reſiſtere Aggreſſoribus eorum Pudicitiæ, ſi Modum inculpatæ tutelæ ſeruent.*

2 *Vim Vi repellere ob tutelam corporalis Pudicitiæ, omni Iure licet.*

3 *Maior vrget ratio, vt poſſit occidi Aggreſſor pro Defenſione Pudicitiæ, quàm pro Defenſione honoris, vel bonorum.*

Niſi

4 *Niſi Aggreſſori Pudicitiæ, reſiſtere quocumque modo liceret, periculum eſſet, nè Inuaſus lethali crimini conſenſum præberet.*

5 *Ob Pudicitiam ſeruandam, tenetur Inuaſus, potiùs fugere, ſi poteſt, quàm Inuaſori reſiſtere: Ad id confirmandum, plurima exempla adducuntur.*

6 *Defenſio Pudicitiæ, non coarctatur, vt fieri poſſit ſolùm verbis, ſed licitum eſt, quemcumque modum adhibere ad Iniuriam propulſandam.*

7 *Non interuenit aliquod peccatum in occiſione Inuaſoris Pudicitiæ, ſeruato tamen debito moderamine.*

8 *Quomodò intelligendum ſit, quòd ex duobus malis, minus ſit eligendum? & An Pudicitiæ iactura ſit minus malum, quàm occiſio Aggreſſoris? Quomodò intelligendum ſit, quòd ei qui inuitè violatur, caſtitas duplicatur ad coronam?*

9 *Affertur Exemplum Nicetæ, quomodò ſuam Pudicitiam tutatus eſt, cum ab impudica Muliere inuaderetur.*

10 *Aliud exemplum ex Cicerone, de Adoleſcente, qui Aggreſſorem ſuæ pudicitiæ interfecit.*

11 *Licèt poſſit Aggreſſor Pudicitiæ interfici, tamen laudabiliùs eſt illum non interficere, nè in æternum damnetur, modò animus contineatur à conſenſu peccaminoſo.*

Reſponſio affirmatiua.

1 RESPONDETVR cum communi Doctorum ſententia *affirmatiuè:* nimirùm poſſe dictas Puellas, atque Adoleſcentulos, eorum pudicitiæ Aggreſſori reſiſtere, afficiendo illum contumelijs, necnon verberibus, vulneribus, atque etiam morte, ſi ità debito inculpatæ tutelæ moderamine ſeruato, defendendæ pudicitiæ neceſſitas poſtularet. Ità Caietanus 2. 2. *quæſt.*64. *art.*7. *§. ex his autem*. Mercadus *c.*5. Silueſter *verbo homicidium* 2. *quæſt.*5. Nauarr. *cap.*15. *num.*5. Petrus à Nauarra *lib.*2. *de Reſtit. cap.*3. *num.*393. Rodriquez 1. *part. cap.* 136. *num.*14. Molina *tom.*4. *de Iuſt. & Iur. tract.*3. *diſp.*18. *num* 10. De Lugo *tom.*1. *de Iuſt. & Iure, diſp.*10. *ſect.*10. *nu.*195. & Alij.

Caietan. Mercadus Silueſter. Nauarr. Petrus à Nauar. Rodriq. Molina. De Lugo.

Prima ratio.

2 *Probatur* Primò *ex l.*3. *ff. de Iuſt. & Iur.* vbi habetur, licitum eſſe *Vim Vi repellere*, & quod Quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, id Eum Iure feciſſe exiſtimari. ergo ſi ad tutelam ſuæ corporalis Pudicitiæ, Puella Aggreſſorem occiderit, Iure id feciſſe exiſtimabitur. Hùc etiam reuocari poſſunt cætera Iura, quibus generaliter loquendo, probatum eſt in primo Quæſito, licitam eſſe Defenſionem.

Secunda ratio.

3 *Probatur* ſecundò Ratione, quoniam pro honore, atque etiam pro externis bonis defendendis, licet impunè occidere Aggreſſorem, vt in ſuperioribus Quæſitis probauimus; ergò à fortiori id licitum erit Puellis, atque Adoleſcentulis pro ſua *Pudicitia* ab iniuſto Oppreſſore defendenda; Conſequentia probatur, pluris enim exiſtimanda eſt Virginalis Integritas v.g. quàm quæuis alia externa bona, vel honor &c. ergo ſi licet Aggreſſorem occidere in defenſionem bonorum, licebit etiam in defenſionem Pudicitiæ.

Pluris exiſtimatur pudicitia, quam quę vis alia bona externa.

Tertia ratio.

4 *Prætereà:* Niſi quocumque modo imminentem Vim repellerent dictæ Puellæ v.g. periculum foret, nè paulatim verſo in amorem furore, ſeſe Inuaſori dederent, ac tandem lethali crimini *aſſenſum* præberent, vt optimè Caietanus, Molina, De Lugo, & Alij aduertunt.

Puellę inuaſæ, tenentur potiùs fugere, quàm reſiſtere.

5 Fateor tamen, quòd ſi prædictæ Puellæ, atque Adoleſcentuli fugiendo, ab Aggreſſorum manibus ſe eripere poſſent, *teneri Eos fugam potiùs arripere*, ſi fugiendi opportunitas adeſſet, quàm Aggreſſorem occidere: Et ratio eſt, quia fuga nullam eis Ignominiæ maculam pareret, immò laudi potiùs, atque

honori futura eſſet. Ità Sacræ Paginæ teſtantur, IOSEPHVM, relicto in manibus Impudicæ Mulieris pallio fugam arripuiſſe, nè Adulterij crimen Illa alliciente, patraret. Sic etiam è Noſtratibus ANDREAS AVELLINVS, quem inter Beatos Heroas, Eccleſia iubente veneramur, ſub primo Adoleſcentiæ flore, nè Virginitatis florem amitteret, irruentem in eius amplexus & oſcula Impudicam Mulierem, cum fugare non poſſet, aufugit: ſeu vt cum Inclyto eius vitæ Scriptore loquar: Andreas *expreſſo exemplo à caſtitatis Prototypo Ioſepho, fugam velociſſimus arripuit, cunctis, quæ ad vita neceſſitatem in Contubernio depoſuerat, ceu venenato Fœmina halitu infectis, ibidem relictis; quod ſelegit libentius, quàm illibatum Virginitatis florem in conſpurcationis periculum vocare*. Nec deſunt alios apud Hiſtoricos ſimilia exempla, quæ breuitatis ergo omittimus. Si *fuga* igitur ſuæ pudicitiæ commodè conſulere poſſent Puellæ, atque Adoleſcentuli, æquum non eſſet, quòd contrà Aggreſſorem arma adhiberent, illumque temporali ſimul, ac æterna vita, occidendo priuarent. Similiter, ſi poſſent ſolis *verbis contumelioſis* Aggreſſori reſiſtere, non eſſent verbera adhibenda; vel *ſi verberibus*, non vulnera, vel ſi leuioribus vulneribus, non cædes, nè Aggreſſor, vt diximus, in æternùm periturus ex hac vita diſcedat.

B. Andreas pro caſtitate tuenda fugam arripuit.

Pater D. Franciſcus Boluitus in Vita B. Andreæ Auellini. Lib. 1. c. 3.

Non ſunt adhibéda arma ad defenſionem Pudicitiæ, quàdò ſola verba ſufficiunt.

6 Doctè tamen, ac prudenter exiſtimat Cardinalis De Lugo, *loc. cit.* non eſſe *ſcrupuloſè* agendum in hac materia, præſertim, quandò Fœmina, vel Iuuenis, vt ipſe ait ſollicitatur, & contrectatur, vel oſculum accipit ab aliquo laſciuo, ſed poſſe, & aliquandò expedire, non ſolis verbis aſperioribus, ſed manibus puritatem animi, ac conſtantiam grauiter oſtendere.

De Lugo.

Quæ Sententia Mihi non parùm arridet, quandòquidem ſi Pudicitiæ Aggreſſorem licet durioribus verbis, ac conuitijs repellere, licebit etiam Eum percutiendo abigere; præſertim, cùm non grauior appareat, ſed fortaſse leuior percuſſio manu facta, quàm lingua, à Fœmina, vel Puero, aut Iuuene, à quibus non reputatur dedecus grauc ità percuti, vt benè ait De Lugo *loco cit.* vbi etiam alias congerit rationes, vt quia nimirùm ſemper remanet aliquid Defenſionis; quia qui abſque rubore auſus eſt te laſciuè tangere, niſi acriter, & durè repellatur, regulariter non facilè diſcedet &c.

7 Sed Obijci poſſet *Primò* contrà reſponſionem ad Quæſitum; quia, Concurrente ſimul peccato proprio, & alieno, potiùs permittendum eſt *alienum* peccatum, quàm ſpontè aſſentiendum *proprio*: Sed in caſu, quo Puella v. g. ab Iniuſto Aggreſſore inuaderetur, concurreret ſimul peccatum illius *libidinis* v. g. & peccatum *homicidij*, ſi Puella Oppreſſorem occideret: ergo videtur quòd potiùs teneatur permittere, ſibi ab Illo Vim inferri, quàm Illum occidere.

Primum Argumétum.

Reſpondetur. Conceſſa Maiori, negatur Suppoſitum Minoris: ſupponitur enim, quòd Puella ob Pudicitiæ tutelam, Oppreſſorem occidens, Debito ſeruato Moderamine, peccatum committat, quod vtique *eſt falſum*: in euentu enim illicitæ Offenſionis, ſeu Vitæ, ſeu Honoris, ſeu Pudicitiæ, vtriuſque Fori Leges gladium Inuaſo tradunt, vt ſe licitè ab Iniuſto Aggreſſore defendere poſſit.

Reſpóſio.

Non interuenit peccatum quádò occiditur Inuaſor ob defenſionem pudicitiæ.

8 *Secundò* Obijcies. *Ex duobus malis, minus eſt eligendum*: Sed in caſu, quo, aut ſubeunda eſſet Pudicitiæ iactura, aut Oppreſſor interimendus, minus malum videtur eſſe Pudicitiæ Iacturam pati, quàm Oppreſſorem occidere, atque æternæ Damnationis pœnã Illi parare, præſertim cùm INVITÆ pa-

Secundũ argumentum.

tienti

tienti, Pudicitiæ iactura non imputetur ad culpam, ſed potiùs ad meriti, ac coronæ cumulum, iuxtà illud D. Luciæ ad Tyrannum: *Si me inuitam iuſſeris violari, Caſtitas mihi duplicabitur ad Coronam*: ergo ſequi videtur, non licere Puellæ Oppreſſorem interimere.

Reſpóſio.

Explicatur illud Axioma Ex duob' malis, minus eſt eligendum.

Reſpondetur. Axioma illud intelligendum eſſe, quandò vtrumque malum *neceſſariò euitari non poteſt*, & vtrumque eſt *reſpectu eiuſdem Subiecti*, non verò reſpectu diuerſorum; vt v.g. accidit caſus, quo neceſſariò omittendum eſt, aut audire Sacrum, aut aſſiſtere Proximo morituro; in tali inquam caſu, vrgente hinc Eccleſiaſtico Præcepto, & illinc Charitatis lege, teneor potiùs *omittere Sacrum*, quàm *deſerere Proximum moriturum*, qui mea ope indigeat, vt ex hac Vita, Eccleſiaſticis Sacramẽtis munitus diſcedẽs irreparabile æternæ Damnationis periculum effugiat. Et pariter in caſu, quo, aut Parocho celebrandum eſſet *non ieiuno*, aut non celebrando, ſcandalum exhibendum Populo, qui die feſto ad Eccleſiam confluxerit, audiendi cauſa Sacrum; in tali inquam caſu teneretur Parochus *non ieiunus celebrare* potiùs, quàm grauis *ſcandali occaſionem* Populo, in Eccleſia iàm expectanti Sacrum, exhibere. At in Caſu poſito vtrumque malum non eſt *neceſſarium*; quia poteſt Oppreſſor ab opprimendo deſiſtere; neque eſt *reſpectu eiuſdem ſubiecti*, quia ipſe Oppreſſor tantummodò inuadendo peccaret, *non verò Puella reſiſtendo*: ergo non tenetur Iſta Pudicitiæ Iacturam pati, vt ille Oppreſſor Incolumis remaneat.

Exempla aliqua, pro explicatione præcedentis doctrinæ.

In quo caſu Pudicitiæ Iactura non imputatur ad culpã, ſed ad coronam?

Quòd autem, Si inuita violaretur, Caſtitas Illi duplicaretur ad Coronam, hoc non eſt intelligendum in caſu, quo Ipſamet reſiſtere *poſſet*, *& reſiſtere nollet*; ſed in caſu, quo ipſamet Puella, *Conſtanter renuens*, *Violenter* opprimeretur; tunc enim præciſo peccaminoſo cõſenſu, ſi Vim pateretur, vtique non Illi ad culpam imputandum eſſet, ſed ad meriti cumulum; vt benè ex D. Luciæ reſponſo colligitur.

Nicetas quomodò ſuam Pudicitiam ſeruauit, cum inuitus ad libidinem concitaretur?

9 Non defuère tamen, qui in tali rerum Statu conſtituti, ad libidinis ſenſum reprimendum, neſcio quid maius, Diuino edocti Spiritu excogitarunt; inter quos caſtiſſimus ille Ægyptius Iuuenis NICETAS extitit, quem adhuc iuuenili ætate florentem, (vt cum Hieronymo loquar) in amœniſſimos hortulos præcepit Tyrannus adduci: ibique inter candentia Lilia, & rubentes roſas, cùm leni murmure aquarum, iuxtà ſerperet riuus, & molli ſibilo arborum folia ventus præſtringeret, ſuper extructum plumis lectum reſupinari iuſſit: & nè ſe indè poſſet excutere, blandis ſerico nexibus, irretitum relinqui. Quò, cùm, recedentibus cunctis, Meretrix ſpecioſa veniſſet, cæpit delicatis colla ſtringere complexibus, vt corpore in libidinem concitato, ſe victrix Impudica ſuper iaceret. *Quid ageret Miles Chriſti, & quò ſe conferret, neſciebat. Quem tormenta non vicerãt, ſuperaret voluptas? Tandem cœlitùs inſpiratus, PRAECISAM MORSV LINGVAM, in oſculantis ſe, faciem expuit: ac ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo, ſuperauit*. Hactenùs Hieronymus, *in Vita D. Pauli primi Heremitæ cap.3.* eandemque Hiſtoriam deſcribit Baronius, *anno 253. Decij Imperatoris I.* & Nicephorus, *lib.7. cap.13.*

S. Hieronym.

Baronius.

Nicephor.

In quo caſu præſertim liceat Aggreſſorem Pudicitiæ interficere.

10 Quæ Sanctorum Exempla, quàmuis Summis laudibus commendanda ſint, nemo tamen in hoc caſu id agere teneretur, ſed ſatis eſſet, vt diximus, *ſi à libidinoſo conſenſu animum retraheret*. Si tamen non tàm arctè conſtringeretur, poſſet quoque Oppreſſorem occidere; Quapropter Tullius *pro Milone* ſummopere commendat Militem Adoleſcentem, qui nè turpi-

ter pateretur à Tribuno Militari propinquo Caij Marij, ipſum interfecit: *Pudicitiam*, inquit Tullius, *cùm eriperet Militi Tribunus Militaris in Exercitu Caij Marij, Propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui Vim afferebat. FACERE ENIM PROBVS ADOLESCENS PERICVLOSE, QVAM PERPETI TVRPITER MALVIT.*

> Tullius Orat. pro Milone.

> Molina.

11 Exiſtimat autem Molina *loc. cit.* poſſe Mulierem reluctando, ac ſe omninò continendo à conſenſu in culpam lethalem, *non interficere Oppreſſorem, etiamſi interficere Illum poſſet*, idque, ait, *Laudabilius* eſſe, nè miſer ille cum corporali Vita æternam quoque amitteret, ſempiterniſque cruciatibus adigeretur. Quod tamen intelligendum eſt, dummodò ea Mulier *vires in ſe ſentiret ad reſiſtendum peccato*. Quantum autem reſiſtere, ac vociferari teneretur Puella, videri poteſt apud Molinam, ac De Lugo, qui luculentiſſimè, ac doctè, vt ſolent, hæc Argumenta tractant. Sufficiat Nobis, ea tantùm hic explanaſſe, quæ ad Duelli Species explicandas deſeruiunt.

> In aliquo caſu melius eſt Aggreſſorem non interficere.

> De Lugo.

QVÆSITVM XIX.

Vtrùm pro Neceſſaria Defenſione liceat Filio occidere Patrem, vel Matrem, ſi ab Eis Iniuſtè inuadatur?

SVMMARIVM.

1 *Parentes habent poteſtatem corrigendi Filios, ſed moderatè, non ſicut Princeps puniendi Reos in Republica.*

2 *Aſſertur Opinio quorundam Doctorum docentium, poſſe Filios reſiſtere Parentibus, quando excedunt modum iuſtæ Correctionis.*

3 *Filius tenetur Parentum furorem placare, vel fugam potiùs arripere, quàm illis reſiſtere: Idque rationibus probatur.*

4 *In caſu, quo nec fuga, nec precibus poſſet Filius Iram Patris auertere, quid agendum eſſet?*

5 *Parentum Vita ſemper habendam eſſe rationem, varijs Iurium textibus ſuadetur.*

6 *An Filius debeat potiùs mortem patienter ferre, quàm ſe defendendo, Patrem interficere?*

7 *Mortem obeundam eſſe potiùs, quàm Parricidium committere, tàm naturalis ratio, quàm Religio exigit.*

Magis tenetur Filius, Parentum vitam ſeruare, quàm Serui, vel Ciues, Salutem Domini, vel Principis. Adducuntur auctoritates Platonis, & Ciceronis.

8 *Probabile tandem eſſe, Filium non teneri ſinere ſe interfici, Theologicis rationibus ſuadetur.*

9 *Hac tamen Doctrina limitatur in caſu, quo Vita Patris eſſet maximè neceſſaria Reipublicæ, vel Familiæ.*

1 SVPPONIMVS, poſſe Parentes Filios ſuos ad correctionem verberare, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 2. quia Filij Patriæ Poteſtati ſubduntur: vndè ſicuti poteſt Princeps in perfecta Communitate graues, atque irreparabiles pœnas, Occiſionis, vel Mutilationis Reis infligere, ratione perfectæ Poteſtatis Illos coërcendi, quam habet; Ità ſimiliter, poteſt Pater in Imperfecta Communitate, hoc eſt, in Domeſtica Familia, leuioribus pœnis Delinquentes filios afficere, ratione Imperfectæ Poteſtatis, quam habet. Ità cum D. Thoma ſentiunt quoque communiter omnes, & fauent Sacri Textus verba, *Prouerb.* 13. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* & *infrà* 23. *Noli ſubtrahere à puero Diſci-*

> D. Thomas.

> Poteſtas Parentum in filios, cōparatur cū Poteſtate Principis in Rempublicam.

> Prouerb. 13. & 23.

plinam: Si enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de Inferno liberabis. Quòd autem Apoſtolus *ad Epheſ.9.* ſcripſerit: *Vos Patres nolite ad Iracundiam prouocare filios Veſtros, &c.* intelligendum eſt, quòd non *immoderatè* eos affligant verberibus, non verò, quòd prohibeantur, filios ſuos Diſciplinæ cauſa verberare.

Ad Eph.9

Dubium tamen ſupereſt, An ſi Pater Moderatæ Correctionis limites exceſſerit, quos Natura, Ratio, ac Leges præſcripſerunt, Filij in tali caſu poſſent, verberantibus Patribus reſiſtere?

2 Reſpondent quidam, hoc licitum eſſe; Quia quandò Pater incipit correctionis limites excedere, tunc eius *offenſio incipit eſſe illicita*: ergo ſi Offenſio eſt illicita, è contrà erit *licita Defenſio*, ac proindè licebit filio ſe contrà Parentem defendere. Hanc Sententiam ſequi videtur Bonacina, *tom.2. de Reſtitut. diſp.2. quæſt. vlt. ſect.1. punct.8. propoſ.1. num.4.* vbi ait: Licitum eſſe filijs contrà Parentes, Monachis contrà Abbates, Seruis contrà Dominum, Vaſſallis contrà Principem Vim Vi repellere, modò Vis Iniuſtè inferatur; ac pro ſe citat Silueſtrum, *verb. Bellum.2. §.2.* & Iulium Clarum, *lib.5. de Sentent. §. Homicidium*.

Filijs licitum eſt Paréntibus reſiſtere ex quibuſdam DD.

Bonacina.

Silueſter. Iulius Clarus.

Verùm, neque ipſemet Bonacina, neque alij Doctores, quos videre potui, ſatis exprimunt, An hæc licita filiorum Defenſio contrà Parentes, etiam ſuſcipi poſſet, in caſu, quo filius, non aliter ſe ipſum ab irati Patris manibus eripere poſſet, *niſi Patrem occidendo*; Ideòque pro totius Dubij ſolutione, nonnullis diſtinctis Reſponſionibus, præſenti Quæſito ſatisfaciam.

3 RESPONDETVR PRIMO. Si Pater Debitæ Correctionis Modum excedens, filium diriſſimis verberibus, vel paulatìm etiam vulneribus afficeret, teneretur filius *ſupplici prece, Irati Patris furorem lenire*, vel ſi ità non poſſet, *fugam arripere* potiùs, quàm Patri reſiſtere, Vim Vi repellendo.

Prima Reſponſio Auctoris ad Quæſitū.

Probatur. Quia in tali Caſu, nec Preces illæ ad Patris furorem leniendum adhibitæ, neque fuga ſuſcepta *Ignominiam* vllam parerent filio, quàmnis Nobiliſſimo, ac fortiſſimo Viro; ergo teneretur filius id facere. Conſequentia probatur: Quia quotieſcumque fuga ignominioſa nō eſt, ea potiùs arripiēda eſt, quàm cuicumq; Inuaſori etiam *Extraneo* reſiſtendum: ergo tantò magis, quandò *Pater* iniuſtè inuaderet filium. Adde, quòd in Caſu poſito, non ſolùm fuga probro, & dedecori non futura eſſet filio fugienti, quinimmò laudi, & honori: eſſet enim maximum argumentum filialis pietatis, & obſeruantiæ debitæ ergà Parentem. Ità etiam ſentit Hurtadus *de Spe, & Char. vol.2. diſp.170. ſect.16. §.136.* vbi ait: *Tenetur fugere filius Patrem, & Auum*: item Frater minor natu, fratrem maiorem: fuga enim illorum *Pietati adſcribetur*, non *Timiditati*; ob quod illis non eſt turpis: item tenentur ab Illis ferre alapam, quia alapa in ſe, & phyſicè non eſt graue damnum, ſed in exiſtimatione morali, quod non contingit in his Caſibus.

Rationes pro prima reſponſione.

Hurtadus

4 RESPONDETVR SECVNDO. Si filius, nec prece, nec fuga, grauiſſimos irati Patris ictus declinare poſſet, vt ſi v. g. in aliquo eſſet cubiculo incluſus, in tali inquam Caſu, omni conatu in id incumbere deberet, vt maxima dexteritate ictus Patris auerteret, & ſolummodò imminentem Vim repelleret, abſque eo, *quòd Illi Vim inferret*, ità vt percuteret; vel interimeret. Quod etiam ſentire videtur Hurtadus, *loc.cit.*

Secunda reſponſio

5 Probatur. Quia Parentùm Perſona Liberis ſemper honeſta, &

San-

Sancta videri debet. *l. Liberto. 9. ff. de Obſequio Parent. & Patron. præſtan.* ergo nefas eſſet Parentibus Vim inferre. Præterea, Si Libertus Patroni famæ, & Vitæ parcere tenetur *l. Si Adulterium 38. §. Cum Liberto. ff. Ad l. Iul. de Adulter.* multò ſanè iuſtius, & æquius eſt, nè Liberi, qui arctiſſimo ſanguinis vinculo Parentibus ſunt obſtricti, quicquam faciant, quod Parentum famam, & Vitam, lædere poſſit. *Argum. l. vlt. Cod. de Obſeq. à Liberto præſtan.* Tandem Probatur. Quia ſingulari Iure permiſſum eſt, vt filius Patrem, qui ad Patriam delendam, & Parentes, ac Liberos ſuos perdendos venit, interficere poſſit, *l. minimè 35. ff. de Relig. & ſumpt. funer.* ergo extrà hunc Caſum, Liberi nullo modo Parentes occidere poſſunt. *Speciale enim in Vno denotat Ius commune in contrario: & Exceptio firmat Regulam in Caſibus non exceptis.*

Rationes pro ſecunda reſponſione.

Tertia Reſponſio ad Quæſitū.

6 RESPONDETVR TERTIO. Si eò res perueniſſet, vt neceſſariò, aut Filio moriendum eſſet, aut Pater interficiendus, vt contingere poſſet, cùm nullum eſſet omninò effugium, nec Pater ab incæpta offenſione deſiſtere vellet, ſed adhùc contrà filium armata manu inueheretur; in tali inquam Caſu; *iuſtius, & æquius* videtur, quòd filius potiùs mortem patienter ferat, quàm Patri Vitam adimat, à quo poſt Deum Vitam accepit.

Plures rationes pro hac reſponſione.

7 Probatur. Quia Religio, Pietas, & Naturalis Ratio poſtulare videntur, vt potiùs mortem obeat filius, quàm ſceleſtiſſimum Parricidij crimen committat. Et quia, vt ſuprà diximus; Vita cuiuſcumque Simplicis Ciuis poſtponenda eſt Vitæ Principis, ac Regis, ità videtur tantò magis Vita filij poſtponenda Vitæ Parentis. Præterea ex *l. 1. §. Iuxtà hoc tamen. ff. Ad Senatus Conſultum Silla.* Serui Salutem Domini, ſaluti ſuæ præponere debent, ergo à fortiori Salus Patris, Saluti præferenda eſt filij: maius enim inter Patrem, & filium, quàm inter Seruum, & Dominum, neceſſitudinis, ac Cognationis vinculum Natura contexuit. Quapropter Plato *lib. 9. de legibus,* ait: *Filio, nè pro Defenſione quidem ſua, ſi à Parentibus ſe videt interfectum iri, lege vlla conceditur, vt Parentes, à quibus in lucem eſt editus, interimat; ſed omnia potiùs ſuſtinere præcipitur, quàm quicquam huiuſmodi facere.* Et eleganter etiam Tullius *in Orat. pro Sexto Roſc. Amer. Si vultu,* inquit, *ſæpè læditur Pietas, quod ſupplicium ille ſuſtinebit, qui Patrem interfecit: PRO QVO MORI IPSVM, SI RES POSTVLABAT, DIVINA, ATQVE HVMANA IVRA COGEBANT?*

Plato.

Tullius.

Poſtrema reſponſio.

8 Verùm ſi præſentem Difficultatem Theologicè indagaueris mus, *videbitur fortaſſe* non eſſe aſſerendum, teneri filium potiùs permittere ſe occidi à Patre, Iniuſtè eum inuadente, quàm Vim Vi repellendo, Illum occidere, *Ratio eſt,* quia *Charitas eſt ordinata,* & *prima Charitas incipit à ſeipſo,* nec tenetur homo diligere Proximum, pluſquàm ſeipſum. *Præterea* ex Naturali Lege, maior incumbit obligatio *propriam Vitam* conſeruadi, quàm *alienam,* etiam Parentis, *cæteris paribus.* Neque hoc eſſet contrà Iuſtitiam, quandòquidem Iura omnia permittunt *Vim Vi repellendam eſſe.* Adde, quod quaſi communiter dicunt Theologi; In caſu extremæ neceſſitatis, ſeù famis, ſeu Naufragij, non teneri filium, *Vnicum Panem,* vel *Vnicam Tabulam,* quam habet, Parenti, etiam in eodem periculo conſtituto, porrigere; & permittere ſeipſum, aut Aquis ſuffocari, aut Fame perire. Ergo tantò minus tenebitur mortem potiùs pati, vt Parentem, à quo Iniuſtè inuaditur, incolumem ſeruet. Præterea iuxtà id, quod docet Hurtadus, *de Spe, & Char. vol. 2. diſp.*

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Vltima ratio.

Hurtadus.

154. *ſect.* 5. *§.* 58. *in fine*, nempè: Poſſe à Me v.g. licitè occidi Patrem: *Iniuſte afferentem necè Filio meo*; ſequitur tantò magis licitè poſſe occidi, quãdò *Mihimetipſi Iniuſte* necem inferre conatur. Tunc enim Pater, depoſita Patris Perſona, Iniuſti Aggreſſoris Perſonam induit contrà Filium; quarè mirum non eſt, ſi Filius, depoſita Filij Perſona, Iuſti Defenſoris partes ſuſcipiat, pro neceſſaria ſuiipſius Defenſione.

Quid ſi Pater eſſet magis quā Filius vtilis Reipublicæ, vel Familiæ?

9 Fateor autem, quòd ſi Pater eſſet magis neceſſarius Reipublicæ, aut toti Familiæ, tunc iuxtà illam Sententiam, quam ſuprà adduximus, nempè *Bonum commune preferendum eſſe particulari*, etiam cum proprio ſuiipſius interitu, teneretur Filius lethum potiùs ſubire, quàm Patri inferre, nè Reſpublica, aut tota Familia damnum eſſet ſubitura.

QVÆSITVM XX.

Quænàm prætereà Licitæ Defenſioni aduerſentur, itàvt Inculpatæ Tutelæ Moderamen non ſeruetur?

SVMMARIVM.

1 *Quomodò Moderamen Inculpatæ Tutelæ excedatur, iuxtà doctrinam Angelici Doctoris?*

2 *Grauiùs vulnerans, quàm ſit neceſſe ad vim repellendam, Moderamen excedit.*

3 *Idem dicendum de eo, qui in Defenſione inſiſtit, poſtquàm ceſſauit offenſio.*

4 *Quid de eo, qui poſtquam inimici armatam manum amputauerit, adhùc illum verberibus inſequitur, vel etiam occidit; & an vt homicida, capite ſit plectendus?*

5 *Aſſignatur ratio diſparitatis, cur Domini, & Præceptores, ſi correctionis modum excedant, pœnam homicidij incurrant, ſecùs autem ſe defendentes.*

6 *Ariſtotelis, & Ciceronis auctoritate, eadem ratio roboratur.*

7 *Pœnam cotrà Modum Defenſionis ob iracundiæ feruorem Excedentes, eſſe mitigandam.*

8 *In quo caſu, modum ob iracundiam, & furorem Excedentes ſint excuſandi?*

1 ETSI ex dictis liquidò conſtet, quænàm Licitæ Defenſioni opponãtur, pauca tamẽ, quæ dicenda ſupererant, hìc videbimus, pro quibus ſupponenda eſt doctrina Angelici Doctoris, qua paucis quidem, ſed miris verbis Inculpatæ Tutelæ exceſſum explicat, 2.2. *quæſt*. 64. *art*. 7. *in corpore*, tali pacto: *Si aliquis ad defendendam propriam vitam vtatur maiori violentia, quàm oportet, erit illicitum: Si verò moderatè violentiam repellat, erit Licita Defenſio: Nam ſecundùm Iura, Vim Vi repellere licet cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, vt homo Actum Moderatæ Tutelæ prætermittat, ad euitandam occiſionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ ſuæ prouidere, quàm vitæ alienæ.* Hæc S. Doctor.

D. Thom

Primus Caſus, in quo Moderamen exceſſus interuenit

2 Sic v.g. Inculpatæ Tutelæ Moderamen exceditur, ſi grauiori vulnere, vel etiam cæde, Aggreſſoris Vis propulſetur, quandò *leuiori plaga, vel ſinè cæde*, ea repelli potuiſſet; tunc enim plùs fit, quàm ad Defenſionem fieri oporteat.

Aliud Caſus.

3 Sic etiam Moderamen exceditur, ſi ceſſante Offenſione, adhùc ab incæpta defenſione non deſiſtitur; vt contingere poſſet, quandò Aggreſſori cedenti iàm, ac fugienti, Inuaſus adhùc à tergo, ad necem vſque inſiſtere vellet: hæc enim non Defenſio, *ſed vltio* diceretur, cùm ceſſante Inuaſoris Vi, ad-

hùc

hùc ipſe Inuaſus, Vim vltrò inferret.

Tertius Caſus.

4 Ità quoque; Si Inimico armatam gladio manum contrà te in altum extollenti, tu manum ipſam gladio amputaſſes, ſatis illatam Vim, atque Ferociam fregiſſe, atque auertiſſe cenſereris: Vndè *neſas eſſet*, Illum poſteà inſequi, plutibus vulneribus afficere, vel etiam interficere; tunc enim Inculpatæ Tutelæ *præſcriptos limites* excederes: ſiquidem contrà Eum ſæuires, & per Vim inſiſteres, qui te ampliùs offendere, nec fortaſſe vellet, nec ſi vellet, poſſet.

Decius.

Er in hoc caſu Decius, & Alij Iurisperiti, *in l. 3. ff. de Iuſt. & Iur.* contendunt: Defenſorem, homicidij teneri; quia Modum Defenſionis egreditur, argumento Dominorum, & Præceptorum, qui ſi Modum Emendationis excedunt, vt Homicidæ puniuntur, *l. 1. Cod. de emendat. ſeruor.* & *l. ſed etſi quemcunque. 5. §. vlt. ff. Ad leg. Aquil.*

Iracundiæ feruor, quandoq; ab homicidio excuſat.

Videtur tamen *irritati animi* ſemper habendam eſſe rationem: Vehemens enim feruentis Iracundiæ calor mentem perturbat, nec quandòque aduertere ſinit, quibus limitibus Licitæ Defenſionis Moderamen circumſcribatur. Quamobrem, ſi quis Aggreſſorem ſuum cedentem, vel fugientem interficeret, puniendus quidem eſſet, *at non capite plectendus*, ex Sententia Iacobi de Arena, quem Antonius de Butrio, Franciſcus Aretinus, Albericus Baldus, & Alij ſequuntur. Vide Baldum *conſil. 144. num. 1. lib. 2.*

Iacob. de Arena. Anton. de Butrio. Frãc. Aret. Alb. Bald.

Domini, & Præceptores, quomodò Seruos, & Auditores corrigere debeant?

5 Datur autem Diſparitas de Dominis, & Præceptoribus Emendationis modum excedentibus, & de Defenſoribus modum Inculpatæ Tutelæ non ſeruantibus: nam Domini, & Præceptores, tranquillo, ac beneuolo animo Seruos, & Auditores ſuos corrigere, ac emendare debent: Vndè Architas Tarentinus Seruo malè merito dixit: *Niſi iratus eſſem, vapulares.* At Defenſores abſque animi perturbatione ab Iniuſto Aggreſſore ſe defendere nequeunt, cùm in tali Aggreſſione mortis metus, & vitæ periculũ intellectus ſerenitatem perturbent. Et præterea, quia Defendentes quæcumque arma contrà Aggreſſores adhibere poſſunt; at Corrigentes loris tantùm, & flagellis vti poſſunt Seruos, aut Auditores ſuos correcturi. *l. vnic. Cod. de Emend. Seruor.* Quamobrem, non quia Domini, & Præceptores, ſi Correctionis Modum excederent, punirentur vt Homicidæ, proindè idem inferri poterit de Defenſoribus, quos puniendos quidem, ſed *citrà mortem*, & *arbitrio Iudicis* diximus; Ipſi enim ab initio ſe defendentes, iuſtè operabantur, & Aggreſſor Iniuſtæ actioni, quæ ſequuta eſt, cauſam dedit, inuadendo Inimicum, & Ipſe Princeps culpæ cenſetur, à quo malitia incæpit; vt notat Baldus *conſil. 144. num. 1. lib. 2.* Vndè, cùm poſteà Ira inflammati, pluſquàm oporteat, inſiſtant, erit eis aliquo pacto pœna demenda: nam *Ira vix conſilium admittit*, primoſque animi motus vix Aliquis in ſua manu habet: *Et valdè difficile eſt*, vt ait Seneca: *Iniuriam conuenire cum patientia*; *Iracundia* enim, teſte Cicerone, *Conſilio, & Rationi eſt contraria*. & ſicut vult Ennius, *Initium eſt Inſaniæ*, adeò vt Iratus à Furioſo, ſolo tempore differat. Habenda eſt igitur de ipſis Defenſoribus, ſi Modum in Defenſione excedant, ratio aliqua, & puniendi quidem ſunt, ſed *leuiori*, quàm mortis pœna.

Baldus. Seneca. Cicero. orat. pro Marc. Ennius.

6 Vndè Ariſtoteles *lib. 5. Ethicor. cap. 8. Qui Ira*, ait, *aut alia animi perturbatione incitati nocent, ac delinquunt, faciunt Illi quidem Iniuriam, ſed tamen non ſunt idcircò Iniuſti, vel Improbi habendi.* Cui conſentit Cicero *lib. 1. Offic. Sed in omni Iuſtitia*, inquit, *permultum intereſt, vtrùm perturbatione aliqua animi, quæ plerùmque breuis eſt, & ad tempus, an conſultò, & cogitatò fiat*

Ariſtot. Cicero.

Iniu-

Iniuria. Leuiora enim ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata, ac præparata inferuntur.

Aretinus. 7 Addit Franciſcus Aretinus, *conſil.* 80. mitigandam eſſe pœnam contrà Defenſorem, etiamſi Modum Defenſionis exceſſerit, ex certa ſcientia, & animo occidendi, perturbato tamen, & concitato *per offenſionem ſibi factam*: Non debet puniri, inquit, de toto delicto, ſed *de exceſſu* dumtaxat, & ſic mitiganda eſt pœna, quaſi videatur eſſe in culpa potiùs, quàm in dolo: vel ſaltem, quod eſt verius, in minori dolo. Quod verò delinquitur per Iram, non propriè dolosè, & ex animo factum dicitur. *text. notab. in l.* 1. *ff. Ad S.C. Turpil.*

Aretinus. 8 Sic etiam idem Aretinus *dict. conſil.* 80. ait. Quòd licèt percuſſus, ex interuallo non poſſit percutere: Si tamen inſequutus percutientem vulnerat; non punitur *de Dolo*, ſed *de Culpa*; quia propter calorem Iracundiæ minuitur deliberatio intellectus. *l. Graccus. Cod. Ad leg. Iul. de Adulter.* & licèt iſta allegatio non excuſet dolum, quandò Furor, & Ira habent initium ab Actu non licito; quandò tamen cauſa furoris, ex qua delinquo, habet initium à Iuſta Defenſione, quæ in aliquo permittatur: *Exceſſus non punitur pro toto, ſed pro tanto, vel tanquam minor dolus, vel tanquàm culpa*. Et ſic ait idem Aretinus. Concluditur ex præmiſſis, & maximè ex hac vltima ſingulari doctrina, quòd Inquiſitus iſte *non poteſt decapitari, neque puniri tanquàm dolosè occidens*, vel etiamſi in aliquo eſſet dolus, *nonniſi de exceſſu*, qui minor eſt dolus, & proximior culpæ, quandò fit Iræ, & commotionis impetu. Hæc ex Aretino in Iuriſperitorum gratiam referre libuit: ſed iàm Theologico-Morali ſemita ad D. Thomam, noſtroſque redeamus Theologos, ac poſt licitam Defenſionem, nonnulla de illicita Offenſione ſuiipſius, breuiter explanemus.

Quando excuſetur dolus in Defenſione modum excedêtibus eundem?

SECTIO III.

DE QVAESITIS CIRCA' Illicitam Offenſionem Suiipſius,

Ad Duelli Species explicandas, neceſſariò præmiſſis.

Licita Defenſio, ac Illicita Suiipſius Offenſio, duo ſunt fundamenta, quibus vniuerſa de offerendo, vel acceptando Duello, examinanda inferiùs Quæſita præcipuè nituntur: Illorum firmitas, ex his fundamentis: Illorum veritas, ex his præmiſſis: Illorum vita, ex hac Anima: Illorum ornamenta, ex his delineamentis: Denique Concluſiones illæ, ex his dependent Principijs. His corruentibus, eodem labefactata motu corruunt, & illa: His negatis, negantur & illa: His expirantibus, expirant & illa: His deletis, delentur & illa: His tandem ſolutis, vel explanatis, ſoluuntur, vel explanantur & illa. Quamobrem ex innumeris, quæ vniuerſus Theologorum Cætus cum D. Thoma, his de rebus examinare ſolent Quæſita, pauca ad rem noſtram pertinentia, hùc reuocare cogor, nè quid deſit, quod ad Duellicas Species examinandas, deſiderari poſſit.

QVÆSITVM I.

An licitum ſit Seipſum directè interimere?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio negatiua, cum communi Theologorum, SS.Patrum, atque etiam Gentilium ſententia.*

2 *Seipſum non licere interimere, triplici ratione probat D.Thomas, 1. quia eſt contrà naturalem inclinationem. 2. quia eſt contrà Iuſtitiam, & Rempublicam. 3. quia eſt contrà Deum, qui eſt Auctor Vitæ, & Mortis.*

3 *Plures aliæ rationes, ex alijs Theologis adductæ.*

4 *Affertur auctoritas D. Auguſtini: Quomodò ab ipſo excuſentur Ij, qui ſibi Necem intulerunt; quos tamen Scriptura non reprehendit?*

5 *Platonis, & Ciceronis auctoritates adducuntur.*

6 *Naturalis Hominis inclinatio, an ſemper ſit bona?*
Diſtinguitur duplex inclinatio in hominis altera generica, & animalis; altera ſpecifica, & rationalis.
Inclinatio, quam habet homo ad viuendum, an ſit rationalis, & bona?

7 *Ponuntur nonnullæ rationes dubitandi, an Seipſum occidere ſit peccatum iniuſtitiæ contrà Rempublicam?*

8 *Reſponſio affirmatiua, & ſolutio prædictarum rationum.*

9 *Seipſum occidere, an ſit peccatum contrà Fortitudinem?*

10 *Iudex, licèt Reus ſit mortis, non poteſt tamen contrà Seipſum ferre, & exequi ſententiam.*

11 *Quælibet temporalium rerum Iactura, eſt minor Iactura propriæ Vitæ.*
Qui mortem eligit ad euitandum aliquod temporale malum, non dicitur eligere minus malum.
Quid in caſu, quo, vel Vitæ, vel corporalis Pudicitiæ facienda eſt iactura?

12 *Homo per liberum arbitrium, licèt poſſit de ſuis actionibus diſponere, non tamen de propria vita.*

13 *Quanam ratione conſtet, hominem non eſſe ſuæ vitæ Dominum, nec poſſe de illa liberè diſponere?*

14 *In caſu, quo Deus, Mortem iuberet, homo non Se interficeret vt Dominus ſuæ vitæ, ſed tantùm vt Miniſter.*

15 *Iudex non poteſt ferre ſententiam contrà Reum, vt Seipſum interficiat; Nec Reus poteſt talem ſententiam exequi.*

16 *Cur iubente Deo, licita ſit ſuiipſius occiſio, non autem iubente Iudice?*

17 *Oſtenditur non licere ſibi mortem inferre, etiamſi aliter periclitetur Caſtitas. Explicantur verba D. Hieronymi, quæ huic doctrinæ obſtare videntur.*

18 *Sampſonem diuino inſtinctu, ſibi vnà cum Philiſtæis mortem conſciuiſſe, communiter ſentiunt Patres.*

19 *Quomodò conſtet Sampſonem diuinitùs fuiſſe inſpiratum, vt ſeipſum vnà cum Philiſtæis interficeret?*

20 *Cur Eleazarus in ſacris Litteris commendetur, eſto mortis periculo ſe expoſuerit, vt Populum liberaret?*

21 *Eleazarus ſeipſū directè non interemit: ſed Mortis periculum ſubijt, ignorans, an Incolumis eſſet inde euaſurus.*

22 *Quid de Razia dicendum, qui, vt Scriptura teſtatur, elegit propria potiùs, quàm hoſtili manu occumbere?*

23 *Iuxtà D. Thomam, Abulenſem, ac Sotum, Razias non eſt à culpa immunis,*
Quomodò intelligatur ſacer Textus, dicens eum elegiſſe nobiliter mori &c.

24 *Razias excuſatur ob ignorantiam, & Zelum Fidei, ac Religionis, ex alijs DD.*

25 *Quid ſentiendum ſit de Ijs, qui ſeipſos occiderunt, quoſque vt Martyres colit Eccleſia?*

26 *Reſponſio ad exemplum allatum de D.Apollonia, quæ ſe in ardentem rogum iniecit.*

27 *Ethnicæ quædam Mulieres, vel ob furorem, vel ob humanæ laudis cupiditatem, necem ſibiipſis conſciuerunt.*

28 *Saul à culpa immunis cenſetur à Lyrano, & Hebræis, eſto ſibi necem intulerit.*

Ad-

Adducuntur eorum rationes.

29 *Reijcitur hæc Opinio ex communi Doctorum, ac SS. Patrum ſententia.*

30 *Oppoſitæ rationes ſoluuntur.*

Saulis mors non poteſt cohoneſtari ex eo, quòd illam ſibi intulerit, nè à Philiſtæis illuderetur, & nè Deus exindè contemneretur.

Quid voluerit Samuel innuere, cũ dixit Sauli, Cras tu, & Filij tui mecùm eritis?

31 *Concluditur Quæſitum, ac cum Bracharenſi Cõcilio ſtatuitur, non ſolùm non licere ſeipſum interimere, ſed etiam eos, qui quouis modo voluntariè ſubeunt mortem, priuandos eſſe fidelium ſuffragijs, & Eccleſiaſtica ſepultura.*

Reſponſio negatiua.

1 RESPONDETVR. Vlli hominum licitum eſſe Seipſum directè interimere. Eſt communis, ac certiſſima Sententia ab omnibus Theologis tradita, ac præſertìm à D. Thoma 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 5. Scoto *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 2. atque à Sanctis Patribus, Auguſtino, Chryſoſtomo, Hieronymo, & Alijs. Nec latuit hæc veritas ipſoſmet Gẽtiles, quorum aliqui, ſolo Naturæ lumine ducti cognouerunt, illicitum eſſe contrà ſeipſum ſæuire. Ità Ariſtoteles 3. *Ethic. cap.* 7. *& lib.* 5. *cap.* 11. Plato, *in Phædone*. Cicero, 1. *&* 5. *quæſt. Tuſcul. & de Somnio Scipionis*. Ioſephus, *lib.* 3. *de Bello Iudaico, cap.* 21. Et contrarium inter Hæreſes recenſet Caſtro *de Hæreſibus, verb. Martyrium*.

D. Thom. Scotus. Auguſtin. Chryſoſt. Hieron. Ariſtotel. Plato. Cicero. Ioſeph. Hebr. Caſtro.

Seipſum licere interimere, Quinam Hęretici docuerint?

Fuerunt enim quidam Hæretici, *Circumcelliones*, vel vt Alij volunt, *Circuitores*, ità à circumeundo dicti, eòquod nullibi conſiſterent, ſed modò hàc, modò illàc vagarentur, docentes non ſolùm licere Seipſum interimere, quinimmò id eſſe opus maximi meriti, ac ſpeciem Martyrij: quàpropter, vt quod verbo docebãt, firmarent exemplo, Semetipſos, vel laqueo, vel præcipitio, vel igne, vel vndis interimebant; & quandòque etiam Alios, vt Ipſos interficerent cogebant, vt Martyrij palmam aſſequerentur. Videatur Auguſtinus, 1. *contrà Petilianum, cap.* 24. *& lib.* 2. *ad Marcellianum Comitem, cap.* 21. *relatus, cap.* 1. *&* 2. 23. *quæſt.* 1. *& lib.* 2. *contrà Epiſtolam Gaudentij, lib.* 1. *de Ciuitate Dei à cap.* 17. *vſque ad* 28. vbi contrà dictos Hæreticos latè inuehitur Auguſtinus.

Prima ratio D. Thomæ.

2 Probatur *Primò* hæc Sententia à D. Thoma triplici argumento. Enimuerò, quò certior eſt hæc Sententia, eò difficilius eſt, veram, atque efficacem rationem reddere, cur ſaltem in aliquo Caſu non liceat Seipſum interimere. Probatur inquam *Primò*. Quia Seipſum occidere eſt *contrà Naturalem inclinationem*; quælibet enim res naturaliter Seipſam amat, & conſeruare intendit, &, vt conſeruet, corrumpentibus, quantum poteſt, reſiſtit.

Seipſum interficere eſt cõtra charitatem.

Et Præterea. Quia hoc eſſet, *contrà Charitatem*, qua homo Seipſum diligere tenetur, & ſicutì peccaret Proximum occidendo, ità à fortiori occidendo Seipſum, quem pluſquàm Proximum diligere tenetur.

Secunda ratio ex D. Thom.

Secundò. Vnuſquiſque *eſt pars Communitatis*, & id quod eſt, eſt Communitatis: ergo ſi Seipſum interficeret, *iniuriam inferret Reipublicæ*; quippequam inuitam priuaret ſuo membro politico, cuius opera vti poſſet in neceſſitate.

Tertia ratio ex D. Thoma.

Tertiò. Omnis rationalis *Creatura eſt ſui Creatoris Serua*: ergo à ſuo vero Domino eripere ſe non poteſt vllo legitimo Iure, ideò qui Seipſum Vita priuaret, *peccaret in Deum*;

Qui ſeipſum occidit, cur in Deũ peccet?

ſicutì qui alienum Seruum interficeret, peccaret in Dominum, cuius eſt Seruus; & ſicutì peccaret Ille, qui Iudicium ſibi vſurparet de re ſibi non commiſſa: Ad ſolum enim Deum pertinet Iudicium Mortis, & Vitæ, ſecundùm illud *Deuter.* 32. *Ego occidam, & Ego viuere faciam.*

Deut. 32.

Quarta ratio. Halenſis.

3 *Quartò* Probatur ab Alexandro Halenſi *in.* 3. *par. quæſt.* 34. *memb.* 1. *art.* 2. pluribus Philoſophicis, ac

Theologicis rationibus, quarum illa præcipua eſt, nimirùm, quòd cùm non poſſit quiſpiam occidere alterum Nocentem, quàmuis Iuſtè Damnatum à Iudice, non à quolibet occidendum; *multò minùs Se, nec Nocentem, nec Damnatum* necare poteſt.

Quinta ratio. Scotus. *Quintò* Probatur ex Scoto *in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 2.* vbi ait: Nullus debet Sibi mortem inferre, quia nullus debet eſſe homicida Sui, *ſine ſpeciali Præcepto Dei*.

Sexta ratio. Vaſquez. Turrian. Occiſio ſuipſius quomodò ſit peccatum contrà Fortitudinem? *Sextò* Probatur ex Vaſquez, 1.2. *diſp. 102. cap. 5.* & Turriano, *diſp. 25. num. 11.* Non licere Seipſum occidere, quia hoc eſſet peccare *contrà Fortitudinem:* Fortitudo enim eſt Virtus moralis præcipiens debitum modum circà pericula; habetque duo extrema oppoſita, nempè *Timorem* vitioſum, quo redditur homo pauidus, quandò pauere non deberet, atque nimiam *Audaciam*, qua redditur homo temerarius, non timendo, quod timendum eſſet: Inter hæc vitioſa extrema conſiſtit ipſa moralis *Virtus Fortitudinis*, quæ timorem, & audaciam, quandò timendum, vel audendum eſt, humano in pectore excitat. Qui ergo ſibi mortem inferret, contrà Fortitudinem peccaret, non timendo mortem, quæ eſt contrà inclinationem à Natura inſitam ad conſeruandam propriam Vitam.

De Lugo. Cur non poſſit Homo de ſua Vita diſponere? *Septimò* Probatur ex De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom. 1. diſp. 10. ſect. 1. num. 9.* eadem ratione, quam attulit D. Thomas; quia nimirùm *Homo non eſt ſua Vita Dominus*, ac proindè non poteſt de Illa diſponere pro nutu, & Illam deſtruere; deſtructio enim rei eſt actus proprius Domini, qui poteſt pro libito de re ſua diſponere. Qui ergo non eſt *Dominus*, ſed ſolùm *Adminiſtrator*, non poteſt Vitam deſtruere, ſed Eam debito modo adminiſtrare, ac conſeruare debet.

4 Confirmatur *Primò*, auctoritate D. Auguſtini *lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 20.* Auguſtin. *Neque enim fruſtrà*, inquit, *in Sanctis Canonicis Libris vſquàm nobis diuinitùs præceptum, permiſſumue reperiri poteſt, vt vel ipſius adipiſcendæ Immortalitatis, vel vllius carendi, cauendique mali cauſa, Nobiſmetipſis necem inferamus: nam & prohibitum nobis eſſe intelligendum eſt, vbi lex ait, Non occides.*

Excuſantur, quos Scriptura refert ſeipſos occidiſſe. Idem Auguſtinus, *cap. 21. eiuſdem libri de Ciuitate Dei*, excuſat nonnullos, qui cùm Sibi mortem conſciuerint, à Diuinis tamen Scripturis non condemnantur; quia Deo iubente, ſeù impellente, id fecerunt. Et *cap. 23.* de nonnullis Ethnicis, qui ſibi mortem intulerunt, ſic ait: *At enim multi Se interemerunt, nè in manus hoſtium peruenirent?*

Et reſpondet: *Non modò quærimus, vtrum ſit factum, ſed vtrum fuerit faciendum. Sana quippè ratio etiam exemplis anteponenda eſt: cui quidem & exempla concordant; ſed illa, quæ tantò digniora ſunt imitatione, quantò excellentiora pietate.* Proſequitur deindè, ac oſtendit, non Patriarchas, non Prophetas, non Apoſtolos Sibi mortem conſciuiſſe, nec Chriſtum Dominum id eis præcipiſſe, quinimmò expreſsè prohibuiſſe, cùm dixerit Eis, vt ad declinandam perſequutionem de Ciuitate in Ciuitatē migrarent. Verba Auguſtini hæc ſunt: *Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apoſtoli; quia, vt ipſe Dominus Chriſtus, quandò Eos, ſi perſequutionem paterentur, fugere admonuit de Ciuitate in Ciuitatem, potuit admonere, vt ſibi manus inferrent, nè in manus Perſequentium peruenirent. Porrò, ſi hoc Ille non iuſſit, aut monuit, vt hoc modo Sui ex hac Vita migrarent, quibus migrantibus manſiones æternas ſe præparaturum eſſe promiſit: quælibet exempla opponant Gentes, quæ ignorant Deum, manifeſtum eſt, hoc non licere colentibus vnum verum Deum.* Hæc D. Auguſtinus. Ratio ex D. Auguſtino, cur ſeipſum non liceat interimere.

5 Confirmatur *Secundò*, auctoritate Platonis *in Phædone*, vbi *Sic* inquit, *Iraſcitur Deus, cùm quis Se occi-* Plato.

dit, ſicut Dominus cùm Seruum ſuum viderit Se occidere.

Tullius. Confirmatur Tertiò, auctoritate Tullij, *lib. de Somnio Scipionis*, vbi ait: *Omnibus retinendus animus eſt in cuſtodia corporis, nec iniuſſu eius, à quo ille eſt Vobis datus, ex hominum Vita migrandum eſt, nè munus humanum aſſignatum à Deo, defugiſſe videamini.*

Proponuntur, & Diluuntur Oppoſita Argumenta.

Primum Argumentum. 6 OBIICITVR *Primò*. Naturalem inclinationem non ſemper eſſe bonam, immò quandòque etiam malam; quapropter contrà illam facere, eſt meritorium, reprimendo Naturales motus, & appetitus, quibus *Caro concupiſcit aduerſus Spiritum:* ergo non valet inferri, ex eò, quòd Seipſum occidere, ſit contrà Naturalem inclinationem, proindè Illicitum ſit; Quinimmò videtur colligi poſſe oppoſitum; quia cùm inclinatiò hominis ſit ad malum, potiùs colligitur eſſe bonum facere contrà Illam.

Sotus. Victoria. Duplex eſt Hominis Inclinatio, Generica, & ſpecifica. RESPONDENT Sotus, *lib.5. de Iuſt. & iur. quæſt.1. art.5.* Victoria, *Relectione de homicidio. à num. 2. & ſeqq.* Quòd licèt inclinatio hominis generica, vt *animal eſt*, ſit ad malum, cùm ex appetitu ſenſitiuo rationi contrario oriatur, & ità nonnunquam bonum ſit agere contrà Illam; tamen inclinatio Specifica hominis, *vt homo eſt*, bona eſt, & ad bonum inclinat, cùm rationalis ſit, vt ad eſſe Beatum; & huiuſmodi eſt inclinatio ad propriam vitam.

Nauarra. *Sed inſurgit* Petrus à Nauarra *lib.2. de Reſtitut. cap.3. num.25.* tali pacto. Primùm, falſum ſupponi inclinationem viuendi eſſe rationalem; ſed Naturalem eſſe homini, *vt animal eſt:* omne enim animal, naturaliter appetit eſſe, & viuere, ſuique conſeruationem. Vndè Chriſtus Dominus, licèt ſecundùm partem rationalem mori cupiebat, tamen naturaliter, vt viuens erat, mortem fugiebat. Nec eſt dicendum, Chriſtum contrà Naturalem inclinationem ſpecificam, & rationalem feciſſe, mortem optando, ſed ſolùm contrà Naturalem genericam, quà viuens erat. Vita enim intellectualis, nec perditur morte, vt patet, cùm anima ſit immortalis. Inclinatio hominis ad vitam, an ſit rationalis? Prima ratio pro parte negatiua.

Secunda ratio. Inclinatio ad ſciendum, non ſemper eſt bona. *Præterea*. Inclinatio hominis ad ſciendum, conuenit homini, vt *homo eſt*, & tamen non ſemper eſt bona; immò facere contrà Illam ſæpè bonum eſt, nimirùm, *non plus ſapere, quàm oportet ſapere;* cùm tamen ad omne genus ſcientiæ, homo naturaliter inclinetur: *Omnis enim homo*, teſte Ariſtotele *1. Metaph. naturaliter ſcire deſiderat*, vndè ſæpe ſecreta, & alia, quæ non oportet, ſcire naturaliter deſideramus. Ariſtoteles.

Tertia ratio pro parte negatiua. Agere contra inclinationem non ſemper eſt malum. *Tandem*. Dato omnem hominis inclinationem, quà homo eſt, bonam eſſe, non indè infertur, quòd facere contrà Illam ſit malum: conſtat enim inclinationem Naturalem hominis ad generationem via Matrimonij, licitam eſſe, & bonam; & tamen *benè facit*, immò *meliùs facit, qui Matrimonio non iungit Virginem ſuam*, teſte Apoſtolo *1. Ad Corinth. cap.7.* D. Paulus.

Reſponſio ad primũ arg. Caſtro. Hominis inclinatio ad Vitam, eſt recta, ac rationalis. *Reſpondetur* tandem cum Caſtro, *de Hæreſ. lib.10. verbo, Martyrium.* talem Inclinationem eſſe Naturæ rectæ, non deprauatæ, cuius ſignum eſt, ait Ille, quòd in Chriſto fuit, quia naturaliter refugiebat mortem. Si ergo illa eſt inclinatio naturæ ad Vitam: ergo recta eſt, & ità contrà illam agens conuincitur malè agere, ac proindè *illicitum eſſe*, recta, & naturali ratione aduerſante, ſibiipſi mortem inferre.

Secundū Argumētum.

7 OBIICITVR *Secundò* ex De Lugo. Neque Seipſum occidere eſſe peccatum Iniuſtitiæ propriè dictæ contrà Rempublicam; poſſet enim contingere, vt homo Seipſum occidendo nulli Reipublicæ Iniuriam inferret; *I.* vt ſi v. g. *vnus ſolus homo eſſet in Mundo*, qui ſi Se occideret adhùc peccaret, quàmuis nulla exiſteret tunc Reſpublica. *II.* Si eſſet aliquis *Solitarius*, *vel Vagus* nulli Reipublicæ addictus, adhùc peccaret ſe occidendo, licèt nulli Communitari Iniuriam inferret. *III.* Quia poteſt Ciuis *ſe in aliud Regnum transferre*, quo caſu non minus Se ſuæ Reipublicæ ſubtraheret, quàm ſi Se occideret. *IV.* Quia poteſt talis eſſe, qui Se occidit, *vt potius grauis*, & moleſtus Reipublicæ ſit, *quàm vtilis:* quarè tunc Reipublicæ nullum damnum infertur. *Tandem*, quia ſi ex hoc ſolùm capite peccat, qui ſe occidit, elueretur tota illa malitia, & culpa, ſi Reſpublica ipſa *conſenſum*, & *licentiam* præberet, vt Se occideret, ſi vellet; & tamen nemo dicet, tunc non fore peccatum.

Rationes aliquorū bitandi, an ſeipſum occidere, ſit peccatum Iniuſtitiæ contrà Rempublicam.

Reſponſio ad ſecundum Arg.

8 RESPONDETVR. Rationem illam deſumptam ex Iniuſtitia contrà Rempublicam probare eſſe illicitam occiſionem Suiipſius, poſito, quòd nunc quilibet homo ſit alicui Reipublicæ addictus, à qua inuita ſi Se ſubtraheret, Iniuſtus eſſet. Ideò *ad Primum* dicitur. In caſu quo Vnus homo eſſet in Mundo, adhùc ſi Se occideret, *Iniuſtus eſſet*, non quidèm contrà Rempublicam, ſed ſuo modo contrà Deum.

Solutio primæ rationis oppoſitæ.

Ad Secundum. Homo Vagus, & Solitarius eſſet adhùc alicui Reipublicæ addictus, vel Illi, vbi Natale ſolum habuit; vel Illi, vbi degit, quàmuis à cæterorum conſortio ſegregatus, ac proindè adhùc contrà Rempublicam Iniuſtitiam exerceret.

Solutio ſecundæ rationis.

Ad Tertium. Ciuis in alienum Regnum tranſmigrans, eſſet addictus illi Reipublicæ, ad quam Se tranſtulit, cui Iniuriam inferret, Se occidendo.

Solutio tertiæ.

Ad Quartum. Quàmuis Ciuis aliquis grauis, & moleſtus Reipublicæ eſſet, adhùc tamen ſi Se occideret, Illi Iniuriam inferret: effugeret enim iuſtas, ac legitimas pœnas, quibus iuridicè puniendus eſſet. Non poteſt enim Reus eſſe ſuiipſius Iudex, Nec Iuſtitiæ exequutor.

Solutio quartæ.

Ad Quintum. Dabitur infrà Reſponſio, cur non poſſit homo, Republica iubente, Seipſum interimere.

Solutio quintæ rationis.

9 OBIICITVR *Tertiò* ex De Lugo. Neq; Seipſum occidere eſſe peccatum cōtrà *Fortitudinem*; quia non eſt temerarius, ſed fortis, qui ex Iuſta cauſſa Se exponit Mortis periculo, vt conſtat in *Milite*, & multò magis in *Sacerdote* exponente Se aperto pericŭlo Contagij lethalis, vt miniſtret Sacramenta Peſte Infectis; quia Hi ex graui cauſſa, & propter maius bonum contemnunt propriam Vitam, & operantur contrà inclinationem Naturalem ad Vitæ Conſeruationem: ergo pariter dici poteſt, non eſſe contrà Fortitudinem, neque temerarium Sibi mortem inferre in aliquo caſu.

Tertium Argumētum.

RESPONDETVR. Negando Conſequentiam: Et ad Exempla, de Milite, & Sacerdote, datur diſparitas; quia Illi, vel militando, vel miniſtrando Sacramenta, *non Se directè interimunt*, ſed tantummodò laudabiles actiones exercent, quæ mortis periculum annexum habent; ac proindè ratione publicæ Vtilitatis, vel Salutis ſpiritualis Proximi, poteſt adiri tale mortis periculum, vt toti Communitati in Bellico Conflictu, vel in Contagio ſubueniri poſſit.

Reſpōſio.

OBIICITVR *Quartò*. Habet *Iudex* poteſtatem interficiēdi Reos: ergo ſi ipſemet Iudex eſſet Reus mortis, poſſet ipſemet contrà Seip-

Quartum Argum.

ſum

ſum Sententiam mortis ferre, & exequi, Seipſum interficiendo.

Reſpõſio. RESPONDETVR Negando Conſequentiam. *Nemo enim conſtituitur Suiipſius Iudex*, quia nemo de Seipſo rectè iudicare poteſt; quarè ſicut *Aegroto Medico* non eſt committenda Suiipſius Curatio, ità neque *Malefactori Iudici* Seipſum condemnare.

Nemo pòt eſſe Suiipſius Iudex.

Sextum Argum. OBIICITVR *Sextò*. Concurrentibus duobus malis, quorum alterum neceſſariò eſt eligendum, tunc *licitum eſt eligere minus malum, ad euitandum maius*: ergo concurrente ſimul Iactura Vitæ, & Iactura Pudicitiæ v. g., licitum erit Vitam potiùs, quàm Pudicitiam amittere.

Reſpõſio. RESPONDETVR, Quamcumque Iacturam rerum temporalium, minorem eſſe Iactura Vitæ; cùm ex Ariſtotele 3. *Ethic. Mors ſit vltimum temporalium malorum*; vndè qui mortem eligeret ad præcauenda alia damna temporalia, cenſeretur eligere maius malum, vt euitaret minus.

Ariſtoteles.

In Caſu autem, quo, vel Vitæ, vel Pudicitiæ periculum ſubeundum eſſet, *Virgo*, quæ Se occideret, vt Stuprum caueret, *maius peccatum eligeret, vt euitaret minus*: tunc enim præciſo conſenſu peccaminoſo, ſi Vim pateretur inuita, Virginitatem formaliter non amitteret, immò duplicaretur Ei ad Coronam; vt benè ait D. Lucia ad Paſchaſium Tyrannum: *Si me inuitam iuſſeris violari, Caſtitas mihi duplicabitur ad Coronam*.

Præciſo conſenſu peccaminoſo, non amittitur Caſtitas.

D. Lucia.

Septimũ Argum. OBIICITVR *Septimò*. Homo per *liberum arbitrium* eſt Dominus Suiipſius: ergo poteſt Seipſum interimere.

Reſpõſio. RESPONDETVR, Hominem conſtitutum eſſe Dominum Suiipſius, hoc eſt *ſuarum Actionum*, de quibus omnibus, prout libero arbitrio ſubſunt, diſponere poteſt; non autem *de Vita*, quæ Dei poteſtati, à quo Illam recepit, tantùm ſubditur: Deus enim eſt Vitæ, & Mortis Dominus, iuxtà illud *Deuter. 32. Ego occidam, & Ego viuere faciam, percutiam, & Ego ſanabo. Et Sapient. cap. 16. Tu es Domine, qui Vitæ, & Mortis habes poteſtatem*. Deut. 32. Sapiẽt. 16.

13 Quòd ſi quæras. Quomodò probari poſſit, hominem non eſſe Dominum ſuæ Vitæ?

Reſpondetur cum De Lugo *loc. cit.* Rationem eſſe, quia *Dominium*, vt ex ipſo conceptu, & definitione conſtat, inuoluit aliquid relatiuum, ſicuti *Paternitas*, & *Magiſterium*: quarè ſicut nemo poteſt *eſſe Pater, vel Magiſter Suiipſius*, ità nec poteſt eſſe *Suiipſius Dominus*: nàm Dominus ſemper dicit ſuperioritatem reſpectu illius, cuius eſt Dominus. Vndè nec Deus ipſe poteſt eſſe Dominus Suiipſius, quamuis poſſideat perfectiſſimè Seipſum. De Lugo. Ratio, cur homo nõ ſit Dominus ſuæ vitæ.

14 OBIICITVR *Octauò*. Homo, vt probatum eſt, nec eſt, nec eſſe poteſt Suæ Vitæ Dominus: ergo, nec iubente Deo, poteſt Seipſum interimere. Conſequens eſt falſum; ergo & Antecedens. Octauum Arg.

RESPONDETVR negando Conſequentiam. In tali enim euentu, quo Deus mortem iuberet, homo *non acquireret Dominium ſuæ Vitæ*, & deindè vt Dominus Illam deſtrueret, ſed tantummodò ageret, *vt Miniſter, & Inſtrumentum Dei*, qui eſt propriè Dominus illius Vitæ. Reſpõſio.

15 OBIICITVR *Nonò*. Poteſt Iudex cuicumque committere, vt occidat Reum, legitimè Capite Damnatum: *ergo etiam ipſi Reo*: ergo ſaltem in hoc Caſu poterit quis Seipſum directè occidere. *Confirmatur*: Quia in poſito caſu, quæuis ratio oppoſita ceſſaret: tunc enim Reus non ageret contrà *Charitatem* Sui, neque contrà *Iuſtitiam*, neque contrà *Præceptum, Non occides*, quia non occideret *Innocentem*, neque *propria authoritate*, neque abſque *Iuris ordine*, nec vlla denique ratio Nonum Arg. Reus an poſſit iubente Iudice ſeipſum interficere?

affer-

afferri poteſt, cur tunc non liceret ſaltem abſque peccato mortali: ergo &c.

Quòd ſi dicatur: Id non licere, quia eſſet contrà Naturalem inclinationem, ac nimium crudele in Seipſum ſæuire. *Reſponderi poteſt:* Ex hoc nihil aliud ſequi, niſi Reum *non teneri* in Se exequi, neque *Iudicem id poſſe præcipere, ità vt obliget* in Conſcientia, non proindè valet inferri, Reum ſponte non poſſe hanc commiſſionem ſuſcipere.

Reſponſio ad nonum Arg. RESPONDETVR. Non poſſe Iudicem committere Reo, quòd Seipſum interficiat; quia *Punitio*, quam poteſt Iudex præcipere *eſt actus Iuſtitiæ vindicatiuæ*, quam non poteſt Reus exercere in Seipſum, cùm Iuſtitia eſſentialiter *ſemper debeat eſſe ad alium*: ergo non poteſt Reus aſſumi à Iudice, vt Inſtrumentum, ſeu Miniſter ad talem actionem, quæ repugnat eſſentialiter ipſi Reo, nempe ad puniendum ſeipſum, ſeù ad exercendum actum Iuſtitiæ circà Seipſum; vt benè ait De Lugo *loc. cit. num.* 12. & hanc rationem attulerat D. Thomas *dicto art.* 5. *ad* 2. dicens: Quòd malefactor non poteſt Se interficere, quia nullus eſt Iudex Suiipſius.

(De Lugo. D.Thom.)

Decimũ Arg. 16 OBIICITVR *Decimò.* Quandò, iubente Deo, aliquis Seipſum occidit, tunc occiſio illa, *prout à Deo*, eſt *actus Dominij*, non verò prout ab homine, Diuinum exequente Mandatum: ergo pariter dici poterit: Punitionem, qua Reus Seipſum, iubente Iudice occideret, eſſe actum Iuſtitiæ vindicatiuæ, *prout à Iudice* mandatè prouenit, quamuis non ſit talis, prout eſt ab ipſomet Reo, Iudicis Iuſſa exequente: ipſi enim mandatur ſola occiſio Sui, ad quod ſufficit, quòd ipſa ſit actus Iuſtitiæ, reſpectu mandantis, licèt non ſit talis, prout eſt ab exequente.

Reſpõſio. RESPONDETVR. Dando diſparitatem; quia iubente Deo Occiſionem, *tollitur omnis malitia*, quæ erat in occiſione Sui, cùm ipſe Deus, tunc de Vita hominis, cuius Dominus eſt, iuſtè diſponat: at iubente Iudice, *non tolleretur malitia*; quia occiſio humano Iure facta, tunc licita eſt, quandò fit *ad Defenſionem, vel ad Punitionem:* In Caſu autem poſito, non poteſt Occiſio Suiipſius cohoneſtari, nec titulo *Defenſionis*, vt patet, nec titulo *Punitionis*, vt ſuprà probatum eſt. Dicendum eſt ergo ſimpliciter; Non poſſe Reum Seipſum, iubente Iudice, interimere.

(Cur poſſit homo ſi Deus præcipiat ſeipſum interimere, non autẽ ſi id Iudex præcipiat?)

Proponuntur, & Diluuntur alia Argumenta, ex SS. Patrum Teſtimonijs, & ex Sacris Hiſtorijs deducta.

17 OBIICITVR *Primò* Teſtimonium D. Hieronymi, cuius verba referuntur *in cap. Non eſt Noſtrum.* 23. *qu.* 5. *Non eſt Noſtrum*, inquit, *mortem arripere, ſed illatam ab Alijs, libenter excipere. Vnde, & in perſequutionibus, non licet propria perire manu, (ABSQVE EO VBI CASTITAS PERICLITATVR) ſed percutienti colla ſubmittere*: ergo ex D. Hieronymo, videtur aliquandò licere propria manu perire, quandò ſcilicet Caſtitas periclitatur. Primum Argum. S.Hieron.

RESPONDETVR, cum Gloſſa, & Turrecremata, *ibi:* Particulam illam, *Abſque eo*: non eſſe intelligendam *excluſiuè, ſed incluſiuè*. Et ſenſus eſt, vt communiter explicant Doctores: Quòd non liceat perire propria manu, *Abſque eo, vbi Caſtitas periclitatur*; ideſt *ETIAM vbi Caſtitas periclitatur*. Ad id confirmandum adducunt illud *Canticorum* 4. *Pulchræ ſunt genæ tuæ, ABSQVE EO, quòd intrinſecùs latet.* vbi particula illa. *Abſque eo*, non ſumitur *excluſiuè*, quatenùs

(Prima Reſponſio. Turrecré. Vbi periclitatur caſtitas, non licet ſibi necem inferre.)

id quod eſt intrinſecum, non ſit pulchrum, *ſed ETIAM pulchrum*.

Secunda ſponſio.

xplicanr ſecunò verba .Hieroymi.

Vel Secundò, Reſponderi poteſt cum Molina: Etiamſi particula illa ſumeretur *excluſiuè*, intelligenda tamen eſſet *iuxtà legem extraordinariam*, quandò Deus per internam motionem, ac inſtinctum, vel ſignificaret, vel præciperet mortem ſubeundam eſſe. Quapropter nihil contrà noſtram Sententiam D. Hieronymi authoritas obſtaret; noſtra enim Concluſio procedit, ſeruata lege ordinaria, ac rei natura inſpecta.

Scio Alijs hanc Interpretationem duriuſculam videri; ac proindè reſpondent Ipſi: Non reputari inconueniens D. Hieronymum in ea Sententia tunc fuiſſe, in qua multi fuerant Phyloſophi. Ità Bañes, *quæſt.64. art.5. dub.*1. Couarruuias, 1.*Variar. cap.2. nu.9.* Leſſius, *lib. 2. cap. 9. dub. 6. num.* 23. & Alij, quos refert Salonius, *dict. art.5. Controuerſ. vnic. in fine*.

Bañes. Couarru. Leſſius. Salonius.

Secundũ Arg. ex Sāpſonis nteritu.

Ad Hebr. 11.

18 OBIICITVR *Secundò:* Sampſonem Seipſum interemiſſe, vnà cum Philiſtæis; & tamen à D. Paulo *ad Hebræos* 11. commendari, & inter Sanctos enumerari: *Deficiet me tempus* (inquit Apoſtolus) *enarrantem de Gedeon, Barac, SAMPSON, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt Regna, operati ſunt Iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones &c.* Ergo Sampſonis exemplo, ad ſumendam ex hoſtibus vltionem, Seipſum quoque interimere licet.

Reſpōſio.

Sampſon diuinitùs inſpiratus, ſibi necē intulit.

RESPONDETVR: Sampſonem *Diuinò inſtinctu*, ac voluntate ſibi mortem conſciuiſſe, quinimmò, & ad tale facinus patrandum, ſupernaturales vires diuinitùs obtinuiſſe; ideòque D. Paulus inter Sanctos eū enumerat, cum perhonorifica, ac laudabili meritorum teſtificatione. Ità communiter ſentiunt Patres, ac præſertìm Auguſtinus *lib.1 de Ciuitate Dei. cap.17. &* 18.

S.Auguſt.

& refertur *in cap. Si non licet*, 23. *q.*5. vbi ait: *Nec Sampſon aliter excuſatur, quòd Seipſum cum Hoſtibus ruina Domùs oppreſſit, niſi quia Spiritus latenter hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat.* Conſentiunt cum Auguſtino cæteri Patres, ac vniuerſus Theologorum cætus cum D. Thoma 2. 2. *qu.* 64. *art.*5. *ad* 4.

S. Thom.

Vndè colligitur, quòd Deº Sampſone inſpirauerit?

Abulēſis.

19 Quòd autem ità Deus Sampſoni inſpiraſſet, probat Abulenſis *lib.*1. *Reg.cap.*31. *quæſt.*9. *in fine*. Vbi ait: De Sampſone autem dicendum eſt, quòd Deus inſpirauerit Ei, quòd Se occideret, vt occideret multos de Philiſtinis; quod apparet *Iudicum cap.*6. Nàm Philiſtini illudebant Sampſoni, in vituperium Dei Iſraël; Ipſe autem inuocauit Deum, vt reſtitueret Ei fortitudinem, & reſtituit immediatè, concutienſque Domum, fecit eam corruere. *Si tamen Deus non conſenſiſſet huic morti, non exaudiſſet Ipſum orantem. Exaudiuit tamen, quia illicò reſtituit Ei fortitudinem: ergo inſpirauit Ei, quòd Se occideret, & ſic eſt excuſabilis, & omnes Eum excuſant.* Ità Abulenſis.

Iudicum c. 6.

Tertium argum.

1.Machab 6.

Eleazarus mortis periculo ſe expoſuit.

20. OBIICITVR *Tertiò*. 1.*Machab. cap.*6. valdè commendatur Eleazarus, qui vt liberaret Populum, mortis periculo ſe expoſuit: *Vidit enim vnam de beſtijs loricatam loricis Regis, quæ erat eminens ſuper cæteras beſtias, & viſum eſt Ei, quòd in Ea eſſet Rex; & dedit Se periculo, vt liberaret Populum ſuum, & acquireret Sibi nomen æternum, & cucurrit ad Eam audacter in medio Legionis interficiens à dextris, & à ſiniſtris; & cadebant ab Eo hùc, atque illùc, & iuit ſub pedes Elephantis, & ſuppoſuit Se ei, & occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic.* Ergo qui Seipſum occideret, ſaltem in aliquo caſu, non ſolùm licitam, ſed & laudabilem gereret actionem.

Prima reſponſio ad tertium arg.

RESPONDETVR: Eleazarū ex Virtute Fortitudinis, ex Zelo Fidei, ac Religionis pro quibus pu-

gnabat, & ex Dei amore potuiſſe illi periculo Se exponere. Et id eſſe, quod ſignificatur illis verbis: *Et dedit ſe periculo*, ſcilicet mortis, vt liberaret Populũ ſuum, incertus an egrederetur indè, antequàm beſtia caderet, ipſumque opprimeret, & an caderet in latus vnũ, itàvt Ipſe incolumis remaneret.

Diſcrimẽ vitæ ſubire in bello laudabile eſt, ac remuneratione dignum.

Porrò, hæc, & alia Militaria diſcrimina in dies, ſtrenui Milites Iuſtè belligerantes ſubeunt, abſque culpæ macula; immò ſi in gratia ſint conſtituti, ac Militares labores in Deum dirigant, præmium eos manet in Cælis, & in hac etiam Vita maximis honoribus, ac præmijs, eos ſolent Principes ornare, quos ſciunt impauidos Inimicorũ Mœnia, aut Turres conſcendiſſe, in hoſtiles Naues audacter tranſiliuiſſe, aut primos in acie conſtitiſſe, id tamen eis Iuſtè belligerantibus, vt dixi, culpæ non adſcribitur, quàmuis huiuſmodi ex actionibus mors ſæpiſſimè ſequatur.

Eleazarus mortem ſibi non intulit.

21 Eleazarus igitur, non Seipſum *directè* interemit, ſed tanquàm ſtrenuus Bellator id agere auſus eſt; vndè mors Ipſius ſequuta fuit, cum magno periculo, vt ſequeretur; idque ad gloriam, ac meritum illius ceſſit, ſi in gratia tunc erat conſtitutus, vt conſtitutum fuiſſe credendum eſt, præſertim cùm tam bono fine pugnaret, ignarus, an fortè ex tali periculo incolumis euaderet. Quapropter D. Ambroſius ſummopere illum commendat *lib. 1. Offic. cap. 40.* *Quanta* (inquit, de Eleazaro loquens) *virtus animi, primò, vt mortem non timeret, deinde vt circumfuſus Legionibus Inimicorum, in confertos raperetur hoſtes, medium penetraret Agmen, & contempta morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque in manu vulneratæ molem beſtiæ ſubiret, ac ſuſtineret, poſt infrà ipſam ſuccederet, quo pleniori feriret ictu, cuius ruina incluſus magis, quàm oppreſſus, ſuo eſſet ſepultus triumpho.*

Ambr.

Quartum Argumentũ ex Raziæ interitu.

22 OBIICITVR *Quartò*: In Sacris Litteris, valdè etiam commendatur *lib. 2. Mach. cap. 14.* Razias, qui ſibi necem intulit, ſpontè eligens, propria potiùs, quàm hoſtili manu occumbere: cùm enim à Satellibus Nicanoris comprehenderetur, gladio ſe petijt, eligens (vt ſacræ loquuntur Litteræ) *nobiliter mori potiùs, quàm ſubditus fieri Peccatoribus, & contrà Natales ſuos, indignis iniurijs agi.* Sed adhùc, ſeù Iræ, ſeù Zeli ſtimulis agitatus, illata ſibi vulnera, nouis cumulauit vulneribus, cùm enim per feſtinationem non certo Ictu plagam dediſſet, & Turbæ intrà Oſtia irrumperent, recurrens audacter ad murum, *præcipitauit ſemetipſum viriliter in Turbas, quibus velociter locum dantibus caſui eius, venit per mediam ceruicem, & cùm adhùc ſpiraret, accenſus animo ſurrexit, & cùm ſanguis eius magno fluxu deflueret, & grauiſſimis vulneribus eſſet ſaucius, curſu Turbam pertranſijt, & ſtans ſuprà quandam petram prœruptam, & iàm exanguis effectus* (heu quouſque humanæ mentes rapiuntur) *complexus inteſtina ſua vtriſque manibus proiecit ſuper Turbas, inuocans Dominatorem Vitæ, ac Spiritus, vt hæc ſibi iterùm redderet* (in die ſcilicet vniuerſalis reſurrectionis) *atque ita Vita defunctus eſt*. Ergo licitum eſt Seipſum aliquandò interimere.

Lib. 2. Mach. c. 14

Prima reſponſio ad quartum argumentum.

23 RESPONDET D. Thomas 2. 2. *quæſt. 64. art. 5. ad vlt.* & cum eo Sotus *in 5. de Iuſt. & Iur. quæſt. 1. art. 5.* & Abulenſ. *in cap. 5. Matth. quæſt. 112.* Raziam excuſandum non eſſe à culpa, illumque actum non fuiſſe veræ *Fortitudinis*, ſed potiùs ſignificaſſe quandam animi *Mollitiem*, non valentis mala pœnalia ſuſtinere.

D. Thom. Abulenſ. Sotus.

Seipſum interficere, potiùs puſillanimitatis, quàm magnanimitatis indiciũ.

Quod autem Sacra dicat Hiſtoria, Eum maluiſſe *nobiliter mori*, id non eſſe intelligendum, *ſecundùm rei veritatem* (inquit Sotus) ſed *ſecundùm eius exiſtimationem*. Enimuerò, qui ſibi mortem inferunt ad huius vitæ ærumnas fugiendas, non ſunt, vt *Magnanimi* apud Viros Sapientes habendi, ſed vt *Puſillanimes* vituperandi, qui ferre non valentes huius vitæ

labo-

labores, maiora damna ſibi inferunt, quod vtique, non ad *Magnanimitatis* virtutem, ſed ad *Puſillanimitatis* vitium ſpectat; vt benè ait Ariſtoteles 3. *Ethic. cap. 7. in fine: Mortem ſibi conſciſcere ob fugiendam paupertatem, aut moleſtum aliquid, non FORTIS eſt hominis, ſed potius TIMIDI: eſt enim mollities, laborioſa fugere, atque non quia re honeſta oppetit Mortem, ſed quia malum fugit.*

Ariſtotel.

D. Auguſt.

Pariter D. Auguſtinus *lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 22. & 23.* idem docet, atque Amicos Catonis, idem de Catone cenſuiſſe refert, qui ſibi mortem intulit, nè Cæſari victori ſubeſſet: *De cuius facto* (hoc eſt de Catonis morte) *quid potiſſimum dicam*, inquit Auguſtinus, *niſi quòd Amici eius, etiam docti quidam Viri, qui hoc fieri prudentiùs diſſuadebant, imbecillioris, quàm fortis animi facinus eſſe cenſuerunt, quò demonſtraretur, non honeſtas turpia præcauens, ſed infirmitas aduerſa non ſuſtinens.*

Secunda reſponſio ad quartū argum.

Molina.

Razias ob ignorantiā, & zelum, excuſatur.

24 Vel Secundò Reſponderi poteſt cum Molina *de Iuſt. & Iur. tom. 4. tract. 3. diſp. 9. num. 4. in reſponſ. ad 3.* Raziam *ob Ignorantiam* coniunctam cum Zelo boni communis, Fidei, ac Religionis, fortè excuſandum fuiſſe à culpa violentæ mortis ſibi illatæ. Neque enim, inquit Molina, eſt abſurdum aliquod, Deum permittere *Ignorantiam inculpabilem* in nobis, vt actus ex illa bonus, ac meritorius reddatur, quòad reliqua, quæ in eo actu optima ſunt: atque hac de cauſa Scriptura Sacra in eo loco non vituperat, ſed potiùs eo modo Raziam laudat. Sed de hac inuincibili ignorantia, quæ dari poteſt in homicidio ſuiipſius, infrà redibit ſermo.

Quintum argumentū, de Iis, qui ſe occiderunt, quos Eccleſia veneratur, vt Martyres.

25 OBIICITVR *Quintò*: Multos in Eccleſia coli vt Martyres, qui tamen directè ſeipſos occiderunt: Ità Beatus Ambroſius *lib. 3. de Virgin.* refert, Illuſtrem quandam Matronam, nomine Pelagiam, cum Filiabus ſuis Virginibus, captâ ab Hoſtibus Mediolanenſi Vrbe, cùm quidam Milites ſtuprare eas vellent, ſimulaſſe lætitiam, ac poſtulaſſe, vt concederetur eis choros aliquos priùs ducere, eoſque ducendo, *ſe præcipites dediſſe* in profluentem; quas tamen Ambroſius, *vt Sanctas* commendat.

Exemplū D. Apolloniæ.

Pariter D. Apollonia ſeipſam in ardentem rogum coniecit: nec proindè talis actio illicita cenſetur, quinimmò ab omnibus celebri Encomio commendatur.

Reſponſio ad quintū argum.

RESPONDETVR ad hæc, & ſimilia exempla: Prædictas Virgines *diuinitùs inſpiratas*, vel in flammas, vel in vndas ſe præcipites dediſſe. Ità excuſat Eas D. Auguſtinus *loco ſuperiùs cit.* ſicuti etiam de Sampſone diximus.

Reſponſio ad exemplum D. Apolloniæ.

Sotus.

26 Ad illud D. Apolloniæ, Reſpondet Sotus, citans Auguſtinum: Vel veram non eſſe omninò hiſtoriam, vel ſi vera eſt, dicendum, quòd iàm erat *tàm rogo admota, vt penè eſſet coniecta*. Vel quòd cùm eſſet *Fœmina*, acuminiſque adeò Iuris *inſcia*, per *inuincibilem ignorantiam* ſit excuſanda.

Secunda reſponſio ad exemplum D. Apolloniæ.

Vel tandem dicendum: *Dei inſtinctu*, apertaque illius motione, dictam Virginem in flammas exiliuiſſe, ad confundendos Paganos, ad Catholicæ Fidei veritatem ſignificandam, ad oſtendendam charitatem, ac deſiderium patiendi pro Chriſto, cuius amoris igne in Eius pectore flagrante, exteriores non timuit flammas. Nàm, vt alibi benè ait D. Leo, *huius ignis flammis, ſuperari charitatis Chriſti flamma non poteſt, & ſegnior eſt ignis, qui foris vrit, quàm qui intùs accendit*. Habet Chriſtiana Reſpublica ſuas quoque Amazonas, quæ, vt ad optatam Martyrij palmam arripiendam euolent, diuini Amoris munitæ alis, per medias hoſtium acies impauidæ volant, reuolantque; ac, vt inquit Ille

S. Leo.

Ingentes animos anguſto in pectore verſant.

Ethnicæ quædam Mulieres, cur ſibi-ipſis necem intulerint.

27 Non idem de quibuſdam Ethnicis Mulieribus dicendum eſt, quas non Dei inſtinctus, nec mandatum, Sed modò inſanus *Furor*, eas ad Violentam traxit necem, vt inter cæteras nobilis illa extitit Romana Matrona, Bruti Vxor Porcia, quæ Viri morte audita, Seipſam, cùm ferro non poſſet, igne peremit,

Martial. lib.1. Epig 43.

Coniugis aud:ſſet Fatum cũ Porcia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma dolor;
Nondum ſcitis, ait, mortem nõ poſſe negari?
Crediderã fatis hoc vos docuiſſe Patrẽ.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas:
I nunc, & ferrum turba moleſta negà.

D. Aug.

Quandoque etiam ſola humanæ laudis cupiditas, ad ſibimetipſis necem inferendam Fœminas impulit; Quapropter D. Auguſtinus *lib. 1. de Ciuit. Dei cap.* 19. quàmuis de *Caſtitate* Lucretiam commendet, eam tamen de *homicidio* vituperat; dicit enim: *Quod ergo ſeipſa, quoniam Adulterium pertulit, etiam non adultera occidit, NON PVDICITIÆ CHARITAS, SED PVDORIS INFIRMITAS FVIT, pudnit enim eam turpitudinis alienæ in ſe commiſſæ, & humanæ Mulier laudis auida; verita eſt, nè putaretur libenter paſſa ſi viueret, ſociam quippè facti ſe credi erubuit, ſi quod Alius in ea fecerat TVRPITER, ferret ipſa PATIENTER: Non hoc Fœminæ Chriſtianæ fecerunt.* &c.

Sextum argum. ex Saule, qui ſeipſum interemit. Lyranus.

28 OBIICITVR *Sextò*. Saul Seipſum interfecit, & tamen talis occiſio, vt Hebræi, & etiam Lyranus opinari videntur, non imputatur illi ad culpam. I. Quia ſibi manus intulit, *nè illuderetur* à Philiſtæis, quorum irriſiones cederent *in contemptum Dei*. II. Quia Saulem, vt ipſi aiunt, ſuorum pœnituit peccatorum, audita mortis à Samuele Sententia, quam Dominus contrà ipſum, eiuſque Filios tuliſſet, eamque in ſcelerum pœnam humili animo admiſit, & ad eam luendam, promptè ad Caſtra, Pugnamque cucurrit, nec Suos, cùm poſſet, certæ morti eripere voluit. III. Quia dictum fuit ei à Samuele: *Cras tu, & Filij tui mecum eritis*. Aut ergo Ille ſaluus eſt cum Samuele, aut Samuel cum Saule perijt: Sed hoc impium eſt dicere, cùm certum ſit, Samuelem Virum Iuſtum, & Sanctum in cœtu Sanctorum Patrum, & Abrahæ ſinu collocatum fuiſſe. Dicendum eſt ergo, etiam Saulem fuiſſe ſaluatum. Ità pro Saulis ſalute argumentantur Hebræi, quibus fauere videtur Nicolaus de Lyra, vt refert Abulenſis, *quæſt. 9. in cap. 31. lib. 1. Reg.* Lyranus. Abulenſis

Reſponſio ad ſextũ argum.

29 RESPONDETVR cum communi Doctorum, & Sanctorum Patrum veriſſima ſententia, Saulem ſeipſum interficiendo, *grauiſſimè deliquiſſe, & æternis ſupplicijs addictum eſſe*. Et hanc eſſe vnanimem Catholicorum Sententiam Lyranus ipſe non negat, Ità apertè teſtatur Chryſoſtomus: *Quid commodi*, inquit, *cæpit infelix ille, ac miſer tot inſidias molitus Dauidi? Nonnè Regno excuſſus eſt, nonnè miſeranda morte perijt vnà cum Filio? Nonnè ab omnibus vituperatur, & quod his grauius eſt, æterna luit ſupplicia?* Et Bernardus *ſerm. 26. in Cantica*, inquit: Meritò Dauidem planxiſſe ſuper Saul, quem ait reſurrecturum, ſed non ad Vitam: *Immò ad Vitam, ſed vt viuus in morte infeliciùs moriatur.* Ad Argumentum igitur negandum eſt ſimpliciter, id quod vt certum, vel vt probabile aſſumitur.

Chryſoſt. rom 3. Hom. de Dauid, & Saule.

S. Bernar.

Soluuntur rationes adductæ in ſexto argum.

Ad Primam autem Rationem Reſpondetur: *Non eſſe facienda mala, vt eueniant bona: Nec maiora mala vltro accreſcenda, nè maiora contingat*. Quòd autem maius eſt crimen, quàm Seipſum, & quidem Principem Populi interficere? Et cur quiſquam certiſſimo ſuo crimine, alienum crimen incertum redimat, vel anteuertat? *Prætereà* euentus ipſe ſatis ſuperque docuit, Deo non fuiſſe cordi, vitari à Saule haſce contumelias, ſed ferri potiùs in pœnam, aut expiationem

Saul, ſeipſum licitè non occidit ad euitandas irriſiones Philiſthæorum.

cri-

criminum ſuorum; paſſus enim eſt poſtridiè ipſi caput abſcindi, & per vniuerſam Philiſthæorum Regionem circumferri, vt poſt varia procaciſſimę gentis ludibria, in Templo Dagonis affigeretur, corpuſque ipſum armis nudatum, ac veſtibus, vnà cum Corporibus filiorum eius, de muro, qui eis eſſet, inſtar patibuli, ſuſpenderetur. Itàque interficiendo Seipſum, *non vitauit, neque vitare potuit irriſiones, & contumelias*, ſiue eæ cederent in contemptum Dei, ſiue non cederent; ſed vitauit, ac vitare potuit ludibria, quæ viuo inferri poterant, quibus ille propter Deum, & in pœnam peccatorum ſuorum ferendis, præ animi infirmitate, par non fuit. Seipſum enim occidere, non eſt fortis, ſed inſanientis hominis furor, quod Ethnici quoque agnouerunt. Quamobrem, optimè inquit ille, de Fannio, qui nè ab hoſtibus perimeretur, Seipſum peremit.

Martialis lib. 2. Epig. 80.

Hoſtem cùm fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
Dic mihi non furor eſt, nè moriare, mori?

Secunda ratio ſoluitur.

Ad Secundam Rationem, Reſpondetur. Etiamſi Saulem ſuorum ſcelerum pœnituiſſet, non proindè licitum fuiſſet Ei, in pœnam Sibi mortem inferre, nè nouo crimine, præterita cumularet potiùs, quàm deleret.

Tertia ratio ſoluitur.

Ad Tertiam facilis eſt Reſponſio, nimirùm, Samuelis Oraculum; *Cras tu, & Filij tui mecum eritis*, non eſſe intelligendum, quòd *in eodem loco* cum Samuele futuri fuiſſent, ſed tantummodò *extrà præſentis Vitæ Statum*; itàvt ly *Mecum eritis*, non *ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem conditionem mortis referatur*. Ità Abulenſis, atque alij Sacrarum Interpretes Litterarum, quos curioſus Lector conſulere poterit; Nobis ſatis ſit pro huius Argumenti ſolutione hæc breuiter in præſenti attigiſſe.

Abulenſ.

31 Pro huius tandem Quæſiti Coronide, præteroundum non eſſe duxi, id, quod in Concilio Bracharenſi 1 *cap.* 34. conſtitutum eſt, & refertur *in Decret.* 2. 23. *quæſt.* 5. nimirùm, priuandos eſſe Eccleſiaſtica Sepultura, qui Sibimetipſis violentam inferunt mortem: *Placuit*, inquit Concilium, *vt qui Sibimetipſis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per ſuſpendium, vel quolibet modo Violentam inferunt mortem, nulla prorsùs pro illis in Oblatione commemoratio fiat: neque cum Pſalmis ad Sepulturam, eorum cadauera deducantur, &c.*

Concil. Brachar.

Decretal.

Seipſos occidentes priuandi ſunt Eccleſiaſtica ſepultura.

Nefas eſt igitur in Seipſum ſæuire, atque iniuſſu Summi illius Imperatoris de huius Vitæ ſtatione decedere velle, & Patriæ Ciuem, Vxori Virum, Filijs Parentem, Seruis Dominum, Neceſſarijs Amicum, & quod maximum eſt, Creatori ſuo Creaturã, per Vim rapere, atque huius lucis vſura Seipſum priuare, ſiue temporalium ærumnarũ tædio, ſiue æternæ felicitatis ſtudio id agere intendat. Et vt omnia paucis cum Auguſtino, & clariùs amplectar: *HOC DICIMVS, HOC ASSERIMVS, HOC MODIS OMNIBVS APPROBAMVS, NEMINEM SPONTANEAM MORTEM SIBI INFERRE DEBERE, velutì fugiendo moleſtias temporales, nè incidat in perpetuas: NEMINEM propter aliena peccata, nè hoc ipſo incipiat habere grauiſſimum proprium, quem non polluebat alienũ: NEMINEM propter ſua peccata præterita, propter quæ magis, hac Vita opus eſt, vt poſſint pœnitendo ſanari: NEMINEM, velut deſiderio Vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur: quia Reos ſuæ mortis, melior poſt mortem Vita non ſuſcipit.* Et hæc de directa ſuiipſius occiſione dicta ſufficiant.

Vltima ratio cur ſeipſum nõ liceat interimere.

S. Aug. de Ciuit. Dei cap. 26.

QVÆSITVM II.

Vtrùm poſſit Capite Damnatus haurire Venenum, iubente Iudice?

SVMMARIVM.

1 *Reus poteſt iubente Iudice Venenum haurire iuxtà primam ſententiam.*
Adducuntur rationes pro affirmatiua ſententia.

2 *Oppoſitum communiter docent Doctores.*
Reus non poteſt condemnari, vt mortem ſibiipſi inferat, ſed tantùm, vt illam patiatur, & paſſiuo modo ſe habeat circà illam.

3 *Eodem modo ſeipſum dicitur interficere, qui venenum haurit, quàm qui alio quouismodo necem ſibi infert.*

4 *Reus non peccaret, ſi coactus ſineret venenum ſibi applicari.*

5 *An Reo liceat os aperire, vt venenum ſibi miniſtratum hauriat?*

Prima ſententia.

Victoria.

Aragon.

Corduba.

Rationes aliquę pro hac ſententia.

1 PRIMA SENTENTIA EST AFFIRMATIVA, eamque tuentur Victoria, *Relection. de homicidio, num.30. ad argum.8.* Aragonius, *in 2.2. D.Thomæ quæſt.69. art.4.* & Corduba *lib. 1. quæſt. 36.* qui docent poſſe à Iudice huiuſmodi ſupplicio Reos puniri, ſicuti nunc quoque cæteris pœnis Capitalibus puniuntur. Etenim, ait Victoria, ſicut ſunt *alia ſupplicia* decreta contrà Nocentes, quarè non poſſet id inſtitui, *vt veneno* tolleretur, quod ſic illud ſupplicium poteſt eſſe iuſtum, cùm aliter illa pœna irrogari non poteſt, niſi vt illud *venenum epotet*, nihil videtur quòd non liceat ei haurire venenum, ſicut licet Damnato ad ſupplicium *aſcendere ſcalas*, & ei qui damnatus eſt gladio, *parare iugulum*, neque enim vnus magis *cooperatur* morti ſuæ, quàm alius. Ita Ille. Præterea addūt Alij, poſſe pariter Reum ſibi venam aperire, vt fuſo ſanguine ſuauiùs moreretur. poſſe ſibi linguam abſcindere, & ſimilia.

Secunda ſententia oppoſita, & cómunis.

D.Thom.

Morti adiudicatus paſſiuè tãtū poteſt ſe habere.

Caietan.

Sotus.

2 NEGATIVE tamen communiter Reſpondetur. Et Ratio eſt, quia Venenum illud potare, eſſet ſeipſum occidere, perindè ac ſi quis pugione ſe perfoderet. Quapropter D.Thomas *in 2. 2. quæſt. 69. art. 4.* apertè docet: Neminem à Iudice condemnari poſſe, vt ſibi mortem inferat, ſed vt mortem patiatur. Et iniquas fore eiuſmodi Sententias Iudicum, quæ Reos ſuimet Carnifices facerent, docent Caietanus *in Commenta. ad 7. Dubitat.* & Sotus *in 5. de Iuſt. & Iur. quæſt. 69. art. 4. in fine.* vbi addit: Neque Martyribus eiuſmodi Iudicibus parère liceret. Enimuerò, *qui morti adiudicatur, damnatur ad pati, non ad facere*, vt rectè inquit Caietanus: *Neque, Ille tenetur ad facere id, ad quod ſequitur ſuum pati.* Intelligit tamen *id*, ad quod *proximè, & per ſe* ly *pati* conſequitur.

Nauarra.

Eodem modo eſt illicitum, venenum iubéte Iudice haurire, ac aliquo alio modo ſeipſum interimere.

3 Idem ſentit Petrus Nauarra, *de Reſtitut. lib. 2. cap. 3. num. 81.* vbi relata Sententia, quam Victoria tuetur, ſubdit: SED Mihi non placet iſta Sententia; Si enim ille ignitum ferrum, vel plumbum ardens liquidum ſumeret, quis dubitat quin ſe interimeret? Si enim, qui ſe in Flumen inijceret, planè ſe occideret; ergo multò magis, qui aquam ipsā reſpirationem, & vitam auferentem ſumeret intrà ſtomachum, vel ignē ipſum: ergo & qui *Venenum*. Quid enim refert, an calore, vel frigiditate nimia, mors eueniat, ſi vtrumque ab eodem applicatur?

Quæ abſurda ſequerétur, admiſſa oppoſita ſententia?

Præterea, ſubdit idem Doctor, ſi vera eſſet dicta Sententia de potando Veneno, liceret etiam ſibi venam abſcindere, vt paulatìm deficiente ſanguine moreretur; vti quidam molles animo fecerunt, vt ſuauiùs morerentur. Quid enim intereſt,

reſt, an infundendo mortiferum, an effundendo, quod eſt vitale, pereas? Denique ex Victoriæ Sententia, qui non ſumit cibum, ſeipſum occidit. Nonnè ergo magis de proximo ſe habet ad mortem, qui potum venenoſum in ſtomachum inijcit. Ità pro hac ſententia philoſophatur citatus Doctor. Ità etiam ſentit Diana *par.* 5 *tract.* 4. *reſol.* 39.

Malderus

4 Verùm Malderus *in* 2.2. *tract* 3. *cap.* 1. *dub.* 18. exiſtimat *non peccare* Reum, ſi coactus permitteret ſibi Venenum applicari, merè *paſſiuè* ſe habendo.

Leſſius.

5 Immò docet Leſſius, *de Iuſt. & Iur. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 25. poſſe Reum in tali caſu *os aperire*, vt Venenum immittatur. At Syluius id negat, *in* 2.2. *quæſt.* 69. *art.* 4. *Quæritur* 4. opinans Reum debere quandiù in poteſtate ſua eſt non traijcere in ſtomachum Venenum à Iuſtitiæ miniſtro in eius os immiſſum: Azorius tamen, *par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 3. *quæſt.* 10. licitum eſſe putat haurire Venenum à Iuſtitiæ Miniſtro ſibi miniſtratum. Idem etiam videtur ſentire Diana *loc. cit.*

Syluius. Azorius. Diana.

QVÆSITVM III.

Vtrùm Capite Damnatus teneatur cibos comedere, ſi damnatus eſſet, vt fame periret, poſito quòd ei ab Amicis, vel Conſanguineis, occultè oblati forent cibi?

SVMMARIVM.

1 *Damnatus nè comedat, ſi cibos habeat, tenetur comedere iuxtà D. Thomam, & Caietanum.*

2 *Oppoſitam ſententiam tuetur Sotus, nempè poſſe talem condemnatum non comedere.*

3 *Quomodò explicetur à Soto ſententia D. Thomæ?*

4 *Quomodò intelligendum ſit, quod ait S. Thomas, quòd cibos oblatos in tali caſu non ſumere, eſſet ſeipſum interficere?*

5 *Reus licèt poſſit in tali caſu comedere: probabile tamen eſt iuxtà Soti ſententiam, non teneri comedere.*

6 *Nemo tenetur, talibus capite damnatis cibos offerre.*

7 *Licèt autem non teneantur: non tamen peccant, ſi illis ſubminiſtrent.*

8 *Adducuntur duo exempla ex Valerio Maximo, de Mulieribus quibuſdam, quæ Parentes vinculis detentos, proprijs vberibus aluerunt.*

1 AD QVÆSITVM Reſpondet *Primò* Caietanus 2. 2. *quæſt.* 69. AFFIRMATIVE'. Ità vt, ſi talis Damnatus vt fame periret, *cibos habens non comederet, peccaret*. Huius Sententiæ maximum argumentum colligitur ex verbis D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. *ad* 2. vbi S. Doctor ait: *Si aliquis ſit condemnatus, vt fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occultè miniſtratum ſumat:* QVIA NON SVMERE EST SEIPSVM OCCIDERE.

Prima ſententia affirmatiua. Caietan. D. Thom.

2 Reſpondet *Secundò* Sotus, *de Iuſt. & Iur. lib.* 5. *art. vlt.* NEGATIVE' ait enim ibi: Ego verò fateor non eſſe mihi prorsùs improbabile, quòd *Ei liceat non edere*. Nàm ſi verè dignus eſt morte, etſi licitè poſſit eam ſubterfugere, *poteſt nihilominùs non ſubterfugere*. Quis enim ambigat, quin ſceleroſus homo ſuorum criminum conſcius, ſciens Prætorem venire ad ſe capiendum, poſſit illum opperiri, atque adeò in Carcere aperto ſinè vllis vinculis mortem expectare, quam meretur? Subdit deindè: Ego licet fatear non eſſe parem omninò rationem, haud tamen eſt longè diſpar, quìn & *Damnatus, vt inedia*

Secunda ſententia negatiua. Sotus.

abſu-

abſumatur, poſſit à cibis contrà Iudicis Iuſſu oblatis abſtinere. Hæc Sotus.

Reſponſio Soti ad argumentũ Caietani.

3 Ad Argumentum Caietani ex D. Thoma deſumptum, Reſpondet idem Sotus *loc. cit.* D. Thomam nihil aliud voluiſſe intelligere, niſì quòd *nemo poteſt ad hoc condemnari:* & ideò neque Ille comedens, neque qui cibos Illi porrigerent, niſì ſpecialiter eſſent prohibiti, *peccarent*.

Explicatur doctrina D. Thomæ ex Soto.

4 *Quandò Igitur, Subdit D. Thomas, quòd non ſumere eſſet ſeipſum occidere, non intelligit poſitiuè, & formaliter, ſed reductiuè:* Sicut qui tenetur ſeruare nauim, ſi non ſeruat, cenſetur ſubmergere. Et idcircò, qui ſinè cauſa non ſeruaret vitam, ſe occideret, vtputa, ſi quandò extrà caſus iudiciales ruit domus, vel irruit Fera, vel appropinquat flamma, non fugeret, ſuæ eſſet vitæ prodigus; quia *ſinè cauſa* eam negligit, ſuique adeò eſt *Interfector*, ſicutì, & qui *non damnatus, non comederet*. Qui autem legitima ſententia proiectus eſſet Leonibus, *non teneretur ſe ab ipſis defendere*, quàmuis *licitè* poſſet; quia non ſe ſinè cauſa mori ſinit, ſed quia mortem meretur, vult eam à Iudice pati.

5 *Sed dices:* Ille non eſt damnatus nè comedat: ergo &c. *Fateor:* Reſpondet Sotus, & Ideò *poteſt comedere;* ſed tamen, quia eſt damnatus nè ei miniſtretur eſca quouſq; exhalet animam, *poteſt, quod probabile reputo, non comedere*.

An adſit obligatio ſubminiſtrandi cibos capite damnatis?

6 Tandem cum Soto, & Caietano notandum hic eſt, *Neminem teneri* cibos miniſtrare talibus Capite Damnatis in extrema neceſſitate conſtitutis, ſicutì teneretur alijs extrema patientibus, vt benè colligitur ex D. Thoma 2.2. *quaeſt. 31. art. 2. reſp. ad 3.* vbi Sanctus Doctor, ait, quod Excommunicatis, & Reipublicæ hoſtibus ſunt beneficia ſubtrahenda inquantùm per hoc arcentur à culpa. Si tamen immineret neceſſitas, nè Natura deficeret, eſſet eis ſubueniendũ, debito tamen modo, puta, nè fame, aut ſiti morerentur, aut aliquod huiuſmodi diſpendium paterentur. Sed tamen excipere videtur Diuus Thomas hunc caſum, quo aliquis Capite Damnatus eſſet; ſubdit enim: *Niſi ſecundum ordinem Iuſtitiæ paterentur*.

D. Thom.

An peccaret qui cibos ſubminiſtraret?

7 Si tamen aliquis vellet eis cibos ſubminiſtrare, *non peccaret*, quàmuis ad hoc *non teneretur*, quàpropter Caietanus 2.2. *quaeſt. 69. art. 3. §. Ad nonam propè finem*, explicat exceptionem illam, *niſi ſecundùm ordinem Iuſtitiæ paterentur;* intelligendam eſſe à *Debito* non autem à *Poteſtate* ſubueniendi Damnatis ad patiendum, ſecundùm Iuſtitiæ ordinem, huiuſmodi diſpendia. Et claudit tandem quæſtionem aſſerẽdo, quòd *licitè poſſimus damnatis ad mortem, & huiuſmodi diſpendia patiendum, miniſtrare neceſſaria vitæ*.

Valerius Maximus.

8 Ad hanc rem, memini apud Valerium Maximum *lib. 5. cap. 4. de Pietate in Parentes*, duo præclara exẽpla legiſſe, alterum Romanorum, Athenienſium alterum. Et quidem Romanorum illud eſt, quòd cùm ſanguinis ingenui Mulier Capitali crimine Damnata, in Carcere necãda fuiſſet, Carceris Cuſtos, perituræ Mulieris miſericordia motus, ſupplicium diſtulit, donec illa fame periret; interim Filiam ad Matrem viſendum ingredi ſineb. t, præcauens tamen, ne quid cibi illa in Carcerem inferret: multis autem elapſis diebus, ſecùm ipſe quærens, quidnàm eſſet, quòd tandiù ſuſtentaretur; curioſiùs obſeruata filia, animaduertit illam *exerto vbere famem Matris, lactis ſui ſubſidio lenientem*.

Quæ tàm admirabilis (inquit Valerius) ſpectaculi nouitas, à Carceris Cuſtode ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Concilium Iudicum perlata, remiſſionem pœnæ Mulieri impetrauit. Et eleganti Epiphonemate narrationem abſoluit Valerius inquiens: *Quò non penetrat, aut quid*

non

non excogitat Pietas, quæ in carcere ſeruanda Genitricis nouam rationem inuenit? Quid enim tàm inuſitatum, quid tàm inauditum, quàm Matrem Natæ vberibus alitam? Putaret aliquis hoc contrà rerum Naturam factum, niſi diligere Parentes, prima Naturæ lex eſſet.

Quamplurimis etiam laudibus idem Auctor extollit Athenienſem Mulierem, quæ Patrem ſuum Cimona, conſimili fortuna affectum, parique cuſtodiæ traditum, iàm vltimæ ſenectutis, *velut Infantem pectori ſuo admotum aluit. Hærent, ac ſtupent*, inquit Valerius, *hominum oculi, cùm huius facti pictam imaginem vident, caſuſque antiqui conditionem, præſentis ſpectaculi admiratione renouant: In illis mutis membrorum lineamentis, viua, ac ſpirantia corpora intueri credentes. Quod neceſſe eſt animo quoque euenire, aliquanto efficaciore pictura litterarum, vetera pro recentibus admonitos recordari.*

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Aliquis ex Ignorantia inuincibili excuſetur ab homicidio ſuiipſius?

SVMMARIVM.

1 *Homicidium ſuiipſius, excuſari poteſt ob inuincibilem ignorantiam.*

2 *Occiſio ſuiipſius, non eſt contrà lumen Naturæ primarium, ſeu contrà principia per ſe nota.*

3 *In quonam caſu poſſit interuenire ignorantia inuincibilis in eo, quod eſt de Iure Naturali.*

4 *Tunc præcipuè intelligendum eſt interueniſſe ignorantiam inuincibilem, cùm aliunde conſtat, diuino inſtinctu factum eſſe ſuiipſius homicidium.*

Dubitãdi ratio.

DICTVM eſt in ſuperioribus Quæſitis, nonnullas Virgines, quas Eccleſia, vt Martyres veneratur, poſſe excuſari à culpa homicidij quod commiſerunt, ſeipſas occidẽdo, dùm vel in flammas, vel in vndas ſeſe præcipites dederunt, eò quòd Diuino afflatæ Spiritu, tale aggredi Facinus auſæ ſint, vel etiam quòd *inuincibilis ignorantia*, illas à tali Homicidij culpa immunes reddiderit. Verùm, cùm hæc ſecunda Reſponſio, nonnihil Difficultatis haberet, ideò hoc aliud proponendum erat Quæſitum, ad maiorem quæ dicta ſunt, intelligentiam.

Reſponſio affirmatiua.

1 RESPONDETVR ad Quæſitum Affirmatiuè, nimirùm poſſe dari Ignorantiam inuincibilem excuſantem ab homicidio ſuiipſius. Ità Sotus *de Iuſt. & Iur. lib. 5. quæſt. 1. art. 5. in fine*. Leſſius, *lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 23.* Becanus, *in 2. 2. de Iuſt. & Iur. quæſt. 11. de Homicidio, concl. 1.* Malderus, *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 17.* Filliucius, *tom. 2. tract. 29. cap. 4. nu. 67.* Molina, *de Iuſt. & Iur. tom. 4. tract. 3. diſp. 9. num. 5.* & Diana, *par. 5. tract. 4. reſol. 30.* contrà Caietanum, *in 2. 2. q. 124. art. 5.*

Sotus. Leſſius. Becanus. Malderus. Filliuc. Molina. Diana. Caietan.

Ratio.

2 Ratio, quæ affertur, eſt quia ſuiipſius homicidium, non videtur eſſe contrà Lumen Naturæ primarium, hoc eſt, contrà prima Principia per ſe nota; ſed contrà Lumen Naturæ ſecundarium, hoc eſt, contrà Concluſiones deductas ex principijs notis Lumine Naturali: ergo poteſt contingere, quòd aliquis talem veritatẽ inuincibiliter ignoret, præſertim, ſi perturbato animo, ad Ignominiam vitandam, vel Caſtitatem ſeruandam, exiſtimaret, melius eſſe Vitæ, quàm Honoris aut Caſtitatis iacturam ſubire. Ità Sotus *loco citato* de D. Apollonia loquens, inter cætera ait: *Quòd cùm eſſet Fœmina, acuminiſq; adeò Iuris inſcia, per Inuincibilem Ignorantiã ſit excuſanda.*

Sotus.

Molina.

In quo caſu præcipuè poteſt interuenire ignorantia inuincibilis?

3 Conſentit Molina, *vbi ſuprà*, inquiens: Quòd quandò aliquid de Iure eſt Naturali, occultam, ſubtilem, minimèque facilè peruiam habet rationem, in id cadere poteſt Ignorantia inuincibilis, quicquid Aliqui in contrarium dicant: maximè quandò id ab Aeſtimatoribus huius Mundi, Virtutis actus, laude, & honore dignus, communiter reputatur.

Ethnici, qui ſeipſos occiderūt, etiam excuſantur ob ignorantiam.

4 Subdit deindè: Tunc magis cenſendum eſſe in aliquo Caſu interueniſſe Ignorantiam inuincibilem, quandò Dei intuitu, ac virtutis, tale homicidium factum comperitur. Et concludit: Improbabile non eſſe Ignorantiam excuſaſſe à culpa lethali, actum, quo LVCRETIA ſe ipſam interfecit, ſimileſque alios actus ab Ethnicis hominibus factos.

QVÆSITVM V.

An liceat Militibus in Nauali Prælio propriam Nauim incendere, & Se in Mare proijcere, nè Ipſi ſimul cum Naui in Hoſtium poteſtatem redigantur?

SVMMARIVM.

1 *Excuſantur à culpa dicti Milites, ſi probabilem ſpem habeant euadendi incolumes.*

2 *In caſu, quo certum imminet naufragij periculum; non licet Militibus ſe tali periculo exponere, nè in hoſtium poteſtatem redigantur.*

3 *Si incendatur Nauis; tenentur Milites fugere, nè remanendo in Naui, ſimul cum ipſa comburantur.*

4 *Licitum eſt Militibus certum vitæ diſcrimen ſubire, accendendo puluerem tormentarium ad hoſtilem turrim euertendam, &c. idque ſuadetur Exemplo Sampſonis, ac Eleazari.*

5 *Etiam præciſo Dei inſtinctu, licitum eſt in iuſto bello, certo mortis periculo ſe exponere.*

6 *Rationes aliquæ adducuntur ad probandum, quod non prohibeantur Milites, propriam vitam periculis exponere.*

SOLENT quandòque Milites Nauali Prælio dimicantes, cùm iàm vident inclinare ad Hoſtes Victoriam, communi conſenſu ignem tormentario pulueri inijcere, & Se Mari committere, nè & Ipſi, & Nauis, Hoſtium præda fiant. Verùm quia multipliciter contingere poteſt hic Caſus; Ideò

Prima reſponſio ad Quæſitū.

1 RESPONDETVR PRIMO. Dictos Milites excuſandos eſſe à culpa, ſi id faciant quandò probabilem ſpem habent, quòd Se proijciendo in Mare, ſint Incolumes euaſuri, quàmuis tali Spe fruſtrati, naufragium patiantur. *Ratio eſt*, quia id agendo, non intendunt Seipſos directè interimere, ſed tantummodò imminens periculum euitare, nè Hoſtes Naui potiantur, cum Chriſtianæ Reipublicæ detrimento, ſi fortaſſe inter Catholicos, & Infideles Bellum gereretur. Ità communiter ſentiunt Doctores, ac præſertìm Syluius, *in* 2. 2. *quæſt*. 64. *art*. 5. *ad* 4. Marchantius, *in Reſol. Paſtor. ad Decal. cap*. 5. *quæſt*. 8. *caſu*. 4. Leſſius, *lib*. 2. *cap*. 9. *dub*. 6. *num*. 34. Malderus, *in* 2. 2. *tract*. 3. *cap*. 1. *dub*. 19. De Lugo, *tom*. 1, *de Iuſt. & Iur. diſp*. 10. *Sect*. 1. *num*. 51. Diana, *par*. 5. *tract*. 4. *reſol*. 26. Neque in hoc eſt difficultàs.

Ratio.

Syluius. Marchāt. Leſſius. Malderus. De Lugo. Diana.

DVBIVM tamen remanet, an ſi ex vno capite certiſſimū eſſet Naufragij periculum, itàut Milites Se in Mare proijcientes, certi forent ſe ſtatìm ſubmergendos eſſe; quia

v. g.

v.g. maxima ſeruet tempeſtas, vel quia Ipſimet natandi artem ignorant, vel natare nequeunt, militaribus armis impediti, vel aliqua alia ratione. Et ex altero capite, ſi permitterent Se in Hoſtium poteſtatem ſimul cum Naui redigi, certi forent, quòd ab Hoſtibus non occiderentur; An in tali caſu liceret *ignem Naui iniÿcere*? Ideò

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

2 RESPONDETVR SECVNDO. In poſito caſu licitum non eſſe, ſe certo naufragio committere, incenſa Naui, potiùs quàm in Hoſtium poteſtatem redigi. Ità *loc. cit.* ſentit Diana. *Et ratio eſt*, quia *certitudo viuendi* (etiam cum aliqua moleſtia) non poteſt commutari *cum certo periculo amittendi Vitam*. Sed ſi Milites in Naui remanerent, etiam ſub hoſtili poteſtate victuri eſſent, vt ſupponimus; & ſi in Mare Se proijcerent abſque dubio eſſent in naufragio morituri, ergo non liceret Eis Vitę *certitudinem* cum euidenti *periculo* Mortis commutare; hoc enim eſſet *directè* Se interimere velle. Nec periculum illud Captiuitatis, & Seruitutis commutandum eſt cum periculo Mortis: minus enim malum eſt in Captiuitate viuere, quàm mori: *Mors* enim, vt inquit Ariſtoteles, *eſt vltimum omnium terribilium malorum*.

Ratio.

Ariſt.

Tertia Reſponſio ad Quæſitũ

3 RESPONDETVR TERTIO. In caſu, quo permittitur Militibus propriam Nauim incendere, nè ſub Hoſtium poteſtatem redigantur, non licet eis in naui remanere, & tali incendio ſe quoque combutendos permittere, vt docet Syluius *loc. cit.* quia id eſſet *directè* velle ſe occidere; qui enim vult *cauſam*, cenſetur velle etiam *effectum*, qui ex tali cauſa oritur. Ergo qui vult ignem naui iniÿcere, & in naui accenſa remanere, *cenſetur velle ſuam mortem*, quæ neceſſariò ex conflagratione totius nauis ſequitur, ac proindè eſſet *auctor ſuæ mortis*, cùm nollet eam impedire, dùm facilè impedire poſſet, quod vtique non liceret. Sicutì nec licitum quoque eſſet expectare *feram* ad te venientem; aut fluminis *inundationem* ad te appropinquantem, dùm fugere poſſes: Ità igitur in caſu poſito, non poſſent licitè *Milites* appropinquans incendium in naui expectare, & ibi flammis incendi; quod eis, nec ad meritum, nec ad gloriam, ſed ad culpam, ac ludibrium adſcribendum eſſet, & argumentum foret barbari, ac vilis animi: ſicutì apud Iuſtinum legitur de poſtremo Aſſyriorum Rege Sardanapalo, qui potiùs inter Puellas colum tractare, quàm inter Milites gladium ſtringere didicerat; quapropter ab Hoſtibus in bello victus, in Regiam ſe recepit, & *extructa, incenſaque pyra, & ſe, & diuitias ſuas in incendium miſit*.

Syluius.

Miles in incenſa naui remanens, eſſet ſuæ mortis cauſa.

Iuſtinus lib. 1. hiſt.

Sardanapalus ſeipſum cum diuitijs incendit.

4 PORRO quæ diximus de Militibus propriam Nauim incendentibus, pariter dicenda ſunt de Militibus ignem inijcientibus in puluerem tormentarium ad hoſtilem turrim euertendam: nimirùm *poſſe eos licitè hoc facere*, quàmuis certi ſint, ſe quoque tali ruina diſſipandos fore; hoc enim non eſſet Seipſos *propriè interimere*, ſed ſe interimi *permittere* ab ignis impetu, ac turris ruina, quibus *ob iuſtiſſimam cauſam* in iuſto bello, vt ſupponimus, ſe exponerent; non ſecùs ac faciunt Ij, qui ſe telo obijciunt, vt Princeps incolumis euadat. Sic *Eleazarus*, Elephantem interfecit, à quo ſe opprimendum videbat. Sic *Sampſon* Philiſtæos occiſurus, ſeipſum quoque ædificij ruina interemit.

An liceat militibus, vt inimicos occidant, ſeipſos quoq; permittere occidi.

5 Et quàmuis D. Auguſtinus, *lib. 1. de Ciu. Dei, cap. 21.* Exiſtimet Sampſonem excuſandum eſſe à culpa, quia *diuino Spiritu latenter iubente*, tale facinus patrauit, vt in primo huius ſectionis quæſito dictum eſt: Alij tamen opinantur, neceſſariam non eſſe diuinam inſpirationem, aut mandatum, ad hoc vt talis actio

D. Auguſtinus.

An ſine Dei mandatu, liceat ſeipſum ſimul cum inimicis occidere?

Leſsius. Lopez. De Lugo. licita reddatur: Vide Leſſium *de Iuſt. & Iure lib. 2. cap. 9. dub. 6. nn. 27. & ſeqq.* Lopez, 1. *parte cap. 65. in fine*, De Lugo *loc. cit.* alioſque Recentiores, qui ſibi fautricem allegant quotidianam praxim; quotidie enim Militum fortiſſimi, hoſtiles turres, & mænia ſuffodiendo, incendendo, aliaque militaria munera gerendo, his, ac ſimilibus vitæ periculis ſe exponunt, & nemo tamen id eis culpæ imputandum eſſe exiſtimat, iuſtum bellum gerentibus.

Rationes aliquot pro præcedenti doctrina.

6 Ratio autem à priori eſt, quia prohibitum non eſt homini, nè vitam ſuam periculis vnquam exponat, vel vt eam conetur ſemper ſeruare, ſed tantùm, nè *ex intentione*, illam quaſi exoſam auferat, & nè abſque cauſa illam exponat, aut conſeruare omittat; tunc enim cenſeretur illã *ex intentione* perdere. Quapropter in his, & ſimilibus caſibus, poſſunt licitè Milites huiuſmodi actiones exercere, quàmuis exindè immineat eis mortis diſcrimen; & hoc propter *commune bonum* Reipublicæ, pro qua bellum gerunt. Enim verò, vt inquit Ille: *Omnia, quæ ſunt in Imperio, in ſtatu Ciuitatis à Militibus defendi, & firmari putantur, immò hæc quoque omnia noſtra ſtudia in tutela, ac præſidio bellicæ Virtutis latent.* (Leſſius. Tullius orat. pro Muræna.)

Præterea, ſi ob temporale lucrum, poſſunt *Mercatores* exponere ſe vitæ periculo in periculoſa nauigatione, & *Veſpillones, ſeu Funeratores* ſepelire mortuos Peſte infectos; tantò magis poterunt *Milites* hæc bellica pericula ſubire ob communem Reipublicæ vtilitatem.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm liceat Reo manifeſtare ſua delicta Iudici, & petere ab Eo, vt Capitali pœna puniatur? Et an idem liceat agere Innocenti cum Tyranno?

SVMMARIVM.

1 *Senſus Quæſiti explicatur.*
2 *Licitum eſt Reo ſua delicta Iudici manifeſtare, & Capitalem ſententiam petere.*
Oſtenditur, nec delicti publicationem, nec ſententiæ petitionem eſſe illicitam.
Si Iudex à Reo conſilium peteret, poſſet Reus illum monere, vt contrà ipſummet Reũ mortis ſententiam ferret.
3 *Reus ſe manifeſtando, eſt ſolùm indirectè cauſa ſuæ mortis; idque non eſſe illicitum oſtenditur.*
4 *Qui à Iudice puniri petit, non exercet contrà ſeipſum actum Iuſtitiæ vindicatiuæ.*
5 *Licitum eſt Innocenti, ſe manifeſtare Tyranno, etiamſi ſciat, ſe ab Illo eſſe iniuſtè occidendum.*
6 *Innocens habens iuſtam cauſam ſe manifeſtandi Tyranno, non peccat peccato ſcandali, præbendo Illi occaſionem iniuſtæ occiſionis.*
7 *Quænam cenſendæ ſint iuſtæ cauſæ, ob quas licitum ſit Innocenti offerre ſe Tyranno?*
8 *In caſu, quo nulla iuſta cauſa vrgeret, teneretur Innocens ex Charitate, peccatum illud Tyranni impedire, non ſe manifeſtando.*

1 DVO ſunt in hoc Quæſito examinanda Dubia; Vnum eſt de Reo, reſpectu Iudicis; Alterum de Innocente, reſpectu Ty- (Quæſitũ non procedit de manifeſtatione ob motiuum fidei.)

Tyranni. Non loquor autem hic de Manifeſtatione ob motiuum Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis in ordine ad Martyrij palmã aſſequendam; hæc enim eſt alia Quæſtio, quam, cùm ad rem noſtram non pertineat, tacitus prætereo: ſed tantummodò in Caſu, quo aliquis Innocens Se Tyranno occidendum offerret, ob honeſtum aliquod motiuum, vt infrà videbimus.

Reſponſio ad primã partem Quæſiti. Ratio.

2 RESPONDETVR AD PRIMVM: Licitum eſſe Reo manifeſtare ſua delicta Iudici, & Se Capitali pœna puniendum, petere. *Probatur*, quia ſola *Manifeſtatio*, non eſt illicita, cùm non ſit cauſa Mortis, ſed ſolùm quædam criminum publicatio, ex qua ſequutura eſt Capitalis Sententia, non neceſſariò, ſed ex mera libertate Iudicis, talia crimina punientis. Nec ipſa *Petitio* Capitalis Sententiæ eſt illicita; quandòquidem *licet ab aliquo petere, quòd ipſe poteſt licitè facere*: ſed poteſt Iudex licitè Capitali Sententia talem Reũ punire: ergo poteſt ipſemet Reus *petere* à Iudice executionem talis Sententiæ. Quinimmò ſi Iudex in tali caſu ignoraret, quid ſibi agendum eſſet, & peteret à Reo conſilium, poſſet ipſe Reus ſignificare Iudici, in tali caſu teneri ferre Sententiam Mortis cõtrà ipſum Reum, vt ſuo muneri ſatisfaceret. Ità optimè ſentiunt Leſſius, *de Iuſt. & Iur. lib.2. cap.9. dub.6. num.28.* Petrus à Nauarra, *lib.2. de Reſtitut. cap.3. n.73.* De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom.1. diſp.10. ſect.1. num.38.*

Capitalẽ ſententiã petere, an ſit licitũ?

Leſſius. Nauarra De Lugo.

Primum argumentũ.

3 *Sed Primò Obijcitur.* Nemo poteſt eſſe cauſa ſuæ Mortis; ſed Reus manifeſtando Se Iudici, eſſet ſuæ Mortis cauſa: ergo id Ei non licet.

Reſpõſio.

Reſpondetur. Diſtinguendo Maiorem. Nemo poteſt eſſe cauſa ſuæ Mortis *Directè*, concedo; *Indirectè*, nego. Reus autem Se manifeſtando, faceret tantummodò actionem aliquam, ex qua Indirectè ſequeretur ipſius mors, quod vtique non eſt illicitum, cùm multa paſsim fiant, non ſolùm *licitè*, ſed etiam *laudabiliter*, ex quibus Mors ſequutura eſt. Ità *Miles* in acie pugnando; *Sacerdos* Sacramenta miniſtrando lethali Contagio Laborantibus, non reprehenduntur, quinimmò commendantur: pariter ergo dici poteſt de Reo, Capitis Sententiam petente, in ſuorum ſcelerum pœnam.

Eſſe indirectè cauſam propriæ mortis, an liceat?

Secundũ arg.

4 *Secundò Obijcitur:* Nemo poteſt punire Seipſum, quia punitio eſt actus Iuſtitiæ punitiuæ, *quæ eſſentialiter tendit ad alterum*: ergo non poteſt Reus Suipſius Punitionem, vel conſulere, vel petere à Iudice.

Reſpõſio.

Reſpondetur: Conceſſo Antecedenti, negatur Conſequentia: Reus enim *conſulendo*, vel *petendo*, non exerceret actum Iuſtitiæ punitiuæ, ſed tantummodò *cooperaretur*, ac ſuo Conſilio, vel Petitione *concurreret moraliter* ad hoc, vt Iudex pro ſuo munere exerceret actum Iuſtitiæ contrà ipſum Reum, in quo nulla eſt implicantia, vt patet in *Creditore* petente ſibi debitum perſolui: Solutio enim debiti eſſet *actus Iuſtitiæ*, non pròut *petitur* à Creditore, ſed pròut *exercetur* à Debitore debitum perſoluente Creditori ſuo, qui ſua petitione concurrit moraliter ad talem actum Iuſtitiæ. Ità De Lugo *loc.cit.*

Reſponſio ad ſecundam partem Quæſiti.

5 RESPONDETVR AD SECVNDVM: Licitum eſſe Innocenti manifeſtare ſe Tyranno, à quo iniuſtè occidendus eſt, dummodò ſciat Se aliter à Tyrãno occiſum iri. *Probatur* eadem ratione, qua ſuprà; Quia nimirùm tunc *non concurrit* ad ſuam Mortem, ſed ſolùm ex aliqua cauſa eam *non impedit*, occultando Se, vel fugiendo.

Obiectio.

6 *Obijcies:* Non licere Innocenti hoc agere, quia peccaret *peccato ſcandali*, præbendo occaſionem Tyranno occidendi Innocentem, quod abſque peccato fieri nequit.

Re-

Solutio.

Reſpondetur : Quàmuis in hoc caſu *peccaret Tyrannus* occidendo, *non peccaret tamen Innocens ſe* offerendo. *Et ratio* eſt, quia quotieſcumque adeſt iuſta cauſſa faciendi aliquid, tunc poteſt id licitè fieri, quàmuis præuideas alterum accepturum indè occaſionem peccati. Sic licet v. g. ſi ità tua neceſſitas, vel vtilitas poſtulauerit, *petere pecuniam* mutam ab Vſurario, quàmuis ſcias illum non daturum talem pecuniam mutuam abſque vſura, & nouo peccato, vt benè inquit De Lugo *loc. cit.* ergo pariter licebit Innocenti ob aliquam cauſam, occidendum Se offerre Tyranno, quàmuis *Tyrannus* ſit Eum *illicitè* occiſurus.

Poteſt ex iuſta cauſa aliquid fieri etiãſi ſciatur, inde aliũ male eſſe operaturum.

De Lugo.

7 Petes, Quænàm poterit eſſe Iuſta cauſa offerendi ſe Innocentem Tyranno occidendum?

Vtilitas propria, vel aliorũ, poteſt eſſe iuſta cauſa vt innocens, manifeſtet ſe Tyranno.

Reſpondet De Lugo. Iuſtam cauſam Te offerendi, eſſe poſſe, vt liberes Alios, & Innocentes; qui aliòquin Te non comparente, occidendi eſſent iniuſtè, vel certè vexandi, aut alia vtilitas, quàm Tibi, vel Alijs, ex *Manifeſtatione* ſperare poſſes.

Ceſſante dicta vtilitate non licet ſe manifeſtare.

8 Quòd ſi nulla adeſſet vtilitas, nec neceſſitas vrgeret, & ſcires Te occidendum; *Charitas obligaret* ad impediendum illud Tyranni peccatum. Quaproptèr illicitum eſſet Illi conſulere, vel petere ab Eo; vt Te occideret: nunquàm enim licet ab Altero petere, quod Ipſe non poteſt ſinè peccato exequi, niſi fortaſſe in caſu; quo Ille decreuiſſet maius ſcelus committere, ad quod impediendum poſſes Ei conſulere, vt Te occideret; quia *ex duobus malis licitum eſt minus malum conſulere:* neque illud eſt conſilium omninò abſolutum, ſed conditionatum *implicitè,* hoc eſt, vt ſi vnum ex duobus peccatis faciendum eſt, faciat potiùs hoc minus graue Te occidendo, quàm illud aliud grauius.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm liceat Seipſum mutilare?

SVMMARIVM.

1 *Seipſum mutilare non licere, communis eſt Theologorum ſententia.*

2 *Homo, ſicuti non eſt ſuæ vitæ Dominus, ita nec ſuorum membrorum.*

3 *Licita eſt mutilatio, cùm neceſſaria eſt ad vitæ conſeruationem.*

4 *Licèt Homo non ſit Dominus ſuiipſius, tamen vt Cuſtos, ac Gubernator ſui, poteſt eligere talem mutilationem ad ſui corporis conſeruationem.*

Pro huius doctrinæ explicatione, exempla aliqua adducuntur ex Molina.

5 *Licet neceſſaria ſit homini aliquandò ad vitæ conſeruationem, aliqua mutilatio; ad illam tamen non tenetur, ſi grauiſſimum dolorem ſibi afferret, ſecùs autem ſi modicum.*

6 *Quid de Religioſis dicendum? an videlicet in tali caſu teneantur parere Superioribus, qui pro corporali ſalute, neceſſariam cenſent talem mutilationem?*

7 *Iubente Tyranno, licitum eſt ſe mutilare, ad euitandam mortem aliòqui certè ſubeundam.*

Oſtenditur, id non eſſe contrà Iuſtitiam, nec contrà Naturæ dictamen.

8 *Innocens in tali caſu non cooperaretur peccato Tyranni, niſi id præciperet Tyrannus in contemptum Chriſtianæ Religionis.*

1 RESPONDETVR PRIMO: Abſolutè, & ſimpliciter loquendò, illicitum eſſe mutilare Seipſum, hoc eſt, membrum aliquod Sibi auferre. Ità docent communiter Theologi cum D. Thoma 2.2. *quæſt.65. art.1.* & colligitur *ex Canone 22. & 23.* (aliàs 16.) *Apoſtolorum*, qui refertur *in cap. Si quis abſcidit.*

Prima Reſponſio.

D. Thom.

Conc. Nicæn.

dit. diſt. 55. & *Canon.* 1. Concilij Nicæni, relato *in cap. Si quis à Medicis. eadem diſt.*

Ratio.

Homo nō eſt Dominus ſuorū membrorum.

2 Probatur eadem ratione, quâ probatum eſt, non licere Seipſum interimere; Quia nimirùm homo, ſicuti non eſt ſuæ Vitæ Dominus, ità nec eſt *Dominus membrorum ſuorum*, ac proindè, ſicuti non poteſt diſponere de tota ſua Vita, abſque eo, quòd iniuriam inferat Deo; ità nec etiam de aliquo membro ſui Corporis: membra enim totum corpus componunt. Vndè, cùm non habeat homo Dominium totius compoſiti, neque habet Dominium partium, quæ ad totum compoſitum integrandum concurrunt.

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

3 RESPONDETVR SECVNDO: Licitū eſſe homini mutilare Seipſum, quādò talis mutilatio eſt neceſſaria ad totius Vitæ conſeruationem; & ad maius malum vitandum. Ità Toletus 5. *cap.* 6. *§. Secundò ob maius*. Sà, *verb. Homicidium*, *num.* 24. Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 14. Petrus Nauarra, *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 98. Laymann, *lib.* 3. *par.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom.* 1. *diſp.* 10. *Sect.* 1. *num.* 21.

Toletus. Sà. Leſſius. Nauarra. Layman. De Lugo.

Ratio.

Licita eſt mutilatio ob vitæ conſeruationem.

4 Probatur. Quia quàmuis homo non ſit ſuæ Vitæ, nec ſuorum Dominus membrorum; eſt tamen *Cuſtos*, *Conſeruator*, *Adminiſtrator*, & *Gubernator Sumpſius*; ideòque; ſi hic, & nunc pro maiori bono, ac totius Vitæ cuſtodiâ, membrum aliquod Sibi abſcindat, prudenter cuſtodit, & conſeruat ſuum corpus, ac proindè cenſetur conceſſa ei à Deo, qui Vitæ eſt Dominus, *facultas talis membri abſcindendi*, nè totum corpus pereat.

Molina.

Exempla aliqua pro explicatione præcedentis doctrinæ.

Ità etiam ſentit Molina *tom.* 4. *de Iuſt. & Iur. tract.* 3. *diſp.* 10. *num.* 2. vbi pluribus exemplis hanc Sententiam explicat: Vndè ſi quis v. g. circulo ferreo ità conſtrictam haberet manum, vt niſi illam abſcinderet, igne cremandus eſſet; tunc ad Vitam conſeruandam *licita eſſet manus abſciſſio*. Sic etiam, ſi quis in Triremi pede eſſet cōſtrictus, adeòque eſſet Vir fortis, vt abſciſſo pede poſſet Se, & Proximos ſuos à morte iniuſta, & Chriſtianorum Triremem à fidei Hoſtibus liberare, *poſſet pedem abſcindere*, vt Triremi, ac Proximo ſuo ſubueniret. Pro ſalute enim aliorum, tantoque communi bono, facta Illi Iure Naturali videtur à Deo facultas abſcindendi Sibi proprium membrum, non minùs quàm ad propriam vitam à morte liberandam. Ità Molina *loc. cit.*

Tertia Reſponſio.

An teneatur homo ſe mutilare ob tutelam vitæ?

5 RESPONDETVR TERTIO. Quàmuis liceat homini Seipſum mutilare, tamen ad hoc *non teneri*, ſi tale membrum abſcindendum eſſet cum grauiſſimo dolore; Secùs verò, ſi modicus eſſet dolor in talis membri abſciſſione.

Ratio.

Probatur. Quia non tenetur homo vti medijs extraordinarijs, & difficillimis, atque acerbiſſimis medicamentis ad Vitam conſeruandam; ergo non tenetur membrum Sibi abſcindere cum tàm intenſo, & acerbo dolore.

An in hoc caſu Religioſi teneantur parere ſuis ſuperioribus.

6 Excipitur tamen Perſona, cuius Vita plurimum prodeſſet Reipublicæ, & *Religioſus*, qui obedire tenetur Prælato præcipienti, quòd eiuſmodi membri ſectionem neceſſariam ſuſtineat. Verùm probabiliùs id negatur ab Alijs, cùm res adeò difficilis videatur eſſe extrà res contentas in Regula, in quibus Religioſi obedire tenentur. Ità Salonius 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. quod videtur etiam approbare Leſſius, *c.* 9. *dub.* 14. *n.* 97. niſi Religioſus *neceſſarius eſſet Reipublicæ, vel Communitati*, & remedium eſſet omninò ſecurum, & certum.

Salonius. Leſſius.

Quarta Reſponſio.

7 RESPONDETVR QVARTO: In caſu, quo Tyrannus præciperet alicui, vt ſibi manum, vel pedem abſcinderet, aut aliòquin interficeretur, tunc licitum eſſe ſibi membrum illud abſcindere, iuben-

te Tyranno, potiùs quàm iniuſtam mortem pati. Ità ſentiunt Toletus, *lib. 5. Summæ, cap. 6.* Molina, *loc. cit.* Leſſius, *vbi ſuprà, num. 107.* contrà Sotum, Bañes, & Salonium, quos refert, & ſequitur Turrianus, *diſp. 29. dub. 1. num. 5.*

Quid ſi Tyrannus præciperet talem mutilationem, & alioquin minaretur mortem?

Toletus. Molina. Leſſius. Sotus. Bañes. Salonius. Turrianus

Probatur. Quia hoc non eſſet contrà Iuſtitiam reſpectu Dei; quia homo, qui eſt ſuæ Vitæ adminiſtrator, & cuſtos prudenter Vitam ſeruaret *abijciendo Vnum, aut Alterum* membrum, ad quod videtur Deus concedere ei facultatem, nè totum corpus pereat. Et Natura ipſa dictante, videtur hoc inditum eſſe Animalibus: nàm, vt Aliqui referunt, obſeruatum eſt in Animali, quod Caſtorem vocant, ad fugiendam mortem, dùm à Venatoribus quæritur, genitalia ſibi abſcindere, eaque abijcere, vt Venatores tali præda contenti, à perſequendo ipſum, & occidendo deſiſtant.

Caſtor ſeipſum mutilat.

8 *Sed dices:* Hoc eſſet cooperari peccato Tyranni iniuſtè præcipientis mutilationem: ergo non liceret.

Argum. cōtra quartā reſponſ.

Reſpondetur: Hoc non eſſe cooperari peccato illius, ſed tantummodò volenti maius ſcelus committere, *minus ſuadere.* Aduertendum tamen eſt cum Molina *loc. cit.* Quòd ſi Tyrannus in contemptum Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis, mutilationem præciperet, tunc non licere ſibi membrum illud abſcindere, ſed potiùs mortem ſubeundam eſſe: mutilatio enim illa cederet in contemptum Dei, ac proindè illicita eſſet.

Solutio.

In quo caſu teneatur Quis, non parere Tyranno?

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm liceat non defendere propriam Vitam, immò permittere Se potius occidi, quàm occidere Inuaſorem?

SVMMARIVM.

1 *Inuaſus ad ſuam vitam tuendam, tenetur ſuum Aggreſſorem interficere, iuxtà Abulenſem, & Alios.*
2 *Adducuntur eorum Rationes.*
3 *Oppoſitum, tàm SS. Patres, quàm Theologi communiter docent, nempè licitum eſſe Inuaſo, prætermittere ſui Defenſionem potiùs, quàm Aggreſſorem interficere.*
4 *Prima ratio pro hac Sententia ex Auctoritate D. Auguſtini, D. Ambroſij, & Aliorum.*
5 *Secunda ratio ex Exemplo Chriſti, & SS. Martyrum.*
6 *Tertia ratio ex pluribus diuinæ Scripturæ teſtimonijs.*
7 *Quarta ratio; quia in ſui Defenſione, ſemper interuenit periculum exceſſus, vel odij.*
8 *In caſu, quo ſciret quis, ſe eſſe in ſtatu peccati, teneretur ſe defendere, & non permittere ſe interfici.*
9 *Oppoſita Argumenta diluuntur.*
10. *Permittere ſe occidi, vt Aggreſſor incolumis euadat, an ſit contra ordinem charitatis?*
Stante rationabili Cauſa, licitum eſt aliquandò, media ad propriam vitam tuendam prætermittere.

NON loquimur hìc in caſu, quo Inuaſus moraliter exiſtimaret ſe eſſe in gratia, & è contrà, Inuaſorem in peccaminoſo ſtatu reperiri: hanc enim difficultatem ſatis ſuperque ſoluimus in præcedenti Sectione 3. Sed loqui-

Senſus Quæſiti explicatur

mur,

mur, in caſu, quo tàm Inuaſus, quàm Inuaſor *in æquali ſtatu reperirentur*, An liceret Inuaſo Seipſum non defendere, & ſinere ſe occidi, vt Inuaſor incolumis remaneret?

Prima Sẽtentia. Abulenſ.

1 RESPONDET *Primò* Abulenſis *in cap.* 11. *Ioſue, quæſt.* 11. Teneri Inuaſum *ſub reatu culpæ lethalis* interficere Aggreſſorem ſi poſſit, quandò aliter non poteſt Vitam ſuam tueri. Hanc Sententiam tuentur etiam Ioannes de Lignano, & Paulus de Caſtro *in l. Vt Vim. ff. de Iuſt. & Iur. num.* 9. & Salomonius *in l.* 3. *num.* 15. & nonnulli alij Iuriſperiti, aſſerentes: Eum, qui ſe contrà Vim illatam non defendit, *nonminùs peccare, ac ſi ſibiipſi manus inferret*.

Io: de Lignano. Paulus de Caſtro. Salomon.

Prima ratio pro prima ſententia.

2 Probatur hæc Sententia ex Abulenſi. *Primò*, quia *Charitatis ordo* in re graui obligat ſub culpa lethali, & inuerti non poteſt; Charitas enim eſt ordinata: Sed Charitatis ordo poſtulat propriam Vitam præferendam eſſe alienæ: & amiſſio propriæ Vitæ eſt res grauis: ergo Aggreſſus tenetur Aggreſſorem interficere ob ſuæ Vitæ Defenſionem, alióquin Charitatis ordinem inuertens in re tàm graui, peccat.

Secunda ratio.

Probatur *Secundò*. Quoniam Iure Naturali vnuſquiſque tenetur defendere propriam Vitam *per media licita*: Sed interficere Aggreſſorem eſt medium licitum, cùm omnia Iura permittant Vim Vi repelli poſſe: ergo tenetur Aggreſſus tale medium amplecti, quandò ob Iniuriam Aggreſſoris, factum eſt ei medium neceſſarium.

Secunda Sententia.

3 RESPONDETVR *Secundò* cum communi Theologorum, ac SS. Patrum Sententia: *Licitum eſſe non defendere propriam Vitam,* quandò Inuaſus non poteſt aliter ſe defendere, quàm Inuaſorem occidendo.

4 Probatur *Primò* ex Auguſtino, *lib.* 1. *de Doctrin. Chriſtian. cap.* 27. dicente: Quòd homo debeat plùs diligere Proximum, quàm corpus proprium. Et *lib.* 1. *de Liber. arbitr. cap.* 5. *Legem quidem*, ait, *non reprehendendo, quæ tales* (latrones Inuadentes) *permittit interfici; ſed quomodò Iſtos, qui interficiunt defendam, non inuenio.* Nempè quia facilè excedunt Modum, vel opere, vel affectu. Et D. Ambroſius *lib.* 10. *in Lucam*. Exponens illa verba, *Lucæ* 22. *Emat gladium*, dicit: *Licitum eſſe Se defendere vſque ad Euangelium, non autem poſteà*. Non quòd abſolutè non liceat, ſed quòd non ità deceat; quod inſinuat cùm ait: *Vt ſit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio*. Hoc ipſum docent Sotus, *art.* 8. *in Relect.* Silueſter, *verb. Bellum.* 2. *num.* 5. & Victoria, *in Relection. de homicidio, num.* 24. vbi probat varijs argumentis, eſſe conſilij, & Viri valdè perfecti, mortem perpeti potiùs velle, quàm inferre.

D. Aug. Prima ratio ex Auctoritate SS. PP.

D. Ambr.

Sotus. Silueſter. Victoria

5 Probatur *Secundò Exemplo Chriſti*, qui cùm ſe defendere poſset, defendere tamen noluit; immò præcepit Petro gladium mittere in Vaginam; ſignificans, Se Defenſione vti nolle, ſed mortem pro redimendo Genere humano, libenter velle ſubire. *Sic etiam plurimi Martyres* fecerunt, qui cùm ſe tueri poſſent, ac Tyrannorum violentiam reprimere, omni Defenſione poſthabita, mortem ſubierunt: ergo quàmuis Inuaſus ſe defendere poſſit, non tenetur tamen ſe defendere, itàut, ſi talem prætermitteret Defenſionem, peccaret contrà Charitatem, vt opinatur Abulenſis, *loc. cit.*

Secunda ratio ex Chriſti & Sanctorũ exemplo.

Abulẽſ.

6 Probatur *Tertiò* ex Doctrina Chriſti: *Ecce Ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*. & *Matth.* 5. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi, & alteram*. Ad *Roman.* 12. *Non voſmetipſos defendentes, ſed date locum Iræ*. Item *ex Eccleſiaſt.* 28. *Relinque Proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur*. Ex quibus omnibus apparet, non

Tertia ratio ex Scripturę locis.

Matth. 5.

Rom. 12.

Eccleſiaſt. 28.

eſſe illicitum, vt vult Abulenſis Aggreſſori non reſiſtere, ſed ſalutare conſilium eſſe hoc facere.

Quarta ratio ex periculo peccati quod in ſui defenſione occurrit

7 Probatur *Quartò* Ratione. Quia in defenſione periculum ſubeſſe poteſt, *nè Ira, vel Odium ſe admiſceant*; vel nè Modus excedatur, ac proindè lethale crimen committatur, nève vt corporalis Vita ſeruetur, ſpiritualis deperdatur; ac proindè poteſt Inuaſus, præuidens tale periculum, permittere ſe potiùs occidi, quàm Inuaſorem occidere. Quæ omnia locum habent in ijs, *qui ſunt timoratæ Conſcientiæ*.

D. Anton.

8 Aduertendum tamen eſt cum Antonino, *par.* 3. *tit.* 4. *cap.* 3. *diſtinct.* 1. Quòd ſi quis putaret *ſe eſſe in peccaminoſo ſtatu*, ac æternæ damnationis periculum pertimeſceret, ſi tunc inuaderetur, *omnibus modis deberet ſe tueri, & occidere potiùs, quàm ſe occidi permittere*; quia magis tenetur diligere ſalutem *Animæ ſuæ*, quàm *Proximi*, vt benè ait Antoninus *loc. cit.*

Solutio primi Argumenti.

9 Ad *Primum* Abulenſis Argumentum Reſpondetur; In ordine Charitatis multa eſſe *ex præcepto*, vt v. g. ſubuenire extremè indigenti, Vitam corporalem pro ſpirituali Vita Proximi ponere, quandò ità neceſſarium omninò eſt: Multa verò eſſe, quæ *permittuntur*, ità tamen, vt integrum ſit cuicumque illa omittere pro maiori bono: & inter ea hoc etiam eſt, nempè Seipſum permittere occidi, vt Aggreſſor incolumis remaneat; & hoc ob Fortitudinem, Patientiam, Charitatem Dei, vel Proximi. Quapropter non peruerteretur ordo Charitatis in re aliqua, quæ eſſet ſub præcepto, ſed tãtùm ſub permiſſione; ac proindè non committeretur peccatum contrà Charitatem.

Solutio ſecundi Argumenti.

Ad *Secundum* Reſpondetur; Non eſſe prætermittendum medium licitum pro Defenſione propriæ Vitæ, *abſque aliqua rationabili cauſa*; hoc enim eſſet propriam Vitam fruſtrà prodigere: non verò licitum non eſſe, talem Defenſionem prætermittere, quandò *adeſſet cauſa rationabilis*, quæ eſt in caſu poſito, nempè ſalus Proximi, & meritum Virtutis Patientiæ in ſuſtinendo mortem.

QVÆSITVM IX.

Vtrùm liceat exponere propriam Vitam pro conſeruanda Vita Amici?

SVMMARIVM.

1 *Senſus Quæſiti explicatur.*
2 *Ponitur prima ſententia negatiua: Quinam Doctores illam tueantur?*
3 *Primum Argumentum ex doctrina D. Auguſtini, nimirùm quia aliàquin diligeretur proximus ſuprà Seipſum.*
4 *Secundum argumentum, ex ordine charitatis, quo quiſque magis ſibiipſi, quàm Proximo tenetur opitulari.*
5 *Adducitur alia ratio ex Hurtado pro hac ſententia, & oppoſitum argumentum ſoluitur.*
6 *Aſſeritur à quibuſdam DD. eſſe peccatum mortale, propriam vitam pro Amici vita exponere.*
7 *Oppoſitam ſententiam quinàm DD. amplectantur?*
8 *Faber, & Valentia id licere aſſerunt, pro conſeruatione vitæ, vel ob aliquam virtutem Proximi: ſecùs pro conſeruatione ſolius vitæ, aut bonorum.*
9 *Quomodò ex hac doctrina conciliari poſſint duæ ſententiæ priùs relatæ?*
10 *Ex Lorca ſententia, exponere propriam vitam pro vita Amicorum, aut Parentum eſt laudabile: At pro quocumque alio illam exponere, eſt inordinatum. Quomodò ipſe explicet doctrinam D. Thomæ, quòd non liceat dare eleemoſinam de alimento neceſſario ad propriam ſalutem.*
11 *Pro Quæſiti ſolutione, ſtatuitur cum*

ſecun-

ſecunda Sententia, licitum eſſe propriam vitam exponere pro vita Amici.

12 *Prima ratio, ex eo quòd licitum eſt exponere propria bona temporalia (inter quæ vita quoque enumeratur) pro conſeruatione alterius boni, quod etiam ad propriam felicitatem ſpectet.*

13 *Secunda ratio ex Exemplo Chriſti Domini.*

14 *Aliæ rationes.*

15 *Ad hanc ſententiam firmandam, adducuntur nonnulla exempla, ac teſtimonia veterum Auctorum.*

16 *Damonem, & Pythiam, alterum pro altero vitam exponere contendiſſe, referunt Lactantius, & Cicero.*

17 *Idem de Pylade, & Oreſte cecinit Ouidius, Manilius, & Alij.*

18 *Pomponius, & Letorius, teſte Valerio, C. Gracchi Vitam, ad necem vſque tutati ſunt.*

19 *Volumnij charitas ergà M. Lucullum: Item Terentij ergà Decium Brutum ab eodem Auctore commendatur.*

20 *Alia ſimilia exempla, necnon Gentium mores, ex Alexandro.*

21 *Poſtrema ratio ex Soto pro hac Sententia.*

22 *Diluuntur Argumenta primæ ſententiæ.*

D. Auguſtinus, diuerſo modo loquutus eſt circà hanc Quæſtionem; Adducitur Teſtimonium Auguſtini aſſerentis, poſſe pro Amico exponi propriam vitam: Chriſtus Dominus abſolutè, & indefinitè dixit, eſſe maximam charitatem, animam ponere pro Amicis.

23 *Abſurdum non cenſuit D. Auguſtinus, proximum magis quàm ſeipſum diligere in bonis temporalibus.*

24 *Ordo charitatis, quo obligamur magis noſipſos, quàm proximum diligere, locum habet tantummodò in rebus ſpiritualibus, non autem temporalibus.*

1 VARIA ſunt circà præſentis Quæſiti ſolutionem, Theologorum placita; nonnullis enim affirmatiuam ſententiam ſequi placet, Alijs negatiuam; Diſtinguunt Alij, Alij verò diſtinctas conciliare nituntur opiniones, vt infrà videbimus: Quapropter, libet præſens Quæſitum fuſiùs examinare in gratiam Amicorum, vt arctiora ſint amicitiæ vincula, & Amicus Amico opem ferre non dubitet, etiamſi mortis diſcrimen opem ferendo ſit ſubiturus. Porrò, non quærimus hic, an ſit propria vita exponenda pro Amici vita ſpirituali, nec pro vita Regis, aut Principis, aut alius perſonæ, ex qua commune Reipublicę bonum dependet (de his enim *alibi*) ſed tantummodò de vita, & vita corporali inter Pares. In quo ſeſu procedat Quæſitum?

Examinantur Aliorum Sententiæ.

2 RESPONDENT *Primò* ad Quæſitum Aliqui *Negatiuè*; Inter quos eſt Durandus *in 4. diſt. 17. quæſt. 6. num. 8. & 18.* Paludanus apud Suarez, *diſp. 9. ſect. 3. num. 6.* Suarez, *num. 7.* Filliucius, *tract. 28. cap. 2. num. 31.* quàmuis ab ea ſententia deflectat *num. 22.* Cardinalis Bellarm. *tom. 2. lib. 3. de bonis operibus cap. 8. initio.* Toletus, *lib. de ſeptem peccatis, cap. 32. in fine. cap. 34. concl. 2.* At verò, *cap. 39. num. 2.* aſſerit oppoſitum. Valentia *in 2. 2. D. Thomæ, diſp. 3. quæſt. 4. punct. 3.* à verſu, *Tertia aſſertio.* & Alij Auctores apud Lorcam *diſp. 28. num. 46.* quam in parte ſequitur ipſe Lorca *num. 55.* & mordicùs eam ſententiam nouiſſimè tuetur Hurtadus *de Spe, & Char. vol. 2. diſp. 154. ſect. 4. §. 42.* vbi ait: *Peccatum eſſe*, mortem obire pro vita temporaria hominis priuati mihi æqualis; Eamque doctrinam putat eſſe D. Thomæ aſſerentis *quæſt. 2. art. 6.* non deberi dari eleemoſynam de alimento neceſſario ad propriam ſalutem, quia illa ſubtractio *eſſet occiſio ſui*: At verò pro Perſonæ publicæ ſalutę poſſe *laudabiliter* mortem obiri, *& quæſt. 64. art. 7.*

Prima ſẽtentia negatiua. Durandus Paludan. Suarez. Filliuc. Bellarm. Toletus. Valentia. Lorca. Hurtad.

aſſerentis, MAGIS aliquem teneri ad Defenſionem *propriæ vitæ*, quàm alienæ.

Prima ratio ex D. Auguſtini teſtimonio.

3 Nititur hæc Sententia D. Auguſtini teſtimonio, *tom. 4. lib. de mendacio, cap. 6. Si pro vllius temporali vita ſuam ipſe temporalem perdit, non eſt iam diligere ſicut ſeipſum, ſed ſupra ſeipſum, quod ſanè doctrinæ regulam excedit*. Ergo ex Auguſtino non videtur licitum, vitam propriam pro aliena exponere.

Secunda ratio ex ordine charitatis.

4 Nititur *Secundò*, argumento deducto ex ordine, & obligatione charitatis, quia nimirùm opitulari tenemur Proximo extremè indigenti, quia *Proximus eſt*: Sed nos ſumus nobiſipſis *magis proximi*, ergo magis tenemur ad noſtram opem. Et ratio à priori eſt, quia vt docet Scotus *in 3. diſt. 29. in argum. ad oppoſitum*, *Menſura eſt perfectior menſurato*; ſed dilectio ſui eſt *menſura dilectionis* Proximi, iuxtà illud *Matth. 22. diliges Proximum tuum ſicut teipſum*: ergo nemo poteſt ponere vitam ſuam pro Amico, quia poneret *perfectius* pro *imperfectiori*, quod repugnat rectæ rationi.

Matth. 22.

Alia ratio

5 Confirmat hanc Sententiam Hurtadus, tali pacto; Si extremè egeant meus *Frater*, & *Vicinus*; teneor opitulari *Fratri*, & non *Vicino*, ſi nõ poſſum vtrique; ergo, & teneor opitulari *Mihi*. Conſequentiam probat, quia Fratri teneor propter maiorem cum illo coniunctionem; ſed hæc coniunctio maior eſt *Mihi*, quàm *Fratri*: ergo priùs teneor ſubuenire mihi.

Obiectio.

Quòd ſi quis obijceret; In caſu quo Frater *cederet Iuri ſuo*, me poſſe opitulari Vicino, ergo ſimiliter, ſi ego cederem *Iuri meo*, poſſem ſuccurrere *Amico*, ac meam vitam poſtponere Amici vitæ.

Euaſio.

Reſpondet, non poſſe Fratrem *cedere Iuri ſuo*, quia illud non eſt *Ius Iuſtitiæ*; periclitãti enim in aquis, v.g. ego non teneor ex *Iuſtitia* opem ferre, ſed ex *Charitate*: hoc autem Ius, eſt *Ius coniunctionis*, quæ coniunctio non poteſt abdicari à Fratre. Addit pro confirmatione, ſi Frater vellet à me occidi, nè Vicinus occidatur, adhùc *peccatum eſt maius*, quia manet maior coniunctio, quæ ſtrictiùs nos ligat; ergo grauitas peccati, & obligatio maior non pendet à libera illius voluntate, ſed à *coniunctione maiori*.

Peccatum mortale eſſe propriam vitã exponere pro Amico quidam DD. doceant?

6 Concludit tandem Hurtadus cum præcitatis Auctoribus, excepto Suarez, & Lorca, exponere propriam vitam pro Amici vita, fore *peccatum ex genere ſuo mortale*: quod probat, quia *peruertere ordinem charitatis in materia graui*, qualis eſt vita hominis, eſt peccatum graue (ſola enim paruitas materiæ, foret peccatum veniale,) ergò homo poſtponendo propriam vitam, alterius vitæ, *graue peccatum* committeret; Idque confirmat, quia ſi aliquis deeſſet Fratri pro Amico, grauiter peccaret: Quòd ſi deeſſet vtrique, teneretur *in Confeſſione* aperire, alterum fuiſſe *Fratrem*: ergo eſt diſcrimen graue in ordine charitatis hac in parte.

Secunda ſententia affirmatiua.

Azorius. Sotus. Victoria. Corduba. Diana.

7 RESPONDENT *Secundò* Alij ad Quæſitum *Affirmatiuè*. Ità Azorius *tom. 3. lib. 2. cap. 3. quæſt. 2.* Sotus *de Iuſt. & Iur. lib. 5. quæſt. 1. art. 6.* Victoria, *relect. de homicid. num. 25.* Corduba, *lib. 1. quæſt. 38. ad 4.* & Diana, *par. 5. tract. 4. reſol. 28.* qui hanc affirmatiuam ſententiam, ſatis probabilem indicat, ex eo quòd non ſit contrà ordinem charitatis ponere vitam corporis pro Amico; nàm ordo charitatis exigit, vt *Bona Gratiæ*, *vel Virtutis*, priùs velimus *Nobis*, quàm *Proximo*, non tamen exigit, vt cætera bona, nimirùm, vel vitæ corporalis, vel famæ, vel honoris, vel bonorum temporalium, priùs velimus nobis, quàm alteri proximo.

Tertia ſententia. Faber.

8 RESPONDET *Tertiò* Faber *de Reſtitu. in 4. Sentent. diſt. 15. quæſt. 3. diſp. 52. cap. 1. num. 41.* hac in re *diſtinguendum* eſſe: Cùm enim quæritur,

inquit, an quis licitè poſſit ponere Vitam pro Amico, & bonis ſuis, hoc poteſt contingere duobus modis.

Pro ſola Amici vita non licet propriam vitam exponere.

Vno modo præcisè, accipiendo Vitam corporalem Proximi, & bona eius externa *præcisè*, & tunc eſt dicendum *non licere*, quia ſic ageretur *contrà ordinem Charitatis*, & regulæ eius tranſgrederetur, quod nulli dubium eſt, eſſe malum, & illicitum:

In quo caſu liceat exponere?

Alio modo poteſt conſiderari Vita Proximi corporalis, & alia eius bona externa, *ſimul cum aliqua Virtute*, pro qua ſeruanda ſimul cum corpore, & bonis Proximi, vita corporalis exponitur, vt pro ſeruanda *Iuſtitia*, ſimul cum corporali Vita Proximi: nimirùm quia videt quis Proximum iniuſtè interfici; & lædi in bonis: vel pro ſeruanda *Pietate*, vt cùm quis videt Patrem ſubire periculum mortis, & Filius ſe exponit periculo mortis, vt Patrem à morte tueatur. Et denique cùm quis nititur ſaluare Vitam corporalem Proximi, & bonorum, eſt *actus Pietatis*, vt ait Scotus *in 3. diſtinct. 30. §. Quantùm ad hoc. in fine*. Vndè pium eſt laborare pro Vita corporali Proximi ſaluanda; quia ſupponendum eſt, quòd ſi eſt bonus, *erit melior*, & valebit ſibi, & alijs ſua bonitas; & ſi eſt malus, ſupponendum eſt, quòd *corrigetur*: hoc enim eſt *piè iudicare*, ſcilicet interpretari sēper melius, quādò non eſt oppoſitum manifeſtum.

Scotus.

9 *Cùm ergo* Pietas ſit Virtus, qui laborat pro ſeruanda Vita corporali Proximi, laborat ſimul pro Virtute ſeruanda, *& ſic eſt licitum*: & hoc modo concludunt rationes pro opinione Soti, & Aliorum adductæ: in omnibus enim illis argumentis ſupponitur *exponi Vitam*, pro ſaluanda Vita Proximi, ſimul cum aliqua *Virtute*, ſaltem *Amicitia*, quæ dato quod non ſit Virtus; eſt tamen Virtuti coniuncta, vt *proprietas*, vel vt *effectus* eius; & ſic conciliatur D. Auguſtinus, qui contraria dixiſſe videtur: ponere enim Vitam pro Amici Vita temporali, *ſinè aliqua Virtute*, videtur dementia. Ità Faber, & *ante illum* Valentia *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 3.*

Quomodo explicetur auctoritas D. Auguſt.

Valentia.

10 RESPONDET *Quartò* Petrus Lorca *in 2.2. quæſt. 26. art. 5. ſect. 3. diſp. 28. membr. 3. num. 55.* Se, perſpectis vtriuſque Sententiæ fundamentis, cenſere hoc modo exponere Vitam pro alio, quandòque eſſe *opus egregiæ Fortitudinis, & debitum*, vt ſi exponatur pro *Republica*: quandòque eſſe *laudabile, ſed non debitum*, vt ſi exponatur pro *Patre*, aut pro *Amico*, cum quo interueniat magna, & honeſta Amicitia: ſed quandòque etiam eſſe *non laudabile, & inordinatum*, vt ſi exponatur pro quocumque alio homine. In quo caſu, inquit, mihi probabiliùs apparet eſſe imprudentem Vitæ effuſionem, & prodigalitatem, quæ à culpa excuſari nō poſſit, multò potiùs, quàm ſi quis omnes facultates ſuas ignoto homini daret, qui manifeſtè eſſet ſtultus, & prodigus.

Quarta ſententia.

Lorca.

Vitā propriam, pro quibus liceat exponere?

Et hoc modo, ſubdit, interpretor S. Thomā pro prima ſententia allegatum, qui ſolùm cenſet, illicitam eſſe eleemoſynam de neceſſario Vitæ, quandò *ſubtrahatur ſibi*, *vel ſuis* æquè indigentibus; nihil autem dixit, quandò ſubtrahatur ſibi, *vt detur ſuis*. Itàque ſolùm comparauit *Se & Suos* ex vna parte cum *Extraneis*: inter ſe autem, & ſuos non fecit comparationem. Permittit ergo opinari fas eſſe ſubtrahere *Sibi, vt detur Suis*, non tamen ſibi, vel ſuis, vt detur *Extraneis*; inter *Suos* autem, verus *Amicus* computari poteſt. Hæc Lorca.

Quomodò intelligenda ſit doctrina D. Thomæ ſupra allata.

Auctoris Sententia.

11 Mihi tandem has omnes conſideranti Sententias, ſecundam, quæ eſt Soti, & Aliorum, ſatis apparet *probabilis*; Ideòque aſſero cum præcitatis Doctoribus: *Licitum eſſe*

Auctor ſecundam ſententiā ſequitur.

Vitam corporalem exponere, non ſolùm pro Vita ſpirituali Amici, *ſed etiam pro temporali*.

Prima ratio pro Auctoris ſententia. 12 Probatur *Primò* ex eodem Soto tali pacto: Vita nihil aliud eſt, quam quoddam temporale bonum, quod non eſt *ſupremus finis*, in quo noſtra conſiſtit felicitas, ſed eſt tantùm *medium* ad ipſam conſequẽdam, & conſeruandam: *bonum* autem *vtile* licitum eſt in Defenſionem altèrius boni exponere, quod pars eſt noſtræ felicitatis, etiamſi per ſe conſideratum minoris eſſet pretij; poteſt enim iure optimo quiſque vitam periculo objicere *ad defendendum bona ſua* temporalia, eòquod bona ipſa rurſùs ordinantur in conſeruationem eiuſdem Vitæ, atque in Statum eius felicem. Sed Vita Amici mei *eſt proprium meum bonum*, ad meam etiam felicitatem pertinens; ergo eadem ratione mihi licebit; immò multò potentiùs, propriam Vitam pro illa ponere: nàm meritò illam pluris facio, quàm bona mea; quandoquidem per ipſam, felicem ſtatum Vitæ meæ conſeruo.

Secunda ratio. 13 Probatur *Secundò*, Exemplo Chriſti. Certum enim eſt Vitam eius, etiam temporalem, præſtantiorem fuiſſe, noſtra Spirituali; nàm erat *Vita Dei*, per quam ſcilicet homo verè erat Deus, & tamen, quia Vita noſtra æterna in eius redundabat gloriam, illam in pretium noſtræ diſpendit: ergo, &c.

Tertia ratio. 14 Probatur *Tertiò*: Iure Naturæ omnes mortales ſumus veluti eiuſdem corporis *membra*, *ſeu partes*: ergò ſicuti vna pars corporis licitè pro alia exponitur, vt inuicem ſe cuſtodiant, ſic quoque licitum eſt inter homines, vnũ pro alio exponi.

Quarta ratio. Probatur *Quartò*. Sicut pro *Republica*, debitum eſt Vitam ponere, quia partes eius ſumus, quamideò conſeruare tenemur: ſic & *pars* ſe poteſt periculo alterius partis exponere, quandòquidem Salus Reipublicæ ex ſalute partium conſtat.

Quinta ratio. Addit Sotus, quòd negare filium cum propriæ Vitæ periculo, debere vitam Patris tueri, feritas profectò eſſet, & barbaries, cùm eandem vitam à Parentibus recepimus. Conceſſo ergo ſemel, quòd Iure Charitatis hoc liceat, non eſt deſcenſus difficilis, vt etiam pro Vxore, pro Filio, pro Fatre, atque adeò pro *Amico* id liceat. Nàm pro Rege, nemo dubitat.

Confirmatur tradita Doctrina nonnullis exemplis, ac Veterum Teſtimonijs.

15 Placet hìc in Amici, ac eruditi Lectoris gratiam, nonnulla Veterum teſtimonia, ac exempla referre: quibus tradita ſuperiùs Doctrina, ex parte confirmari, ac illuſtrari poſſit. Et primùm recepta fuit apud Veteres Sententia: Pro Amicis perire laudabile, & honeſtum eſſe: *Multi* (inquit Cicero *in partitionibus*) *vitam neglexerunt, vt eos qui his chariores, quàm ipſi ſibi eſſent, liberarent*. (Cicero.) Lactantius *lib.5. Inſtit. diuin. cap.18.* Carneadem philoſophũ reprehendit, quòd dixerit, ſtultum eſſe mori pro altero: *Num*, inquit Lactantius, *pro amicitia perire, ſtultitia iudicabitur?* (Lactitius.)

16 DAMON & PYTHIAS, vt referunt Cicero *lib.3. offic. c.7.* & Lactantius *loc. cit.* Pythagorei Phyloſophi, tàm fidelem inter ſe amicitiam iunxerant, vt cum alterum ex his Dionyſius Siracuſanus interficere vellet, atque Is, tempus ab eo, quo priuſquàm periret, domum profectus, res ſuas ordinaret, impetrauiſſet: *Alter vadem ſe pro reditu eius Tyranno dare non dubitauit*. Solutus erat periculo mortis, (Damon, Pythias fideles Amici.)

tis, qui modo ceruices gladio ſubie-ctas habuerat. Eidem caput ſuum ſubiecerat, cui ſecuro viuere licebat. Igitur Omnes, & in primis Dionyſius nouæ, atque ancipitis rei exitum ſpeculabantur.

Appropinquante deindè definita die, nec illo redeunte; vnuſquiſque ſtultitiæ, tàm temerarium ſponſorem damnabat: *At Is, nihil ſe de Amici conſtantia metuere prædicabat: Eodem autem momento, & hora à Dionyſio conſtituta, qui eam acceperat, ſuperuenit*: Admiratus amborum animum Tyrannus, ſupplicium fidei remiſit; inſuperque eos rogauit, *vt ſe in ſocietatem amicitiæ, tertium ſodalitij gradum, intima cultururum beneuolentia reciperent*.

Pylades,& Oreſtis Amicitia. 17 Nota eſt hiſtoria, ſeu fabula de PYLADIS, & ORESTIS amicitia, qui cùm ad aram ſiſterentur, vt vnus ex eis Dianæ Tauricæ immolaretur, vter pro altero moreretur, certabant.

Ouidius de Ponto l.3.Eleg.2

Ire iubet PYLADES charum periturus ORESTEM:
Hic negat, inque vicem pugnat vterque mori.
Extitit hoc vnum, quod non conuenerat illis,
Cætera pars concors, & ſine lite fuit.

Manilius. Idemque Manilius *lib.2.* amicitiæ certamen deſcribit.

Vnus erat PYLADES, vnus qui mallet ORESTES
Ipſe mori. lis vna fuit per ſæcula mortis:
Alter quòd raperet fatum, non cederet alter.

Valerius lib.4. c.7. 18 Nec tacitus prætercam constantis amicitiæ exempla ex Valerio ad hanc rem deſcripta, quorum illud præclariſſimum fuit ergà Caium Gracchum à Pomponio, & Lætorio exhibitum: Proſtratis enim iàm, & perditis C. Gracchi conſilijs, rebuſque: cùm tota eius conſpiratio latè quæreretur; deſertum omni auxilio, *duo tàtùm Amici*, *POMPONIVS, & LÆTORIVS AB INFESTIS, ET VNDIQVE RVENTIBVS TELIS OPPOSITV SVORVM CORPORVM TEXERVNT*: Quorũ POMPONIVS, quò Is faciliùs euaderet, concitatum ſequentium agmen in Porta Trigemina aliquandò acerrima pugna inhibuit; nec viuus pelli potuit, *ſed multis confectus vulneribus, tranſitum eis ſuper cadauer ſuum* (credo etiam poſt fata inuitus) *dedit*.

LÆTORIVS autẽ in ponte Sublicio conſtitit, & eum, *donec Gracchus tranſiret, ardore ſpiritus ſui ſepſit*: ac vi iàm multitudinis obrutus, cõuerſo in ſe gladio, celeri ſaltu *profundum Tiberis petijt*: Quamque in eo ponte charitatem toti *Patriæ* Horatius Cocles exhibuerat, vnius Amicitiæ adiecta voluntaria morte præſtitit.

19 Teſte Eodẽ Valerio *loc.cit.* conſtans VOLVMNII ergà M. Lucullum Amicum ſuum charitas fuit, quem cùm Antonius interemiſſet, quòd partes Bruti, & Caſſij ſequutus fuiſſet: in magna fugiendi licentia *exanimi Amico adhæſit, in lacrymas, & gemitus hucuſque profuſus, vt nimia pietate cauſam ſibi mortis accerſeret.* nàm propter præcipuam, & perſeuerantem lamentationem ad Antonium pertractus eſt: cuius poſtquàm in conſpectu ſtetit, *Iube me*, inquit, *Imperator, protinùs ad Luculli corpus perductum occidi; neque enim abſumpto illo, ſupereſſe debeo, cùm ei infelicis militiæ auctor extiterim. Ductus quò voluerat, Luculli dexteram auidè oſculatus, caput, quod abſciſſum iacebat ſubleuatum, pectori ſuo applicauit: ac deinde demiſſam ceruicem, Antonij gladio præbuit amputandam*. Aliud exẽplum de Volumnij charitate ergà M. Lucullũ.

SERVIVS TERENTIVS, (ſcribit idẽ Valerius) pro Amico ſuo Decio Bruto occumbere conatus eſt: cùm enim Brutus ab Antonio miſſos Equites ad ſe interficiendum veniſ- Terentij charitas ergà Decium Brutum commẽdatur.

ſe cognoſceret, & ſe in tenebris occultaſſet, eòque iàm facta irruptione, Terentius fideli mēdacio, obſcuritate ipſa ſuffragante, *Brutum ſe eſſe ſimulauit, & corpus ſuum trucidandum Equitibus obiecit*. Verùm cognitus à Furio, cuius Brutianæ vltionis officium mandatum fuerat; nece ſua Amici ſupplicium diſcutere non potuit. Sic inuitus fortuna cogente vixit.

Alia exempla.

20 Age iàm; & quoniam ad hanc Theologicam cōfirmandam, illuſtrandamque Doctrinam, hùcuſque calamum protraxi, non grauabor alia ad hanc rem referre in Amicorum gratiam, quorum vtilitati hoc Theologico-Morale Opus ſcribendum ſuſcepi. Scribit noſter Neapolitanus Alexander ab Alexandro *lib.1.Genial. c.26.* apud *Aquitanos*, extitiſſe nonnullos, quos *SOLDVNOS*, ſeu, vt apud Cæſarem legitur *lib.3.Belli Gallici, Soldurios* appellabāt, qui eo Amicitiæ vinculo inter ſe coniuncti erant, *vt iiſdem Vitæ commodis, opibuſque promiſcuo vſufruerentur: ſi quid autem aduerſi contingeret, eoſdem caſus, eamdemque fortunam, ac etiam Vitæ interitum vnà ſubire cogerentur*.

Alexāder ab Alexandro. Cæſar.

Apud *HVNNOS* tale fœdus inexplicabili nexu contrahebatur, vt viginti Viri generoſi Spiritus, eiſdem Sacris initiati, vnà Comites eſſent Conſiliorum, & voluntatum: eo vinculo, vt *proſpera, & incommoda mutuis officijs ferrent ad ſupremum diem: morte autem obita, ſuperſtites Defunctum efferrent, & comitarentur*.

Hunnorū mos in ſeruanda Amicitia.

IBERORVM. verò mos fuit, vt Amici in familiaria Iura aſſueti, Principi ſe deuouerent, Vitæ, Mortiſque vltores: quique ità in Cohorte Amicorum deuoti erant, omniū Conſiliorum, ſecretorumque participes fierent, & ſi quid timendum accidiſſet, *Omnes caſus, & fortunæ minas, atque vnà mortem oppetere cogerentur*.

Hiberi quibus officijs amicitiam colant?

Qui mos CANTABRIS fuiſſe traditur, vt pro Amicis, & Fœderatis, ſociali fide ſe immolare, atque *interire* non dubitarent, inſigni teſtimonio mutuæ Charitatis, & perpetui Amoris.

Cantabri pro amicis immolandos ſe offerebant.

AB ÆTHIOPIBVS ſeruatum eſt, vt familiares in Regis ſocietate per omne obſequium inſinuati, vnà cum Rege ad ſupremos annos viuant conſociati, & fœderati, qui ſummum inter Amicos locum tenent, & ſi qua corporis parte Rex mancus fieret, eodem membro ſe deforment, *eoque morte ſublato, ſponte intereant*.

Aethiopes ſuis Regibus commoriuntur.

Quæ omnia, etſi Chriſtiana Fide initiatis, non vt imitanda propoſuimus exempla, ſed tantùm, vt ex his intelligant non eſſe à ratione alienam Soti Sententiam; & hinc quoque diſcatis velim

Quid facere Auſoniæ geniti debetis in Vrbe
Cùm tangant duros talia facta Getas?

Ouid. de Ponto li.3. Elegia 2.

Enimvero Multi hac noſtra reperiuntur Ætate, quos, vel leui incommodo Amicis fauere tædet, atque.

Illud Amicitiæ Sanctum, & venerabile nomen
Res ſibi pro vili, ſub pedibuſque iacet.

Idem de Triſtibus, lib.1. Elegia 7.

21 Sed quid (inquit Sotus) in re non dubia moramur? *Vox Populi, vox Naturæ eſt*, & tamen nulla fuit ſeu barbara natio, ſeu Sancta, etiamſi Chriſtianam intelligas, in qua non egregiæ laudi daretur, ac detur, quod qui hominem in periculo mortis coniectum videtit, eidem ſe offerat periculo, vt Proximi Vitam, *dum poſſibile apparet*, eripiat. *Dum poſſibile* inquam *apparet*: nàm aliàs *temeritas* eſſet. E.g. qui gladijs ſe inuicem impetentes aſpectat; & potens cum aliquo ſuo pe-

Poſtrema ratio pro Auctoris ſententia.

ricu'o litem dirimere, non ſe medium infert, etiamſi non teneatur; profectò, vt ignauus, & infamis habetur: tantùm abeſt, vt ſi id fecerit, perperàm feciſſe iudicetur. Concludit tandem Sotus his verbis: *In ſumma, qui hoc negat officium eſſ: eximiũ Amicitię, ornamentum profectò eius præcipuum, de media Republica tollit.*

Soluuntur Oppoſita.

Prima reſponſio ad primum argum.

Quid ſenſerit D. Auguſt. circa hanc difficultatem?

22 Ad Teſtimonium Auguſtini, Reſpondetur cum Soto, & Azorio, D. Auguſtinum, *diuersè* loquutum eſſe de hac quæſtione; loco enim ſuperiùs citato, viſus eſt ad partem negatiuam inclinare; at *libro de Amicitia cap.* 10. expreſsè ait: *Nihil eſt negandum Amico, omnia pro eo ſuſtinenda ſunt, & vita corporis ponenda eſt pro Amico, vt ſanxit diuina auctoritas*: nimirùm ad verba Chriſti Ioan. 15. alludẽs: *Maiorem Charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: quæ ſi meditatè perpendantur, hunc planè ſenſum faciunt, quàmuis non deſint, qui cauillantes dicant, Saluatorem noſtrum hoc tantùm docuiſſe, quòd liceat vitam corporalem pro ſpirituali Amici, ſicut ipſe fecit, exponere. Sed contrà illud eſt, quia Chriſtus *abſolutè*, & *ſimpliciter* dixit, *vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, ergo non eſt, cur nos diſtinguamus.

Ioan. 15.

Secunda reſponſio.

23 *Vel Secundò* Reſpondetur cũ Azorio *loco citato*; Auguſtinum id ſignificare voluiſſe tantummodò: Hominem, qui vitam propriam ponit pro Amico, magis in hoc diligere Amicum, quàm Seipſum, hoc tamen vitioſum non eſſe, dummodò *Bona Gratia, Gloria, & Virtutis Sibiipſi magis velit, & optet, quàm Amico*: & fortaſſis D. Auguſtinus dicere voluit, cõtrà ordinem Charitatis facere, qui temerè, & vanè vitam ſuam pro Amico perdit, non qui perdit, vt *Amicitia bonum* tueatur & ſeruet.

24 Ad argumentum deductum ex ordine Charitatis, Reſpondetur: Quòd ordo Charitatis, quo homo tenetur non plùs Proximum, quàm Seipſum diligere, attendendus eſt *ſecundùm vitam ſpiritualem*, cuius detrimentum homo non debet pati, nec pro totius Orbis Imperio: ſed quantùm ad temporalia non eſt ille ordo neceſſarius, quoniam tẽporalia per ſe non pertinent ad perfectam felicitatem, ſed ſunt tantùm media, vt diximus.

Reſponſio ad ſecundum argumentum.

Ad doctrinam D. Thomæ pro contraria ſententia adductam, vide Reſponſionem, quam ex Lorca adduximus *ſuprà, num.* 10. *in fine*.

QVÆSITVM X.

Vtrùm in naufragio licitum ſit Mihi habenti tabulam, qua poſſim ſaluus euadere, eam alteri periclitanti dare, nè pereat?

SVMMARIVM.

1 *Solutio huius Quæſiti, cum ſolutione præcedentis cohærere debet.*
Antequàm Tabula accipiatur, licet eam alteri Naufrago relinquere; non verò poſt. ex Soto.
2 *Reſponſio Auctoris affirmatiua.*
Porrigere alteri tabulam in naufragio, non eſt ſeipſum interimere.
3 *Auferre non licet tabulam ab Alio, qui priùs illam apprehendit.*
4 *Quid ſi vna tabula à duobus fuerit occupata, & vtrique non ſufficiat?*
Difficile eſt litem in tali caſu, Sorte dirimere.
5 *Aſſeritur ex alijs DD. non teneri Naufragum dimittere tabulam, quouſquè habet ſpem euadendi: quòd ſi ſpem non habeat euadendi, tenetur illam cedere alteri Naufrago.*

Sotus.

1 AFFINIS eſt hæc Quæſtio præcedenti, huiuſque ſolutio ex illa dependet. Quapropter miror Sotum, qui tàm conſtanter aſſerit pro defendenda Amici Vitá, licitum eſſe propriam Vitam exponere; negare tamen occupatam tabulam in naufragio dari poſſe à Filio, v.g. Patri ſuo etiam naufraganti: ait enim *de Iuſt. & Iur. lib. 5. quæſt. 1. art. 6. propè finem*. Quod antequàm tabulam Filius capiat, poteſt illam relinquere Patri; quia hoc nõ eſt poſitiuè ſe occidere, ſed permittere ſe mori: poſtquàm verò eidem inſidet, reuera non apparet licitum eſſe, vt ſe in fluctus deijciat. Hanc Sententiam ſequuntur etiam Vega *in Summa tom. 1. cap. 127. caſu 7.* & Rodriquez in *Summa to. 1. c. 221. n. 6.*

Vega. Rodriq. Reſponſio affirmatiua. Nauarra. Malderus. Leſſius. Azorius. Victoria. De Lugo. Diana. Ratio.

2 RESPONDETVR tamen ad Quæſitum *Affirmatiuè* cum Petro Nauarra, *de Reſtit. lib. 2. c. 3. n. 66. & 67.* Maldero, *in 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 19.* Leſſio, *lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 31.* Azorio, *tom. 3. lib. 2. cap. 3. quæſt. 5.* Victoria, *Relect. de Homicid. num. 26. ad 5. argum.* De Lugo, *tom. 1. diſp. 10. sect. 1, num. 48.* Diana, *par. 5. tract. 4. reſol. 42.* Fundamentum eſt, quia cedere tabulam alteri naufrago, non eſt *directè ſe occidere*, ſed ſolùm non tueri Vitam ſuam, cùm poſſit. Quod vtique ipſimet Primæ Sententiæ Auctores fateri debent, dùm aſſerunt: Licitum eſſe hoc facere *pro Duce, pro Principe, pro Rege*, vel quouis alio *Viro* maximè vtili, vel neceſſario Reipublicæ: ergo hoc non eſt per ſe, & directè ſibi mortem conſciſcere: hoc enim nunquàm eſt licitum, ſed tantummodò Te *non tueri, cùm poſſis*: At non tueri Teipſum cùm poſſis, *licitum* eſt: ergo licet etiam *dare tabulam* alteri in eodem naufragij periculo cõſtituto, quàmuis ſcias, te ſubmergendum.

Primũ dubiũ circa præſens Quæſitũ.

3 Sed petes *Primò*, An licitè poſſit auferri tabula ab eo, qui iàm Tabulam occupauerat?

Reſpõſio.

Reſpondetur *Negatiuè*: Ille enim, qui tabulam prior occupauit habet Ius acquiſitum in medio illo neceſſario, ad propriæ Vitæ conſeruationem; ac proindè non poteſt abſque *iniuria*, tabula ab eo occupata auferri.

Secundũ dubium.

4 Petes *Secundò*, An ſi eadem tabula, eodem tempore à duobus naufragantibus fuiſſet occupata, & vtrique non ſufficeret, quid agendum eſſet?

Prima reſponſio. Leſſius.

Reſpondet Leſſius: *Sorte dirimendum*, ſi alter ſponte cedere nolit.

Reijcitur hæc reſpõſio.

Verùm, quàmuis ſpeculatiuè loquendo, optima ſit hæc Reſponſio, difficiliter tamen in praxim redigi poterit, eo præſertìm tempore, quo naufragij periculum, ac mortis metus locum non relinquunt veniendi ad ſortes.

Secunda reſponſio. De Lugo.

5 Quapropter Reſpondet Secundò De Lugo: Si alter cedere nolit, & tu habeas adhùc ſpem, quòd ſaltem vtroque cum tabula immerſo; tu tabulam non dimittes, & ille alius ſubmerſione perturbatus dimittet, atque ità tu ſolus iterùm cũ tabula ad ſumma ſubleuaberis; *non eſt, cur illam Spem euadendi perdas*, cùm vterque Ius ſolùm partiale habeat ad conſeruandam ſpem, quam ex tabula habet: Si verò *non ſit Spes* tibi euadendi, ſi alter ſpontè non cedit, & ille adhùc cedere non velit, opinatur De Lugo, tunc *dimittendam eſſe Socio tabulam*, quia Proximo in graui neceſſitate conſtituto ſubuenire teneris, quandò *ſinè tuo damno* potes: tunc autem nullum damnum times ex dimiſſione tabulæ, quod non æquè certò timeas, ea non dimiſſa: ergo *teneris* illam ex Charitate dimittere, vt Proximo ſubuenias.

QVÆSITVM XI.

An liceat exponere propriam Vitam prò alio inferiori bono Amici, vt pro Honore, vel Facultatibus?

SVMMARIVM.

1 *Dupliciter poteſt exponi vita pro fama, vel bonis alienis: vel ſcilicet negligendo media ad illam conſeruandam, vel ſubeundo aliquod euidens diſcrimen.*

2 *Priori modo, docet Lorca, licitum eſſe exponere vitam pro honore, vel facultatibus Amici; at ſecundo modo, non item.*

3 *Plus agitur contrà propriam vitam, exponendo ſe periculo mortis, quàm negligendo media ad vitam conſeruandam.*

4 *Concluditur, eodem modo licere vitam exponere pro Defenſione bonorum, aut honoris Amici, ac pro Defenſione proprij honoris, aut facultatum.*

Prima reſponſio ad Quæſitū. QVI negant illicitum eſſe Vitam exponere pro Amici Vita, à fortiori ſimpliciter aſſerunt, eam exponere non licere pro externis Amici Bonis, vtpute pro Fama, Honore, Diuitijs, &c. vt ſuprà viſum eſt.

Lorca. Duplex ſēſus Quęſiti. 1 Attamen Lorca *in 2.2. D. Thomæ ſect. 3. diſp. 28. membr. 3. num. 60.* ad hoc Dubium reſpondet: *Duobus modis* exponi poſſe Vitam periculo certo, & abſque euaſionis ſpe: *Vno modo* negligendo medium, quo conſeruari poſſit: *Altero modo* offerendo ſe euidenti mortis occaſioni, vt obijciendo ſe hoſti parato ad interficiendum.

2 Et quìdem *priori modo* aſſerit, licere propriam *negligere* Vitam pro Honore, vel Facultatibus Amici. V. g. ſi Ego occidendus ſim, inquit, niſi Amicus aliquid agat, quod in magnum eius dedecus vergit; vel niſi magnam partem ſuarum facultatum expendat, *poſſum pati mortem*, nè ille hæc detrimenta incurrat. In quo caſu liceat, vitam pro bonis Amici exponere.

In quo caſu non liceat? *Altero modo*, aſſerit, non licere obijcere ſe morti euidenti pro Defenſione *Honoris*, aut *Facultatis* alterius. v. g. Si latrones, inquit, diripiant alicuius domum, & me illis obijciam occidendum, interim impediri poterit furtum, non exiſtimo honeſtam cauſam ſubeundi mortem. Et idem omninò cenſeo de expoſitione Vitæ pro proprio *Honore*, vel *Facultatibus*. Nàm quàmuis fas ſit non vti medio ad Vitæ conſeruationem, quod ſinè ignominia, vel magnis ſumptibus exequi non poſſum; *non tamen licebit opponere me interficiendum*, vt Honor, vel Subſtantia conſeruetur.

Ratio diſparitatis. 3 Addit diſcrimen inter vtrumque Caſum indè conſtare, quia plus agit contrà propriam Vitam, & maniſeſtiùs *eligit mortem*, & præfert Bona illa, pro quibus moritur propriæ Vitæ, qui ità ſe obijcit morti; quàm qui non curat difficilia media, quibus eam conſeruet. Et ideò primus cenſetur Vitam pro Honore *commutare*, *& ex intentione perdere*; ſecundus præcisè *non conſeruare*.

Secunda reſponſio ad Quæſitum. Sotus. 4 Reſpondet tamen Sotus *in 5. de Iuſt. & Iur. quæſt. 1. art. 6. licitum* eſſe Vitam corporalē *exponere* pro Amici *Honore*, & *Fama*, eiuſque Bonis temporalibus, ſicutì licitum eſt pro Defenſione *proprij Honoris*, aut *Facultatum*. Cuius Sententiæ Fundamenta eadem ſunt, quæ in Superiori Quæſito poſuimus; ideòque illùc Lectorem remitto.

QVÆSITVM XII.

Vtrùm cum aliqua iactura, ac propria moleſtia, teneatur quis defendere Proximum ab Iniuſto Aggreſſore ſeù Bonorum,ſeù Vitæ?

SVMMARIVM.

1 *Pro defenſione honoris, aut bonorum Proximi,nemo tenetur propriorum bonorum, aut famæ iacturam facere, nec grauem aliquam moleſtiam ſubire.*
2 *Secius, ſi ex officio teneretur ad talem defenſionem, vel illam ſumere poſſet cum modica ſuorum bonorum iactura.*
3 *Quantum iacturæ, aut moleſtiæ ſubeundum ſit pro tali defenſione, Prudentis arbitrio relinquitur.*
4 *Pro defenſione vitæ Proximi; bona externa, honor, atque etiam propria perſona eſt exponenda, modò nulliũ interueniat propriæ vitæ diſcrimẽ ex alijs DD.*
5 *In quo caſu non liceat propria bona, aut propriam Famam exponere pro conſeruatione vitæ Proximi?*

NON quærimus ampliùs, *an liceat* propriam Vitã pro Proximi Vita exponere, ſed *an teneatur* quis detrimentum aliquod, ac moleſtiã pati, vt Proximum defendat, ſiue talis Defenſio ſuſcipienda ſit pro Vita, ſiue pro Bonis externis Ptoximi.

Prima cõcluſio. Molina. 1 Ad *Primum* Reſpondetur cum Molina *tom. 4. de Iuſt. & Iur. tract. 3. diſp.* 18.*nu.*7. pro defendendis externis Amici Bonis, vel Honore, vel Fama, Neminem teneri, non ſolùm exponere periculo propriam Vitam aut Corpus mutilationi, vel vulneri, ſiue alij notabili læſioni: ſed neque teneri *notabilem pati iacturam* ſuorum Bonorum externorum,aut moleſtiam magnam, dummodò *ex officio* non teneretur illum defendere, ſed ſolùm *ex lege Charitatis*.

Quomodò cõpenſanda ſit iactura ob defenſionẽ facta? 2 Quandò tamen cum modica ſua iactura vitare poſſet graue damnum temporale Proximi, *teneretur* quidem illud vitare: cæterùm tunc agere poſſet actione negotiorum geſtorum aduersùs eum, in cuius commodum id feciſſet, vt eam iacturam, quin & valorem operarum, ac induſtriæ appoſitæ, ſibi cõpenſaret. At quandò id aliter obtinere non poſſet, facere poſſet occultam compenſationem in Bonis illius.

Quantum iacturæ ſit faciendũ? 3 *Sed Petes*: Quantum iacturæ, aut moleſtiæ teneatur quis pati pro vitando damno temporali Proximi?

Reſpondetur: Non poſſe ſtatui certam Regulam, ſed *Prudentis arbitrio* eſſe committendum, vt in particularibus euentibus id iudicet.

Secunda concluſio. 4 *Ad Secundum* Reſpondet Molina *loc.cit.*ProDefenſione Proximi à morte, non ſolùm teneri exponere Bona externa, Honoremque, ac Famam, ſed etiam *propriam Perſonam* infrà periculum probabile propriæ Vitæ.

Ratio. Probatur. Quia hæc omnia longè *inferioris ordinis* ſunt, quàm Vitã Proximi; ideòque ordine, ac *lege Charitatis* exponenda ſunt pro conſeruanda Proximi Vita. Si tamen Fama, aut Honor alicuius, ſui magnitudine præponderaret Vitæ hominis infimæ notæ, *non teneretur* exponere talem Famam, aut Honorem pro Vita illius.

Propria bona exponere,nõ ſemper eſt licitum. Quòd ſi longè plus expediant Bono communi, quàm Vita talis Proximi, *peccatum* tunc eſſet pro ea Vita, illa exponere. Propriam autem Vitam *non teneretur* quis exponere probabili, aut veriſimili mortis periculo pro Defenſione Vitæ alienæ, quoniam Charitatis ordine Vita propria alienæ poteſt præponi. *Excipe* tamen, niſi Vita, pro qua ex-

po-

poneretur, quàmmaximè Reipublicæ expediret. Ità Molin. *loc. cit.*

QVÆSITVM XIII.

An qui debet alium ex officio defendere, teneatur Vitam exponere in Defenſionem illius?

SVMMARIVM.

1 *Senſus Quæſiti explicatur.*

2 *Iuxtà occurrentes circumſtantias, Prudentis arbitrio iudicandum eſt, an Publici Miniſtri ad defenſionem teneantur.*

3 *Proponuntur aliquæ circumſtantiæ, quæ ſpectari poſſunt pro publici boni defenſione obeunda.*

4 *Imminente graui damno toti Reipublicæ, tenentur publici Miniſtri illud impedire, ſi facilè poſſint, etiamſi propriæ vitæ diſcrimen eſſet ſubeundum.*

5 *Secùs autem eſt, ſi vel damnum imminens non ſit graue, vel exiguam habeant ſpem, ſe poſſe illud impedire.*

6 *Famuli iuxtà diuerſum finem, ob quem ſuis Dominis inſeruiunt tenentur illos defendere.*

Qui ſolùm honoris, ac decoris gratia inſeruiunt, cum minori periculo tenentur illos defendere: Qui verò pro Dominorũ ſecuritate, ac tutela famulantur, maiori periculo tenentur ſe exponere pro illorum Defenſione.

7 *Gubernatores Ciuitatum, ac eorum Satellites, quænam pericula ſubire teneantur pro publici boni Defenſione?*

1 NON loquimur hìc de Defenſione in ordine ad ſalutem ſpirituale, quam ſuſcipere debent Epiſcopi, ac Prælati Spirituales, quibus commendata eſt ſuarum Ouium cura, pro quarum Defenſione, An aliquandò *ex officio* propriam Vitam exponere teneantur, videbimus infrà. Sed ſermo eſt hìc de iis, qui temporale regimen, aut curam habent, vt Principes, Prætores, Gubernatores, Magiſtratus, necnon Satellites, Milites, Famuli Stipendiarij, Alijque, qui *ex officio* alios defendendos ſuſceperunt; An ſcilicet hi omnes teneantur propriam Vitam exponere pro defendendis illis, ſuæ curæ commiſſis?

2 RESPONDETVR *Primò* cum Molina, *tom.* 4. *de Iuſt. & Iur. tract.* 2. *diſp.* 735. Si ſermo ſit de publicis Miniſtris, non poſſe dari *certam Regulam*, ſed conſiderandas eſſe varias circumſtantias; contingere enim poſſet, vt aliquandò *hic, & nunc* tenerentur propriam Vitam exponere, itàvt ſi non exponerent, peccatum committerent; aliquandò verò minimè; itàvt ſi ſe exponerent, peccarent. Relinquendum eſt igitur hoc *Prudentis Viri arbitrio* iudicandum. Prima Cóclusio. Molina.

3 Obſeruat tamen Sotus *in* 4. *de Iuſt. & Iur. quæſt.* 7. *art.* 3. *ad* 3. & cum eo Molina *loc. cit.* & Alij, expendendum eſſe *iniuſtum Damnum*, quod Priuatis, aut Reipublicæ timetur, expendendamque eſſe *Quantitatem periculi*, quod ex eo Poteſtatibus, ac Miniſtris publicis imminet, quòd id damnum impedire aggrediantur, vt *ex officio* aliòquin tenentur. Adduntpræthereà, expendendam eſſe *Probabilitatem*, quæ eſt ea via impediendum id damnum re ipſa fore; attentiſque his omnibus, atque cæteris circumſtantijs concurrentibus, iudicandum eſſe, nùm aliquandò, etiam *cum periculo Vitæ* attentare teneantur, impedire id Damnum. Quapropter Sotus.

4 Si *Damnum eſſet graue*, quod toti Reipublicæ immineret, & ipſi Miniſtri *facilè impedire poſſent*, vtique impedire tenerentur, etiamſi propriæ Vitæ periculum ſubeundum foret. Quod *Probatur*. Nàm ſicuti Poteſtas publica obligare aliquan- Imminéte graui dãno, an teneantur Publici miniſtri periculũ aliquod ſubire?

dò ſubditos poteſt, etiam *cum periculo propriæ ipſorum Vitæ* ad Reipublicæ ſubueniendum: ſic aliquandò eadem Poteſtas publica, alijque Miniſtri publici, qui *ex officio* Rempublicam defendere, malaque arcere tenentur, qu que ea de cauſa iuſtum accipiunt Stipendium, tenebuntur (vt benè ait Molina) attenta re, impedire Damnum iniuſtũ, quod Reipublicæ, aut partibus eius imminet, etiam *cum periculo propriæ Vitæ*.

Quid ſi dānum non eſſet graue?

5 Si verò *Damnum* non eſſet talè, ac tantum, vt recta ratio, ac neceſſitas poſtulare viderentur, attentandum eſſe, vt illud euitaretur, etiā *cum probabili propriæ Vitæ periculo*: & multò magis, quandò temeritas eſſet id attentare, vtpote, quia mors indè eſſet moraliter certa; & nulla, aut perexigua ſpes id Damnum vitandi, non teneretur ſe tanto exponere periculo. Quod *Probatur*, quia neque ipſi Miniſtri cum tanto ſuo periculo ſe ad id *obligare intenderunt*, nec etiam ipſius Populi intentio fuit eos cum tanto periculo obligandi.

Secunda reſponſio ad Quæſitum. De Lugo. Famuli quomodò ad defenſionē ſuorum domi norum teneantur?

6 RESPONDETVR *Secundò* cum De Lugo *tom.* 1. *de Iuſt. & Iur. diſp.* 10. *ſect.* 11. *num.* 217. Si ſermo ſit de Famulis, qui aliorum obſequio, ac Defenſioni addicti ſunt, nec poſſe certam regulam dari, ſed conſiderandum eſſe *Finem* præcipuum, propter quem tales Famuli ad miniſterium ſuſcipiuntur: Aliqui enim ſunt, qui eo tantummodò fine ad Aulam Principis admittuntur, vt eum comitentur honoris gratia, eique miniſtrent, & inſeruiant in rebus alijs *diuerſi generis*, & hi multò minori periculo ad defendendum Dominum tenentur.

Alij verò accipiuntur, vt ijs Dominus, quaſi armata Familia ſtipatus incedat ſecurus, & hi magis, & *cum maiori periculo* tenentur; Sicut etiam *Milites* magis tenentur, quàm alij Miniſtri publici: Et rursùs ipſi *Milites* multò magis, & cum maiori periculo tenentur, quandò ſpecialiter, id eis præcipitur à Principe, vel à Duce, ad hoc enim ſpecialiter ratione officij, ſe obligarunt.

Gubernator Ciuitatis, quodnam periculum tenentur ſubire?

7 Addit De Lugo *loc. cit.* Gubernatorem Ciuitatis, qui magis eſt Miniſter ad Pacem, quàm ad Bellum, & cuius Perſona magis ad bonum publicum neceſſaria eſt, non debere ſe tanto periculo exponere quantò eius Satellites, quandò ad aliquem Reum capiendum mittuntur: neque hos etiam cum tanto periculo obligari ad capturam *Delinquentis priuati*, ſicuti ad capturam *Delinquentis publici Graſſatoris*, quæ neceſſaria eſt ad bonum publicum.

QVÆSITVM XIV.

Vtrùm illi, qui ex officio tenentur alium defendere, & impedire eius mortem, ſi id non faciant, ſequuta morte ſint Irregulares?

SVMMARIVM.

1 *Contrahi Irregularitatem, communis eſt Doctorum ſententia.*

2 *Non impediens homicidium, quod impedire tenetur, ac poteſt, an ſit vera cauſa talis homicidij.*

Irregularitatem contrahunt iuxtà hanc ſententiam, Iuſtitiæ Miniſtri, Aduocati, Cuſtodes viarum, ac Medici, ſi ob ipſorum negligentiam circà ſua munera, aliquis moriatur.

3 *Oppoſitæ ſententiæ adhæret Auctor.*

4 *Huiuſmodi Irregularitas, non eſt in Iuribus expreſſa.*

5 *Cenſuræ, ac pœnæ impoſitæ facientibus aliquod delictum, non extenduntur ad eos, qui tale delictum non impediunt.*

6 *Cooperantes negatiuè, ſeu non impedientes aliquod delictum, non contrahunt Cenſuras impoſitas contrà facientes tale delictum.*

PRI-

Prima ſententia. Suarez. Toletus. Reginald. Filliuc. Bonacina. Nauarrus Henriq. Rodriq. Felinus. Auila. Layman. Mercerus. Megala. Coninch. Bañes. Vega. Villalob. Sayrus. Diana. Molina.

1 PRIMA, & communis Sententia eſt *Affirmatiua*, eamque ruentur, Suarez, Toletus, Reginaldus, Filliucius, quos refert, & ſequitur Bonacina, *de Cenſuris diſp.7. quæſt.4. punct.8. num.37.* Item Nauarrus, Henriquez, Rodriquez, & Felinus, quos refert, & ſequitur Auila, *de Cenſuris par.7. diſp.6. ſect.2. dub.7. concl.2.* Item Laymann, Mercerus, Megala, Coninch, Bañes, Vega, Villalobos, & Sayrus, quos refert Diana, *par.4. tract.1. de Irregularitate, reſol.7.* Molina etiam, *tom.4. de Iuſt. & Iur. tract.3. diſp.33. memb.5. num.3.* qui omnes aſſerunt: Eos qui ex officio alium defendere tenentur, eiuſque mortem impedire, contrahere *Irregularitatem ex homicidio voluntario*, quandò ſequuta eſt mors illius, quem defendere tenebantur, & inſuper teneri ad *reſtitutionem* damnorum, quæ indè ſubſequuta ſunt, *in defectum* tamen eius, qui illa intulit.

Ratio pro prima ſententia.

2 Et Ratio eſt, Quoniam, qui ità homicidium non impedit, cùm impedire poſſit, & teneatur, cenſetur *vera cauſa moralis* illius, non quidem *poſitiua* in illud influens, ſed *negatiua* illud non prohibens, ac impediens, cùm poſſit, & ex Iuſtitia ad impediendum teneatur. Ex qua doctrina (inferunt præcitati Doctores) Gubernatorem, vel alios Miniſtros Iuſtitiæ, Cuſtodes viarum, Aduocatum, Procuratorem, Medicum, Alioſque ſimiles, ſi ex negligentia circà id, ad quod *ex officio* & Iuſtitia tenentur, aliquis moriatur, vel occidatur, vltrà peccatum Iniuſtitiæ, & obligationem reſtitutionis, contrahere etiam *Irregularitatem*, licèt ij, qui ſolùm *ex Charitate* tenebantur, non incurrant *Irregularitatem*; quos tamen in aliquo Caſu eam incurrere, quandò ſcilicet *ex odio*, & affectu, vt occideretur, eũ non defenderunt, docent Couarruuias, & Alij apud Molinam *loc. cit.*

Corollarium ex hac Doctrina. Couarr.

3 SECVNDA Sententia eſt *Negatiua*, eamque docent Turrianus, *de Cenſuris lib. 9. diſput.63. dub.3.* Gaſpar Hurtado *diſp.2. de Irregular. difficul.9. num.34.* qui pro ea citat Antoninum, & Tabienam; & eandem ſequitur Ioannes Præpoſitus *in 3.p. quæſt.5. de Irregular. dub.10. num.79.* & probabilem dicunt De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom.1. diſp.10. ſect.11. nu.219.* & Diana, *loc. cit.* qui omnes probabiliter exiſtimant, in caſu poſito, non contrahi Irregularitatem. Secunda ſententia. Turrian. Gaſp. Hur. Antonin. Tabiena. Io. Præp. De Lugo.

4 Fundatur hæc Sententia in illo generali principio, nimirùm, Irregularitatem non incurri, niſi ſit *in Iure expreſſa*: Sed in Iure non exprimitur fore Irregulares eos, qui homicidium *non impediunt*, cùm impedire deberent: ergo non eſt dicendum, eos contrahere Irregularitatem, ſequuta morte illorum, quos defendere tenebantur. Ratio pro ſecunda ſententia.

5 Prætereà Cenſuræ impoſitæ *facienti* aliquod delictum, non extenduntur ad *Mandantes, & Conſulentes*, niſi id exprimatur; vt docet cum Alijs Sanchez *lib.1. in Decalogum cap.10. nu.44.* & *lib.3. de Matrim. diſput.49. num.2.* Ergo multò minùs extenduntur ad non *Impedientes*, qui multò minùs cenſentur commiſſi homicidij cauſa, quàm ij, qui Mandatum, aut Conſilium dederunt. Alia ratio. Sanchez.

6 *Sed Dices*. In Iure eſt expreſſa Irregularitas; non ſolùm contrà Occidentem, ſed etiam contrà Conſulentem, & Cooperantem; ſed qui non impedit cenſetur *Cooperari*: ergo tanquàm Cooperator contrahet Irregularitatem. An non impedientes delictum, ſint cooperatores?

Reſpondetur. Nomine Cooperatorum, cenſeri eos, qui *Poſitiuè* cooperantur, non verò *Negatiuè*, impropriè, & permiſſiuè: ſicuti nomine Conſulentis, ac Mandantis cenſentur, qui *poſitiuè* mandant, aut *conſulunt*; & ſicutì etiã nomine Furis, qui propriè furantur, non qui furtum non impediunt. Cùm igitur in Iure ſit expreſſa Irregularitas contrà

Quinam cooperatores contra hant cenſuras?

Cooperantes, intelligi debet de ijs, qui *poſitiuè* cooperantur, non verò de ijs, qui merè *negatiuè* ſe habent, non impediendo: in pœnalibus enim ſtricta facienda eſt interpretatio; Cùm odia non ſint amplianda, ſed reſtringenda.

QVÆSITVM XV.

Vtrùm teneamur Vitam exponere, pro Salute Spirituali Proximi?

SVMMARIVM.

1 *Exponere vnuſquiſque tenetur propriam vitam temporalem pro ſpirituali vita Proximi.*

2 *Cur Proximi vita ſpiritualis, magis diligenda ſit, quàm proprium corpus?*

3 *Præceptum charitatis ponendi animam pro ſpirituali vita Proximi, obligat tantùm in extrema illius neceſſitate.*

4 *Quænam ſit extrema neceſſitas Proximi, ratione cuius adſit obligatio ponendi animam, &c?*

Quidam cenſent, extremam neceſſitatem, illam eſſe, in qua Proximus abſque graui difficultate, non poteſt ſuæ ſpirituali ſaluti conſulere.

5 *Probabile eſt, illam ſolùm cenſendam eſſe extremam neceſſitatem, in qua phyſicè, nedùm moraliter, impoſſibile eſt, vt Proximus ſuæ ſaluti conſulat.*

Cum vita diſpendio, nemo tenetur eripere Proximum à malo, quod ipſe aliquo modo euitare poteſt, & ſuo vitio non euitat.

6 *Imminente periculo amittendi Dei gratiam, ac propriam ſpiritualem ſalutem, ceſſat obligatio ponendi animam pro ſpirituali vita Proximi.*

1 RESPONDETVR *Primo*, Vnumquemque teneri Vitam exponere pro Spirituali Salute Proximi, ſi ità illius neceſſitas poſtulauerit. Ità communiter ſentiunt Doctores cum D. Thoma, 2.2.*quæſt*.26.*art*.5. Caietano, & Alijs. Colligitur hæc ſententia ex illo *Ioann*. 3. *Et nos debemus pro Fratribus animas ponere*. Et ex Auguſtino, *lib. de Mendac. cap*. 6. *Temporalem Vitam ſuam pro æterna Vita Proximi non dubitabit Chriſtianus amittere*. Et ex illo Apoſtoli *ad Rom*. 12. *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra:* Ex quo ſequitur, valdè rationabile eſſe, vt vnum membrum expendat id, quod eſt incomparabiliter minus, pro maiori bono alterius membri, ac proindè, quòd Vita corporalis pro ſalute ſpirituali alterius exponatur.

Prima reſponſio ad quæſitû.

D. Thom.
Caietan.
Ioann. 3.
D. Aug.
Ad Rom. 12.

2 Probatur à D. Thoma hæc ſententia *loc. cit*. vbi aſſerit: Magis diligendum eſſe Proximum, quantùm *ad ſalutem Animæ*, quàm proprium corpus; nam *Ratio*, cur ex Charitate ſit diligendus Proximus ſecundùm vitam ſpiritualem eius, eſt, quoniam *coniungitur* nobis ſocietate quadam per capacitatem eiuſdem beatitudinis ſupernaturalis; *Ratio* autem, cur ex eadem charitate ſit proprium corpus diligendum, eſt, quoniam ad illud *deriuabitur* per redundantiam quandam beatitudo animæ, ſecundùm dotes nimirùm quaſdam; Sed multò eſt maior, & coniunctior illa ratio diligendi *Proximum*, quòad vitam eius ſpiritualem, quàm altera illa diligendi *corpus* proprium, atque adeò propriam vitam corporalem; ergo magis eſt diligendus Proximus quòad vitam ſpiritualem, quàm corpus, & vita propria temporalis, ac proindè, ſi ità neceſſitas poſtulauerit, vita exponenda eſt corporalis, vt Proximus ſpiritualiter viuat. Minor patet, quia plus eſt eſſe Socium in

Ratio cur charitas magis obliget ad diligendâ vitam ſpiritualê Proximi quã propriam temporalem.

par-

participanda eadem ipſa beatitudine formali, quàm habere quaſdam alias diſtinctas dotes, tametſi redundantes ex illa beatitudine.

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

3 RESPONDETVR *Secundò*, hanc obligationem ponendi animã noſtram pro Fratribus, hoc eſt corporalem vitam pro illorum ſpirituali ſalute, non ſemper præſtringere vnumquemque, ſed tantummodò *in caſu neceſſitatis*, vt benè ait D. Thomas, *in reſponſ. ad* 3. Et ratio eſt, quia præcepta affirmatiua, quòad exercitium obligant ſolùm *in caſu neceſſitatis*, ac proindè extrà hunc caſum, pertinet *ad perfectionem charitatis*, quòd homo proprium corpus exponat pro ſalute Proximi. Neque in hoc eſt controuerſia: Dubium tamen remanet, quænàm ſit *Extrema neceſſitas*, in qua Quis teneatur cum vitæ periculo, alienæ ſaluti opem ferre? ideò

Ratio.

Tertia reſponſio. Quid pro extrema neceſſitate intelligatur?

4 RESPONDETVR *Tertiò*, propriam vitam exponendam eſſe pro ſpirituali ſalute Proximi, quãdò Ipſe nõ poteſt *moraliter*, niſi *cum graui difficultate* vitare damnationem æternam, quàmuis *phyſicè* poſſit, & hanc cum Suárez, Valentia, Azorio, Bañes, Filliucio, Lorca, & Alijs apud Dianam, *par.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 24. voco extremam neceſſitatem.

Suarez. Valentia. Azorius. Bañes. Filliucius. Lorca. Diana. Mendoza.

5 Non exiſtimo tamen improbabile cum Mendoza, 2. 2. *diſp.* 154. *ſect.* 3. *ſubſect.* 2. *§.* 28. extremam neceſſitatem tantummodò dicendam eſſe illam, in qua *phyſicè* impoſſibile eſt, quòd Proximus ſuæ ſpirituali ſaluti conſulat, abſque eo, quòd alius corporalem vitam, mortis periculo exponat; nàm ſi aliter poſſet ipſemet ſuis viribus, adiutus gratia Dei, ſalutem adipiſci, quàmuis difficillimè, & ægrè, non cenſeretur eſſe *in extrema neceſſitate* opis alienæ. Quod probat Hurtadus, quia extrema neceſſitas, illa eſt, qua *nullus poteſt ſibi prouidere*, indiget autẽ externis auxilijs ad ſalutem: Qui verò ſibi prouidere, & ſalutẽ adipiſci poteſt, niſi id præſtet, eſt illius vitio: At nullus tenetur cum vitæ diſpendio eripere aliũ à malo, quod ipſe vitare poteſt, & quod ſi non vitatur, eſt ob vitium pereuntis, ergo illa ſola eſt *neceſſitas extrema*.

Extrema neceſſitas phyſicè ſolùm non tantùm moraliter ſumenda eſt, ex Hurtado.

Minorem probat *Primùm* ratione, quia ideò teneor ſubuenire Petro v. g. *cum meo diſpendio*, quia ipſe ſibi non eſt ſatis, & pro viribus illi deficientibus, ſubrogandæ ſunt alienæ: ſed in eo caſu, vires non deficiunt Petro, cui Gratia Dei præſtò eſt, vt ſupponitur; ergo non tenemur illi tunc prouidere. *Secundò probat*, Exemplo apud omnes conſtanti: Si quis me aggreditur iniuſtè, non teneor abſtinere ab eius cæde; licèt apertè illum videam damnandum, ſi occidatur; ſed hoc, nulla alia ratione, niſi quia, cùm ipſe ſibi prouidere poſſit, non teneor illud præſtare; ergo de ratione neceſſitatis extremæ eſt, vt egens non poſſit ſibi prouidere. Propter has, & ſimiles rationes, hæc, vt dixi, ſententia Mihi improbabilis non videtur.

Quarta reſponſio ad Quæſitũ.

RESPONDETVR *Quartò*: Neminem teneri alienæ ſaluti ſpirituali conſulere, cum propriæ vitæ iactura, quandò *periculum adeſt gratiam Dei amittendi*. Ità Hurtadus *loc. cit.* & Alij: & ratio eſt, quia nullus tenetur ſe committere *probabili periculo ſpiritualiter pereundi*: *Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ergo concurrente ſimul alienæ, & propriæ ſalutis ſpiritualis periculo, permittendum eſt potiùs, quòd alter ſpiritualiter pereat, quàm, quòd tu ipſe tali periculo expoſitus pereas. Vndè, ſi quis v. g. timeret ne, dùm Proximo extremè indigenti ſuccurreret, capiendus eſſet à Chriſtianæ Fidei Hoſtibus, & diris cruciatibus vexandus, inter quos ſimul cum Vita, iacturam quoque, vel Fidei, vel Iuſtitiæ faceret, *teneretur ſe cohibere* à Proximo adiuuando, vt benè inquit Hurtadus *loc. cit.*

QVÆSITVM XVI.

Vtrùm Princeps teneatur Proximo prouidere cum Vitæ periculo?

SVMMARIVM.

1 *Subuenire Proximo tenentur Principes, etiam cum propriæ vitæ diſcrimine, modò ipſi non ſint admodùm neceſſarij Reipublicæ.*

2 *Si ex morte Principum, Regnum eſſet periclitaturum, vel publica imminerent damna, non tenerentur Principes, mortis periculo ſe exponere.*

3 *Quinàm præter Principes, excuſari poſſint in aliquo caſu ab obligatione ſubueniendi Proximo, cum propriæ vitæ diſcrimine?*

4 *Poſſitne etiam priuatus homo in aliquo caſu eximi à tali obligatione?*

Prima responſio. Hurtad.

1 RESPONDETVR *Primò* cum Hurtado, *vol. 2. de Spe, & Charit. diſp. 154. ſect. 3. ſubſect. 1. §. 26.* Principem teneri ſuccurrere Proximo ſpiritualiter indigenti, dummodò ipſe Princeps non ſit admodùm neceſſarius toti Regno. Vt v.g. ſi Princeps, aut Rex fratrem haberet, aut filium in Regno Succeſſorem, qui tàm benè, quàm Ipſe, Regnum foret moderaturus, in tali caſu teneri Eum pro ſalute ſpirituali periclitãtis Proximi, propriam Vitam mortis periculo exponere. *Et ratio* eſt, quia Præceptum ſuccurrendi Proximo extremè indigenti, omnes adſtringit; nec Princeps ex hac obligatione eximendus eſſet, nisi *ob ſolam publicam vtilitatem*.

Secunda responſio.

2 RESPONDETVR *Secundò*. In caſu, quo ex morte Principis, aut Regis, Regnũ periclitaretur, & publica damna ſequerentur, *non teneri* Principem ſe periculo exponere mortis, vt Proximus ſpiritualiter viuat. *Et ratio* eſt, quia bonum publicum præferendum eſt priuato; ſed ſi Princeps moreretur, maiora detrimenta Spiritualia in Rempublicam redundarent, quàm eſſet damnum vnius Proximi pereuntis: ergo ob euitãda maiora illa detrimẽta totius Regni, excuſatur Princeps ab obligatione ſuccurrendi Proximo, cum propriæ Vitæ periculo. Ità Hurtadus *loc. cit.* In quo caſu non teneatur Princeps morti ſe exponere?

Ampliatur præcedens doctrina.

3 PORRO', quæ dicta ſunt de Principe, aut Rege, pariter ſunt dicenda de *Imperatore* in Exercitu, *Epiſcopo* in Diœceſi, *Curione* in Parochia: Immò addit Hurtadus, & de *Priuato* in domo, qui tenetur ſe ſeruare Matri, aut Filio extremè indigenti, qui periculo graui exponuntur, amittendi ſalutem æternam, nisi ille eis opituletur; tunc enim obligatio eſt arctior, & vtilitas maior, aut æqualis.

Priuatus Homo in aliquo caſu excuſatur à tali obligatione.

4 *Præterea*, idem aſſerendum eſt de quocumque alio *Priuato Homine*, non reſpectu Domeſticorum tantùm, vt nuper diximus, ſed etiam reſpectu Aliorum, qui ipſo Vita functo, magnum ſubituri eſſent *diſcrimen* ſpiritualiter pereundi. E.g. Ego video pereuntem Infantem; ſi eum baptizo, mihi quoque eſt mors obeunda, teneor illum relinquere, ſi adeò ſum *neceſſarius* Alijs, vt ſinè me, vel ſint æternùm perituri, vel magno ſint expoſiti pereundi periculo. Si enim aliquis apud Indos, ſolus v.g. illorum multitudinem curaret, qui eo demortuo, carebũt Doctore, & Paſtore, tenetur ſe ſeruare illis: multorum enim Vtilitas præferenda eſt Saluti priuatæ. Ità Hurtadus *loco citato §. 24.*

QVÆSITVM XVII.

Vtrùm Peccator teneatur propriam Vitam exponere pro Spirituali Salute Proximi, quandò ſentit Se in mortali peccato eſſe?

SVMMARIVM.

1 *Imminente periculo, quod ſit ab hominibus in odium Fidei, teneretur in tali caſu Peccator tale periculum ſubire, vt Proximo extremè indigenti opem ferret, ex Hurtado.*

2 *At poſito, quòd tale periculum immineret, vel à rebus inanimatis, vel ab hominibus ob priuatum odium, non teneretur ſe tali periculo exponere, niſi priùs exerceret actum amoris Dei ſuper omnia, & probabiliter opinaretur, ſe eſſe Deo reconciliatum.*

3 *Peccator, qui eſſet diuturnis peccatis aſſuetus, & difficiliter perfectum contritionis actum eliceret, non teneretur periculis ſe exponere pro ſpirituali ſalute Proximi.*

4 *Non adultis nemo tenetur cum graui periculo propriæ Spiritualis ſalutis, ſuccurrere.*

1 PRO huius ſolutione Quæſiti reſpõdet Hurtadus, *vol. 2. de Spe, & Charit. diſp. 154. ſect. 3. ſubſect. 1. §. 25.* (Hurtad.) Duo diſtinguenda eſſe periculorum genera: *Primum* quod imminet ab Hominibus *in Fidei, aut Pietatis odium*, & tunc vnumquemque *teneri* Proximo prouidere; quia *Attritio* ſupernaturalis facilis eſt cum gratia Dei, cum qua ſalutem aſſequeretur æternam, ille, qui, adiuuando Proximum, moreretur: nàm, vel talis *Attritio* ſufficit cum Martyrio (etenim tunc *Martyrium* eſſet) vel Deus tunc ei Contritionem prouidit, ipſe autem actus eſt ſe Martyrio obijci; qua in occaſione, Deo fauente, nullus perit, niſi ipſe ſpontè deficiat, quod ipſe tunc non timet probabiliter, ſed potiùs ſperat à Deo auxilij efficaciam ad ferendos cruciatus.

(Quodnã periculi genus teneatur peccator ſubire pro ſalute Proximi?)

2 *Secundum* Genus periculi eſt, vel à rebus *inanimatis*, vel *ab hominibus* non in Odium Dei, ſed priuatum; vt ſi moribundus ſit vltrà Flumen, quod ſum traiecturus cum periculo, vt Ægrum abſoluam, aut baptizem: vel ſim comprehendendus ab Inimico priuato, & occidendus: Tunc *ſi poſſum facile* exercere amorem Dei ſuper omnia, & valdè probabiliter opinari me eſſe reconciliatum Deo, non ſecùs, ac id exiſtimo per Confeſſionem, teneor ſubire mortis diſcrimen, quia non eſt neceſſaria certitudo, *ſed prudens opinio* de Iuſtitia ſanctificante.

3 Fatetur autem ipſe Hurtadus, non teneri aliquem ſe mortis periculo exponere, quandò eſſet diuturnis peccatis aſſuetus, & ad perfectam Contrionem *perdifficilis*, nec ſatis ſibi perſuaderet verum Amorem Dei, & nixus illum exercere, adhùc prudenter timeret. Et *Ratio* eſt, quia *in æquali periculo*, priùs conſulendum eſt Sibimetipſi, quàm alteri Proximo ſpiritualiter periclitanti: Ergo ſi tàm Caius v.g. quàm Titius eſſent ſpiritualiter perituri, non teneretur Caius Animam ponere pro Titij ſalute ſpirituali, nè Ipſe Animam, & Corpus ſimul perderet in gehennam.

(In quo caſu excuſetur peccator ab obligatione ſubeundi talia pericula?)

4 Ille autem, qui in mortis periculo eſt conſtitutus, ſi *Adultus* eſt, conetur ſe diſponere. Quòd ſi non ſit *Adultus*, nullus (inquit Hurtadus) tenetur ei prouidere cũ graui æternæ Salutis periculo. Immò Bañes, *in art. 5. concl. 2.* Omnem peccatorem excuſare videtur, dùm aſſerit hominem Iuſtum teneri: ergo Peccator non tenetur.

(Bañes.)

QVÆSITVM XVIII.

Vtrùm Parochi teneantur mortis periculo ſe exponere, vt Sacramenta miniſtrent extremè indigentibus?

SVMMARIVM.

1 *Parochus, cum diſcrimine propriæ vitæ, tenetur Puerum moribundum baptizare; poſſet tamen in tali caſu conferre baptiſmum, omittendo reliquas eccleſiaſticas cœremonias.*

2 *Quilibet ſimplex Sacerdos, ex quibuſdam DD. tenetur ex charitate in tali caſu, etiam cum periculo vitæ, adminiſtrare Sacramentum Baptiſmi: Parochi autem, tenentur ex Iuſtitia.*

3 *Idem quoque dicendum eſt, ſi tantùm probabile dubium ſit de morte Pueri.*

4 *Si Puer moribundus, vſum rationis haberet, an teneretur Sacerdos illum baptizare; an tantùm, ſi opus eſſet, illum in Fide inſtruere, ac monere, vt contritionis actum eliceret?*

5 *Simplicem Sacerdotem teneri cum vitæ diſcrimine baptizare, negant nonnulli DD. licet quoad obligationem Parochi, omnes conſentiant.*

6 *Sacramentum Pœnitentiæ tenentur Parochi cum vitæ diſcrimine miniſtrare.*

7 *Sacramentum autem Euchariſtiæ non tenetur cum vitæ diſcrimine miniſtrari, niſi in caſu, quo dubitaret de ſpirituali ſalute Proximi, ſi abſque Viatico è vita diſcederet.*

8 *Idem quoque aſſeritur de adminiſtratione extremæ Vnctionis, præſertim ſi moribundus recepiſſet Sacramentum Confeſſionis vel Euchariſtiæ.*

9 *An ſi Ægrotus non recepiſſet Sacramentum Pœnitentiæ, nec Euchariſtiæ, teneretur Parochus adminiſtrare extremam Vnctionem, ſi certò ſciret Ægrotum eſſe in ſtatu peccati mortalis?*

DE Quatuor præcipuè Sacramētis Difficultas eſt inter Doctores, Vtrùm cum propriæ Vitæ periculo ſint adminiſtranda, quandò ità neceſſitas poſtulauerit: Nimirùm de Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, ac Extremæ Vnctionis. Ideò

1 RESPONDETVR *Primò*: Parochum teneri, *cum periculo propriæ vitæ* baptizare puerum moribundũ. Ità Granado, *de Sacrament. in 3. par. controuer. 4. tract. 4. diſp. 4. nu. 5*, Ochagauia, *de Sacrament. tract. vnic. de Baptiſmi. quæſt. 7. num. 3.* vbi ait: In caſu, quo Sacerdos baptizare vellet Puerum animam efflantem, nec vllus alius adeſſet, & tunc inuaderetur ab Hoſtibus, qui meritò vellent eum occidere, ac proindè ſi ſe defenderet fugiendo, vel alia via, abſque Baptiſmo moreretur Puer: Et è contrà, Si puerum baptizaret, ſe defendere non poſſet, ſed ab Hoſtibus occideretur: in tali inquam Caſu, Aſſerit *Primò*: Neceſſe non eſſe Baptiſmum *cum ſolemnitate* miniſtrare; ſed cæteris prætermiſſis cœremonijs, licitè, miniſtrari poſſe. Rationem aſſignat, quia cùm cœremoniæ illæ adhibendæ ſint in Baptiſmo ſolemni, *ex Eccleſiæ Præcepto*, non tenetur Sacerdos *cum Vitæ periculo* illas adhibere: Eccleſiaſtica enim Præcepta, cum tanto diſcrimine non obligant. Aſſerit *Secundò*: Si mors Sacerdotis imminet, etiam miniſtrando Sacramentum *ſine ſolemnitate*, tunc potiùs debere Sacerdotem eligere, *propriam mortem* corporalem pati, quàm alienam Spiritualem Pueri permittere, eum non baptizando, quia *Vita ſpiritualis* Pueri in tanto periculo conſtituti, pluris facienda eſt, quàm *Vita corporalis propria*, ad quod PAROCHVS EX IVSTITIA obligabitur, ratione officij; alius verò quilibet ex Charitate. Ità Ochagauia *ibidem*.

Prima reſponſio ad Quæſitũ.

Granad.

Ochagau.

Moribundo puero tenetur Parochus miniſtrare Sacramentũ Baptiſmi.

An liceat prætermittere eccleſiaſticas cœremonias?

Immò,

Silueſter.

Qu.din caſu, quo non certū immineret mortis periculū?

3 Immò, addit ex Siluestro *in Summa, verb. Bellum* 2. Quòd ſi tantùm eſſet *dubium probabile* de morte Pueri, ſine Baptiſmo deceſſuri è Vita, in eo caſu, quo ſi Sacerdos nō ſe defenderet, ſed baptizaret puerū, certò ſequeretur mors Sacerdotis, adhùc *Sacerdos* potiùs teneretur *ſubire mortem*, quàm puerum ſine remedio Baptiſmi relinquere, propter rationem proximè aſſignatam.

Quid ſi puer habeat vsū rationis?

4 Hoc tamen intelligendum eſſe putat, dummodò puer ille *rationis vſum non haberet*; ſi enim eſſet rationis compos, & in Fide inſtructus, abſque Baptiſmo relinqui poſſet, vt Sacerdotis Vitæ conſuleretur; tunc enim puer, quàmuis ſinè Baptiſmo; per Contritionē tamen apud Deum iuſtificari poſſet. Si verò puer in Fide inſtructus non eſſet, & animam ageret, tunc ait, Sacerdotem teneri *inſtruere* cum in rebus Fidei, *cum propria vita diſcrimine*, præcipiendo ei, vt Contritionis actum eliceret, ſi propter imminens mortis periculum, cum baptizare non poſſet.

An quilibet Sacerdos eodē modo, ac Parochus teneatur?

Sà.

Sotus.

Areualus.

Sancius.

D. Thom.

5 Hæc Sententia, quàmuis ab Aliquibus non admittatur, quòad *ſimplicem Sacerdotem*, communiter tamen ab omnibus admittitur, quòad *Parochum*, cui ex *Officio* onus incumbit, ponendi animam ſuam pro Ouibus ſuis. Vide Sà, *verb. Charitas.* Sotum, *de Secret. memb. 2. quæſt. 2. poſt 6. Concluſ.* Areualum, *de Correction. frater.* & Sancium *in Selectis diſp. 10. num. 9.* vbi ex Doctrina D. Thomæ 2.2. *quæſt. 26. art. 5.* colligit non adeſſe hanc obligationem, nisi fortè *in caſu*, quo pactum interceſſiſſet de non omittenda cura Animæ Proximi, etiam *cum periculo propriæ Vitæ*: ſicut ſi aliquis deuinctus eſſet ratione pecuniæ acceptæ, proſpicere Vitæ corporali Proximi, etiam cum periculo amittendi propriam, qua ratione Parochos reddi obnoxios Saramenta miniſtrare ſuis ouibus cum periculo Vitæ, præcipuè Pœnitentiæ, cùm ob id Decimas, & cætera percipiant emolumenta, cenſent Doctores. Hæc Sancius.

Secunda reſponſio, quòad cōfeſſionem.

Molſeſius.

Ratio.

6 RESPONDETVR *Secundò*, Quòad *Sacramentum Pœnitentiæ* tenetur *Parochus cum propria Vita periculo* illud miniſtrare. Ità Sancius, & Alij *loc. ſuprà citat.* ac Molſeſius, *in Summa tom. 1. tract. 4. num. 52.* Et Ratio eſt, quia tale Sacramentum eſt *neceſſarium ad Salutem* Proximi, lethalis peccati Conſcientiam habentis; ac proindè tenetur Parochus *cum propria Vitæ periculo* illud miniſtrare. Filliucius tamen, *tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 99.* putat, in aliquo caſu excuſari poſſe Parochum à miniſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, vt quandò eſſet certus moraliter, Infirmum non habere Conſcientiam peccati mortalis, & aliòquin periculum Vitæ magnum eſſet.

Filliucius.

Tertia reſponſio quòad Eucharistiā.

Maior.

Molſeſius.

Diana.

7 RESPONDENT *Tertiò*, Quòad *Sacramentum Euchariſtiæ*, Maior, *in 4. Sentent. diſtinct. 7. quæſt. vlt. & diſtinct. 23. quæſt. 1.* Molſeſius *loc. cit.* Diana, *3. par. tract. 4. reſol. 174.* non teneri *Parochum cum Vitæ diſcrimine* Euchariſtiæ Sacramentum Peſte Infectis miniſtrare; inquit enim Molſeſius: Sacramentum Pœnitentiæ, quia *neceſſarium eſt ad Salutem Proximi*, tenentur Parochi miniſtrare Ouibus ſuis, etiam *cum periculo Vitæ*: Sacramentum verò Euchariſtiæ, & ſiue *Viaticum*, *non tenerentur* cum tanto periculo, niſi neceſſitas proximi magna eſſet, vt quia valdè dubitaretur de illius Salute, ſi abſque Viatico decederet. At à longè poſſet Parochus hortari Oues Peſte laborantes, vt patienter ſuſtineant Infirmitatem, ac propoſitum habeant ſuſcipiendi Viaticum, quia in caſu neceſſitatis, iudicatur ſatis eſſe *propoſitum ſuſcipiendi*; & ſic etiam adimpletur Præceptum. Ità Molſeſius. Contrarium tamen ſentiunt Villalobos *in Summa, to. 1 tract. 10. difficult. 6. num. 7.* Rodriquez *in Summa, tom. 2. cap. 87. num. 8.* & Alij.

Villalob.

Rodriq.

8 RESPONDETVR *Quartò*.

Quarta reſponſio quòad extremam vnctioné.

Quòad *Sacramentum Extremæ Vnctionis*, tantò minùs teneri Parochum illud miniſtrare Peſte Infectis, *cum Vitæ periculo*; quia non eſt *Sacramentum neceſſitatis*; vt ſentiunt Villalobos, *loc. cit.* qui pro ſe citat Armilla, & Suarez; Molfeſius *vbi ſuprà nu.* 51. vbi aſſerit: Si Peſte Infecti confeſſi ſint, poſſe Parochos tuta Conſcientia hanc opinionem ſequi, & Sacramẽtum Extremæ Vnctionis minimè Illis miniſtrare. Verùm Hurtadus, *de Sacram. Extrem. Vnction. difficul.* 12. ait: Non adeſſe hanc obligationem, non ſolùm ſi Infirmus Sacramentum aliud, nimirùm Confeſſionis, aut Communionis ſuſcepiſſet, ſed etiamſi *nullum ſuſcipere potuiſſet*; quia ex vna parte poteſt Infirmus, abſque Extrema Vnctione, per Contritionem ſaluari; & ex altera parte non ſatis conſtat, Extremam Vnctionem ſufficere ad delenda mortalia. Ità ſentiunt Hurtadus *loc. cit.* & Tannerus *in Commentar. ad D. Thomam, tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 1. *dub.* 3. *num.* 62. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 83.

Armilla. Suarez. Hurtadus. Tannerus. Diana. Granadus.

9 Verùm Granadus, *de Sacram.* 3. *par. controuerſ.* 8, *diſp.* 8. *num.* 6. hoc intelligendum eſſe docet, niſi Parochus certò ſciret ægrotum eſſe *in Statu peccati mortalis*, & hoc remedio liberandum eſſe, probabiliter ſibi perſuaderet: nàm in hoc caſu, qui certè Metaphyſicus eſt, patitur æger extremam neceſſitatem Spiritualem, cui, etiam cum periculo Vitæ corporalis, ſubuenire tenetur. Ità Granadus.

QVÆSITVM XIX.

Quibus pœnis afficiantur, qui Seipſos occidere, vel mutilare attentauerint, metu pœnæ, propter cõmiſſa delicta debitæ in Foro Externo?

SVMMARIVM.

1 *Attentans ſe interficere, quandò fuit in delicto deprehenſus, an habeatur pro confeſſo, & an pœna illius delicti afficiatur?*

2 *Teſtamentum illius, qui ſe occiderit ob euadendam pœnam delicti, an ipſo iure reddatur nullum?*

3 *Quandò Bona illius, qui ſe occiderit deuoluantur ad Heredes ex Teſtamento, vel ab Inteſtato.*

4 *Quædam crimina non extinguuntur extincto Reo; ac proindè etiamſi Reus ſibi necem intuliſſet, de talibus criminibus agitur in Iudicio.*

5 *An Hæredes ſint admittendi ad probandum Eum, qui ſeipſum occiderit, Reum non eſſe delati criminis?*

6 *Quid ſi Reus ex furore, vel iracundia ſibi necem intulerit?*

7 *Quandò præſumendum ſit, quòd Reus ſeipſum occiderit ex Conſcientia delicti?*

8 *An ipſofacto occupentur à Fiſco Bona Delinquentis, qui Seipſum occiderit? & quid ſi ſeipſum ex phreneſi occidiſſet?*

1 RESPONDETVR *Primò*: In caſu, quo aliquis deprehenſus fuit in delicto, pro quo pœna mortis Naturalis, aut deportationis erat ſtatuta; bonaque illius erat confiſcanda; vel eo delicto erat iàm accuſatus, liſque cum illo erat conteſtata, tunc ſi ſe interficere aggreſſus fuerit, & quòd ab alijs ſit prohibitus, non ſe interfecerit, ſanè ſi- Prima reſponſio ad Quæſitũ.

ue

ue vulnus ſibi inflixerit, ſiue non, *habetur pro confeſſo de eo delicto, pœnaque illius delicti afficitur, Bonaque illius confiſcantur*. Ità habetur, *l. 3. §. Si quis aut. verſic. Sic autem. de bonis eorum, qui ante Sententiam. l. Si quis aliquid. §. vlt. ff. de pœnis. l. Omne delictum. §. Qui ſe vulnerauerit. ff. de re milit.*

Ant. Gó.

Et affirmat Antonius Gómez, *tom. 3. variar. reſol. cap. 3. nu. 14.* cum communi Sententia. Tametſi Gregorius Lopez *l. 24. tit. 1. verb. Se mato.* cum Alijs, quos citat, velit hunc *non haberi pro confeſſo*, neque Bona illius confiſcanda eſſe, ſed eſſe puniendum *pœna extraordinaria* arbitraria.

Quid ſentiant alij?

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

2 RESPONDETVR *Secundò:* In caſu, quo aliquis in delicto fuerit deprehenſus, pro quo morte Naturali, aut Ciuili deportationis puniendus fuiſſet, ac confiſcanda illius Bona: vel eſto in eo delicto deprehenſus non eſſet, accuſatus tamen fuiſſet, lite cum eo iàm conteſtata, tunc ſi Seipſum interficeret, eius *Bona Fiſco addicerentur*, ac proindè, ſi quod anteà confeciſſet *Teſtamentum*, redderetur *ipſo iure nullum*.

Ratio.

Ratio eſt, quia tunc Seipſum occidens, præſumitur *ex Conſcientia* eius delicti Se interfeciſſe, & reputatur, ac ſi id delictum eſſet confeſſus.

Tertia reſponſio ad Quæſitū.

3 RESPONDETVR *Tertiò*: In caſu, quo delictum non eſſet tale, pro quo Delinquentis bona, eſto de eo condemnaretur, Fiſco applicanda eſſent, vt v.g. ſi eſſet furtum, nec Naturali morte, nec Deportatione dignum, vel etiam, quàmuis delictum eſſet tale, pro quo pœna mortis Naturalis, aut deportationis infligenda eſſet, ac Bona confiſcanda; ſi tamen delinquens, *nec deprehenſus* eſſet in eo crimine, *nec* de eo eſſet *accuſatus*, lite cum eo iàm conteſtata, tunc quàmuis Seipſum interficeret, *Non* propterea eius *Bona confiſcarentur*, *nec redderetur nullum Teſtamentum* ab eo anteà ritè factum, ſed Bona illius deuoluerentur ad Hæredes ex Teſtamento; vel ſi Teſtamentum non confeciſſet, deuoluerentur ad Hæredes illius ab inteſtato. Hæc omnia habentur *l. 3. ff. de Bon. eorum, qui ante Sent. mor. conſciu. l. 1. & 2. Cod. eodem tit. l. Si quis filio exhæredato. §. eius. ff. de iniuſto rupt. l. Eius Milites. ff. de Milit. teſt. l. in fraudem. §. eius Bona. ff. de Iure Fiſci. l. omne delictum. §. Qui ſe vulnerauerit. ff. de re milit. l. 2. Cod. qui teſt. facere poſſunt. l. penult. Cod. Si Reus, vel Accus. l. 24. tit. 1. l. 2. tit. 27. par. 7.* & vtrobique affirmat Gregorius Lopez, aſſeritque hęc omnia Antonius Gomez *3. tom. var. reſol. cap. 3. num. 13.* & Molina, *tom. 4. de Iuſt. & Iur. tract. 3. diſp. 20.*

4 RESPONDETVR *Quartò:* In caſu quo Aliquis Seipſum intereniſſet, ob euadendam pœnam debitam quibuſdam delictis, quæ non extinguuntur morte Delinquentis, vt ſunt *Crimen hereſeos*, *Crimen læſæ Maieſtatis humanæ*, & alia, pro quibus etiam poſt mortem, agitur contrà Reos, tunc etiamſi lis non fuiſſet cum eo conteſtata, neque dùm viueret, de eo delicto quidquam ſcitum fuiſſet; ſi tamen pro illo pœna Confiſcationis Bonorum ſtatuta fuiſſet, *Bona confiſcarentur*: quod non ſolùm verum eſt in caſu, quo Sibimetipſi necem intuliſſet; ſed etiam ſi quacumque alia ratione è vita deceſſiſſet. Ità habetur *lib. 2. Cod. de Bonis eorum, qui mortem ſibi conſciuerunt*; & *l. 24. tit. 1. par. 7.* & ita etiam ſentit Molina *loc. cit.*

Quarta reſponſio ad Quæſitū.

5 RESPONDETVR *Quintò*: Quandò aliquis accuſatus erat de delicto, pro quo pœna mortis, aut deportationis cum Confiſcatione Bonorum erat ſtatuta, ſi lite iàm conteſtata ſeipſum interfecit, quàmuis habeatur pro confeſſo id delictum, *Iuris præſumptione*, ac fictione, vt Bona illius confiſcentur; admittuntur tamen *Hæredes* ad probandum, verè, illum non commiſiſſe id delictum, quòd ſi id *ſufficienter* pro-

Quinta reſponſio ad Quæſitū.

bent,

bent, *Bona non confiſcantur*, ſed Hæredes in eis ſuccedunt: Si verò ſufficienter id non probent, *Bona confiſcantur*; quia coipsò, quòd poſt litem conteſtatam Seipſum interfecit, *habetur pro confeſſo id delictum*. Hæc omnia habentur expreſsè *l.3. §.vlt. ff. de Bonis eorum, qui ante Sentent. mortem ſibi conſciuere*. eaque affirmat Antonius Gomez *num.13. citat.*

Sexta reſponſio ad Quæſitũ.

6 RESPONDETVR *Sextò*. Quandò quis in crimine fuit deprehenſus, pro quo pœna mortis, aut deportationis cum Confiſcatione Bonorum erat Statuta, aut poſt accuſationem de eo crimine, lite iàm conteſtata, Seipſum interfecit; tunc ſi ille *furorem*, aut grauem *iracundiam*, ac *dolorem* anteà patiebatur, ait Gregorius Lopez, *l.24. tit.1. par.7. Gloſſ.2.* cum Alexandro, & Alijs, ſi Hæredes id probent, cenſendum eſſe potiùs ex alia cauſſa, quàm ex Conſcientia criminis Seipſum interfeciſſe: eòquod *in partem mitiorem* ſit propendendum, *Argum. l. ſi Præſes. in fine. ff. de pœnis*. & *l. Si quis. ff. de donat. cauſa mort.* ac proindè non habebitur ille pro confeſſo de eo crimine, nec Bona confiſcabuntur, niſi aliundè ſufficienter probetur, id crimen commiſiſſe. Ità Molina *loc. cit. num.6.*

Paulus de Caſtro.

7 *Attamen* Paulus de Caſtro voluit, vt quis præſumatur ſe interfeciſſe ex Conſcientia delicti, & reputetur confeſſus id delictum, ſatis eſſe *ſi ſit citatus*, eſto nec in crimine fuerit deprehenſus in flagranti delicto, nec fuerit lis conteſtata, ſi poſt eam citationem ſe interfecerit. *Contrarium* verò meritò affirmat Gregorius Lopez *l.24. citat. verb. Reſpuoſta*. cum Alexandro, & communi Doctorum Sententia; vt habetur expreſsè *ea l.24.* & conſentiunt *l.3. ff. de Bonis eorum, qui ante Sentent. mortem ſibi conſciuer.* & alia Iura citata.

Altera reſponſio. Impugnatio.

8 Idem Gregorius Lopez, *ibidem*, *verb. Tomar todo lo Suyo*. ait Quandò poſt deprehenſionem in delicto, pro quo mors, aut deportatio cum Confiſcatione Bonorum eſt ſtatuta, aut poſt litem conteſtatam cum eo, ſe interfecit; tunc ſtatìm *abſque alia Sententia* occupari Bona à Fiſco; quoniam *eoipsò* ille habetur pro confeſſo, & condemnato de eo crimine. *Addit* verò: Si Hæredes circà id controuerſiam moueant, contendentes non ex Conſcientia delicti, ſed ex *phreneſi*, aut ex alia cauſſa Se interfeciſſe, neceſſarium eſſe, vt Iudex ea de re Sententiam proferat. Vidè Molinam *loc. cit.* vbi fuſiùs de pœnis Seipſum interficientis, aut vulnerantis diſputat.

Bona Homicidę ſui ipſius an ipſo facto à Fiſco occupentur?

QVÆSITVM XX.

Quibus pœnis afficiantur, qui Seipſos occidere, vel mutilare attentauerint ex tædio Vitæ, dolore, ac impatientia ex quocumque infortunio, aut ex quacumque alia cauſſa, quæ non ſit condemnatio, ac pœna futura ob Delictum?

SVMMARIVM.

1 *An Iudex pœna arbitraria punire poterit eum, qui ſibi necem intulerit, non ob pœnam delicti, ſed ob humanæ Vitæ tædium?*

2 *Seipſum occidens, vel vulnerans iniuriam infert Deo, & Reipublicæ.*
Quibus pœnis duo Seipſos vulnerantes, fuerint Salmanticæ puniti?

3 *Bona occidentium ſeipſos ob Vitæ tædium ad ſuos deuoluuntur Hæredes, vel ex Teſtamento, vel ab Inteſtato.*

4 *Occidentes ſeipſos priuantur Eccle-*

ſia-

ſiaſtica Sepultura, & Suffragijs, iuxtà Sacros Canones.

5 *Apud Ethnicos etiam, Suiipſius homicidæ, Sepultura indigni habebantur, ex Quintiliano.*

Apud Inferos, quomodò puniantur Suiipſius homicidæ, ex Virgilio.

6 *Homicidium Suiipſius valdè execrabile eſt, & damnatur, ex Hegeſippo.*

7 *Seipſum occidens, magis quàm Militiæ Deſertor, & fugitiuus Seruus eſt puniendus.*

8 *Qui Cœleſtis Patris Imperium non expectat, vt ex hac Vita decedat, in terrena Matris gremio, ſeù Sepulchro non eſt humandus, ex Hegeſippo.*

9 *An olim apud Hebræos inſepulti abijcerentur, qui Seipſos occiderent?*

10 *An ſi aliquis in puteo mortuus reperiretur, Sacri loci Sepultura priuandus eſſet?*

Non probatur id eſſe, quod quandòque contingit abeſſe.

11 *Quid ſi præceſſiſſent inditia vehementia de tali Spontanea in puteum proiectione?*

Prima reſponſio ad Quæſitū. 1 RESPONDETVR *Primò*: Quandò aliquis *ex alia cauſa* ſe interficere aggreſſus eſt, quàmuis non afficiatur cæteris pœnis, quibus afficiuntur Ij, qui ob euadendam pœnam, patrato delicto debitam, ſibimetipſis mortem inferre parant, vt expreſsè habetur in Iuribus citatis Superiori Quæſito, & Antonius Gomez *tom. 3. variar. reſol. cap. 3. nu. 14.* refert, ac ſequitur; dico tamen, vt Subiungit idē Gomez cum Bonifacio, *in Tractat. de Maleficijs*: conſentaneèque ad Bartholum, *poſſe nihilominus tunc Iudicem, ac debere punire ex officio pœna arbitraria* eum, qui ità ex alia cauſſa tædij, ac impatientiæ vulnus ſibi inflixiſſet, non ſecùs ac ſi idem vulnus inflixiſſet alteri, qui eum illa de cauſa non accuſaret. Ant. Gō. Bonifacius.

Ratio. 2 *Ratio* deſumenda eſt ex his, quæ ſuperiùs dicta ſunt, quia nimirùm homo non eſt ſui Vitæ, nec ſuorum *Dominus* membrorum, ac proindè non poteſt de illis diſponere, cùm præſertim id cedat, non ſolùm in contemptum, ac iniuriam Dei, ſed etiam Reipublicæ; ideòque ad Iudicem *ex officio* ſpectat, id in commune bonum punire. Atque ità refert ibidem Antonius Gomez, cum bis eiuſmodi delictum Salmanticæ contigiſſet, tempore diuerſorum Iudicum, Iudice ab vno *pœna exilij* alterum ſe vulnerantium, punitum fuiſſe: ab alio verò Iudice punitum fuiſſe alterum *pœna flagellorum*. Duo Homicideſeſè mutilatores ſuiipſius, quomodo fuerint puniti?

Secunda reſpōſioad Quæſitū. 3 RESPONDETVR *Secundò*. Si loquamur de Bonis eorum, qui Seipſos interficiunt ex tædio Vitæ, vel ex aliqua alia cauſſa, quæ non ſit ob pœnæ, ac Sententiæ delicti timorem, ac pudorem; ea inquam *Bona de Iure communi ad Fiſcum non pertinere*, ſed deuolui ad ſuos Hæredes ex Teſtamento, aut ab Inteſtato. Ità colligitur ex Iuribus in Superiori Quæſito citatis, & conſentit Molina, *tom. 4. de Iuſt. & Iur. tract. 3. diſp. 20. num. 2. & 5.* Molina.

Tertia reſponſio ad Quæſitū. 4 RESPONDETVR *Tertiò*: Præter dictas pœnas hactenùs explicatas, Eccleſia quoque eos, qui Seipſos ex quacumque cauſſa interfecerunt, punit priuatione *Eccleſiaſtica Sepultura*, & prohibet pro ijs Oblationes, ac Orationes fieri in Eccleſia. Ità expreſsè habetur *in cap. Placuit. ex Concilio Bracharenſi, 23. quæſt. 5.* & conſentit *cap. Ex parte. de Sepulturis*. Indignos enim eos exiſtimat Eccleſia communicare cum mortuis eodem in Sepulchro, qui Seipſos à Viuentium conſortio, tàm iniquè ſubtraxerunt. Cōcil. Bracharenſe.

5 Quam legem etiam apud Veteres extitiſſe, refert Andreas Tiraquellus apud Alexandrum ab Alexandro, *lib. 6. Genialium dierum c. 14. lit. N.* Vndè apud Quintilianum *Declamation. 4.* hæc lex celebratur: *Qui cauſas voluntariæ mortis in Senatu non* Tiraquell. Alex. ab Alex. Quintil.

reddiderit, inſepultus abijciatur. Et Virgilius, 6. Aeneidos (quod & Auguſtinus lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 19. memorat) eos etiam apud Inferos mulctari perhibet.

Virgilius.
D. Auguſt.

Pœnæ Se ipſos occidentium.

Qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Proiecere animas. Quàm vellent athere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!
Fata obſtant, triſtique palus innabilis vnda
Alligat, & nouies Styx interfuſa coërcet.

Hegeſippus contrà occidentes ſeipſos inuehitur.

6 Et meritò tàm grauibus pœnis ſunt puniendi, tàm graui ſcelere patrato: nàm vt ſcribit Hegeſippus lib. 3. cap. 17. Deus omnipotens Theſaurum nobis optimum dedit, atque incluſum in hoc vaſe fictili, & conſignatum commiſit nobis cuſtodiendum, quòad ipſi placeat repoſcere. *Nonnè in vtroque crimen eſt, vel reijcere Depoſitum non repoſcenti, qui dederit: vel repoſcenti negare?*

Homo ſeipſum occidens eſt peior ſeruo fugitiuo, & Milite deſertore Militiæ.

7 Cur exeundi hinc Præceptum non expectamus? *Miles Teſſeram expectat, Seruus Imperium.* Si quis horum ſinè Præcepto exierit: alter *Deſertor*, alter *Fugitiuus* eſt. Qui hominē fugit, pœnę obnoxius eſt, quàmuis Improbum fugerit Dominum: Nos Optimum omnium fugientes, poſſumus non adſtringi impietatis flagitio?

8 Et non multò poſt ſubiungit: *Hac non ſolùm moribus hominum, ſed etiam legibus interdicta accepimus.* Nàmque alij *inſepultos* proijci iubent eos, qui in ferrum deiecerunt. *Dignum eſt enim, vt qui Patris Imperium non expectauerant, priuentur quaſi quodam Matris gremio, terra Sepulchro.*

Ioſephus.

9 Quod & à Ioſepho traditur, lib. 3. cap. 14. his verbis. *Denique, ſi qui Se occiderint, apud nos quidem vſque ad Solis occaſum inſepultos abyci decretum eſt*, cum etiam Hoſtes ſepeliri, fas eſſe ducamus: Apud alios autem, & *dextera iubentur abſcindi eiuſmodi mortuorum, quæ in ipſos armatæ ſunt: quoniam vt corpus ab anima, ità manum abeſſe à corpore exiſtimarent*. Et hanc Sepulturæ Denegationem Ijs, qui Seipſos interemiſſent, in vſu receptam fuiſſe apud Iudæos, & apud alios, refert quoque Couarruuias *Variar. reſol. cap. 1. in calce, nu. 11.*

Couarr.

10 Cum Socino Iuniore affirmat ibidem Couarruuias, repertum in puteo mortuum, non eſſe cenſendum Seipſum interfeciſſe, *culpabiliter* ſaltem, ac proindè denegandam illi non eſſe Eccleſiaſticam Sepulturam.

Soc. Iun.
Quid de Eo qui mortuus in puteo reperitur?

Idem cum his eiſdem Auctoribus affirmat Salcedo *in Practic. cap. 17. num. 12.* de reperto in puteo, aut in alio ſimili loco; aitque: Non ſemel id obtinuiſſe in forenſibus controuerſijs. Quod confirmat, quoniam *criminis ſuſpicio longè ſemper eſt repellenda*. Argumento *l. Merito. ff. pro ſocio.* Potuit quippè ille ab alio in puteum deijci, aut id minimè intendendo in puteum cadere, & *Non probatur id eſſe, quod contingit abeſſe*, ſeù non eſſe. *l. neque natales. & l. ad probation. Cod. de probation.*

Salcedo.
Ratio.

11 Quod tamen limitandum eſt cum Molina *loc. cit.* Niſi præceſſiſſent aliqua, vndè id vehementer *præſumeretur* vt ſi conatus fuiſſet anteà ſeipſum interficere, prohibituſque fuiſſet, aut ſimilia alia inditia præceſſiſſent. Vide Villalobos *in Summa tom. 2. tract. 31. difficul. 3. nu. 4.* Marchantium, *in Reſolut. Paſtoral. tract. 5. cap. 3. quæſt. 4. caſu 3.* Genuenſem, *in Praxi Archiep. cap. 61. num. 16.* Barboſam *de Officio Parochi, cap. 26. num. 49.* Iulium Lauorium, *in Varijs Elucubrationib. tit. 2. cap. 12. num. 31. & 32.* & Dianam *par. 5. tract. 3. de Caſibus occurrentib. temp. mort. reſolut. 100.* Nos ad Duellicas ſpecies explanandas, accedamus.

Limitatio prædictæ reſponſionis.
Villalob.
Marchan.
Genuenſ.
Barboſ.
Lauoriu.
Dian.

TRACTATVS QVARTVS
DE DVELLI SPECIEBVS,
A C
LICITAE DEFENSIONIS MODIS IN PARTICVLARI.

SECTIO PRIMA
DE QVÆSITIS IN ORDINE AD PRIMAM DVELLI SPECIEM, HOC EST, AD DVELLVM PVRGATIVVM.

SCRIBENTI Mihi hic Romæ de Duello, atque in Quarto huiuſce Operis Tractatu de Duellicis Speciebus acturo; in mentem recurrunt priſtina illa Romani Amphitheatri Spectacula, quò licet remotiſſimis ex Hyrcaniæ Spelæis, indomitæ, immiteſque adducerentur Feræ; in Arenam tamen emiſſæ, aſpectu coronæ Populi perterritæ, omni primum feritate depoſita, miteſcebant:

Non ſolita feritate fremunt, ſed margine toto Corip. l. 3. Iuſtini.
Intrantes plenum Populorum millia Circum
Suſpiciunt, magnoque metu miteſcere diſcunt.
Deponunt rabiem, gaudent fera vincla ſubire,
Per medios intrare locos, ipſumque ſuperbæ
Quòd ſpectentur amant; caueam, turbaſque fauentes
Luſtrant, & pronæ Solium Regnantis adorant.

Verùm, ſtatim ac ſublatis in altum Populi clamoribus, ac Pugnantium ſtimulis agitatæ, cruentam inirent

Quinam cooperatores contra hanc cenſuras?

Cooperantes, intelligi debet de ijs, qui *poſitiuè* cooperantur, non verò de ijs, qui merè *negatiuè* ſe habent, non impediendo: in pœnalibus enim ſtricta facienda eſt interpretatio; Cùm odia non ſint amplianda, ſed reſtringenda.

QVÆSITVM XV.

Vtrùm teneamur Vitam exponere, pro Salute Spirituali Proximi?

SVMMARIVM.

1 *Exponere vnuſquiſque tenetur propriam vitam temporalem pro ſpirituali vita Proximi.*

2 *Cur Proximi vita ſpiritualis, magis diligenda ſit, quàm proprium corpus?*

3 *Præceptum charitatis ponendi animam pro ſpirituali vita Proximi, obligat tantùm in extrema illius neceſſitate.*

4 *Quænam ſit extrema neceſſitas Proximi, ratione cuius adſit obligatio ponendi animam, &c?*
Quidam cenſent, extremam neceſſitatem, illam eſſe, in qua Proximus abſque graui difficultate, non poteſt ſuæ ſpirituali ſaluti conſulere.

5 *Probabile eſt, illam ſolùm cenſendam eſſe extremam neceſſitatem, in qua phyſicè, nedùm moraliter, impoſſibile eſt, vt Proximus ſuæ ſaluti conſulat.*
Cum vita diſpendio, nemo tenetur eripere Proximum à malo, quod ipſe aliquo modo euitare poteſt, & ſuo vitio non euitat.

6 *Imminente periculo àmittendi Dei gratiam, ac propriam ſpiritualem ſalutem, ceſſat obligatio ponendi animam pro ſpirituali vita Proximi.*

Prima reſponſio ad quæſitû.

1 RESPONDETVR *Primo*, Vnumquemque teneri Vitam exponere pro Spirituali Salute Proximi, ſi ità illius neceſſitas poſtulauerit. Ità communiter ſentiunt Doctores cum D. Thoma, 2.2.*quæſt*.26.*art*.5. Caietano, & Alijs. Colligitur hæc ſententia ex illo *Ioann*. 3. *Et nos debemus pro Fratribus animas ponere*. Et ex Auguſtino, *lib. de Mendac. cap*. 6. *Temporalem Vitam ſuam pro æterna Vita Proximi non dubitabit Chriſtianus amittere*. Et ex illo Apoſtoli *ad Rom*. 12. *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra:* Ex quo ſequitur, valdè rationabile eſſe, vt vnum membrum expendat id, quod eſt incomparabiliter minus, pro maiori bono alterius membri, ac proindè, quòd Vita corporalis pro ſalute ſpirituali alterius exponatur.

D. Thom. Caietan. Ioann. 3. D. Aug. Ad Rom. 12.

Ratio cur charitas magis obliget ad diligendâ vitam ſpiritualê Proximi, quã propriam temporalem.

2 Probatur à D. Thoma hæc ſententia *loc. cit.* vbi aſſerit: Magis diligendum eſſe Proximum, quantùm *ad ſalutem Animæ*, quàm proprium corpus; nam *Ratio*, cur ex Charitate ſit diligendus Proximus ſecundùm vitam ſpiritualem eius, eſt, quoniam *coniungitur* nobis ſocietate quadam per capacitatem eiuſdem beatitudinis ſupernaturalis; *Ratio* autem, cur ex eadem charitate ſit proprium corpus diligendum, eſt, quoniam ad illud *deriuabitur* per redundantiam quandam beatitudo animæ, ſecundùm dotes nimirùm quaſdam; Sed multò eſt maior, & coniunctior illa ratio diligendi *Proximum*, quòad vitam eius ſpiritualem, quàm altera illa diligendi *corpus* proprium, atque adeò propriam vitam corporalem; ergo magis eſt diligendus Proximus quòad vitam ſpiritualem, quàm corpus, & vita propria temporalis; ac proindè, ſi ità neceſſitas poſtulauerit, vita exponenda eſt corporalis, vt Proximus ſpiritualiter viuat. Minor patet, quia plus eſt eſſe Socium in

par-

participanda eadem ipſa beatitudine formali, quàm habere quaſdam alias diſtinctas dotes, tametſi redundantes ex illa beatitudine.

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

3 RESPONDETVR *Secundò*, hanc obligationem ponendi animã noſtram pro Fratribus, hoc eſt corporalem vitam pro illorum ſpirituali ſalute, non ſemper præſtringere vnumquemque, ſed tantummodò *in caſu neceſſitatis*, vt benè ait D. Thomas, *in reſponſ. ad* 3. Et ratio eſt, quia præcepta affirmatiua, quòad exercitium obligant ſolùm *in caſu neceſſitatis*, ac proindè extrà hunc caſum, pertinet *ad perfectionem charitatis*, quòd homo proprium corpus exponat pro ſalute Proximi. Neque in hoc eſt controuerſia: Dubium tamen remanet, quænàm ſit *Extrema neceſſitas*, in qua Quis teneatur cum vitæ periculo, alienæ ſaluti opem ferre? ideò

Ratio.

Tertia reſponſio.

Quid pro extrema neceſſitate intelligatur?

Suarez. Valentia. Azorius. Bañes. Filliucius. Lorca. Diana.

4 RESPONDETVR *Tertiò*, propriam vitam exponendam eſſe pro ſpirituali ſalute Proximi, quãdò Ipſe nõ poteſt *moraliter*, niſi *cum graui difficultate* vitare damnationem æternam, quàmuis *phyſicè* poſſit, & hanc cum Suárez, Valentia, Azorio, Bañes, Filliucio, Lorca, & Alijs apud Dianam, *par.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 24. voco extremam neceſſitatem.

Mendoza.

5 Non exiſtimo tamen improbabile cum Mendoza, 2. 2. *diſp.* 154. *ſect.* 3. *ſubſect.* 2. *§.* 28. extremam neceſſitatem tantummodò dicendam eſſe illam, in qua *phyſicè* impoſſibile eſt, quòd Proximus ſuæ ſpirituali ſaluti conſulat; abſque eo, quòd alius corporalem vitam, mortis periculo exponat; nàm ſi aliter poſſet ipſemet ſuis viribus, adiutis gratia Dei, ſalutem adipiſci, quàmuis difficillimè, & ægrè, non cenſeretur eſſe *in extrema neceſſitate* opis alienæ. Quod probat Hurtadus, quia extrema neceſſitas, illa eſt, qua *nullus poteſt ſibi prouidere*, indiget autẽ externis auxilijs ad ſalutem: Qui verò ſibi prouidere, & ſalutẽ adipiſci poteſt, niſi id præſtet, eſt illius vitio: At nullus tenetur cum vitæ diſpendio eripere aliũ à malo, quod ipſe vitare poteſt, & quod ſi non vitatur, eſt ob vitium pereuntis, ergo illa ſola eſt *neceſſitas extrema*.

Extrema neceſſitas phyſice ſolùm non tantùm moraliter ſumenda eſt, ex Hurtado.

Minorem probat: *Primùm* ratione, quia ideò teneor ſubuenire Petro v. g. *cum meo diſpendio*, quia ipſe ſibi non eſt ſatis, & pro viribus illi deficientibus, ſubrogandæ ſunt alienæ: ſed in eo caſu, vires non deficiunt Petro, cui Gratia Dei præſtò eſt, vt ſupponitur; ergo non tenemur illi tunc prouidere. *Secundò probat*, Exemplo apud omnes conſtanti: Si quis me aggreditur iniuſtè, non teneor abſtinere ab eius cæde; licèt apertè illum videam damnandum, ſi occidatur; ſed hoc, nulla alia ratione, niſi quia, cùm ipſe ſibi prouidere poſſit, non teneor illud præſtare; ergo de ratione neceſſitatis extremæ eſt, vt egens non poſſit ſibi prouidere. Propter has, & ſimiles rationes, hæc, vt dixi, ſententia Mihi improbabilis non videtur.

Quarta reſponſio ad Quæſitũ.

RESPONDETVR *Quartò*: Neminem teneri alienæ ſaluti ſpirituali conſulere, cum propriæ vitæ iactura, quandò *periculum adeſt gratiam Dei amittendi*. Ità Hurtadus *loc. cit.* & Alij: & ratio eſt, quia nullus tenetur ſe committere *probabili periculo* ſpiritualiter pereundi: *Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ergo concurrente ſimul alienæ, & propriæ ſalutis ſpiritualis periculo, permittendum eſt potiùs, quòd alter ſpiritualiter pereat, quàm, quòd tu ipſe tali periculo expoſitus pereas. Vndè, ſi quis v. g. timeret nè, dùm Proximo extremè indigenti ſuccurreret, capiendus eſſet à Chriſtianæ Fidei Hoſtibus; & diris cruciatibus vexandus, inter quos ſimul cum Vita, iacturam quoque, vel Fidei, vel Iuſtitiæ faceret, *teneretur ſe cohibere* à Proximo adiuuando; vt benè inquit Hurtadus *loc. cit.*

QVÆSITVM XVI.

Vtrùm Princeps teneatur Proximo prouidere cum Vitæ periculo?

SVMMARIVM.

1 *Subuenire Proximo tenentur Principes, etiam cum propria vitæ diſcrimine, modò ipſi non ſint admodùm neceſſarij Reipublicæ.*

2 *Si ex morte Principum, Regnum eſſet periclitaturum, vel publica imminerent damna, non tenerentur Principes, mortis periculo ſe exponere.*

3 *Quinam præter Principes, excuſari poſſint in aliquo caſu ab obligatione ſubueniendi Proximo, cum propria vitæ diſcrimine?*

4 *Poſſitne etiam priuatus homo in aliquo caſu eximi à tali obligatione?*

Prima reſponſio. Hurtad.

1 RESPONDETVR *Primò* cum Hurtado, *vol.2. de Spe,& Charit. diſp.154.ſect.3.ſubſect.1.§.26.* Principem teneri ſuccurrere Proximo ſpiritualiter indigenti, dummodò ipſe Princeps non ſit admodùm neceſſarius toti Regno. Vt v.g. ſi Princeps, aut Rex fratrem haberet, aut filium in Regno Succeſſorem, qui tàm benè, quàm Ipſe, Regnum foret moderaturus, in tali caſu teneri Eum pro ſalute ſpirituali periclitãtis Proximi, propriam Vitam mortis periculo exponere. *Et ratio* eſt, quia Præceptum ſuccurrendi Proximo extremè indigenti, omnes adſtringit; nec Princeps ex hac obligatione eximendus eſſet, niſi *ob ſolam publicam vtilitatem.*

Secunda reſponſio.

2 RESPONDETVR *Secundò.* In caſu, quo ex morte Principis, aut Regis, Regnũ periclitaretur, & publica damna ſequerentur, *non teneri* Principem ſe periculo exponere mortis, vt Proximus ſpiritualiter viuat. *Et ratio* eſt, quia bonum publicum præferendum eſt priuato; ſed ſi Princeps moreretur, maiora detrimenta Spiritualia in Rempublicam redundarent, quàm eſſet damnum vnius Proximi pereuntis: ergo ob euitãda maiora illa detrimẽta totius Regni, excuſatur Princeps ab obligatione ſuccurrendi Proximo, cum propriæ Vitæ periculo. Ità Hurtadus *loc.cit.*

In quo caſu non teneatur Princeps morti ſe exponere?

3 PORRÒ, quæ dicta ſunt de Principe, aut Rege, pariter ſunt dicenda de *Imperatore* in Exercitu, *Epiſcopo* in Diœceſi, *Curione* in Parochia: Immò addit Hurtadus, & de *Priuato* in domo, qui tenetur ſe ſeruare Matri, aut Filio extremè indigenti, qui periculo graui exponuntur, amittendi ſalutem æternam, niſi ille eis opituletur; tunc enim obligatio eſt arctior, & vtilitas maior, aut æqualis.

Ampliatur præcedens doctrina.

4 *Prætereà*, idem aſſerendum eſt de quocumque alio *Priuato Homine*, non reſpectu Domeſticorum tantùm, vt nuper diximus, ſed etiam reſpectu Aliorum, qui ipſo Vita functo, magnum ſubituri eſſent *diſcrimen* ſpiritualiter pereundi. E.g. Ego video pereuntem Infantem; ſi eum baptizo, mihi quoque eſt mors obeunda, teneor illum relinquere, ſi adeò ſum *neceſſarius* Alijs, vt ſinè me, vel ſint æternùm perituri, vel magno ſint expoſiti pereundi periculo. Si enim aliquis apud Indos, ſolus v.g. illorum multitudinem curaret, qui eo demortuo, carebũt Doctore, & Paſtore, tenetur ſe ſeruare illis; multorum enim Vtilitas præferenda eſt Saluti priuatæ. Ità Hurtadus *loco citato §.* 24.

Priuatus Homo in aliquo caſu excuſatur à tali obligatione.

QVÆ-

QVÆSITVM XVII.

Vtrùm Peccator teneatur propriam Vitam exponere pro Spirituali Salute Proximi, quandò ſentit Se in mortali peccato eſſe?

SVMMARIVM.

1 *Imminente periculo, quod ſit ab hominibus in odium Fidei, teneretur in tali caſu Peccator tale periculum ſubire, vt Proximo extremè indigenti opem ferret, ex Hurtado.*

2 *At poſito, quòd tale periculum immineret, vel à rebus inanimatis, vel ab hominibus ob priuatum odium, non teneretur ſe tali periculo exponere, niſi priùs exerceret actum amoris Dei ſuper omnia, & probabiliter opinaretur, ſe eſſe Deo reconciliatum.*

3 *Peccator, qui eſſet diuturnis peccatis aſſuetus, & difficilter perfectum contritionis actum eliceret, non teneretur periculis ſe exponere pro ſpirituali ſalute Proximi.*

4 *Non adultis nemo tenetur cum graui periculo propriæ ſpiritualis ſalutis, ſuccurrere.*

1 PRO huius ſolutione Quæſiti reſpõdet Hurtadus, *vol. 2. de Spe, & Charit. diſp. 164. ſect. 3. ſubſect. 1. §. 25.* Duo diſtinguenda eſſe periculorum genera: *Primum* quod imminet ab Hominibus *in Fidei, aut Pietatis odium*, & tunc vnumquemque *teneri* Proximo prouidere; quia *Attritio* ſupernaturalis facilis eſt cum gratia Dei, cùm qua ſalutem aſſequeretur æternam, ille, qui, adiuuando Proximum, moreretur: nàm, vel talis *Attritio* ſufficit cum Martyrio (etenim tunc *Martyrium* eſſet) vel Deus tunc ei Contritionem prouidit, ipſe autem actus eſt ſe Martyrio obijci; qua in occaſione, Deo fauente, nullus perit, niſi ipſe ſpontè deficiat, quod ipſe tunc non timet probabiliter, ſed potiùs ſperat à Deo auxilij efficaciam ad ferendos cruciatus.

Hurtad.

Quodnā periculi genus teneatur peccator ſubire pro ſalute Proximi?

2 *Secundum* Genus periculi eſt, vel à rebus *inanimatis*, vel *ab hominibus* non in Odium Dei, ſed priuatum; vt ſi moribundus ſit vltrà Flumen, quod ſum traiecturus cum periculo, vt Ægrum abſoluam, aut baptizem: vel ſim comprehendendus ab Inimico priuato, & occidendus: Tunc *ſi poſſum facilè* exercere amorem Dei ſuper omnia, & valdè probabiliter opinari me eſſe reconciliatum Deo, non ſecùs, ac id exiſtimo per Confeſſionem, teneor ſubire mortis diſcrimen, quia non eſt neceſſaria certitudo, *ſed prudens opinio* de Iuſtitia ſanctificante.

3 Fatetur autem ipſe Hurtadus, non teneri aliquem ſe mortis periculo exponere, quandò eſſet diuturnis peccatis aſſuetus, & ad perfectam Contrionem *perdifficilis*, nec ſatis ſibi perſuaderet verum Amorem Dei; & nixus illum exercere, adhùc prudenter timeret. Et *Ratio* eſt, quia *in æquali periculo*, priùs conſulendum eſt Sibimetipſi, quàm alteri Proximo ſpiritualiter periclitanti: Ergo ſi tàm Caius v.g. quàm Titius eſſent ſpiritualiter perituri, non teneretur Caius Animam ponere pro Titij ſalute ſpirituali, nè Ipſe Animam, & Corpus ſimul perderet in gehennam.

In quo caſu excuſetur peccator ab obligatione ſubeundi talia pericula?

4 Ille autem, qui in mortis periculo eſt conſtitutus, ſi *Adultus* eſt, conetur ſe diſponere: Quòd ſi non ſit *Adultus*, nullus (inquit Hurtadus) tenetur ei prouidere cū graui æternæ Salutis periculo. Imnio Bañes, *in art. 5. concl. 2.* Omnem peccatorem excuſare videtur, dùm aſſerit hominem Iuſtum teneri: ergo Peccator, non tenetur.

Bañes.

Silueſter.

Quid in caſu, quo non certū imminet mortis periculū?

3 Immò, addit ex Silueſtro *in Summa, verb. Bellum* 2. Quòd ſi tantùm eſſet *dubium probabile* de morte Pueri, ſinè Baptiſmo deceſſuri è Vita, in eo caſu, quo ſi Sacerdos nō ſe deſenderet, ſed baptizaret puerū, certò ſequeretur mors Sacerdotis, adhùc *Sacerdos* potiùs teneretur *ſubire mortem*, quàm puerum ſinè remedio Baptiſmi relinquere, propter rationem proximè aſſignatam.

Quid ſi puer habeat vſū rationis?

4 Hoc tamen intelligendum eſſe putat, dummodò puer ille *rationis vſum non haberet*; ſi enim eſſet rationis compos, & in Fide inſtructus, abſque Baptiſmo relinqui poſſet, vt Sacerdotis Vitæ conſuleretur; tunc enim puer, quàmuis ſinè Baptiſmo; per Contritionē tamen apud Deum iuſtificari poſſet: Si verò puer in Fide inſtructus non eſſet, & animam ageret, tunc ait, Sacerdotem teneri *inſtruere* cum in rebus Fidei, *cum propriæ vitæ diſcrimine*, præcipiendo ei, vt Contritionis actum eliceret, ſi propter imminens mortis periculum, eum baptizare non poſſet.

An quilibet Sacerdos eodé modo, ac Parochus teneatur?

Sà.

Sotus.

Areualus.

Sancius.

D. Thom.

5 Hæc Sententia, quàmuis ab Aliquibus non admittatur, quòad *ſimplicem Sacerdotem*, communiter tamen ab omnibus admittitur, quòad *Parochum*, cui ex *Officio* onus incumbit, ponendi animam ſuam pro Ouibus ſuis. Vide Sà, *verb. Charitas*. Sotum, *de Secret. memb. 2. quæſt. 2. poſt 6. Concluſ.* Areualum, *de Correction. frater.* & Sancium *in Selectis diſp.* 10. *num.* 9. vbi ex Doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 5. colligit non adeſſe hanc obligationem, nisi fortè *in caſu*, quo pactum interceſſiſſet de non omittenda cura Animæ Proximi, etiam *cum periculo propriæ Vitæ*: ſicut ſi aliquis deuinctus eſſet ratione pecuniæ acceptæ; proſpicere Vitæ corporali Proximi, etiam cum periculo amittendi propriam, qua ratione Parochos reddi obnoxios Saramenta miniſtrare ſuis Ouibus cum periculo Vitæ, præcipuè Pœnitentiæ, cùm ob id Decimas, & cætera percipiant emolumenta, cenſent Doctores. Hæc Sancius.

Secunda reſponſio quòad cōfeſſionem.

Molfeſius.

Ratio.

6 RESPONDETVR *Secundò*, Quòad *Sacramentum Pœnitentiæ* tenetur *Parochus cum propria Vitæ periculo* illud miniſtrare. Ità Sancius, & Alij *loc. ſuprà citat.* ac Molfeſius, *in Summa tom.* 1. *tract.* 4. *num.* 52. Et Ratio eſt, quia tale Sacramentum eſt *neceſſarium ad Salutem* Proximi, lethalis peccati Conſcientiam habentis; ac proindè tenetur Parochus *cum propria Vitæ periculo* illud miniſtrare. Filliucius tamen, *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 99. putat, in aliquo caſu excuſari poſſe Parochum à miniſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, vt quandò eſſet certus moraliter, Infirmum non habere Conſcientiam peccati mortalis, & aliòquin periculum Vitæ magnum eſſet.

Filliucius.

Tertia reſponſio quòad Eucharıſtiā.

Maior.

Molfeſius.

Diana.

7 RESPONDENT *Tertiò*, Quòad *Sacramentum Euchariſtiæ*, Maior, *in* 4. *Sentent. diſtinct.* 7. *quæſt. vlt. & diſtinct.* 23. *quæſt.* 1. Molfeſius *loc. cit.* Diana, 3. *par. tract.* 4. *reſol.* 174. non teneri *Parochum cum Vitæ diſcrimine* Euchariſtiæ Sacramentum Peſte Infectis miniſtrare: inquit enim Molfeſius: Sacramentum Pœnitentiæ, quia *neceſſarium eſt ad Salutem Proximi*, tenentur Parochi miniſtrare Ouibus ſuis, etiam *cum periculo Vitæ*. Sacramentum verò Euchariſtiæ, & ſic *Viaticum*, *non tenerentur* cum tanto periculo, niſi neceſſitas proximi magna eſſet, vt quia valdè dubitaretur de illius Salute, ſi abſque Viatico decederet. At à longè poſſet Parochus hortari Oues Peſte laborantes, vt patienter ſuſtineant Infirmitatem, ac propoſitum habeant ſuſcipiendi Viaticum, quia in caſu neceſſitatis, indicatur ſatis eſſe *propoſitum ſuſcipiendi*; & ſic etiam adimpletur Præceptum. Ità Molfeſius. Contrarium tamen ſentiunt Villalobos *in Summa, to.* 1 *tract.* 10. *difficult.* 6. *num.* 7. Rodriquez *in Summa, tom.* 2. *cap.* 87. *num.* 8. & Alij.

Villalob.

Rodriq.

8 RESPONDETVR *Quartò*.

Quarta reſponſio quòad extremam vnctioné.

Quòad *Sacramentum Extremæ Vnctionis*, tantò minùs teneri Parochum illud miniſtrare Peſte Infectis, *cum Vitæ periculo*; quia non eſt *Sacramentum neceſſitatis*; vt ſentiunt Villalobos, *loc. cit.* qui pro ſe citat Armilla, & Suarez; Molfeſius *vbi ſuprà nu.* 51. vbi aſſerit: Si Peſte Infecti confeſſi ſint, poſſe Parochos tuta Conſcientia hanc opinionem ſequi, & Sacramētum Extremæ Vnctionis minimè Illis miniſtrare. Verùm Hurtadus, *de Sacram. Extrem. Vnction. difficul.* 12. ait: Non adeſſe hanc obligationem, non ſolùm ſi Infirmus Sacramentum aliud, nimirùm Confeſſionis, aut Communionis ſuſcepiſſet, ſed etiamſi *nullum ſuſcipere potuiſſet*; quia ex vna parte poteſt Infirmus, abſque Extrema Vnctione, per Contritionem ſaluari; & ex altera parte non ſatis conſtat, Extremam Vnctionem ſufficere ad delenda mortalia. Ità ſentiunt Hurtadus *loc. cit.* & Tannerus *in Commentar. ad D. Thomam*, *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 1. *dub.* 3. *num.* 62. Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 83.

Armilla. Suarez. Hurtadus. Tannerus. Diana.

Granadus

9 Verùm Granadus, *de Sacram.* 3. *par. controuerſ.* 8. *diſp.* 8. *num.* 6. hoc intelligendum eſſe docet, niſi Parochus certò ſciret ægrotum eſſe *in Statu peccati mortalis*, & hoc remedio liberandúm eſſe, probabiliter ſibi perſuaderet: nàm in hoc caſu, qui certè Metaphyſicus eſt, patitur æger extremam neceſſitatem Spiritualem, cui etiam cum periculo Vitæ corporalis, ſubuenire tenetur. Ità Granadus.

QVÆSITVM XIX.

Quibus pœnis afficiantur, qui Seipſos occidere, vel mutilare attentauerint, metu pœnæ, propter cōmiſſa delicta debitæ in Foro Externo?

SVMMARIVM.

1 *Attentans ſe interficere, quandò fuit in delicto deprehenſus, an habeatur pro confeſſo, & an pœna illius delicti afficiatur?*

2 *Teſtamentum illius, qui ſe occiderit ob euadendam pœnam delicti, an ipſo iure reddatur nullum?*

3 *Quandò Bona illius, qui ſe occiderit deuoluantur ad Hæredes ex Teſtamento, vel ab Inteſtato.*

4 *Quædam crimina non extinguuntur extincto Reo; ac proindè etiamſi Reus ſibi necem intuliſſet; de talibus criminibus agitur in Iudicio.*

5 *An Hæredes ſint admittendi ad probandum Eum, qui ſeipſum occiderit, Reum non eſſe delati criminis?*

6 *Quid ſi Reus ex furore, vel iracundia ſibi necem intulerit?*

7 *Quandò præſumendum ſit, quòd Reus ſeipſum occiderit ex Conſcientia delicti?*

8 *An ipſofacto occupentur à Fiſco Bona Delinquentis, qui Seipſum occiderit? & quid ſi ſeipſum ex phreneſi occidiſſet?*

Prima reſponſio ad Quæſitū.

1 RESPONDETVR *Primò*. In caſu, quo aliquis deprehenſus fuit in delicto, pro quo pœna mortis Naturalis, aut deportationis erat ſtatuta; bonaque illius erat confiſcanda; vel eo delicto erat iàm accuſatus, liſque cum illo erat conteſtata, tunc ſi ſe interficere aggreſſus fuerit, & quòd ab alijs ſit prohibitus, non ſe interfecerit, ſanè ſi-

ue vulnus ſibi inflixerit, ſiue non, *habetur pro confeſſo de eo delicto, pœnaque illius delicti afficitur, Bonaque illius confiſcantur*. Età habetur, *l. 3. §. Si quis aut. verſic. Sic autem. de bonis eorum, qui ante Sententiam. l. Si quis aliquid. §. vlt. ff. de pœnis. l. Omne delictum. §. Qui ſe vulnerauerit. ff. de re milit.* Et affirmat Antonius Gòmez, *tom. 3. variar. reſol. cap. 3. nu. 14.* cum communi Sententia. Tametſi Gregorius Lopez *l. 24. tit. 1. verb. Se mato.* cum Alijs, quos citat, velit hunc *non haberi pro confeſſo*, neque Bona illius confiſcanda eſſe, ſed eſſe puniendum *pœna extraordinaria* arbitraria.

Ant. Gó.

Quid ſentiant alij?

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

2 RESPONDETVR *Secundò:* In caſu, quo aliquis in delicto fuerit deprehenſus, pro quo morte Naturali, aut Ciuili deportationis puniendus fuiſſet, ac confiſcanda illius Bona; vel eſto in eo delicto deprehenſus non eſſet, accuſatus tamen fuiſſet, lite cum eo iàm conteſtata, tunc ſi Seipſum interficeret, eius *Bona Fiſco addicerentur*, ac proindè, ſi quod anteà confeciſſet *Teſtamentum*, redderetur *ipſo iure nullum*. Ratio eſt, quia tunc Seipſum occidens, præſumitur *ex Conſcientia* eius delicti Se interfeciſſe, & reputatur, ac ſi id delictum eſſet confeſſus.

Ratio.

Tertia reſponſio ad Quæſitũ.

3 RESPONDETVR *Tertiò:* In caſu, quo delictum non eſſet tale, pro quo Delinquentis bona, eſto de eo condemnaretur, Fiſco applicanda eſſent, vt v.g. ſi eſſet furtum, nec Naturali morte, nec Deportatione dignum, vel etiam, quàmuis delictum eſſet tale; pro quo pœna mortis Naturalis, aut deportationis infligenda eſſet, ac Bona confiſcanda; ſi tamen delinquens, *nec deprehenſus* eſſet in eo crimine, *nec* de eo eſſet *accuſatus*, lite cum eo iàm conteſtata, tunc quàmuis Seipſum interficeret, *Non* propterea eius *Bona confiſcarentur*, *nec redderetur nullum Teſtamentum* ab eo anteà ritè factum, ſed Bona illius deuoluerentur ad Hæredes ex Teſtamento; vel ſi Teſtamentum non confeciſſet, deuoluerentur ad Hæredes illius ab inteſtato. Hæc omnia habentur *l. 3. ff. de Bon. eorum, qui ante Sent. mor. conſciu. l. 1. & 2. Cod. eodem tit. l. Si quis filio exheredato. §. eius. ff. de iniuſto rupt. l. Eius Milites. ff. de Milit. teſt. l. in fraudem. §. eius Bona. ff. de Iure Fiſci. l. omne delictum. §. Qui ſe vulnerauerit. ff. de re milit. l. 2. Cod. qui teſt. facere poſſunt. l. penult. Cod. Si Reus, vel Accuſ. l. 24. tit. 1. l. 2. tit. 27. par. 7.* & vtrobique affirmat Gregorius Lopez, aſſeritque hęc omnia Antonius Gomez *3. tom. var. reſol. cap. 3. num. 13.* & Molina, *tom. 4. de Iuſt. & Iur. tract. 3. diſp. 20.*

Quarta reſponſio ad Quæſitũ.

4 RESPONDETVR *Quartò:* In caſu quo Aliquis Seipſum interemiſſet, ob euadendam pœnam debitam quibuſdam delictis, quæ non extinguuntur morte Delinquentis, vt ſunt *Crimen hereſeos*, *Crimen læſæ Maieſtatis humanæ*, & alia, pro quibus etiam poſt mortem, agitur contrà Reos, tunc etiamſi lis non fuiſſet cum eo conteſtata, neque dùm viueret, de eo delicto quidquam ſcitum fuiſſet; ſi tamen pro illo pœna Confiſcationis Bonorum ſtatuta fuiſſet, *Bona confiſcarentur:* quod non ſolùm verum eſt in caſu, quo Sibimetipſi necem intuliſſet; ſed etiam ſi quacumque alia ratione è vita deceſſiſſet. Età habetur *lib. 2. Cod. de Bonis eorum, qui mortem ſibi conſciuerunt;* & *l. 24. tit. 1. par. 7.* & ita etiam ſentit Molina *loc. cit.*

Quinta reſponſio ad Quæſitũ.

5 RESPONDETVR *Quintò:* Quandò aliquis accuſatus erat de delicto, pro quo pœna mortis, aut deportationis cum Confiſcatione Bonorum erat ſtatuta, ſi lite iàm conteſtata ſeipſum interfecit, quàmuis habeatur pro confeſſo id delictum, *Iuris præſumptione*, ac fictione, vt Bona illius confiſcentur; admittuntur tamen *Hæredes* ad probandum, verè illum non commiſiſſe id delictum; quòd ſi id *ſufficienter* pro-

bent,

bent, *Bona non confiſcantur*, ſed Hæredes in eis ſuccedunt: Si verò ſufficienter id non probent, *Bona confiſcantur*; quia eoipsò, quòd poſt litem conteſtatam Seipſum interfecit, *habetur pro confeſſo id delictum*. Hæc omnia habentur expreſsè *l.3. §.vlt. ff. de Bonis eorum, qui ante Sentent. mortem ſibi conſciuere*. eaque affirmat Antonius Gomez *num.13. citat.*

Sexta reſponſio ad Quæſitū.

6 RESPONDETVR *Sextò*. Quandò quis in crimine fuit deprehenſus, pro quo pœna mortis, aut deportationis cum Confiſcatione Bonorum erat Statuta, aut poſt accuſationem de eo crimine, lite iàm conteſtata, Seipſum interfecit; tunc ſi ille *furorem*, aut grauem *iracundiam*, ac *dolorem* anteà patiebatur, ait Gregorius Lopez, *l.24. tit.1. par.7. Gloſſ.2.* cum Alexandro, & Alijs, ſi Hæredes id probent, cenſendum eſſe potiùs ex alia cauſſa, quàm ex Conſcientia criminis Seipſum interfeciſſe: eòquod *in partem mitiorem* ſit propendendum, *Argum. l. ſi Præſes. in fine. ff. de pœnis*. & *l. Si quis. ff. de donat. cauſa mort*, ac proindè non habebitur ille pro confeſſo de eo crimine, nec Bona confiſcabuntur, niſì aliundè ſufficienter probetur, id crimen commiſiſſe. Ità Molina *loc. cit. num.6.*

Paulus de Caſtro.

7 *Attamen* Paulus de Caſtro voluit, vt quis præſumatur ſe interfeciſſe ex Conſcientia delicti, & reputetur confeſſus id delictum, ſatis eſſe *ſi ſit citatus*, eſto nec in crimine fuerit deprehenſus in flagranti delicto, nec fuerit lis conteſtata, ſi poſt eam citationem ſe interfecerit.

Altera reſponſio. Impugnatio.

Contrarium verò meritò affirmat Gregorius Lopez *l.24. citat. verb. Reſpuoſta*, cum Alexandro, & communi Doctorum Sententia; vt habetur expreſsè *ea l.24.* & conſentiunt *l.3. ff. de Bonis eorum, qui ante Sentent. mortem ſibi conſciuer.* & alia Iura citata.

8 Idem Gregorius Lopez, *ibidem*, *verb. Tomar todo lo Suyo*. ait Quandò poſt deprehenſionem in delicto, pro quo mors, aut deportatio cum Confiſcatione Bonorum eſt ſtatuta, aut poſt litem conteſtatam cum eo, ſe interfecit; tunc ſtatìm *abſque alia Sententia* occupari Bona à Fiſco; quoniam *eoipsò* ille habetur pro confeſſo, & condemnato de eo crimine. *Addit* verò: Si Hæredes circà id controuerſiam moueant, contendentes non ex Conſcientia delicti, ſed ex *phreneſi*, aut ex alia cauſſa Se interfeciſſe, neceſſarium eſſe, vt Iudex ea de re Sententiam proferat. Vidè Molinam *loc. cit.* vbi fuſiùs de pœnis Seipſum interficientis, aut vulnerantis diſputat.

Bona Homicidę ſui ipſius an ipſo facto à Fiſco occupentur?

QVÆSITVM XX.

Quibus pœnis afficiantur, qui Seipſos occidere, vel mutilare attentauerint ex tædio Vitæ, dolore, ac impatientia ex quocumque infortunio, aut ex quacumque alia cauſſa, quæ non ſit condemnatio, ac pœna futura ob Delictum?

SVMMARIVM.

1 *An Iudex pœna arbitraria punire poterit eum, qui ſibi necem intulerit, non ob pœnam delicti, ſed ob humanæ Vitæ tædium?*

2 *Seipſum occidens, vel vulnerans iniuſtiam infert Deo, & Reipublicæ.*

Quibus pœnis duo Seipſos vulnerantes, fuerint Salmanticæ puniti?

3 *Bona occidentium ſeipſos ob Vitæ tædium ad ſuos deuoluuntur Hæredes, vel ex Teſtamento, vel ab Inteſtato.*

4 *Occidentes ſeipſos priuantur Eccle-*

ſia-

ſiaſtica Sepultura, & Suffragijs, iuxtà Sacros Canones.

5 *Apud Ethnicos etiam, Suiipſius homicidæ, Sepultura indigni habebantur, ex Quintiliano.*

Apud Inferos, quomodò puniantur Suiipſius homicidæ, ex Virgilio.

6 *Homicidium Suiipſius valdè execrabile eſt, & damnatur, ex Hegeſippo.*

7 *Seipſum occidens, magis quàm Militiæ Deſertor, & fugitiuus Seruus eſt puniendus.*

8 *Qui Cœleſtis Patris Imperium non expectat, vt ex hac Vita decedat, in terrenæ Matris gremio, ſeù Sepulchro non eſt humandus, ex Hegeſippo.*

9 *An olim apud Hebræos inſepulti abijcerentur, qui Seipſos occiderent?*

10 *An ſi aliquis in puteo mortuus reperiretur, Sacri loci Sepultura priuandus eſſet?*

Non probatur id eſſe, quod quandòque contingit abeſſe.

11 *Quid ſi præceſſiſſent inditia vehementia de tali Spontanea in puteum proiectione?*

Prima reſponſio ad Quæſitū. 1 RESPONDETVR Primò: Quandò aliquis *ex alia cauſſa* ſe interficere aggreſſus eſt, quàmuis non afficiatur cæteris pœnis, quibus afficiuntur Ij, qui ob euadendam pœnam, patrato delicto debitam, ſibimetipſis mortem inferre parant, vt expreſsè habetur in Iuribus citatis Superiori Quæſito, & Antonius Gomez *tom. 3. variar. reſol. cap. 3. nu. 14.* refert, ac ſequitur; dico tamen, vt Subiungit idē Gomez cum Bonifacio, *in Tractat. de Maleficijs*, conſentaneèque ad Bartholum, *poſſe nihilominus tunc Iudicem, ac debere punire ex officio pœna arbitraria* eum, qui ità ex alia cauſſa tædij, ac impatientiæ vulnus ſibi inflixiſſet, non ſecùs ac ſi idem vulnus inflixiſſet alteri, qui eum illa de cauſa non accuſaret.

Ant. Gō.

Bonifacius

Ratio. 2 *Ratio* deſumenda eſt ex his, quæ ſuperiùs dicta ſunt, quia nimirùm homo non eſt ſuæ Vitæ, nec ſuorum *Dominus* membrorum, ac proindè non poteſt de illis diſponere, cùm præſertìm id cedat, non ſolùm in contemptum, ac iniuriam Dei, ſed etiam Reipublicæ; ideòque ad Iudicem *ex officio* ſpectat, id in commune bonum punire. Atque ità refert ibidem Antonius Gomez, cum bis eiuſmodi delictum Salmanticæ contigiſſet, tempore diuerſorum Iudicum, Iudice ab vno *pœna exilij* alterum ſe vulnerantium, punitum fuiſſe: ab alio verò Iudice punitum fuiſſe alterum *pœna flagellorum*.

Duo Homicidæſeſē mutilatores ſuipſius, quomodo fuerint puniti?

3 RESPONDETVR *Secundò.* Si loquamur de Bonis eorum, qui Seipſos interficiunt ex tædio Vitæ, vel ex aliqua alia cauſſa, quæ non ſit ob pœnæ, ac Sententiæ delicti timorem, ac pudorem; ea inquam *Bona de Iure communi ad Fiſcum non pertinere*, ſed deuolui ad ſuos Hæredes ex Teſtamento, aut ab Inteſtato. Ità colligitur ex Iuribus in Superiori Quæſito citatis, & conſentit Molina, *tom. 4. de Iuſt. & Iur. tract. 3. diſp. 20. num. 2. & 5.*

Secunda reſpōſioad Quæſitū.

Molina.

4 RESPONDETVR *Tertiò:* Præter dictas pœnas hactenùs explicatas, Eccleſia quoque eos, qui Seipſos ex quacumque cauſſa interfecerunt, punit priuatione *Eccleſiaſtica Sepultura*, & prohibet pro ijs Oblationes, ac Orationes fieri in Eccleſia. Ità expreſsè habetur *in cap. Placuit. ex Concilio Bracharenſi, 23. quæſt. 5.* & conſentit *cap. Ex parte. de Sepulturis*. Indignos enim eos exiſtimat Eccleſia communicare cum mortuis eodem in Sepulchro, qui Seipſos à Viuentium conſortio, tàm iniquè ſubtraxerunt.

Tertia reſponſio ad Quæſitū.

Cōcil. Bracharenſe.

5 Quam legem etiam apud Veteres extitiſſe, refert Andreas Tiraquellus apud Alexandrum ab Alexandro, *lib. 6. Genialium dierum c. 14. lit. N.* Vndè apud Quintilianum *Declamation. 4.* hæc lex celebratur: *Qui cauſas voluntaria mortis in Senatu non*

Tiraquell.

Alex. ab Alex.

Quintil.

Virgilius. D. Auguſt.

reddiderit, inſepultus abijciatur. Et Virgilius, 6. *Aeneidos* (quod & Auguſtinus *lib.* 1. *de Ciuitate Dei cap.* 19. memorat) eos etiam apud Inferos mulctari perhibet.

Pœnæ Se ipſos occidentium.

Qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Proiecere animas. Quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!
Fata obſtant, triſtique palus innabilis vnda
Alligat, & nouies Styx interfuſa coërces.

Hegeſippus contrà occidentes ſeipſos inuehitur.

6 Et meritò tàm grauibus pœnis ſunt puniendi, tàm graui ſcelere patrato: nàm vt ſcribit Hegeſippus *lib.* 3. *cap.* 17. Deus omnipotens Theſaurum nobis optimum dedit, atque incluſum in hoc vaſe fictili, & conſignatum commiſit nobis cuſtodiendum, quòad ipſi placeat repoſcere. *Nonnè in vtroque crimen eſt, vel reijcere Depoſitum non repoſcenti, qui dederit: vel repoſcenti negare?*

Homo ſeipſum occidens eſt peior ſeruo fugitiuo, & Milite deſertore Militiæ.

7 Cur exeundi hinc Præceptum non expectamus? *Miles Teſſeram expectat, Seruus Imperium*. Si quis horum ſinè Præcepro exierit: alter *Deſertor*, alter *Fugitiuus* eſt. Qui hominē fugit, pœnę obnoxius eſt, quàmuis Improbum fugerit Dominum: Nos Optimum omnium fugientes, poſſumus non adſtringi impietatis flagitio?

Ioſephus.

8 Et non multò poſt ſubiungit: *Hac non ſolùm moribus hominum, ſed etiam legibus interdicta accepimus*. Nàmque alij *inſepultos* proijci iubent eos, qui in ferrum deiecerunt. *Dignum eſt enim, vt qui Patris Imperium non expectauerant, priuentur quaſi quodam Matris gremio, terra Sepulchro.*

9 Quod & à Ioſepho traditur, *lib.* 3. *cap.* 14. his verbis: *Denique, ſi qui Se occiderint, apud nos quidem vſque ad Solis occaſum inſepultos abyci decretum eſt*, cum etiam Hoſtes ſepeliri, fas eſſe ducamus: Apud alios autem, & *dextera iubentur abſcindi eiuſmodi mortuorum, quæ in ipſos armatæ ſunt: quoniam vt corpus ab anima, ità manum abeſſe à corpore exiſtimarent*. Et hanc Sepulturæ Denegationem ijs, qui Seipſos interemiſſent, in vſu receptam fuiſſe apud Iudæos, & apud alios, refert quoque Couarruuias *Variar. reſol. cap.* 1. *in calce, nu.* 11.

Couarr.

Soc. Iun.

Quid de Eo qui mortuus in puteo reperitur?

10 Cum Socino Iuniore affirmat ibidem Couarruuias, repertum in puteo mortuum, non eſſe cenſendum Seipſum interfeciſſe, *culpabiliter* ſaltem, ac proindè denegandam illi non eſſe Eccleſiaſticam Sepulturam.

Salcedo.

Idem cum his eiſdem Auctoribus affirmat Salcedo *in Practic. cap.* 17. *num.* 12. de reperto in puteo, aut in alio ſimili loco; aitque: Non ſemel id obtinuiſſe in forenſibus controuerſijs. Quod confirmat, quoniam *criminis ſuſpicio longè ſemper eſt repellenda*. Argumento *l. Merito. ff. pro ſocio*. Potuit quippè ille ab alio in puteum deijci, aut id minimè intendendo in puteum cadere, & *Non probatur id eſſe, quod contingit abeſſe*, ſeù non eſſe. *l. neque natales*. & *l. ad probation. Cod. de probation.*

Racip.

Limitatio prædictæ reſponſionis.

11 Quod tamen limitandum eſt cum Molina *loc. cit.* Niſi præceſſiſſent aliqua, vndè id vehementer *præſumeretur*; vt ſi conatus fuiſſet anteà ſeipſum interficere, prohibituſque fuiſſet, aut ſimilia alia inditia præceſſiſſent. Vide Villalobos *in Summa tom.* 2. *tract.* 31. *difficul.* 3. *nu.* 4. Marchantium, *in Reſolut. Paſtoral. tract.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 4. *caſu* 3. Genuenſem, *in Praxi Archiep. cap.* 61. *num.* 16. Barboſam *de Officio Parochi, cap.* 26. *num.* 49. Iulium Lauorium, *in Varijs Elucubrationib. tit.* 2. *cap.* 12. *num.* 31. & 32. & Dianam *par.* 5. *tract.* 3. *de Caſibus occurrentib. temp. mort. reſolut.* 100. Nos ad Duellicas ſpecies explanandas, accedamus.

Villalob.

Marchāt.

Genuenſ.

Barboſ.

Lauoriu.

Diana.

TRACTATVS QVARTVS DE DVELLI SPECIEBVS, AC LICITAE DEFENSIONIS MODIS IN PARTICVLARI.

SECTIO PRIMA

DE QVÆSITIS IN ORDINE AD PRIMAM DVELLI SPECIEM, HOC EST, AD DVELLVM PVRGATIVVM.

SCRIBENTI Mihi hìc Romæ de Duello, atque in Quarto huiuſce Operis Tractatu de Duellicis Speciebus acturo; in mentem recurrunt priſtina illa Romani Amphitheatri Spectacula, quò licet remotiſſimis ex Hyrcaniæ Spelæis, indomitæ, immiteſque adducerentur Feræ; in Arenam tamen emiſſæ, aſpectu coronæ Populi perterritæ, omni primùm feritate depoſita, miteſcebant:

Non ſolita feritate fremunt, ſed margine toto Corip. l. 3. Iuſtini.
Intrantes plenum Populorum millia Circum
Suſpiciunt, magnoque metu miteſcere diſcunt.
Deponunt rabiem, gaudent fera vincla ſubire,
Per medios intrare locos, ipſumque ſuperbæ
Quòd ſpectentur amant; caueam, turbaſque fauentes
Luſtrant, & pronæ Solium Regnantis adorant.

Verùm, ſtatim ac ſublatis in altum Populi clamoribus, ac Pugnantium ſtimulis agitatæ, cruentam inirent

Pugnam, ipſa Feritate ferociores redditæ, ab incæpto non deſiſtebat, donec in fruſta diſcerperent hoſtem, eiúſque in ſanguine ſitim reſtinguerent; ac veluti humanæ laudis auidæ, ſpectante coràm Populo, victrices ex Arena diſcederent. Cùm autem Feræ ipſæ pluribus ſauciæ telis morituræ caderent, Pugnaque foret abſoluenda, tunc præter omnium vota, ac ſpem, Catulos quandoque ex vulnere, Lucina obſtetricante, emittebant. Sic olim, vt ſcribit Ille

Martial. L. 1. Epig. 1 a

Inter Cæſareæ diſcrimina ſæua Dianæ,
Fixiſſet grauidam cùm leuis haſta Feram.
Exſilijt partus miſeræ de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperiſſe fuit?
Pluribus illa mori voluiſſet ſaucia telis,
Omnibus vt natis triſte pateret iter.

Siquidem nè morerentur inultæ, enixæ medio in Theatro, vltricem veluti acceptæ iniuriæ, ſobolem relinquebant, vt perituræ Parentis, & vulnera, & cædem, eò acriùs vlciſceretur, quò oculatior fuerat Teſtis. Vbi igitur abſolutam crederes Pugnam, tunc iterùm extincta Parente, cum Catulis redintegrato Certamine, pugnandum erat.

Strinximus hùcuſque contrà Duellum in genere calami aciem; illique tot Duellicis prohibitionibus, totidem veluti telis ſaucio, aditum aperiuimus ad nouas Species, quaſi ad latentem in vtero Sobolem pariendam: Pugnauimus hactenùs cum Parente, pugnandum modò ſupereſt cum Catulis, hoc eſt, contrà Duellicas Species redintegranda eſt Pugna; vt tamen certior ſit Victoriæ Spes, diſtrahendus eſt hoſtis, atque ſingillatìm cum ſingulis Duelli Speciebus, ſingulare Certamen eſt ineundum. Et primò contrà Duellum Purgatiuum, quæ Prima eſt Species, acuendus eſt calamus: quædam tamen ſingulis præmittenda ſunt Speciebus, quorum ex ſolutione, faciliùs Duellica, quæ ſequuntur, Quæſita ſoluentur.

QVÆSITVM I.

Vtrùm peccaret aliquis, qui ſciens Se iniuſtè Capite damnari à Iudice, vt ſuam Innocentiam manifeſtaret; ad Diuinum Tribunal appellans, diceret Iudici: *Cito Te ad comparendùm coràm Deo intrà certum tempus?*

SVMMARIVM.

1 *Licita eſt talis Citatio, ſi fiat abſque odio, & abſque animo vindictæ. An in aliquo caſu, poſſit eſſe actus meritorius?*

2 *Ad Diuinum Iudicium tali modo, Sanctos quandòque appellaſſe, teſtantur Sacræ Litteræ.*

3 *Nonnulla exempla de Alijs SS. Viris, qui tali Citatione vſi ſiint, ad rei alicuius Veritatem, ac Iuſtitiam comprobandam.*

Beatus Euſtachius, ad Diuinum Iudicium citauit Hæreticum quendam, qui contrà B. Columbanum, conuicijs, & calumnijs inuehebatur.

4 *Inſigne Exemplum de Abbate S. Iacobi, qui raptorem quendam Religioſi Adoleſcentis, ad Diuinum Iudicium intrà quadraginta dies citauit, cuius Citatio, irrita non ceſſit.*

5 *Oſtenditur, non debere quoſcumque Homines, huiuſmodi Citationes, ac Appellationes exercere.*

6 *Mortaliter peccant Rei, qui Alios ſcienter Iniuſtè ad Diuinum Iudicium citant.*

Mors Iudicis ſequuta poſt huiuſmodi Appellationes, an certum ſit argumentum Innocentiæ Rei, qui appellauit?

7 *Reijcitur, quod de Clemente V. ac Innocentio IV. à Quibuſdam refertur, nempè quòd ad Diuinum Iudicium citati obierint.*

1 RESPONDETVR Primò cum Feuardentio *cap.* 13. *Eſther.* & Martino Delrio *lib.* 4. *Diſquiſition. magic. cap.* 4. *quæſt.* 4. *ſection.* 1. Si citrà odium, aut vindictæ cupiditatem, vel impatientiam, iram, deſperationem, vanitatem, aut aliam ambitioſam affectionem, per Iniuſtitiam oppreſſus quis, hoc faciat bono fine, (puta, vt innocentia eius appareat, nec infamia grauetur Familia, aut vt liberetur Mundus tali Tyranno, aut vt reſipiſcat, & terrore perculſus deſinat ab oppreſſione, & concuſſione miſerorum) *licita eſt talis Citatio*, nec Citator peccat. Immò cùm res ſit indifferens, & finis bonus, putat Delrius, actum eſſe meritorium hoc facere.

Prima Reſponſio ad quæſitū

Feuardẽt.

Delrius.

Quãdoque licita eſt talis citatio.

2 Probatur *Primò*, Exemplis Sanctorum hominum, qui, vt Sacræ Litteræ teſtantur, huiuſmodi ad Diuinum Iudicium appellandi conſuetudine vſi ſunt. Sic *Geneſeos* 16. *verſic.* 5. Sara dixit Abrahæ: *Iudicet Dominus inter te, & me.* Sic, 1. *Reg.* 24. *verſic.* 13. Dauid ad Saulem: *Iudicet Dominus inter me, & te, & vlciſcatur Dominus ex te.* Sic 1. *Paralipomenon* 24. *verſic.* 23. Zacharias Filius Ioiadæ, cum iuſſu Ioas Regis interficeretur, ſimilia protulit: *Videat Dominus, & requirat.* Nec alia mens Septem Machabæorum Martyrum fuit, cùm ad Tyrannum dixerunt, *lib.* 2. *Machab.* 7. *verſic.* 17. *Videbis magnam poteſtatem Dei, qualiter te, & ſemen tuum torquebit. & verſic.* 19. *Tu autem, ne exiſtimes tibi impunè futurum, quòd contrà Deum pugnare tentaueris:* Horum enim Prophetia Vim habuit imprecationis, & citationis, vt illæ priores duæ, quæ ambæ exitio perſequutorum, paulò poſt fuere comprobatæ. Sic quoque Apoſtolus 2. *ad Timoth.* 4. *verſic.* 15. Alexandro ærario, impunitam eſſe non debere cenſuit Iniuſtitiam eius: *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit;*

Prima ratio ex diuinæ Scripturæ teſtimonijs.

Geneſ. 16.

1. Reg. 24.

1. Paralip 24.

Lib. 2. Mach. 7.

2. Tim. 4.

Red-

Reddet illi Dominus ſecundùm opera eius, hoc eſt, malum magnum pro multis malis, quæ Apoſtolo oſtenderat. Sic quoque Sancti Martvres, etiam Noui Teſtamenti, *Apocalypſis, 6. verſic.* 10. Clamant ad Deum voce magna dicentes: *Vſquequò Domine (Sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum, de ijs, qui habitant in terra?* Ex quibus omnibus Sacrarum Litterarum Teſtimonijs, ſatis apparet, talem actum citandi ante Diuinum Tribunal, non eſſe illicitum, cùm bono fine, & abſque Vindictæ, iræ, aut odij, vel vanitatis ſtimulo fit.

Secunda ratio ex nonnullis exemplis.

3 Probatur *Secundò* alijs Exemplis, quorum euentus rei veritatem, ac citantis Iuſtitiam, quodammodò comprobare viſus eſt. Sic legitur de B. Euſtachio Abbate, cum hæreticus quidam Agreſtius, B. Columbanum iàm mortuum, conuicijs, & calumnijs laceraret, vltum eſſe calumniatorem, idque in Concilio Matiſconenſi: Scribit enim Ionas Abbas eius Contemporaneus *in Vita S. Euſtachij, ſeu Euſtaſij, cap. 6. Menſe Martio*, quod cùm *agreſtius* friuola garriret, ſagax Euſtachius, vt erat Virtute Patientiæ, & Scientiæ inſignis, reſpondit: *In horum præſentia Sacerdotum, Te ego eius Diſcipulus, & Succeſſor, cuius tu diſciplinam, & inſtituta damnas, ad Diuinum Iudicium cum illo intrà præſentis anni circulum diſceptaturum inuito, vt iuſti Iudicis examen ſentias; cuius Famulum, tuis obtrectationibus maculare conaris.* Scire vultis euentum Citationis? Poſt aliqua media, ſequenti Capite ſubijcit Ionas: *Sed cùm ille* (Agreſtius) *ſæpiùs ſibi datum Pœnitentiæ locum non agnoſceret, vt B. Euſtachij Sententia, ad Diuinum Iudicium ipſum vocantis præualeret, ante triginta dierum circulum, priuſquàm vertentis anni meta compleretur, à ſeruo ſuo, quem ipſe redemerat, ſecuri percuſſus interijt.*

Ionas Abbas in vita S. Euſtachij.

Alterum Exemplū.

4 Nec tacitus ad hanc rem prætercam euentum memoratu dignifſimum, qui à Thoma Cantipratenſi, aliàs Brabantino, docto, erudito, ac veraci Scriptore in libro Apū deſcribitur, his verbis: Monaſterium D. Iacobi apud Leodium notum multis eſt, & acceptum. Iſtud quidam Adoleſcens, conſobrinus maioris Præpoſiti, cauſa deuotionis, & Religionis intrauit: Quod, vt audiuit Præpoſitus indignè tulit: mox forti manu collecta Satellitum, intrat violenter Cœnobium, rapit iuuenem, & nudatum Sancto habitu, ſæculari induit. Abbas ergo Monaſterij, collectis Primoribus Ciuitatis, Epiſcopo conqueritur, & totum Clerum pro tantis iniurijs interpellat.

Thomas Cantiprat.

Religioſus Adoleſces per vim habitu nudatur.

Hoc autem cùm indignanter audire vix vellet Epiſcopus, & Abbatem potiùs duris verbis impeteret, flexis Abbas genibus, cum moderamine verborum dixit: Iudicem contrà Te (ô Præpoſite) in terra habere non poſſum: & ideò contrà Te DEVM SVMMVM IVDICEM INTERPELLO, VT INTRA QVADRAGINTA DIES VTERQVE NOSTRVM COMPAREAT CORAM ILLO, SENTENTIAM PRO MERITIS ACCEPTVRVS. Ad hoc Præſul cachinnans cum ſuis, irriſit hominem, atque ſpreuit, & repulit exprobratum. Quid plura? QVADRAGESIMO DIE CIRCA NONAM MORTVVS EST DICTVS ABBAS: & cum pro eo ſolemniter pulſaretur, ſedens in Balneo Præpoſitus quæſiuit à Circumſtantibus, quid hoc eſſet? moxque quidam ingrediens, reſpondit, Abbatem D. Iacobi modò eſſe Defunctum, & pro eo pulſationem fieri tàm ſolemnem. Ideò ergo, recordatus Præpoſitus quadrageſimum diem eſſe, quo ſe citatum audierat ab Abbate, conſternatus animo, dixit Suis: Citò videte quid faciam: mortuus ego ſum: comparere me hodie Summi Iudicis aſpectibus oportebit. Nec

Epiſcopus audire renuit Abbatis querimoniam.

Citatio ad diuinum Tribunal.

Quadraginta dies pro citationis termino aſſignat Abbas.

Citator, & Citatus eodem prætixo commorientur.

mora: Poſt verba hæc, cùm Balneum egredi feſtinaret, in Aſtantium manibus CVM DIRO EIVLATV, ET VOCIBVS EXPIRAVIT: Ibi proculdubio reſpondere compulſus, vbi Cauſarum ſtrepitus ceſſant, Iuriſperitorum aduocatio conticeſcet, vbi nec preces, nec precium liberabunt. Hactenùs præcitatus Auctor.

Secunda Reſponſio ad Quæſitum. An cuilibet homini liceat tales citationes, ac appellationes imitari?

5 RESPONDETVR *Secundò*. Cum eodem Delrio *loc. cit.* Periculoſum eſſe hominibus non compertæ Sanctitatis, has Citationes imitari: nàm facilè fallit amor proprius, & perſuadet nos iniuriam perpeſſos, cùm non ſimus. Quapropter ſemper debet homo expaueſcere, nè fortaſſe Reus inueniatur, vbi ſe Innocentiſſimum eſſe credit. Sic Apoſtolus, quàmuis ſibi nullius delicti conſcius eſſet, ſe tamen iuſtificatum haud eſſe putabat: 1. *ad Corinth.* 4. *Neque meipſum iudico: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*. Quæ verba, & ſi de Diuini Iudicij examine intelligantur, cùm ante Supremi Iudicis oculos, qui omnia intuetur, ſcrutatur & omnia; & nec fallit, nec falli poteſt; quique *in Angelis ſuis reperit prauitatem:* accommodari tamen etiam poſſunt ad humani Iudicij examẽ, in quo multi ſæpe Rei inuenti ſunt, qui Seipſos Innocentes crediderant: Nàm *cùm in animis hominum*, (vt inquit Tullius) *tantæ latebræ ſint, & tanti receſſus*, ſæpè crimen abſconditur, nec ipſimet Reo innoteſcit. Aliam rationem addit Delrius, cur non debeant paſſim huiuſmodi Citationes fieri, niſi tantummodò à compertæ Sanctitatis hominibus; quia nimirùm facilè latens aliqua humanæ gloriolæ cupiditas, vel vindictæ ſtimulus, vel alterius perturbationis animi, nebula Se immiſcet, & vel in ipſo meridie veritatis Solem abſcondit.

1. Cor. 4.

Tullius Orat. pro M. Marcello.

Tertia reſponſio.

6 RESPONDETVR *Tertiò:* Reos, qui ſcienter iniuſtè alios citant ad comparendum ante Diuinum Tribunal, ſiue præſcripto tempore, ſiue non, *lethaliter peccare*.Ità Delrius, & Alij communiter. Ratio eſt, quia talis Citatio eſſet iniuſta, & redundaret in grauem *Iniuriam*, & detrimentum Iudicis talem Reũ punientis: Sic enim ſuggillaret eum, tanquàm *Innocentiæ Oppreſſorem*; minùs etiam conſtantes grauiter terrore percelleret, itàut ex metu mortis, poſſent in morbum incidere, & mori. Quod fortaſſis aliquandò contigit. Quamobrem mors citati Iudicis, non eſt verum, & infallibile argumentum Innocentiæ Rei, tanquàm ſi Iudex ob iniuriam illatam Reo, redditurus Deo rationem, ex hac Vita diſcedat; cùm poſſit mors eius contingere *Naturaliter* tali tempore Citationis, non quòd Citatio fuerit *cauſſa* mortis, ſed tantummodò *occaſio*, cùm nimirùm Iudex graui mœrore, vel metu conſternatus in morbum incidens, ſupremum diem clauderet. Et forſitan ità contigit Aliquibus, ſi tamen vera ſunt, quæ ſcribuntur.

Iniuſtè citantes ad diuinum iudicium, mortaliter peccant

Mors Iudicis an Rei innocentiam conteſtetur in tali caſu?

7 Legitur apud Delrium *loc. cit.* Gualtherum Burgenſem, Virum Doctrina, & Sanctitate clarum, per iniuriam pulſum Epiſcopatu Pictauenſi fuiſſe à Clemente V. Sed eum, quandiù vixit iniuriam patienter tuliſſe: morientem tamen ad exemplum aliorum, Sepulchro inſcribi iuſſiſſe. AD IVSTVM DEI IVDICIVM APPELLO. Legit Elogium Clemens, & iniuriæ, quam intulerat memoria expauiſſe ferunt: Addunt Alij, non diù poſt *obijſſe*. Quod tamen ab Alijs, vt Ego quoque exiſtimo, fabuloſum putatur. Vide Raphaëlem Volaterranum *antropol. lib.* 21.

Clemens V. an ad diuinum Iudicium citatus obierit?

Pariter commentum putatur illud, quòd Innocentio IV. adſcribitur, nempè, quòd cùm à Roberto Groſſeteſt, dicto Lincolnienſi, celebri illa ætate Philoſopho, ob Ex-

Innocentius IV. an ob ſimilẽ citationẽ obierit?

com-

communicationis pœnam ei infli-ctam, ad *Diuinum Iudicium* fuiſſet Pōtifex citatus; eo die, quo mortuus eſt Robertus, auditam hanc in Pontificia Aula vocem, VENI MISER AD IVDICIVM, repertumque ſequenti die Papam in lectulo exanimatum, ac liuidam in eius latere, cruentamque plagam, ac ſi fuſte percuſſus fuiſſet. Sed hæc, & ſimilia, vt dixi, fabuloſa putantur ab alijs peritioribus Hiſtoricis, qui omnes fatentur Eruditione, Iuſtitia, & Sanctitate, Innocentium IV. excelluiſſe. Vide apud Delrium, vbi pluribus hæc fabella de Innocentio IV. teſtimonijs reijcitur.

QVÆSITVM II.

Quid agere deberet Iudex, ſi poſt datam Sententiam citaretur ab eo, quem Capite damnauit, ad cōparendum antè Diuinum Tribunal?

SVMMARIVM.

1 *Iudex metuere non debet huiuſmodi Citationes, quandò ſibi conſtat, Iuſte tuliſſe Sententiam.*

2 *Ferdinandus de Corduba, quomodò contempſit Citationem cuiuſdam Maleſici, à ſe Iuſte damnati?*

3 *In quo caſu debeant Iudices, tales Citationes metuere; Quidue facere teneantur, cùm de ſententia, ac condemnationis Iuſtitia dubitant?*

4 *Huiuſmodi Reorum Citationes, an fuerint ſemper irrita.*

5 *Duo Capite Damnati, ad Diuinum Tribunal appellant Regem, & condicta die, Rex ex hac Vita deceſſit.*

6 *Iudex ad Dei Tribunal citatus, obtruncato eo, quem damnauerat, expirauit.*

1 AD QVÆSITVM. Reſpondetur *Primò*: A Iudice non eſſe metuendam huiuſmodi Citationem, immò contemnendam eſſe, quandò tamen conſtet, *ſe iuſte iudicaſſe*, nec vllum eſset dubium de Sententiæ, aut facti, propter quod citatur, æquitate. Probatur hæc Reſponſio, quæ Martini Delrio quoque fuit, *lib.4. Diſquiſit. Magic. cap.4. quæſt.4. ſect.1.* quia nimirùm iuſto Iudici, *præmium* à Deo, cuius vice fungitur, non *ſupplicium* eſt expectandum; ideòque, cùm Iudex nihil prætermiſit, quod ad iuſtè ferendam Sententiam contrà Reum adhibendum erat, & iuxtà diuinas, humanaſque Leges Sententiam tulit, quantumcumque citetur, pauere non debet, ſed potiùs paruipendere huiuſmodi Citationes, nec à Iuſtitiæ executione animum reuocare.

Prima reſponſio ad Quæſitũ. — *Ratio.* — *Delrius.*

2 Sciebat hoc magnus Ille Imperator Militum, Gonſaluus Ferdinandus de Corduba, qui Tarentum obſidens, cùm Maleficum quẽdam, Seditioſumque (inquit Iouius in Vita Gonſalui) Militem ad Supplicium duci iuſſiſset: illeque multum reluctatus, ſe iniquiſſimè damnari vociferaretur, & proindè *Gonſaluum ad dicendam cauſſam, ad Dei maximi Tribunal, magna voce citaret: Vade* inquit Gonſaluus, *feſtinaque confiſus Optimo Iudici, & cauſam inſtrue. Nam ibi pro me aderit, qui opportunè reſpondeat Alphonſus frater; qui nuper ex Serra Vermegia in Cœlum contendit.* Tùm enim Gonſaluo nunciatum fuerat, Fratrem à Mauris circumuentum, dignam forti, pioque Duce mortem oppetiſse. Sic ille meritò Nebulonem, iniuſtè prouocantem contempſit.

Exempl. — *Iouius.* — *Gõſaluus Dux militis citatioẽ paruipendit*

3 *Secundò* Reſpondetur cum Feuardentio, *cap. 13. Eſther.* & Delrio *vbi ſuprà*. Quandò Iudex aliquam animi perturbationem ſenſit; quæ ad damnandum, vel

Secunda reſponſ. ad Quæſitum. — *Feuard.*

mo-

mouit omninò, vel ad citiùs damnandum mouit: vel etiam non vſque adeò certa eſt Sententiæ Iuſtitia, vt non ſuperſit probabilis contrarij metus: Tunc *Malè facere* Iudicem, ſi contemnat huiuſmodi Citationem; *Rectè facere*, ſi diligentiùs iterùm omnia momenta, & quæcumque ad veri cognitionem pertinent, examinet, ac perpendat, & Reum interim in Cuſtodia ſeruet, vt vel retractetur prior Sententia, vel maturiori conſilio confirmetur.

Ratio. 4 Probatur, Quia Iudices debent nimis circumſpectè procedere in re tanti momenti, cùm *non hominis, ſed Dei Iudicium iudicent*; & cùm agatur de Vita, Fama, Honore, ac Bonis eorum, qui iniuſtè fortaſſe falſi criminis Rei apud Iudices ſunt delati. Et præterea, quia ſæpè tempus, quod eſt Veritatis Parens, oſtēdit eos, qui ex allegatis, & probatis, Nocentes videbantur, fuiſſe tamen Innoxios; vt ex varijs Euentibus, qui Hiſtorias legentibus, paſsìm occurrunt, liquidò colligi poteſt: ideòque tacitus illos prætereo.

Citatio Rei quandòque metuenda. 5 Et tandem, quia ſæpiſſimè accidit tales Citationes non eſſe irritas. Scribunt Hiſtorici Hiſpanorum, Ferdinandum III. Regem, iuſſiſſe duos Nobiles Perduellionis Reos, ex Turri, vel Rupe altiſſima præcipitari: Illos conſtanter crimen negaſſe, quod quia videbant ſe fruſtrà facere, tandem *ad Diuinum Tribunal prouocaſſe*, Regique denuntiaſſe, ibi, vt ſe *antè diem trigeſimum* ſiſteret: Ferdinandum poſteà ipſo *die trigeſimo*, ſatis ſubita morte abreptum. Vide Ritium *lib. 3. de Regibus Hiſpan.* & Marianam *in Hiſpan. Annalib.*

Rex trigeſimo moritur, quo citatus fuerat die. Ritius. Mariana.

Olaus. 6 In vicina Germaniæ Gothia, memorabile accidit illud Ioannis Turſonis, de quo *lib. 14. Hiſtor. Aquilon. cap. 29.* Sic ſcribit Olaus: Quendam Capite plecti iuſſerat. Is genibus innixus, En morior iniuſtè, inquit, *teque voco hac hora ante Tribunal Dei*, vt reſpondeas cur me Innocentem morti condemnes. *Vix autem miſer Carnificis manu obtruncatus fuerat, cùm etiam Iudex de equo corruit exanimis.* Vide apud Delrium *loc. cit.* vbi quàmplurima ad hanc rem, eruditè, vt ſolet, Exempla congerit. Nobis hæc pauca retuliſſe ſufficiat.

Iudex, & Reus eadē hora commoritur.

QVÆSITVM III.

An ſi quis de obiecto crimine ſe purgare vellet, tactu ferri candentis, peccaret? Et an Iudici id præcipienti obedire teneretur?

SVMMARIVM.

1 *Tactu ferri candentis, licitum non eſt, propriam Innocentiam probare.*

2 *Tentatio Dei interuenit in tali probatione.*

3 *In Cap. Conſuluiſti, damnatus eſt vſus ferri candentis, vel aquæ feruentis ad occultum delictum inueſtigandum.*

4 *Aduſtio ferri candentis, incertum & fallax eſt argumentum innocentiæ, aut delicti alicuius.*

S. Iuo negauit, conuictum eſſe adulterij Militem, cuius manus ferro inuſta fuerat.

5 *An licitum ſit à Deo ſignum petere, ad manifeſtandam aliquam veritatem?*

6 *Adducuntur ex Sacris Litteris nonnulla Teſtimonia, quibus videtur oſtendi, id licere.*

7 *Signum à Deo petere, in quo caſu liceat?*

8 *Quomodò excuſandus ſit Seruus Abrahæ, qui Vxorem ducturus Filio ſui domini, ſignum à Deo petijt?*

9 *Gedeon, an peccauerit, petendo ab Angelo ſignum? & Cur præceperit Deus Achaz, vt ſignum peteret?*

10 *Adducuntur alia Exempla de Alijs, etiam SS. Viris, qui huiuſmodi externis ſignis conſueuerunt, delictum aliquod, aut Innocentiam pateſacere.*

11 *Reſponſio ad prædicta exempla: Cur Deus permiſerit aliquando, talibus ſignis veritatem oſtendi?*

12 *Aliæ rationes oppoſita ſoluuntur.*

13 *Legem Moyſi de Poculo Zelotypiæ, quo manifeſtabatur mulieris adulterium, fuiſſe tantùm permiſſiuam, docet Alenſis.*

Probabile etiam eſt iuxtà Alios, fuiſſe Iudiciale præceptum. Cur tunc, licitum erat huiuſmodi purgationes adhibere ſecùs autem nunc?

14 *An verum ſit, Hebræos olim conſueuiſſe, Idololatras, à Veri Dei Cultoribus hauſtu aquæ dignoſcere?*

15 *Accuſatus, non tenetur parere Iudici præcipienti, vt ſigno ferri candentis, aut aquæ feruentis, ſuam innocentiam teſtetur.*

Mortaliter peccat Iudex, ſi ex huiuſmodi ſignis, ad condemnationem, vel abſolutionem alicuius procedat.

16 *Iudex in Proceſſu contrà Reos, ijs tantummodo probationibus vti debet, quæ humano, ac naturali modo deprehendi poſſunt.*

17 *Poſſitne conueniri Iudex, qui tales probationes exercet? & An teneatur actione iniuriæ, indebitè torquendo Reum?*

An Confeſſio facta à Reo in tali caſu, & Iudicium ex ea ſubſequutum, eſſent irrita: & an Iudex Reus eſſet homicidij?

Quid intelligatur pro tactu ferri candentis?

VARIAS apud Nationes retroactis ſæculis mos inoleuerat, Se de obiecti criminis macula purgandi, ignitum ferrum tangendo; vel ardentem rogum ingrediendo: modò etiam prunas, vel in ſinum conijciebant, vel manu ferebant, aut calcabant pedibus; quandòque etiam candentes chirothecas manibus aptabant; itàvt ſi quis illæſus abiret, Innocens haberetur, ſin aliter, Nocens. Qui mos vbique hac ætate eſt abolitus; de ferro tamen candente, adhùc apud Iaponios vigere referunt, qui illùc ad Catholicam Fidem diſſeminandam profecti ſunt. Dubium igitur eſt, An ſi alicui falſum impoſitum eſſet crimen, nec aliter ſuam teſtari poſſet Innocentiam, liceret ei candentis ferri iudicium ſubire? Et An Iudex poſſet, Accuſatum ad tale Iudicium ſubeundum adſtringere?

Prima reſponſio. D. Thom. Caietan. Valentia. Laymann.

1 AD PRIMVM Reſpondetur cum D. Thoma *in* 2.2. *quæſt.* 95. *art.* 8. *ad* 3. & 3. *par. quæſt.* 80. *art.* 6. *ad* 3. & *ibi* Caietano, Valentia, *vol.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 14. *punct.* 1. Laymann, *in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 5. & Alijs: Licitum non eſſe ſuam manifeſtare velle Innocentiam, candentis ferri tactu, alijſque modis ſuprà explanatis.

Prima ratio.

2 Probatur *Primò*: Quia cùm non poſſit naturaliter non aduri, qui ignitum illud Inſtrumentum tangeret, requiritur aliqua virtus ſuperior, vt talis impediatur effectus: Aut ergo talis virtus expectaretur à Dæmone, aut à Deo: Si à Dæmone nulli dubium eſt, quin eſſet illicitum: Si à Deo etiam illicitum eſſet, quandòquidem foret *tentare Deum*, & petere ab eo ex præſumptione, aut nimia confidentia ſinè vtilitatis, ac neceſſitatis cauſa, vt miraculosè talem declararet Innocentem.

Secunda ratio ex Sacris Canonibus.

3 Probatur *Secundò* ex *cap. Conſuluiſti.* 2. *quæſt.* 5. vbi habetur: Non eſſe talibus medijs occulta crimina inueſtiganda, ſed tantummodò ſpontanea Delinquentis Confeſſione: Si verò dignoſci non potetunt, occulto Supremi Iudicis Tribunali punienda relinqui: *Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione, Confeſſionem extorqueri à quolibet, Sacri non cenſent Canones; & quod San-*

Eto-

ctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. Spontanea enim Confeſſione, vel Teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commiſſa ſunt Regimini noſtro iudicare. Occulta verò, & incognita, illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum. Ità Humberto Epiſcopo Moguntino, conſulenti de Infantibus, qui in vno lecto dormientes cum Parentibus, mortui reperiebantur, Vtrùm ferro candente, ſeù alio quolibet examine Parentes ſe purificare deberent, eos non oppreſſiſſe, Stephanus Papa V. reſcripſit.

Stephanus V.

Tertia ratio ex incertitudine talis probationis.

4 Probatur *Tertiò*: Quia talis probatio incerta eſt, & fallax, vndè argui non poteſt, delati criminis Reum eſſe, qui ignitum ferrum tangendo combureretur. Hanc probationem pro incerta quoque habuit Sanctus Iuo: Nàm *Epiſtola 74.* agens de hac ferri igniti purgatione, negat conuictum Adulterij Militem, cuius manu inuſta fuerat. *Canterium* inquit, *Militis nullum tibi certum præbet argumentum, cùm per examinationem ferri candentis, occulto Dei Iudicio multos videamus Nocentes liberatos, multos Innocentes ſæpè damnatos.*

S. Iuo.

Proponuntur, & Soluuntur Oppoſita Argumenta.

Primum argum.

5 SED OBIICITVR *Primò*: Licitum eſſe petere à Deo, qui eſt Suprema Veritas, ſignum aliquod, in teſtimonium Veritatis: ergo poterit, qui falsò crimine eſt accuſatus, petere à Deo, vt in ſuæ Innocentiæ teſtimonium, non permittat candenti ferro manum aduri.

Prima probatio antecedētis.

6 Antecedēs varijs exemplis Probatur, quorum PRIMVM ſit illud Serui Abrahæ, qui Vxorem ducturus Filio Domini ſui, petijt à Deo ſignum: *Puella, cui Ego dixero inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa reſponderit, bibe; quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quàm præparaſti Seruo tuo Iſaac, & per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam cū Domino meo. Geneſ. 24.*

Geneſ. 24

Secunda probatio Iudic. 6.

SECVNDVM eſt Gedeonis, *c. 6. Iudic.* qui Angelo, à quo audiuerat: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian*, reſpondens, ait *Da mihi ſignum, quòd tu ſis, qui loqueris ad me.* Sic quoque Abraham à Deo terram promiſſionis ei pollicente, ſignum petijt: *Domine Deus, vndè ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eā? Geneſ. 15.*

Geneſ. 15.

Tertia probatio eiuſdem antecedentis.

TERTIVM: Præcepit Dominus Achaz nolenti ſignum petere, vt peteret: *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum Inferni, ſiue in excelſum ſuprà Iſaiæ 7.* Ergo ſic quoque licebit ſignum à Deo petere, vt Innocentiam teſtetur, non permittendo, vt iniuſtè Accuſatus, ignitum ferrū tangens, vel ſuper ardentes prunas ambulans comburatur.

Iſaiæ 7.

Reſponſio ad primum argum.

Signum Deo petere non eſt ſimpliciter licitum ſed tantùm in aliquo caſu.

7 RESPONDETVR: Licitum eſſe à Deo ſignum aliquod humiliter petere, quandò tale ſignum, ſiue declaratio alicuius rei valdè vtilis ſit ad noſtram, vel aliorum Salutem: Item ad Dei voluntatem implendam; atque alia ordinaria media non ſuppetant; tunc vt dixi hoc agere liceret pro opportuna Inſtructione, ſicutì docet Gloſſa ſuper *cap. 6. Deuter.* quam allegat S. Thomas *quæſt. 97. art. 1. & 2.* Caietanus *ibidem.* Toletus, *lib. 4. cap. 19.* Sanchez, *lib. 2. Moral. cap. 34. num. 9.* Suarez, *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 2. nu. 12.* Laymann. *loc. cit. nu. 2.* At verò quandò nulla ſubeſt *cauſa*, aut neceſſitas talia ſigna petendi, tunc *non licet*; quandoquidem eſſet *interpretatiuè Deum tentare*: In caſu autem noſtro nulla ſubeſt neceſſitas, quia ſatis eſt, ſi de crimine, vel Innocentia conſtare poſſit per probationes Teſtium, & per Iuramentum, & alia huiuſmodi media ordinaria, & ſuauia, quibus adhibitis, ſi crimen, vel Innocentia innoteſcere non poterit, non debet ſe homo

Gloſſa. S. Thom. Caietan. Toletus. Sanchez Suarez. Laymann

candentis ferri periculo exponere, ſed *occulto Dei Iudicio*, vt Sacri loquuntur Canones, *quæ ſunt occulta*, relinqui debent.

Prima ratio ſoluitur.

8 *Ad Primam* autem Rationem deductam ab Exemplo Serui Abrahæ, Reſpondetur cum communi Doctorum, eum à peccato excuſandum eſſe; Siquidem verba illa ad Dominum dixit per modum orationis, atque haud dubiè *ex inſtinctu Diuino* ad oſtendendam magnam Dei miſericordiam, & prouidentiam circà Semen Abrahæ. Vide Abulenſem *ibidem*, & Suarez, *tom.1. de Relig. tract.3. lib.2. de Superſtitione cap. 10. num.7.* In noſtro igitur Caſu, quia Deus ſatis multa dedit legitima explorandæ Veritatis media, non eſt talis neceſſitas ad talia ſigna recurrendi, cum præſertim nullus adſit ſpecialis Spiritus Sancti inſtinctus, vel Iuſſio, ſeù reuelatio.

Abulēſis. Suarez.

Aliæ duæ rationes ſoluuntur.

9 *Ad Reliqua*. Gedeonem *peccaſſe* exiſtimat S. Thomas *loc.cit.* Sed Abulenſis, Lyranus, & Alij excuſant eum, ideò ſignum petijſſe, quia non ſatis cognoſcere poterat, vtrùm is, qui ſecùm loquebatur, à Deo miſſus eſſet. Aliter tamen hoc exponit Suarez *citato cap.2.* qui ait: Gedeonis petitionem, eodem modo à peccato excuſandam, ſicut illam Abrahæ; quia nimirùm ſignum à Deo petierunt; non quòd dubitarent, an Deus eſſet, qui loqueretur per Angelum; (vterque enim id ante agnouerat, ſicuti ex Textu colligitur) multò verò minùs dubitarunt, vtrùm Deus in dictis, aut promiſſis verax eſſet: ſed partim, vt Seipſos recordatione accepti Signi clarioris, tantò magis *confirmarēt*, partim etiam, vt populo tantò *certiorem fidem* facere poſſent. Et hac eadem ratione præcepit Deus Achaz, vt ſignum peteret.

Secundū argum.

10 OBIICITVR *Secundò*: Sæpè Deus tali purgatione Innocentiam manifeſtauit: ergo licita eſt. Conſequentia probatur, quia ſi illicita eſſet, non fuiſſet Deus cooperatus, nec manifeſta Innocentiæ Signa per tale medium oſtendiſſet. Antecedens multis patet euentibus, quos Hiſtorici fide digni deſcribunt; itàvt ambigendi locus non remaneat.

Primum exemplū. Leontius.

Scribit Leontius *in Vita B. Ioannis Eleemosynarij, menſe Iunio.* de Monacho quodam, qui vt Meretricem Porphyriam ſeruaret, & alicui cōmendaret Monaſterio, nihil veritus fuit eam ſecùm adducere, & proptereà in omnium irriſionem, & execrationem incidit, quaſi cum Meretrice conſueueſceret. Morbo tandem oppreſſus, vicinam præſentiens mortem, *thuribulum candentibus plenum carbonibus, coràm plurimis adferri iuſſit, acceptoſque in manibus carbones, ſuum effudit in ſinum*, omnibuſque audientibus dixit: *Benedictus Dominus, qui olim Rubum ſeruauit incombuſtum; Is mihi fuerit Teſtis fidelis, quod quomodò meas veſtes non attigit hæc, quæ eſt in igne vrendi vis, ità nec Ego attigi mulierem toto tempore Vitæ meæ.*

Cranzius. Secundū exēplū. Signo ferri candentis occultus criminis patrator deprehenſus eſt.

Scribit Cranzius *lib. 8. Vandal. c.30.* in Saxoniæ Oppido Vvittemburgo, excitati publici incendij crimen impactum fuiſſe cuidam, illumque, & Iureiurando, & candentis ferri Iudicio Se Innocentem probaſſe. *Cùm enim longo itinere ferrum candens manu retuliſſet, illudque in terram deieciſſet illæſus; ecce tibi ferrum ex omnium oculis fugit: ſed eo fermè anno exacto, cùm quidam alius, qui incendij conſcius erat, Silicibus viam publicam in Oppido pauiret, ferrum in arena abditum prodit, manumque validè amburit.* Mirantur omnes, & vomerem illum recognoſcunt, & Reum ad Iudicem abripiunt, qui quæſtione admota verum exſculpſit, & cruribus fractis Noxium rotæ impoſuit.

Tertium exemplū.

Adſcribam & aliud ex eadem è qua pleraque reliqua admirandorum fæcunda Cranzij vrna; De

Rol-

Signum candentis ferri adhibitum ad manifeſtandum furē.

Rollone Normandorum Duce, qui Robertus poſteà vocatus. Nouerat ſuos in latrocinia, furta, rapinaſque propendere: idcircò ſeueras de his leges tulit; quarum metu pollicens ſibi ſecuritatem omnium, iuſſit Ruſticos intrepidè ruſticani operis Inſtrumenta in agris relinquere.

Quidam ex Agricolis domum reuerſus ab importuna Vxore rogatus, cur Inſtrumenta non apportaret? Ducis præceptum obiecit. At illa *furtim ex agro Inſtrumenta ſubduxit, & abſcondit*, vt Maritum redderet cautiorem. Reuerſus Vir in agrum, vbi non reperit, quæ reliquerat, rem ad loci Præfectum defert: ille ad Ducem. Vocatus à Duce Ruſticus, pretium accepit amiſſorum. Iubetur Præfectus *ignis purgatione* adhibita, furem explorare. Primus conatus irritus fuit, nàm *ignis furem non prodidit*, licèt omnes Ruſtici ſubijſſent Scrutinium. Tùm Dux verſus ad Epiſcopum; Deus inquit Chriſtianorum, ſi eſt conſcius Secretorum, cur furem non prodit? Epiſcopus necdùm benè firmatum in Religione non corripuit: Sed cauſam prætendit, quia ignis nondùm furem attigiſſet. Iubetur diligentiùs inquirere Præfectus, etiam apud vicinas Villas. Nec ſic quiſquam repertus eſt. Vocatus à Duce Ruſticus, an cui indicarit rem in Agro eſſe, rogatur; Ille nemini, præterquàm Vxori dixiſſe reſpondit. Vxor quæſtionibus admota furtum fatetur. Tùm Dux Marito clàm vocato, ſciebas, inquit, Vxorem furacem eſſe, an non? Ille ſciebam, inquit: Cui Dux, cur ergo, aut non puniuiſti, aut non indicaſti? Ergo iuſſit ambos ſuſpendio necari. Et hac ſeueritate Legem ſanxit. Ità Cranzius *lib. 2. Norueg. cap. 27.*

Cranzius.

Quartum exemplū Cæſarius.

Quidam peſſimus Hippocrita, vt apud Cæſarium *lib. 10. mir. cap. 36.* legitur, peregrinationis pallio ſcelera contegebat. Is ab alio quodam nefario homine nummis cōductus, hoſpitis, à quo benignè habitus, *ædes incendio abſumpſerat*. Bis exceptus, bis pro gratia incendium immiſit. Tertius Dominus multos detulit, de quibus ſuſpicabatur; qui omnes expertes culpæ *candenti ferro* illæſi, ſe expurgarunt. Domo tertiùm ædificata, ferrum in quendam Domus angulum abiectum, iacebat. Venit poſt aliquod tempus Pſeudouiator ille, tertiò humanè excipitur. Videt ferrum, rogat, cui vſui? Audit ab hoſpite, quid illo actum. Quin, inquit, illo deinceps ad alios vſus vteris, nè iaceat otioſum? Simul *manu comprehendit*: ſed illud repentè *incanduit*, & manum validè aduſſit, ille cum eiulatu abijcit. Hoſpes admiratione perculſus, meritò ſuſpicatur, hunc bis exuſtarū ædium Reum. Ergo comprehenſum ſiſtit Iudici, Iudex equuleo. Faſſus omnia Incendiarius, in rotam agitur. Tàm admiranda ſunt Dei Iudicia.

Candenti ferro, occultus incendij auctor manifeſtatur.

11 AD HÆC, & ſimilia, quæ adduci poſſunt Exempla, ad oſtendendum ſæpè Deum, huiuſmodi Purgationibus rei Veritatem ſignificaſſe, Reſpondetur cum Delrio *lib. 4. Diſquiſit. Magic. q. 4. ſect. 3.* Laymann, & Alijs, id à Deo factum propter *ſimplicitatem* Innocentium, qui interdùm ad talem Purgationis modum compellebantur; ſicuti colligitur ex *cap. Sæpè contingit. 2. quæſt. 4.* Atque teſtatur S. Auguſtinus, *Epiſt. 134. ad Hipponenſes*, ad Sepulchra SS. Martyrum eiuſmodi Purgationes, aut commiſſorum criminum oſtenſiones, mirabilibus ſignis factas eſſe. Non valet igitur inferri ex eo, quòd olim admiſſæ fuerint huiuſmodi Purgationes, nunc quoque ſint admittendæ, præſertìm cùm per Sacros Canones, tàm apertè prohibeantur.

Reſponſio ad ſecundum arg.

Delrius.

Layman.

S. Auguſt.

12 OBIICITVR *Tertiò*: Deum præcepiſſe Moyſi *Num. 5.* Mulierem de Adulterio ſuſpectam, *purgari aquis amaris*, quibus ſi Rea eſſet, inflato ventre, fœmur computreſceret, ac

Tertium argum.

Num. 5.

Mu-

Mulier *in maledictionem*, *& in Exemplum eſſet omni Populo*.

Præterea olim apud Hæbreos, hauſtu aquæ, Idololatræ à veri Dei cultoribus dignoſcebantur. Ità B. Hieronymus t. *Reg. cap.6.* memorat his verbis: *Hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, &c. Hebrei tradunt, quòd coràm Domino in eandem aquam maledicta congeſta ſint: & ſicut in lege Mulier Zelotypa, hauſta aqua probabatur; ità & Idololatræ hac aqua probati ſunt. Hi videlicet, qui ſe Idola coluiſſe penitùs denegabant.* S.Hieron.

Pergit Hieronymus: *Tradunt etiam, quòd quicumque Idololatra hanc aquam guſtaſſet, labia eius ità ſibi adhærerent, vt nequaquàm ea ab inuicem Idololatra ſeparare poſſet. Hoc indicio Idololatra deprehendebatur, & interficiebatur. Quòd & ſequitia demonſtrāt in eo, quod ait:* Iudicauitque Samuel Filios Iſrael in Maphat. *Iudicare in hoc loco Idololatras, ſecundùm legem, morti tradere intelligendum eſt. Dicunt etiam, quod Moyſes hoc modo Idololatras, qui ſibi Vitulum fecerant probauerit; quando arripuit Vitulum, & combuſſit, & contritum vſque ad pulverem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum Filijs Iſraël.* Hæc Hieronymus. Idololatræ, aquæ ſigno à Fidelib. diſcrimi-nabantur.

13 Sed *Ad Primum* de poculo Zelotypiæ, quod præceperat Deus, Reſpondet Alexander Alenſis 3. *par. quæſt.45. memb.3.§.1.* Illam legem fuiſſe tantùm *permiſſiuam*, ſicut fuit lex de Libello repudij. Reſponſio ad primā rationem ex Scriptura. Alenſis.

Reſpondent Secundò Valentia, Delrius, Laymann. *loc. citatis*, & Alij, illud *Præceptum* fuiſſe *iudiciale*; itàque cum conſtaret tunc de Diuina Voluntate, Cui placebat per miraculum de crimine cognoſci. & veritatem ſic ſe indicaturum promiſerat Moyſi, licita erat, & expediens bono communi illius Populi talis purgatio. Nunc verò, cùm illud Præceptum abolitum fuerit, & de tali Purgationis modo, aliud nouum Diuinum Præceptum nobis non innotuerit, quinimmò per Sacros Canones ſit expreſsè prohibitum, non eo, ſed ordinario, & humano modo res eſt tranſigenda, aliòquin erit Dei tentatio. Secunda reſponſio ad eandē rationem. Valentia. Delrius. Laymann.

14 Ad id, quod aſſertur ex D. Hieronymo, Reſpondetur cum eodem Delrio *loc.cit.ſect.4.* D. Hieronymum id *non affirmare*, ſed tantummodò ex Hebræorum teſtimonio referre; ideòque libertatem nobis relinquere credulitatis. Si verò factum, *Deo iubente* factum à Moyſe eo tempore; Ex quo non poteſt inferri, nunc quoque ad manifeſtandam veritatem, tali medio vti licere. Reſponſio ad ſecundam rationem.

Reſponſio ad Secundam Quæſiti Partem.

15 AD SECVNDAM Quæſiti Partem, Reſpondetur: Non teneri Accuſatum, Iudici talem purgationem præcipienti obtemperare, cùm manifeſtum ſit hoc eſſe illicitum. Immò addo cum Laymann *loc.cit. num.5.* grauiter *peccaturum* Iudicem, ſi contrà Perſonam aliquam, tanquàm proditam eiuſmodi ſigno probationis, per aquam feruentem, ferrum candens, aut etiā ſanguinem ex Occiſi cadauere in hominis præſentia fluentem, &c. ad torturam, vel condemnationem, vel ſi non prodita videatur, idcircò ad abſolutionem eius procedat. Accuſatus ſubire non debet huiuſmodi purgationes.

16 Ratio eſt, quia Iudex in proceſſu contrà Reos, indicijs, ac probationibus vti debet, quæ *humano, ac naturali modo* deprehendi poſſunt: quales non ſunt effectus illi, quorum origo ſuperſtitioſa, vel ſaltem incognita nobis eſt. Qua eadem ratione *peccabit Iudex*, ſi procedat contrà Perſonas, quas malefici *per Diuinationem, Incantationem*, vel ſimilem *Illicitum modum* cognouerunt, & denuntiarunt; Quia non vtitur Indicijs humanis, aut naturalibus, ſed Diabolica reuelatione. Ratio, cur tales probationes non ſint adhibēdę.

17 Addit Delrius *loc. cit. quæſt.5. num. 5.* Iudicem, qui talibus proba-

tio-

Iudex tales probationes adhibé, quo modo poſſit conueniri?

tionibus vſus fuerit, poſſe ità conueniri *Actione*, vt poſſunt, qui *iniuſte* aliquem Carceri manciparunt *l. Nec Magiſtratib.* 32. *de Iniur.* Kirchou. *commun. opin. centur.* 5. *concluſ.* 30. Præterea, ſi Iudex his ſolùm indicijs motus, Reum torturæ ſubderet, *peccaret*, & teneretur actione Iniuriarum, etiamſi Reus in tortura non fateretur, quia iniuriam faceret *indebitè torquendo*, Vi indicij à Iure improbati. Quòd ſi Reus tormentorum Vi confiteretur, *confeſſio eſſet nulla*, quia Vi extorta: & *iudicium ex ea ſubſequutum nullum, & ſententia irrita*; ac proindè Iudex talem ſupplicio mortis afficiens, *homicidij Reus* eſſet coràm Deo, quia occideret, quem non habebat Ius occidendi.

Kirchou.

Confeſſio Rei in tali caſu, eſſet nulla.

Iudicium quoque, eſſet irritum.

QVÆSITVM IV.

An ſuſpectus de crimine cogi poſſit ad ſumendam Euchariſtiam pro Delicti, vel Innocentiæ manifeſtatione?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio negatiua, cum D. Thoma, Caietano, & Alijs.*

2 *Sacri Canones ſtatuerunt, talem purgationem adhibendam eſſe in Monaſterijs, quando contingeret furta perpetrari, vt fur deprehendi poſſet.*

3 *Idem decreuerunt in caſu, quo Epiſcopus, aut Presbyter, ſuſpectus haberetur de adulterio, furto, aut homicidio, vel ſimili aliquo delicto.*

4 *Gregorius VII. tali purgatione vſus eſt, vt publicè ſuam Innocentiam teſtaretur, eandemq; purgationem adhibere ſuaſit Henrico Imperatori, multis capitalibus criminibus accuſato.*

5 *Decreta hæc Summorum Pontificum, abrogata poſtmodùm fuerunt.*

6 *Concilium Vvormacienſe, quod talem purgationis formam inſtituit, non fuit vniuerſale.*

1 RESPONDETVR cum D. Thoma 3. *par. quæſt.* 80. *art.* 6. *in Reſponſ. ad* 3. Caietano, *ibi*, Valentia, *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 14. & Alijs, *Negatiuè*. Ratio eſt, quia Delicti, vel Innocentiæ exploratio fieri debet per media ordinaria, & ad humanum regimen apta; quibus adhibitis, ſi Veritas dignoſci nequiuerit, occulto Dei Iudicio relinquenda eſt. *Præterea* hoc eſſet *tentare Deum*, & occaſionem porrigere ipſi ſuſpecto, *ſacrilegè* accedendi ad Euchariſtiam. Siquidem nè eius crimen innoteſceret, non dubitaret quis ſceleſtus addere crimina criminibus, & quod patrauit delictum, ſacrilego ad Euchariſtiam acceſſu tegere.

Reſponſio negatiua.

Ratio.

2 Sed Obijcies, Per Sacros Canones 2. *quæſt.* 5. ſtatutum eſt, vt quandò in Monaſterio furta perpetrari contingeret, nec fur aliundè innoteſceret: tunc Fratres Sacra Communione ſe expurgare deberent: *Sæpè contingit, vt in Monaſterijs furta perpetrentur, & qui hæc committant ignorentur. Idcircò ſtatuimus, vt quandò ipſi Fratres de talibus ſe expurgare debuerint, Miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe Abbas præceperit, præſentibus fratribus: & ſic expleta Miſſa, omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini ſit mihi ad probationem hodiè.*

Obiectio.

In quo caſu permiſſum erat à Sacris Canonibus talem purgationem adhibere?

3 Præterea, idem ſtatuitur ibidem, agendum eſſe in caſu, quo Epiſcopus, aut Presbyter, tanquàm Adulter, Homicida, Fur, & Maleficus ſuſpectus haberetur: *Si Epiſcopo, aut Presbytero cauſa Criminalis, hoc eſt Homicidium, Adulterium, Furtum, & Maleficium imputatum fuerit; pro ſingulis Miſſam celebrare debet, & de ſingulis ſibi imputatis Innocentem ſe oſtendere. Quòd ſi non fecerit, quinquennio ad minùs, Eccleſiæ extraneus habeatur.*

4 Confirmatur plurimis Exemplis, ac præſertim Summorum Pontificum, qui ſuam Innocentiam, Sacram Euchariſtiam ſumendo teſtati ſunt, alioſque Reges, & Impera-

Gregorius VII. talẽ purgationem adhibuit.

to-

tores ad idem agendum inuitarunt. Inter quæ illud eſt, quod de Gregorio VII. Pontifice tàm Sanctò, quàm malis cunctis inuiſo; tàm Religioſo, quàm Hæreticis ſemper odioſo, deſcribitur à Lamberto Schaffnaburgenſi anno 1077. his verbis: Ità abſoluto eò (nempè Henrico Imperatore) ab Excommunicatione, Papa Miſſarum ſolemnia celebrauit, confectaque Sacra oblatione; Regem cum cætera, quæ frequens aderat, multitudine, ad Altare euocauit, præferenſque manu Corpus Dominicum: *Ego*, inquit, *iampridem à Te, tuiſque Fautoribus litteras accepi, quibus Me inſimulabas, Sedem Apoſtolicam per Simoniacam Hæreſim occupaſſe; & alijs quibuſdam, tàm ante Epiſcopatum, quàm poſt acceptum Epiſcopatum criminibus Vitam maculaſſe, quę Mihi ſecundùm ſcita Canonum, omnem ad Sacros Ordines acceſſum obſtruxerunt.*

Lambert. Schaff.

Et licèt multorum idoneorum certè Teſtium adſtipulatione, crimē refellere queam; eorum ſcilicet, qui omnem Vitæ meæ ab ineunte ætate inſtitutionem, integerrimè nouerunt, & eorum, qui meæ ad Epiſcopatum promotionis Auctores fuerunt.

Ego tamen, nè humano potiùs, quàm Diuino niti videar teſtimonio, vt ſatisfactionis compendio, omnem omnibus ſcandali ſcrupulum de medio auferam: *Ecce Corpus Dominicum, quod ſumpturus ero, in experimentum, mihi hodiè fiat Innocentiæ meæ, vt omnipotens Deus, ſuo me hodiè Iudicio, vel abſoluat obiecti criminis ſuſpicione, ſi Innocens ſum; vel ſubitanea interimat morte, ſi Reus.*

Ad eandē purgationem inuitauit Hēricum.

Hæc & alia, vt ſolemne eſt, præfatus verba terribilia, quibus Deum cauſæ ſuæ æquiſſimum Iudicem, & Innocentiæ Aſſertorem adeſſe precabatur: *Partem Dominici Corporis accepit, & comedit.* Qua liberrimè abſumpta, cùm Populus in laudem Dei, Innocentiæ eius congratulatus, aliquandiù acclamaſſet, tandem impetrato ſilentio, conuerſus ad Regem: *Fac ergo Fili*, inquit, *ſi placet, quod me facere vidiſti.* Principes Theutonici Regni, ſuis in dies accuſationibus aures noſtras obtundunt, magnā Tibi molē capitalium criminum impingentes; pro quibus non modò omni rerum publicarum adminiſtratione, ſed ab Eccleſiaſtica etiam Communione, & ab omnimoda Vitę ſæcularis conuerſatione, vſque ad extremum ſpiritum, Te ſuſpendi oportere, exiſtimant.

Petunt etiam magnoperè, diem, & locum ſtatui, audientiamque præſtari canonicè diſcutiendis, quas aduersùm Te adferant, accuſationibus. Et noſti optimè, humana plerùmque vacillare Iudicia, & in publicis diſceptationibus, nōnunquam falſa pro veris perſuaderi, dùm pro diſertorum hominum ingenijs, & dicendi copia, & ſuauitate, falſitas, verborum phaleris adornata, libenter auditur; & veritas nullis eloquētiæ nixa adminiculis, contemnitur.

Quomodò ſuaſit Henrico, Sacram Euchariſtiam ſumere?

Cùm ergo Tibi benè conſultum cupiam, pro eò quod in calamitatibus tuis, ſupplex Apoſtolicæ Sedis patrocinium expetiſti, fac quod moneo. Si Te Innocentem noſti, & exiſtimationem tuam ab æmulis tuis, per calumniam falſis criminationibus impeti, libera compendioſè, & Eccleſiam Dei ſcandalo, & Teipſum longæ concertationis ambiguo, & *Sume hanc reſiduam partem Dominici Corporis:* vt comprobata, Deo teſte Innocentia tua, obſtruatur omne os aduersùm Te iniqua garrientium; & Me deinceps cauſæ tuæ Aduocato, & Innocentiæ tuę vehementiſſimo Aſſertore, Principes Tibi reconcilientur, Regnum Tibi reſtituatur, omnes, quibus iamdiù Reſpublica diuexatur, Bellorum Ciuilium tempeſtates in perpetuum ſopiantur. Ad hæc ille, inopinata re attonitus, *æſtuare, tergiuerſari:* &c Sequitur narrare Hiſtoricus, quopacto experimentum hoc Innocentię

Noluit Hēricus tali pacto ſe purgare.

ſuę facere detrectarit Henricus, &c. Ex quibus omnibus ſequitur, Innonocentiæ, ſeù Criminis manifeſtationem, fieri poſſe per Euchariſtiæ ſumptionem.

Reſponſio ad argum D.Thom.

5 Verùm ad hæc Summorum Pontificum, ſeù Geſta, ſeù Decreta, reſpondet D. Thomas *loc. ſuprà cit.* Decreta illa fuiſſe *abrogata* per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa, *Ferri candentis*, vel aquæ feruentis Examinatione, Confeſſionem extorqueri à quolibet, Sacri Canones non concedunt: Spontanea enim Confeſſione, vel Teſtium approbatione, publicata delicta commiſſa ſunt regimini noſtro iudicare: *Occulta verò, & incognita, illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda Filiorum hominum.* Et idem habetur: *Extra de Purgationibus, cap. Ex tuarum. In omnibus enim talibus, eſſe videtur Dei tentatio.* Vndè ſinè peccato fieri non poſſunt, & grauius videtur, ſi in hoc Sacramento, quod eſt inſtitutum ad remedium ſalutis, aliquis incurreret Iudicium mortis: Vndè *nullo modo Corpus Chriſti debet dari alicui ſuſpecto de Crimine, quaſi ad Examinationem.* Hæc S.Doctor.

Decreta illa ab alijs contrarijs decretis fuerũt abrogata.

Occulta delicta à ſolo Deo eſſe iudicāda.

Caietan.

6 Conſentit cum D. Thoma Caietanus *in Commentarijs eiuſdem artic.* vbi, Nota, inquit, quod Decreta illa, quæ Corpus Chriſti, quaſi ad Examinationem ordinarent, *non fuerunt per Concilia Vniuerſalia facta*, ſed fuit Concilium *particulare* (nempè Concilium Vvormacienſe Prouinciale) & proptereà non eſt mirum *ſi errauit*. Meritò igitur ſublata aliquandò fuit hæc Purgationis forma, eò quòd *ſuſpectus* non eſt danda Euchariſtia, *cap. Dilecti. de purgat. Canonic. cap. Tribus. de Conſecration. diſtinct. 2.*

QVÆSITVM V.

Vtrùm aliquis ad purgandum ſe de obiectis contumelijs, dicere poſſit Contumelioſo, *Mentiris*?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio affirmatiua cum communi ferè Theologorum, ac Iuriſperitorum ſententia.*

2 *Verbum illud, Mentiris, medium eſt vtile, ac neceſſarium ad euitandum graue damnum à Contumelioſo illatum.*

3 *Non redditur illicitum ex eo, quòd graue damnum contineat Criminatoris.*

4 *Obijcienti Deo infamia mendacia, licitum eſt dicere, Mentiris.*

5 *Coràm Iudice probari poteſt, talem Contumelioſum fuiſſe mentitum, & dari opera, vt puniatur.*

6 *Contumelioſum non licet vulnerare ob illatam contumeliam.*

7 *Licitum non eſt Contumelioſo dicere, Tu mentiris, quandò leuiora verba ſufficiunt ad iniuriam propulſandam: Veritas in tali caſu, debet modeſtè aperiri, abſque Contumelioſi Iniuria.*

1 AFFIRMATIVE' Reſpōdetur cum Sà, *verb. Infamare, num. 4.* Aragonio, 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 3. *concl.* 3. Valentia, *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 16. *punct.* 3. Sayro, *lib.* 12. *Clauis Regiæ, cap.* 4. *num.* 12. *& ſeqq.* Felino, *in cap. Dilexiſti num.* 10. *de except.* Pitigiano, *in Pratic. Crim. Canon. in* 3. *Subſtant. Iud. cap.* 4. Peregrino, *quæſt.* 3. *De Duello num.* 1. *ver. Quartò. & nu.* 6. *ver. Quartum.* Soto, *lib.* 5. *de Iuſt. & Iur. quæſt.* 9. *art.* 3. *paulò ante reſponſionem ad* 1. Zacharia Paſqualigo, *in Deciſion. Moral. deciſ.* 437. *num.* 3.

Reſponſio affirmat.

Sà.

Aragon.

Valentia.

Sayrus.

Felinus.

Pitigian.

Peregrin.

Sotus.

Paſqualig.

Conſentiunt in hoc cum Theologis Iuriſperiti, qui licitum eſſe aſſerunt, ſecundùm Ius Ciuile, dicere

Contumelioſo, *Mentiris*. Idque deſumitur *ex l. Quæ omnia.* ibi, *Dicat Dominum mentiri*. & infrà. *Ferendus pudorem ſuum purgans.ff.de Procuratoribus.* & *l. Qui cum.* ibi, *Si ab eo petitus retorſit, ignoſcendum eſt ei, ſi voluit ſe vleiſci prouocatus.ff. de bonis libert.* & tradit Bartholus, *in l. Quæ omnia.num.* 1. *ff. de Procur.* Farinacius, *in Prat. Criminal.par.2.quæſt.*125.*de Homicidio,par.* 7.*§*.4.*num.*526. Baldus, *Conſil.*45. *per totum, lib.* 4. quem ſequitur Franciſcus Corona, *apud Criſpolitum in Caſibus Militarib. poſt. caſ.*12.*num.*12. *ſui voti*. Rationemque afferunt li præcitati Doctores; quia dicere Contumelioſo, *Mentiris*, non eſt aliud, quàm Vim Vi repellere.

Barthol. — Farinac. — Baldus. — Franc. Corona. — Criſpolit.

2 Probatur hæc Reſponſio Varijs rationibus à varijs Theologis; Mihi tamen illa magis arridet, quam affert Hurtadus, *vol.2.de Spe,& Char. diſp.*170.*ſect.* 14.*§*. 118. Quia nimirùm verbum illud, *Mentiris*, eſt de genere obiectorum, quæ ſunt Priuatis prohibita, niſi ad propulſandum graue, & proportionatum damnũ, quod alius iniuſtè nobis conatur inferre, quando alia ratione illud non poſſumus fugere: de quorũ obiectorum genere ſunt etiã vulnera, & cædes: ſed vulnera, & cædes nõ ſunt illicita, quando ſunt media per ſe vtilia, & neceſſaria ad propulsãdum damnũ iniuſtum: ergo in eo euentu, quo aliquis falſis criminibus, & contumelijs impeteretur, *licitum eſſet ei* verbum illud, *Mentiris*, adhibere ad ſe purgandum.

Ratio. — Hurtad.

Quod clarè patet expendendo ſingula. Primùm, illud verbum eſt *per ſe vtile*; quia ſi quis tibi obijciat, te eſſe latronem, falſitas eius criminis oſtenditur per ſe verbo, quod ex ſe inſtitutum eſt ad ſignificandas res, vt à nobis concipiuntur.

Dicere Tu mentiris, eſt mediũ vtile ad iniurias propulſandam.

Item ad oſtendendum te alienum tunc eſſe à furto, vt illud nullo fundamento, ſed ſola prauitate tibi potuerit obijci verbum, illud eſt *per ſe vtile*; *Mentiris* enim ſignificat, Contumelioſum dixiſſe rem aliter, ac illam ſentit: Ergo eſt medium per ſe vtile. Quòd autem ſit *neceſſarium* hoc ſupponitur ex ipſo caſu, quo aliquis non poſſet aliter ſe tunc purgare, niſi dicendo Contumelioſo, *Mentiris*.

An ſit etiã medium neceſſarium?

3 *Sed dices:* Verbum illud continet graue damnum accuſatoris falſi, qui apud alios malè audiet de mendacio: ergo licitum non eſt tali verbo vti ad repellendam Contumeliam.

Difficultas.

Reſpondetur: Me non teneri tale graue damnum vitare Criminatoris, *cum graui meo damno*, illi proportionato: Sicut de vulneribus, & morte patet; ille enim non habet Ius, vt à me illi conſeruetur Fama, quandò illa vtitur iniuſtè ad meam detrahendam.

Solutio.

4 Confirmatur allata ratio ex Hurtado *loc.cit. §*.119. *Primò* tali pacto: Quandò *Blaſphemus* obijcit Deo infamia Mendacia, cuilibet Priuato licet illi dicere, *Mentiris*; quandò alia ratione non poteſt conſuli honori Dei: quam actionem dicit Sotus, pertinere ad Virtutem Religionis: ergo illa verba non ſunt tàm *intrinſece mala*, comparatione hominis Priuati, quin aliquandò exuentia malitiam, induant honeſtatem.

Alia ratio. — Hurtad.

5 Confirmatur *Secundò*: Ego poſſum *coràm Iudice* probare licitè, illum hominem fuiſſe mentitum, & dare operam, vt puniatur pro Mendacio, & Contumelia: ergo licet mihi *auctoritate priuata* illi obijcere hoc crimen, quandò eſt medium *per ſe vtile, & vnicum*, ad eleuandam maculam, quam ille mihi adſperſerat iniuſtè.

Vltima ratio.

6 Fateor autem, inquit Hurtadus, Contumelioſum non poſſe à me vulnerari propter Contumeliã; quia vulnus inflictum, nõ eſt *medium per ſe vtile* ad oſtendendam meam Innocentiam, & Calumniam Accuſatoris: *Mentiris* autem eſt medium aptum. Quod quidem ego non

Contumelioſum an liceat vulnerare?

obij-

obijcio in pœnam, hæc enim non licet Priuato. Neque obijcio, vt illum deturpem; eſſet enim conuicium. Illa autem verba ſunt Contumelia *phyſicè*, non verò *moraliter:* abſolutè autem non ſunt Contumelia; quia hæc vox accipitur in ſenſu mali moralis, vt de Occiſione dicitur, quæ quandò eſt in Defenſionem Inculparam, non eſt abſolutè *Homicidium*, quàmuis ſit *phyſicum Homicidium*, ideſt hominis necatio: Ità Ille.

In quo caſu non liceat dicere, tu mẽtiris?

7 Animaduertendum tamen eſt, quòd quandò verbis *minùs aſperis* poteſt Iniuria depelli, non licet Cõtumelioſo dicere, *Mentiris*. Ratio eſt, quia quandò grauius damnum Proximi, ad noſtra dámna propulſanda, ſimpliciter neceſſarium non eſt, non poſſumus licitè illud eligere: ſed dicere Contumelioſo, *Mentiris*, in caſu poſito, eſſet grauius damnum, & non neceſſarium: ergo licitè non poſſet eligi.

Quid faciẽdum, cùm non eſt neceſſarium dicere, tu mentiris.

In eo autem euentu, ſi Contumelioſus det locum, vt tàm ipſe, quàm audientes doceantur Veritatem, ea eſt aperienda modeſtè: vel Contumelioſo dici poteſt, eum ab alijs eſſe deceptum, aut quid ſimile. Exemplo Chriſti, qui à Phariſæis malè audiens: *Nonnè bene dicimus nos, Samaritanus es tu, & Dæmonium habes. Ioann. 8.* Reſpondit: *Ego Dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum.*

Ioann. 8.

QVÆSITVM VI.

An licitè poſſet aliquis Se de obiectis crimininibus purgare, obijciendo viciſsim alias contumelias, & vera crimina Contumelioſo?

SVMMARIVM.

1 *Obijcere non licet Contumelioſo alia crimina, quæ non ſunt neceſſaria ad eius auctoritatem obterendam, nec cenſentur vtilia ad propulſationem iniuriæ ab ipſo illatæ.*

2 *Poſſet obijci contumelioſo aliud verum crimen, quandò neceſſarium eſſet, vt Adſtantes crederent, illum fuiſſe mentitum.*

3 *Idem quoque aſſeritur, ſi Contumelioſi crimina eſſent publica.*

Reſponſio negatiua. Sotus.

1 NEGATIVAM Sententiam tuetur Sotus, *lib. 5. de Iuſt. & Iur. quæſt. 9. art. 3. paulò ante reſponſionem ad 1.* vbi ait: Non licet Contumelioſo obijcere crimen, quod *impertinens eſt* ad obterendam eius auctoritatem, ſed illud prorsùs, quod ad id eſt neceſſarium: vt ſi dicam, eum eſſe hominem mendacem, & ad eius confirmationem patefaciam aliqua eius mendacia, vt in eo, quod mihi impingit, defringatur ei fides. Si autem me appellat Concubinariũ, non licet mihi eum appellare Latronem, ſicut neque Ius eſt percutientem repercutere. Hæc Sotus.

Hurtad. Ratio, cur id non liceat.

Concordat cum Soto Hurtadus, *2. 2. diſp. 170. ſect. 14. §. 120.* vbi pariter aſſerit: Non licere contumelioſo obijcere alia crimina, quæ non ſunt per ſe vtilia ad depulſiõnem Iniuriæ: Siquidem non tàm eſſet *Defenſio*, quàm *Vindicta*; Defenſio enim eſt *per media*, & *vtilia*, & *neceſſaria*. Quapropter ſi integer cõſeruetur Honor, obiecto ſolo mendacio Accuſarori, non poteſt obijci crimen aliud.

In quo caſu liceat aliquod aliud crimen obijcere?

2 Quòd ſi Adſtantes non ſunt credituri illum eſſe mentitum, *poteſt illi obijci* aliud crimen, ex quo Adſtantes facilè credant, illum eſſe mendacem. Quia noui criminis obiectio *eſt vtilis, & neceſſaria* ad tuendum honorem; Ità Hurtadus *loc. cit.* Hoc autem intelligo, *dummodò ſit verum; & non falsò impactum crimen;* in quo nonnulli indiem decipiuntur.

Paſqualig. 3 Addit Paſqualigus *in Deciſion. Moral. deciſ.*438. *num.*3. idem quoque ſentiendum eſſe, quandò crimina Contumelioſi ſunt ità *publica*, vt iàm eius famam apud communem conceptum denigrauerint; quia tunc ſi obijciantur, non læditur in honore, ſed tantùm quadam obiectione ſuæ ipſius turpitudinis *retunditur audacia*, qua profert verba Contumelioſa, & oſtenditur Adſtantibus, quòd verba ipſius nihili ſint facienda, tanquàm illius, qui nullius eſt exiſtimationis.

QVÆSITVM VII.

An ſi alicui obijcerentur vera crimina, ſed occulta; liceret ei ad Se purgandum, dicere Contumelioſo, *Tu mentiris?*

SVMMARIVM.

1. *Reſponſio affirmatiua: An reuera ſit mendax Contumelioſus obijciens vera crimina, ſed occulta?*
2. *Sacerdoti reuelanti crimina, quæ audiuit in confeſſione, licitum eſt dicere, Tu mentiris.*
3. *Cur Sacerdos in tali caſu eſſet mendax?*
4. *Qui aliquid reuelat, quod ſciuit mediante ſecreto naturali, poteſt etiam, vt mendax redargui.*
5. *Idem quoque aſſeritur de eo, qui euulgando aliquod delictum, mortaliter peccat, etiamſi talis euulgatio eſſet ſine contumelia.*

RATIO dubitandi eſt; quia Contumelioſus in caſu poſito, reuera nō eſſet Mendax, cùm vera crimina obijceret, ac proindè inferretur Ei Iniuria, ſi diceretur, *Tu mentiris*: Quapropter licitum non eſſe videtur.

1 Reſpondetur tamen *affirmatiuè* cum Hurtado, *vol.*2. *de Spe, & Char. diſp.*170. *ſect.*14. *§.*121. & Paſqualigo, *in Deciſion. Moral. deciſ.*440. qui etiam citat Bañes 2.2. *quæſt.*64. *art.*7. *dub.*4. *verb. Ad argumenta*. Ratio eſt, quia talis Contumelioſus, reuera eſſet *Mendax*: nàm loqueretur aliter, ac ſentiret: Sentiret enim crimina illa, vtpotè occulta, non eſſe vulganda, & tamen ea euulgaret. Hæc autem Doctrina in Tribus Caſibus locum habere aſſerit Hurtadus, quorum — *Reſponſio affirmatiua. Hurtadus. Paſqualig. Bañes.*

2 Primus eſt, Si Contumelioſus nouit crimen per *Confeſſionem Sacramentalem*, quam Sacerdos audiuit, aut etiam Interpres, aut quiſuis alius, tunc licitum eſſet dicere ei, *Tu mentiris*. — *Primus caſus, in quo licita eſt talis purgatio.*

3 *Sed Dices*, Eo verbo ſignificari, Contumelioſum eſſe Mendacem, quod illi non poteſt obijci. — *Sacerdos in tali caſu, an reuera ſit mendax?*

Reſpondetur: Confeſſario atteſtante me peccatum commiſiſſe, & falſum Confeſſione Sacramentali, poſſum ego *Iuramento* aſſeuerare, illum *Mentiri*: non quòd exiſtimem illum dicere factum aliter, ac ſentit illud contigiſſe, ſed quia illud dicit *aliter, ac ſenſit eſſe dicendum*; conſtat enim, Confeſſarium teneri ad illud tacendum.

4 Secundus Caſus eſt, in quo licitum eſſet dicere Contumelioſo, *Tu mentiris*; quandò tuum crimen ſciuit ipſe *Secreto naturali*, vt ſi ab illo cōſilium petiuiſti, promiſſo priùs ſecreto naturali; licet enim non ſit illius tàm ſtricta obligatio, quàm Sacramentalis; tamen ſatis eſt ad eum obligandum, vt in ea occaſione taceat. — *Secundus caſus: quādò ſcilicet interuenit ſecretum naturale.*

5 Tertius eſt, in quo etiam liceret dicere *Mentiris*, quandò crimen ità eſſet *occultum*, vt Contumelioſus *peccaret mortaliter* in illo euulgando, quàmuis euulgatio eſſet ſinè Contumelia; tunc enim verbum — *Tertius caſus, in quo licita eſt talis reſponſio.*

illud

illud *Mentiris*, ſignificaret, me illud crimen non admiſiſſe, vt ab alijs ſcitetur.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm ad Criminis occulti, vel Innocentiæ Manifeſtationem, liceat Sortibus vti?

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit Sors, iuxtà D. Thomæ Definitionem?*
Triplex eſt ſors, Diuiſoria, Conſultoria, & Diuinatoria.
2 *Reſponſio negatiua: nempè illicitum eſſe vti ſortibus, ad occulta crimina indaganda.*
3 *Adducuntur varia Teſtimonia ex Scriptura, de Ijs qui iudicio ſortium, occulta delicta indagarunt.*
4 *Cur in veteri lege iudicium ſortium fuerit licitum, nunc autem prohibitum?*
5 *Licitum eſt Iudicio ſortium remittere, quinàm ex Reis ſit puniendus, quandò delicta ſunt manifeſta, nec expedit Reipublicæ, vt omnes Rei puniantur.*
6 *Iudicium ſortium, in praxi quandoque eſt redactum:*
Vt tale Iudicium ſit licitum, requiritur, vt Sortientes ſint pares in delicto.
Tempore naufragij, quinàm ſit è naui eijciendus, an liceat ſorte dirimere?
7 *Proponuntur nonnulli alij caſus ex D. Auguſtino, in quibus licitum eſt Iudicium Sortium.*

CVM Duellum Purgatiuum ad communẽ rationem Sortium accedat, vt inquit D. Thomas, 2.2. quæſt.96. art.6 *in fine* (D.Thom.) Ideò de illo acturi Sectione ſequenti, nonnulla hic de Sortibus, prout ad rem noſtram pertinent, breuiter explanabimus. Pro quibus

1 Suppono ex D. Thoma *citato art. in corp.* Sortes propriè dici, cùm aliquid fit, vt eius euentu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat. (Sortis definitio.) Et quidem ſi quæratur *Iudicio Sortium* (inquit D. Thomas) quid cui ſit adhibendum, ſiue illud ſit Res poſſeſſa, ſiue ſit Honor, ſiue Dignitas, ſeu Pœna, aut actio aliqua, vocatur *Sors Diuiſoria*. (Diuiſio ſortis.) Si autem inquiratur, quid agere oporteat, vocatur *Sors Conſultoria*. Si verò quæratur quid ſit futurum, vocatur *Sors Diuinatoria*. Quòd autem quærimus in præſenti eſt, An ſi alicubi commiſſum eſſet v. g. Furtum, aut Homicidium; nec humanis inditijs poſſet Fur, vel Homicida deprehendi, liceret ad Sortes recurrere, itàvt ille, ſuper quem iniqua Sors caderet; tanquàm Furti, vel Homicidij Reus conuictus haberetur?

2 RESPONDETVR cum eodem D. Thoma *loc. cit.* Caietano *ibidem*, aliiſque Theologis communiter: *Illicitum eſſe occulta crimina indagare Iudicio Sortium*. (Reſponſio negatiua. Caietan.) Quòd Probatur, quia talis Manifeſtatio, vel expectaretur à Deo, vel à Dæmone, vel à Caſu, & Fortuna: (Ratio.) Si à Deo, eſſet *Dei tentatio*; quandoquidem peteretur à Deo, vt manifeſtaret Reum occultum, aliquo ſigno extraordinario, quod vtique prohibitum eſt; Siquidem ſpontanea confeſſione, vel Teſtiũ approbatione, publicata Delicta, habito præ oculis Dei timore, iudicanda ſunt; *occulta verò, & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum*; vt benè ait Stephanus Papa, *in Decret.* 2. *quæſt.*5. *cap. Conſuluiſti.* Si verò talis Manifeſtatio à Dæmone expectaretur; nulli dubium eſt, quin prohibitum eſſet, tali pacto ſortibus vti, & Sortilegij Crimen committeretur. Si tandem à Caſu, & Fortuna, eſſet fallax. Vide D. Thomam, & Caietanum *loc. cit.*

3 Sed Obijcies. In Veteri Teſtamento Deum præcepiſſe Ioſue, vt Iudicio Sortium Furem deprehenderet, eumque puniret: *Accedetiſque mane ſinguli per Tribus veſtras, & quamcumque Tribum Sors inuenerit, accedent per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domuſque per viros, & quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua, quoniam præuaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſraël. Ioſue 7.* Ioſue 7.

1.Reg.14. Sic quoque 1.*Reg.*14.Saul Sorte deprehendit filium ſuum Ionatham mel comediſſe: *Et ait Saul, mittite Sortem inter me, & inter Ionatham filium meum, & captus eſt Ionathas.* Tandem Ionas etiam à facie Domini fugiens, Sorte deprehenſus eſt, & in Mare deiectus: *Et dixit Vir ad Collegam ſuum: Venite mittamus Sortes, & ſciamus quarè hoc malum ſit nobis. Et miſerunt Sortes, & cecidit Sors ſuper Ionam. cap.1. Ionæ.* Ionæ 1.

Solutio argumenti. In veteri lege permittebantur ſortes.

4 Reſpondetur ad hæc, & ſimilia Veteris legis, Sortium Iudicia, eo tempore permiſſa fuiſſe; quandoquidem ſic rei veritatem indicare promiſerat Deus; nunc verò nulla adeſt Diuina promiſſio; quinimmò multæ latæ ſunt Canonicæ Prohibitiones; Vndè *in Decret.*2. *cauſa* 26. *quæſt.*5. *Can.*7. habetur ex Leone IV. ad Epiſcopos Brittanniæ: *Sortes quibus cuncta Vos in Veſtris diſcriminatis Iudicijs (quod Patres damnauerunt) nihil aliud, quàm Diuinationes, & Maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omninò damnari, & inter Chriſtianos vltrà nolumus nominari; & nè exerceantur, ſub anathematis Interdicto prohibemus.*

Sortium vſus in quo caſu licitus?

5 Quàmuis autem non liceat per Sortes, occulta crimina indagare; licet tamen vbi *crimen* iàm *manifeſtum* eſt, & aliundè non expedit Reipublicæ, omnes eo tempore Delinquentes punire, tunc Sortes mittere; itàvt illi, ſuper quos Sors ceciderit, capite plectantur, ac reliqui dimittantur impunes.

6 Hinc praxi receptum eſt in Militia, vt quandò plures ſunt Rei, Sorte videatur, quis necandus, quis liberandus; ſed tunc ſeruandum eſt, vt ſit *par Sortientium Reatus*, alioquìn iniqua eſt Sortitio, quòad minus Nocentes; vt adnotauit Leſſius, *lib.*2. *de Iuſt. cap.*43. *dub.*9. *num.*58. Delrius, *lib.*4. *cap.*4. *quæſt.*1. Sanchez, *lib.*2. *cap.*38. *num.*60. Laymann, *lib.*4. *tract.*10. *cap.*3.*num.*8. Leſſius. Delrius. Sanchez. Layman.

Similiter ait Delrius, in certo periculo communis Naufragij, niſi aliqui Nauigantium in Mare proſiliant, vel eijciantur; ex communi conſenſu *Sorte* dirimi poſſe, quinàm exilire debeant: quod etiam docet Ioannes Maior *in* 4. *diſt.*15. *quæſt.*22. *§. Quartò dubitatur. & quæſt.*50. *in fine.* Maior. Neque enim id eſt *Seipſum occidere*; ſed Nauis qualecumque ſubſidium mortis euadendæ, deſerere: Sicuti, ſi aliquis tabulam, qua ex naufragio emergere poſſet, derelinquat, vt digniori obueniat.

Aliud Dubium.

Sed Dubium eſt, An ſi aliqui Nauigantium in Sortitionem *conſentire nolint*, quid tunc agendum ſit?

Reſpōſio.

Reſpondet Maior: Tales ab alijs *in Mare eijci poſſe*: quod verum eſt (inquit Laymann) ſi illi Sortitionem *impedire* conantur; tunc enim *Vim iniuſtam* inferunt, contrà quam alij ſe defendere poſſunt, Vitæ plurium ſeruandæ cauſſa. Si verò non impediant Sortitionem, ſed conſenſum dumtaxat abnuant, tunc ipſis etiam inuitis, Nauarchus, vel in eius defectum Nauigantes reliqui Sortiri poſſunt, & Sortis euentum exequi: de qua re Sanchez *loc. cit. num.*62.

D. Auguſtinus, in quo caſu Sortium vſum permittat?

7 Licet etiam, vt inquit Auguſtinus *in Epiſt.* 180. *ad Honoratum.* Si inter Dei Miniſtros fit Diſceptatio, qui eorum perſequutionis tempore maneant, nè fuga fiat omnium; & qui eorum fugiant, nè morte omnium deſeratur Eccleſia, ſi hæc Diſceptatio aliter non potuerit ter-

mi-

minari, quantùm mihi videtur, *Qui maneant*, & *Qui fugiant*, *Sorte eligendi ſint*.

Cuinam danda ſit eleemoſyna, ſorte iudicandũ

Et idem Auguſtinus ait *in lib.* 1. *de Doctrin. Chriſt.cap.*28.*tom.*3. Si cui abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent, nec duobus dari potuiſſet, ſi tibi occurrant duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel vrgente aliqua neceſſitate ſuperaret, nihil iuſtius faceres, quàm vt *Sorte eligeres, cui dandum eſſet*, *quod dari vtrique non poſſet*. Plures alios Caſus ponunt Doctores, quibus licitum eſt ſortibus vti, quos vtpotè ad rem noſtram non pertinentes, tacitus prætereo. Nobis, ex dictis colligere ſufficiat, *Illicitum eſſe Sortes adhibere ad occulta Crimina indagenda*.

SECTIO II.

DE PRIMA DVELLI SPECIE

HOC EST,

De Duello Purgatiuo.

HÆC eſt Prima Duelli Species, iniquæ Parentis, iniquiſſima Soboles; malæ arboris, peſſimus fructus; quæ eò perniciosior fuit, quò antiquior; eò crudelior, quò communior; eò deteſtabilior, quò Innocentiæ pallio tecta, vbique terrarum ſibi aditum patefecerat. Inter vulgares Probationes, hoc Purgatiuum connumeratur Duellum, quandoquidem impia Vulgi conſuetudine committi ſoleret: Purgatiui ſibi nomen vſurpauit, quippequo Suſpicionis Maculæ purgandæ erant. Sed reuera, nouæ potiùs contrahebantur, quàm contractæ delerentur: Telorum, gladiorumq; acies, non ad ſignatos iàm iniuriæ caracteres obliterandos, ſed ad nouos altiùs imprimendos dirigebantur: Aperta vulnera, occulta magis pandebant Crimina, quàm Innocentiam teſtarentur; effuſuſque vltrò citròque ſanguis, potiùs Innocentiæ Candorem fœdare, quàm Reatus Sordes mundare poterat. Hinc meritò factum eſt, vt Chriſtiano ex Orbe eliminaretur Purgatiuũ Duellum, quod quàmuis Luce clarior ſit, operæ tamen pretium eſt, rem iſtam pluribus examinare, Quæſitis. Ideò ſit

QVÆSITVM I.

Quid ſit Duellum Purgatiuum?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur, ac explicatur Duelli purgatiui definitio*.

2 *Aſſeruntur plures rationes, cur Duellum purgatiuum fuerit appellatum, Iudicium*.

Quidam cenſent, fuiſſe ſic appellatum, quia in eo diuinum Iudicium expectabatur.

3 *Iuxtà Ioannem de Lignano, dictum fuit Iudicium, eo quod fieret ad modum Iudicij contentioſi*.

4 *Quinàm ex Gentilibus, & qua de cauſa conſueuerint, purgatiua Duella committere?*

5 *Enumerantur ex Alciato plures caſus, in quibus permittebatur, purgatiua Duella committere*.

6 *Pro Mulieribus, Quinàm conſueuerint, certamen ſuſcipere*.

7 *Poſſeſſori malæ fidei, licitum erat, ſuam cauſam tueri Duello*.

RE-

Definitio Duelli purgatiui.

1 RESPONDETVR, Duellum Purgatiuũ eſſe Singulare Certamen, quod committitur, vel ad eruendam alicuius rei Veritatem, vel ad alicuius criminis Purgationem inducendam. Ità colligitur ex *cap. Monomachiam.2. queſt.5. & de Purgat. vulgar. cap. 1. & 2.* & ità communiter explicant Doctores, atque communis loquendi vſus obtinuit. Per hoc, quod ſit *Singulare Certamen*, conuenit genericè cum cæteris ſpeciebus: per hoc autem, quod tendat ad Criminis, vel Innocentiæ Veritatem indagandam, à cæteris diſtinguitur Speciebus, quarum ſingulæ ſuis diuerſis cauſis finalibus ſpecificantur.

Explicatio prædictæ definitionis.

Cur Duellum purgatiuũ dictum fuerit Iudicium?

2 Inuenio hoc Duellum ab Aliquibus appellatum *IVDICIVM*, eò quod in tali Certamine *Iudicium Dei* expectaretur; cùm enim naturaliter ſequi non poſſet, quod ex Duellatoribus Noxius ſuccumberet alteri Innocenti, propterea quodammodò *Dei Iudicium* expectabatur, quò ſignificaretur, illum innoxium eſſe, ad quem Victoria inclinaret. Vide Nicolaum de Lyra *lib.1. Reg. cap.17.* ibi, Audita ſunt autem verba, quæ loquutus eſt David: Henricum, *Quodlibeto 9. queſt. 23.* Caietanum, *2.2. queſt.95. art.8. circa ſolutionem ad 3.* Siluestrum, *verb. Duellum*, Delrium, *lib.4. Diſquiſit. Magic. cap.4. queſt.4. ſect. 2.* & alios DD. qui ſparſim in ſuis Voluminibus de Duello meminere.

Lyranus. Henricus. Caietan. Silueſter. Delrius.

3 Alij, teſte Ioanne de Lignano, *in Tract. de Duello, cap. Circa ſeptimum. n.1.* & Iacobo de Caſtillo, *cap.1.* appellarunt Duellum *IVDICIVM*; nõ quòd à Deo rei manifeſtatio expectanda eſſet, ſed quòd fieret ad formam *Iudicij contentioſi*: nàm ſicut in Iudicio contentioſo (inquit Ioannes de Lignano) ſunt *Actor, & Reus, Iudex, & Instrumenta* inſtruentia, per quæ largo modo ſumpta, pro quibuſcumque cauſam inſtruentibus, vt *l.1. ff. Si inſtru.* fit Veritatis declaratio, vt feratur diffinitiua Sententia: ſic in Duello ſunt *Actor, & Reus*, puta *Prouocans*, & *Prouocatus*, *Iudex*, Inſtrumenta, vtpotè arma, quibus ſe inuicem percutiunt. Nàm ſicut in Iudicio contentioſo, quis alium conuincit Teſtibus, Scripturis, Confeſſionibus, vt *de reſtit. Spol. cap. Cùm ad Sedem*. Sic in Duello quis Armis corporalibus vincit, vt ſicut in primo, qui eſt conuictus, eſt in caſu condemnationis: ſic à ſimili conuictus in hoc ad ſimilitudinem illius Iudicij contentioſi, ſit & ipſe in caſu condemnationis.

Io. de Lig. Iacob. de Caſtillo.

4 Porrò, quàmuis antiquitùs quibuſdam Gentium moribus hoc Purgatiuum Duellum receptum fuiſſet; non tamen omnibus in criminibus illud committere licitum erat, ſed ſolummodò in aliquibus, iuxtà diuerſarum Gentium mores. Et quidem varij enumerantur Caſus, in quibus apud Longobardos iuxtà Ciuiles eorum leges, Purgatiuum Duellum committi permitteretur: Ipſi enim quoties coràm Iudice integra probatione defectus quiſquam eſſet, atque aliquid ad plenam intentionis Fidem Prætori faciendam deeſſet, Duellum concedebant; dùm tamen, qui rem Pugna decidi petebat, *iureiurando* ſanxiſſet, *non dolo malo, nec calumniæ cauſa* eò confugere, ſed quòd aliter, quàm *Diuino Iudicio*, rei geſtæ Veritas erui non poſſet.

Apud Lõgobardos, in quo caſu permittebatur purgatiuũ Duellum?

5 Enumerat Alciatus varios Caſus, nimirùm: *Si læſæ maieſtatis* Reus non quiſquam delatus eſt; *Si Homicidium* quis intra induciarum tempus feciſſet, vel *Parricidium* cauſa hæreditatis adipiſcendæ: *Si Incendiarium*, vel *Periurum*, vel *Depoſiti*, quod non minus viginti aureis cenſeatur, *Abnegatorem*; vel falſi documenti *Confectorem*, violentumue *Compulſorem*, vel Rei à Seruo tuo ſubreptæ, *Receptatorem* dixero: Si Parentis, cuius hæres extitiſti, *æs alienum* diſſolue-

Quænam fuerint cauſæ cõmittendi purgatiui Duella?

re nolueris, *ſi Cuculum* me, aut *Adulterum*, aut Vxoris tuæ *Attrectatorem* prædicaueris.

Pro mulieribus, Quinam Duellum ſuſcipebant?

7 *In mulieres* quoque huiuſmodi prouocationi co-iure locus eſt, Certamenque pro eis *Propinquiores* ſuſcipiunt, aut quos ipſæ in hac re ſibi *Aduocatos*, honoriſque Propugnatores conſtituunt. Si enim *Maritus* Adulteram Vxorẽ dixerit, pugnandum eſt; quod, & ad quemlibet extraneum porrigitur. Idem, ſi necem Mariti eam procuraſſe aſſeueretur.

Alij caſus, in quibus committebatur Duellum?

Contrà *Seruum* quoque, qui in libertatem prouocauerit, aſſertionis Iudicium arbitratu Domini, per Duellum definitur.

7 Sed & ſi malę Fidei *Poſſeſſorẽ* te dixero, licebit tibi ſi quinquennio poſſederis, vel Sacramento tuam cauſam tueri, vel Duello. Quod ſi de dominio, poſſeſſioniſque acquiſitione ambigatur, & vterque priora iura prætendat, tunc quoque ſingulari Certamini locus eſt. Idem, cùm vtrinque *Teſtes* in Iudicio producti contraria, confuſaque aſſeuerant. Vide Alciatum *in Tractat. de Duello cap. 4.* vbi alias ſuſcipiendi Purgatiui Cauſas Duelli, varias apud Nationes viguiſſe recenſet.

Tom. 6. Variorũ Doctorum. Apud Alios tom. 12.

QVÆSITVM II.

Vtrùm Duellum ad Delictum purgandum, ſeù ad Innocentiam probandã, vel ad Veritatem manifeſtandam, ſit licitum?

SVMMARIVM.

1 *Duellum ad delictum purgandum, ſeù ad Innocentiam probandam, &c. eſt intrinſecè malum, & ab Eccleſia damnatum.*

2 *Illicitum eſt, cadem humanam eligere ad eum finem, ad quem de ſe eſt inutilis.*

3 *Duellum tali fine commiſſum, eſt de ſe fallax argumentum ad declarandam veritatem, ac Iuſtitiam alicuius cauſæ.*

4 *Cruentum Duellum Ius Naturæ, ac Gentium peruertit.*

5 *Duellatoria Victoria, nullam habet connexionem cum veritate, ac Iuſtitia cauſæ, ob quam Duellum committitur.*

Duellatoria victoria, non eſt inditium Dei voluntatis, oſtendentis victoris Iuſtitiam.

6 *Quid circà hoc ſenſerit Caietanus?*

7 *Duellum huiuſmodi non ſolùm malum, ſed etiam pernicioſum eſt ex ſuo genere.*

1 RESPONDETVR, Duellum eo modo ſumptũ, eſſe *intrinſecè malum*, & ab Eccleſia damnatum, vt patet ex *cap. Monomachiam 2. quæſt. 5. extrà de Purgat. vulg.* Ità communiter aſſerunt Theologi cum D. Thoma 2.2. *quæſt. 96. art. 8. ad 3.* Et eſt in duplici Specie malitiæ, nempè Homicidij, & Irreligionis, ſeù Diuinationis. Reſponſio negatiua. D. Thom.

2 *Ratio* eſt, quia in tali Duello eliguntur cædes humanæ ad finem, ad quem ſunt *per ſe inutiles:* ergo in eo reperitur *malitia Homicidij*. Siquidem, cædes hominis eligi non poteſt, niſi ſit neceſſaria ad finem aliquem maioris momenti; qui cæde illa comparari poteſt: cædes autem inutilis ad finem, non eſt neceſſaria: ergo eius electio eſt *intrinſecè mala*, propria ſua malitia. Quòd autem tales humanæ cædes inutiles ſint ad finem, in tali Duello intentum, Probatur, quia illa Pugna nullam habet connexionem cum Criminis veritate, aut falſitate: ergo eſt inutilis ad illum finem: quia ſi Pugna peracta, res adhùc manet anceps, quid profuit Pugna ad Veritatem eruendam? Ratio. In tali Duello reperitur malitia homicidij.

3 *Præterea* Probatur: Ad de-

Secunda ratio.

Tale Duellum, eſt medium fallax ad oſtendendam veritatem, &c.

clarandam Veritatem, & Iuſtitiam cauſſæ, vti *medio* ſuapte natura *fallaci*, & quod ſæpenumero palàm falſitati, & iniuſtitiæ ſuffragatur, cōtrà Viri boni, & Sapientis officium eſt: Sed Duellum quocumque nomine (niſì fortè Deo iubente) ſuſceptum, apertè cauſſæ deteriori, nō minùs quàm meliori fauet, cùm in eo non rarò is occubuerit, cuius erat cauſſa iuſta, & qui ſolus Innocens erat, vt pluribus conſtat Exemplis, ac præſertim *ex cap. Significantibus. de purgat. vulg.* vbi refert Innocentius III. Spoleti accuſatum furti hominem Innocentem, & duos eius fratres Duello cecidiſſe ab Accuſatore falſo, poſteà verò volente Numine, apertè probata eſt Accuſati *Innocentia*: ergo Victoria Duelli non pendet à veritate delicti, ſed aliundè.

Innocent. III.

Tertia ratio.

Duellum huiuſmodi eſt contra ius naturale.

4 *Tandem*, Ius Naturæ, & Gentium hoc præſcribit, vt *Innocens* abſoluatur, & *Nocens* puniatur: Sed ſæpè cruentum Duellum, hoc omne Ius peruertit, cum Sonti, & Indignò Vitam addicit, & Innocenti eripit: ergo per ſe Duellum eſt periniquum.

Arguit.

5 Sed Dices, Victoriam per ſe non pendere à Veritate, ſed ex voluntate Dei vtentis Victoria ad Veritatem oſtendendam, quod pluribus patet Exemplis, tàm in Veteri, quàm in Noua lege.

Solutio.

Victoria Duellatoris, non oſtendit iuſtitiam eius cauſæ.

In tali Duello interuenit tentatio Dei:

Reſpondetur, Eadem ratione, qua Victoria non pendet à Veritate, ſed à Iuſtitia cauſſę Duellatorum, ideò *illicitum* eſſe Duello vti ad Veritatem manifeſtandam, quia id eſſet *tentare Deum*, nec fas eſt vti *medio* tàm *pernicioſo*, & *indifferenti*, nullamque habente cōnexionem cum Veritate cauſſæ, niſì apertè in ſua lege, diſpenſante Deo, atque atteſtante, Se vti velle tali medio ad Veritatem aperiendam; vt contigit in varijs Caſibus, qui in argumento poſito, eueniſſe ſupponuntur. Nunc autem, nec talis Diuina Diſpenſatio, nec Permiſſio eſt, immò Canonica Prohibitio omnibus comperta eſt: ergo non licet Duello vti ad Veritatem manifeſtandam.

6 Hæc omnia paucis explicantur à Caietano 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 8. vbi de Duello Purgatiuo loquens, ait: Huiuſmodi *Duellum*, licèt, vt in litera dicitur, magis accedat ad rationem *Sortium*; *malum* tamen eſt *ex ſuo genere Sortilegium*, quia in propria ratione claudit repugnantiam ad rectam rationem, ſcilicet, inducere in Teſtimonium, quod non eſt Teſtimonium: quoniam conſtat habentes Ius ſuccumbere quandòque in Duello, vt patet *in cap. Significantibus. extrà, de purg. vulg.* Caietan.

7 Nec ſolùm huiuſmodi Duellum eſt malum ex ſuo genere, vt Mendacium; ſed etiam eſt *pernicioſum ex ſuo genere*, quia contrà rectam rationem eligit vterque percutere Proximum, & contrà rectam rationem, Vita vtriuſque ex propoſito exponitur Mortis, & vulnerum periculo cum *Dei tentatione*, & Diuini fit *vſurpatio Iudicij*, & Diabolica inuentio adimpletur.

Huiuſmodi Duellū purgatiuū pernicioſum eſt ex ſuo genere.

QVÆSITVM III.

An ſi quis Innocens ab Iniquo Iudice damnaretur, vt vel in Duello pugnaret ad obiecti Criminis Purgationem, vel Mortem ſubiret, liceret Ei Duellum acceptare?

SVMMARIVM.

1 *Præmittuntur aliqua pro Quæſiti explicatione.*
2 *Prima reſponſio, abſolutè aſſerens, illicitum eſſe, tale Duellum acceptare.*

Se-

3 *Secunda Reſponſio diſtinguens, nempè licitum eſſe tale Duellum acceptare contrà Nocentem, & iniqui Iudicis Miniſtrum, ſecùs contrà Innocentem.*

4 *Tertiæ Sententiæ affirmatiuæ adhæret Auctor, aſſerens licitum eſſe in tali caſu, oblatum Duellum acceptare.*

5 *Acceptare non licet Duellum ex praua illa intentione, qua offertur à Iudice, nempè ad Veritatem manifeſtandam; ſed ſolùm ex animo ſe defendendi.*

6 *Duellum tali pacto acceptatum, non eſt intrinſecè malum, nec contrà Ius naturale.*

1 PRÆMITTIMVS Innocentem poſſe Vim pati, vel ab Iniquo Iudice, qui illum condemnaret, vt vel in Duello pugnaret ad obiectum *crimen purgandum*, vel, vt mortem certò ſubiret: poſſe etiam Vim pati Innocētem ab Iniuſto Accuſatore, à quo ad Purgatiuū Duellum prouocaretur. Hæc duo valdè diuerſa ſunt: *Primum* ad præſentem pertinet Sectionem, *Alterum* ad Octauam, vbi de Quarta Duelli Specie, hoc eſt, de Duello Criminalis, aut Ciuilis litis terminatiuo agendum erit.

Prima ſententia negatiua. Hoſtiēſis. Goffredus. Roſella. Silueſter. Henricus. Abulenſis. D. Anton. Tabiena. Armilla.

2 RESPONDENT *Primò* Negatiuè ad Quæſitum Hoſtienſis, Goffredus, Roſella, quos refert, & ſequitur Silueſter, *verb. Duellum. quæſt.*2. Henricus, *Quodlibeto.*5.*qu.*32. Abulenſis, 1. *Reg. cap.*17. *quæſt. vlt.* D. Antoninus, 3. *par. tit.*4. *cap. vlt.* §. *vlt.* Tabiena, *verbo Duellum, qu.*3. *num.*4. & *ibi* Armilla *nu.*5. Qui omnes aſſerunt, *illicitum* eſſe Innocenti tale Duellum acceptare. Quod probant, quia Duellum ad Veritatem eruendam, eſt *intrinſecè malum*; vt diximus ſuperiori Quæſito. Deindè, quia Innocens illo Iniuriam minimè patitur ab eo, cum quo pugnaturus eſt, ſed à *Iudice*. Non ergo ei licet acceptare Duellum cum eo Tertio verè Innocenti, ac eius Vitam periculo exponere.

Secunda ſententia diſtinguēs. Layman.

3 RESPONDET *Secundò* Laymann, *lib.* 3. *Sect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *c.* 5. *de Duello*. Diſtinguendum tali pacto eſſe: Vel is, contrà quem Duello certandum eſt, *Nocens* ſit, & Iniqui Iudicis tanquàm Miniſter, vel Satelles; ac proindè locum habeat Ius naturale defenſionis, tanquàm *contrà Aggreſſorem*, & ſic quidem *licere*: Vel is, contrà quem Duello certandum eſt, *Innocens* ſit; & tunc non apparere, quo Iure, Duello congredi liceat. Ponamus enim, inquit, duos in criminis falſam ſuſpicionē veniſſe, iiſque optionem dari, vt vel mortem ſubeant, vel Duello congrediantur: arbitror confligere non poſſe, cùm per ſe, atque intrinſecè malum ſit ad Innocentis occiſionem aggredi.

Tertia ſententia affirmatiua. Angelus. Toletus. Nauarra. Caietan. Leſſius. Valentia.

4 RESPONDENT *Tertiò* Alij: *Licitum* eſſe Innocenti huiuſmodi *Duellum* acceptare, quorum probabiliorem Sententiam, Ego quoque amplector. Ità Sentiunt Angelus, *verbo Duellum. num.*2. Toletus *lib.* 5. *Summæ cap.*6. *num.*32. Nauarra, *lib.*2. *de Reſtitut. cap.*3. *in* 2. *par. dub.*13. *in noua editione num.*295. & videtur approbare Caietanus, 2.2. *quæſt.*95. *art.* 8. *circà ſolutionem ad* 3. *ſtatim in princ.* Leſſius, *lib.*2. *cap.*39. *num.*4. & Valentia dicit non eſſe improbabile, 2.2. *diſp.*3. *quæſt.*17. *punct.*1. *colum.*3. *verſic. Ponunt etiam.* Et rationem reddit, quia licèt Innocens non patiatur Iniuriam ab illo Tertio, cum quo ei offertur Duellum, ſed à Iudice; videtur tamen habere tunc Ius, vt aduersùs Iudicis iniuriam nitatur per incertùm Duelli periculum, euitare certam aliòqui mortē, etiam cùm Tertij detrimento. Quādoquidem *plùs Seipſum*, quàm illum in eo caſu *diligere* poteſt: eò vel maximè, quòd iniquus Iudex Tertio illo, tanquàm Inſtrumento vtatur ad exequendā iniquam mortis Senten-

tiam, quòad vnam eius partem.

In quo caſu liceat acceptare tale Duellū?

5 Hæc Sententia probabilior Mihi videtur: Illud autem adnotandum cenſeo, Innocenti non licere tale Duellum acceptare, ea *praua intentione*, qua offertur à Iudice, ſcilicèt ad Veritatem manifeſtandam; ſed ſolùm *intentione ſe defendendi*, nempè, vt certam mortem, acceptato periculoſo Duello, euadat. Sicque ea potiùs eſt Defenſio, quàm Pugnę ex condictò Acceptatio.

6 Ad Primæ Sententiæ Argumenta, ex dictis iàm patet Reſponſio: Cuilibet enim, Ius Naturæ tribuit, ſuam Vitam tueri, ac Vim Vi repellere.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Princeps duobus Reis Capitis Supplicium commeritis, mutuum Duellum indicere poſſit: & nùm Reis acceptare licitum ſit, ea conditione, vt Victor tanquàm Innocens abſoluatur?

SVMMARIVM.

1 *Ratione Scandali illicitum eſt, Reis Capite Damnatis Duellum indicere.*

2 *Cur Iudex extrà Duellum, poſſit ex duobus Reis, vnum alterius Carnificem decernere, non autem in Duello?*

3 *Reo licitum eſt huiuſmodi Duellum ſibi oblatum acceptare ad propriam Vitam ſaluandam; præciſo tamen odio contrà alterum Duellatorem.*

RATIO dubitandi eſt, quia Princeps poteſtatem habet puniendi Reos, eiſque Vitam donandi; ex quo ſequi videtur, poſſe Principem decernere, vt ex duobus Reis, alter in alterum tâquàm Carnifex inſurgat in Duello, ſicuti extrà Duellum hoc agere poſſet.

Reſponſio negatiua. Maior. Comitol. Azorius. Layman.

1 Reſpondetur tamen *ad Primam* Quæſiti Partem cum Maiore, *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 23. §. Quartò argumentor.* Paulo Comitolo, *lib. 6. Moralium Reſponſ. quæſt. 16. num. 12.* Azorio, *tom. 3. lib. 2. cap. 5. quæſt. 7.* Laymann, *lib. 3. Sect. 5. tract. 3. part. 3. c. 5.* Quòd licèt ſecundùm ſe, & ſpeculatiuè rem æſtimando, non videatur id alienum à Iure Naturali, cùm id aliud non ſit, quàm vtrumque Reū in alterutrum Iuſtitiæ Miniſtrum decernere, vt iuſtam mortis Sententiam in ipſum exequatur, ei autem qui præuenerit Vita condonetur; attamen *ob adiunctas circumſtantias* non vacare periculo *Scandali*; quarè neque expediens, *neque licitum eſſe*.

Solutio rationis dubitandi ſupra poſitæ.

2 Ad Rationem autem dubitandi, Reſpondetur cum Comitolo *loc. cit.* poſſe quidem Principem, ex duobus Reis, alterum alterius Carnificem decernere extrà Duellum; non verò fas eſſe, vnum aduersùs alterum armare in Duello. *Ratio* diſparitatis eſt, quia vt *Carnifex*, tunc eſſet Miniſter Legis, & Principis in necando altero, & bono conſuleret publico, & Iuſtitiæ ſatisfaceret; *In Duello* autem non pro Iuſtitia, ſed potiùs *pro Iniuſtitia* pugnaret: non pro communi cauſa, atque vtilitate, ſed *pro ſua* dumtaxat *Vita*, priuatoque bono, quo non parùm publicum læditur bonum; præſertim cùm fieri poſſit, vt *nequior*, & qui magis *perniciosus* futurus eſt Reipublicæ, Vitam retineat, minùs noxio ſublato. Quæ omnes circumſtantiæ conſideratæ illicitam reddunt huiuſmodi Duelli permiſſionem.

An Reis liceat huiuſmodi Duellū acceptare?

3 Ad *Secundam* Quæſiti Partem, Reſpondetur cum Azorio *loc. cit.* Poſtquàm Princeps eiuſmodi facultatem Duello decertandi Reis con-

ceſſit, licitum videri id *acceptare*, non ex odio, ſed tùm publicæ Iuſtitiæ Zelo, tùm propriæ Vitæ ſaluandæ cauſa. Ità etiam Laymann, *loc. citato*.

QVÆSITVM V.

Vtrùm quandò Illicitè ſuſcipitur Purgatiuum Duellum, Illicita ſit etiam illa Conditio, nè aliquis ex Circumſtantibus alterutri ex Duellantibus opem ferat.

SVMMARIVM.

1 *Tenentur Adſtantes ex Charitate, impedimentum aliquod præbere Duellatoribus, nè dimicent.*
Tenentur etiam proſtrato in Duello opem ferre, nè ab Aduerſario interficiatur.

2 *Vulnera, ac etiam mortem inferre poſſunt Adſtantes Duellatori, qui ab oppugnando non deſiſtit, ac ſuum Aduerſarium, ad necem vſque impetit.*

3 *Aſſignatur ratio, cur teneantur Adſtantes, Ei qui prævalet in Duello, reſiſtere, ac Proſtrato opem ferre.*

Adſtantes cohibere tenentur Duellatores.

Quid in caſu, quo alter è Duellatoribus prævalet?

1 RESPONDEO, *Illicitã* eſſe talem Conditionem: ex lege enim *Charitatis*, ſi commodè, & abſque diſcrimine fieri poſſit, tenentur Adſtantes impedimentum aliquod præbere Duellatoribus, nè Duellum committant; ſic etiam, ſi Duellatorum alter inter pugnandum humi procumberet, tenentur Cæteri, Proſtrato opem ferre, nè ab Irruente Inimico trucidetur.

Sed dubium eſt, quid agendum ſit in eo euentu, in quo Duellator, qui viribus, armiſque prævaleret, nollet à Duellando deſiſtere, niſì alteri Duellatori necem inferret: Liceretnè Adſtantibus *Ipſum occidere*, cùm non poſſent aliter Duellum dirimere?

2 Reſpondetur, ſi Inimicus ipſe ab oppugnando deſiſtere nolit, donec Aduerſarium neci tradiderit, poſſe Adſtantes illi vulnera, immò & mortem inferre. Ità Petrus à Nauarra, *lib.2. de Reſtit. num.* 299. Sanchez, *lib.2.cap.39.num.*17. Filliucius, *tom.2. tract.29. cap.*8. *num.*156. Hurtadus, *de Spe, & Char. vol.2.diſp.*170. *Sect.*19. *§.*158.

Nauarra. Sanchez. Filliucius Hurtadus

Ratio, cur prævalenti, tali modo reſiſtere licitum ſit Adſtantibus.

3 *Ratio* eſt, quia Victor *nullum Ius habet* ad victum Inimicum occidendum; & ſi quod Famæ, vel Honoris detrimentum, vel iacturam paſſus eſt, ſibi illud parta Victoria reparauit. *Deinde*, ſi tunc Is, qui iam victus eſt, occumberet, *in æternum periret*, cùm lethalis peccati macula fœdatam haberet Animam, niſì fortè diuinitùs veræ Contritionis lacrimis obortis, Conſcientiæ labes detergere poſſet.

Altera ratio.

Sic etiam, quia propter contractam Duellando *Excommunicationem*, Eccleſiaſtica *Sepultura*, cæteriſque militantis Eccleſiæ ſubſidijs, ac ſuffragijs careret. Quæ omnia detrimenta, quicumque poteſt à Proximo ſuo, ſi iniuſtè inferantur, auertere tenetur.

Victus Duellator, habet rationem Innocentis.

Vndè, cùm in caſu poſito, Victus Duellator, quòad tot diſcrimina ſubeunda, rationem habeat *Innocentis*; proindè ſi reſiſtere nequeat, erit ab Adſtantibus adiuuandus, vt imminens, & Vitæ, & Animæ diſcrimen euadat. Ac proindè etiam Armis abigendus erit Victor, ſi reſtiterit: qui ſi reſiſtendo occumberet, Ipſi, & non Adſtantibus eſſet mors imputanda.

SECTIO III.

DE QVAESITIS IN ORDINE

Ad Secundam Duelli Speciem,

HOC EST

Ad Duellum oſtentatiuum Virium.

QVÆ Militari diſciplina floruerunt, atque in dies florent Reſpublicæ, neceſſarium ſemper eſſe duxerũt armis exercere Adoleſcentes, vt clangente hoſtili claſſico, ad ſubita Belli pericula excurrerent, ac Victoriam referrent. Siquidem, vt cum Caſſiodoro loquar, *Ars bellandi, ſi non præluditur, cùm neceſſaria fuerit non habetur. Diſcat Miles in otio, quò proficere poſſit in Bello.* Ideòque varia Ludorum General, ſeù potiùs vmbratiles inſtituerunt Pugnas, quibus ſimul, & vires exercerentur, & ad arma accenderetur Iuuentus, & adſtanti Populo aliquid oblectamenti daretur. Verùm quia ſæpiſſimè huiuſmodi Ludicra exercitamenta in Funera deſinunt; quæque cum lætitia, & plauſu inchoantur, in luctum terminantur, & planctum; quodque ad vires exercendas eſt inſtitutum, ad eaſdem debilitandas potiùs conuertitur, vt experimento comprobatum eſt in varijs Tauriludijs, cruentis Torneamentis, atque Haſtiludijs, in quibus, vt cætera prætercam, *ſexcentos vna die caſos fuiſſe Torneatores,* Germanorum Hiſtoriæ teſtantur. Quapropter cùm de Duello Virium Oſtentatiuo, Sectione ſequenti dicturi ſimus, nonnulla hìc de huiuſmodi Ludis ad Oſtentandas Vires adinuentis, breuiter ſunt præmittenda. Ideò ſit

Caſſiod. lib. 1. epiſt. 40.

QVÆSITVM I.

An licita ſint Tauriludia, ſeù Ludicra Duella cum hominibus, & Tauris inita? & An qui ea permitterent, vel ſpectarent, peccatum committerent?

SVMMARIVM.

1 *Apud Romanos viguit olim vſus pugnandi cum Belluis. Cateræ nationes, à Romanis hunc pugnandi morem didicerunt.*

2 *Nauarri Sententia fuit, huiuſmodi luſus agitationis Taurorum, eſſe peccatum mortale; licèt poſteà hanc ſententiam retractauerit.*

3 *Plurium peccatorum occaſionem præbent huiuſmodi ludi.*

4 *Iure Canonico prohibita ſunt Torneamenta, & qui in illis moritur, priuatur Eccleſiaſtica ſepultura.*

5 *Aſſeruit deinde Nauarrus, huiuſmodi agitationes, de ſe non eſſe peccatum, ſi cum moderamine, ac debita cautela fiant.*

5 *Ex Auctoris Sententia, non interuenit lethale peccatum in huiuſmodi Tauriludijs, ſi fiant abſque periculo mortis, mutilationis, aut grauis vulneris.*

7 *In moderata Taurorum agitatione, ceſſat omne detrimentum, ac periculum, ratione cuius illam Summi Pontifices prohibuerunt.*

8 *Etiam Torneamenta, quæ cum moderamine fiunt, in Sacris Canonibus permittuntur.*

9 *Huiuſmodi moderata agitationes ferarum, etiam poſt Pij V. Conſtitutionem, licitè exercentur.*

10 *Imminente periculo mortis, grauis*

vulne-

vulneris, aut notabilis detrimenti, illicitum eſt Taurıludia exercere, ſpectare &c. & in tali caſu locum habet diploma Pij V.

1 CÆTEROS inter Ludos ad oſtentandas vires, Populorumque obleҫtamenta ſuſceptos, Ludus hominum cum Belluis frequentiſſimus olim erat, atque apud Romanos, magna Populi frequentia, ac Pugnantium pernicie in dies committi ſolebat in Circo, & Amphiteatro, quò omne Ferarum genus induci moris erat, vt humano ſanguine ſitim explerent, hominumque cadaueribus ſatiarentur.
Saluianus Quapropter Saluianus, *lib. 6. In Spectaculis*, ait, *deliciarum genus eſt, mori homines, impleri Ferarum aluos humanis carnibus, cum Circumſtantium voluptate. Atque, vt hoc fiat Orbis impendium eſt.*
Petron. Et Petronius, *in Satyr.*

Quæritur in Syluis Mauris Fera, & vltimus Ammon
Afrorum excutitur, nè deſit bellua dente
Ad mortes pretioſa ſuas, premit aduena claſſes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Vt bibat humanum Populo plaudente cruorem.

Ex Romanis hunc peſſimum cum Belluis pugnandi morem hauſerunt variæ Nationes, non ea tamen Ferarum frequentia, nec quouis tempore, ſed ſolummodò ſtatis anni temporibus, & cum Tauris; quapropter Dubium eſt, An tales Pugnæ licitæ ſint.

Prima ſententia. 2 Prima Sententia fuit Nauarri
Nauarrus. *tom. 2. de 3. præcept. Decal. cap. 15. nu. 18.* vbi ait: Se olim interrogatum Madriti, vbi Curia Regia reſidet, An Luſus agitationis Taurorum ſit peccatum mortale, reſpondiſſe ſequentia; in hæc verba.

Primum: Ante ſeptuaginta annos, ſe coràm Confeſſario Compluti accuſaſſe, quòd cùm eſſet adhuc puer illius Academiæ Scholaſticus, Taurorum agitationis Spectaculo interfuiſſet.

Secundum: Quòd quia tunc viderat duos, aut tres homines à quodam Tauro feroci immaniter dilaniari, ſtatuerat nunquàm ampliùs eorum agitationis Spectaculo intereſſe, & ita nunquàm ampliùs interſuerat.

Tertium: (verba ſunt Nauarri) Quod ab hinc viginti, & triginta annis libenter ſubſcripſiſſem prædictam agitationem *eſſe peccatum mortale*. Tùm quia ſic audiueram à Præceptoribus meis Pariſienſibus, qui celeberrimæ illius Academiæ Complutenſis fundamenta iecerunt. Tùm quòd in Gallis non ſolent ſic agitari, cuius rei cauſa non eſt, quam aliqui exiſtimant, ſcilicet quod ſint cicures, & manſueti: noſtra enim ætate Tholoſæ quædam Vaccha, quam Prædiues quidam Burgenſis, Hiſpanico more, in amplo ſuæ domus pauimento agitare fecit, ipſummet aſcenſis aliquot ſcalarum gradibus interfecit. *An lethale peccatũ interueniat in huiuſmodi agitationibus.*

3 Tùm quòd eiuſmodi agitationis Spectaculum multorum peccatorum ſuperbiæ, vanægloriæ, luxuriæ, gulæ, iræ, & aliarum ſpecierum occaſionem præbet. Tùm quòd illiciti ſunt ludi, in quibus, vt plurimùm occiſiones, & magna vulnera contingunt, qualia in hac agitatione contingere videntur. Tùm quia, vt ille Capitaneus Ioannes ab Azpilcueta dicere ſolebat, in his Taurorum agitationis ludis: *Viros magis ad fugiendum hoſtem, quàm ad ſpectandum ſeſe aſſueſacere*, ob idque nunquàm huiuſmodi ludis intereram. *Ratio cur ſit graue peccatũ.*

4 Tùm quòd Torneamenta *Iure Canonico* prohibentur *cap. 1. & 2. de Torneamentis*, adeòvt, qui in illis moritur, quàmuis Confeſſus, & Sacra Communione munitus dece- *Altera ratio ex eo quod prohibita ſint Torneamenta;*

dat, non ſit *in Sacro loco* ſepeliendus; & agitatio Taurorum, Torneamentis ſimilis videtur: Ergo de ea idem erit Ius *l. Illud. ff. ad l. Aquil.* His argumentis permotus Nauarrus, illicita eſſe putabat huiuſmodi Tauriludia.

Taurorũ agitatio, in quo caſu licita?

5 Verùm mutata deindè Sententia, aſſeruit Nauarrus: *Agitationem Taurorum cum Moderamine, & debita Cautela, de ſe non eſſe peccatum: Sanctiſſimam tamen fore legem, quæ illam prohiberet, quoniam raró debita Cautela, & Moderamine exercetur.*

Auctoris ſententia.

Dupliciter iniri poſſunt Tauriludia.

6 Mihi tamen diſtinguendum eſſe videtur tali pacto. Vel enim huiuſmodi *Tauriludia* inirentur *abſque probabili periculo* mortis, mutilationis, aut cuiuſuis notabilis detrimenti: Vel *periculum* adeſſet in eo ludo mortem ſubeundi, aut lethalia vulnera ab irruente Tauro accipere. *Si Primum*, non eſſe ea illicita, nec Pugnantes, Pugnamue Spectantes, aut Pugnæ locum concedentes, fore lethali peccato obnoxios. Ità ſenſit idem Nauarrus *loc. cit. num. 21.* vbi relato Diplomate à Pio V. contrà Tauriludia edito, limitat Diploma illud, locum non habere in agitatione Taurorum, vel aliarum Ferarum, ità *moderata*, vt probabiliter credi poſſit, eam non conſequutura notabilia nocumenta perſonalia, puta mortes, vulnera, oſſium rupturas, & id genus alia. Ità etiam ſenſit Rodriquez *in QQ. Regul. tom. 3. queſt. 68, art. 1.* vbi nonnullos alios pro hac ſententia citat DD.

Si moderatè, & abſque periculo fiant, ſunt licita

Rodriq.

Prima ratio ex eo quod ceſſat ratio prohibitionis.

7 *Et ratio* deducenda eſt ex ratione finis, propter quem ad talem legem edendam motus fuit Summus Pontifex, quia nimirùm ex huiuſmodi agitatione, *hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriebantur*: Sed in Moderata Taurorũ agitatione, huiuſmodi ceſsãt pericula, ac detrimẽta; ac proindè ceſſare etiam debet legis obligatio, quòad moderatam Tauri agitationem, & iuxtà limites rationis legis, debet reſtringi, vel extendi lex. *Argum. l. cum Pater. §. Dulciſſimis. ff. De legat. 2. & l. Adigere. §. Quàmuis. ff. de Iur. patron. cap. Suggeſtum. cap. Meminimus*, cum annotatis eis à Panormitano, ab Alijs recepto *de Appellationibus, & cap. Quoniam contrà falſam. de probation.*

Secunda ratio, ex eo quod etiam moderata Torneamenta permittitur.

8 *Præterea*: Licèt prohibita ſint abſolutè *Torneamenta*, vt patet *ex cap. 1. de Torneamentis*. permittuntur tamen illa, quæ *cum Moderatione* prædicta fiunt, quia in eis ceſſat ratio illius prohibitionis abſolutè, vt patet *in Extrauag. 1. de Torneamentis*, & vſus totius Chriſtiani Orbis obſeruat.

Tertia ratio ex conſuetudine.

9 Tandem, quia videmus vbique *etiam in Vrbe* (inquit Nauarrus) paſsìm agitari Tauros, Boues, & Bufalos, cordis longis, pedes, vel cornua ligatos, etiam per medios calles, tranſitu hominum frequentes; quod tamen nemo, etiam poſt prædictam Extrauagantem; damnat, quàmuis aliquandò contingat aliquod notabile nocumentum.

Immò quotannis in Carniſpriuio ſolemnis curſus Equorum, Bufalorum, Equarum, Brauijs præuertenti propoſitis, in Vrbe celebratur; quàmuis caſu inſidentium, & occurſu eorundem, nonnunquàm prædicta mala contingant.

Imminẽte periculo mortis, vulneris, &c. illicita ſunt Tauriludia.

10 Si verò dicatur *Secundum*, nempè huiuſmodi *Tauriludia*, cum probabili mortis, aut vulneris periculo iniri, tunc certum eſt ea fore *Illicita*, quandoquidem nulla neceſſitate, aut vtilitate cogente, homines vitam ſuam exponerent evidenti mortis diſcrimini, ad ſolam adſtantis Populi oblectationem. Quapropter meritò ea prohibuit Summus Pōtifex Pius V. edito Diplomate Calendis Nouẽbris anni 1567. quod cùm ad hanc rem plurimùm pertineat, & lectu digniſſimũ ſit, hic apponere operæ pretium viſum eſt, vt Tau-

Pius V.

rilu-

riluſores ab huiuſmodi cruentis Ludis animum auertant.

EXEMPLAR

Diplomatis Pij V. Pontificis Maximi, prohibentis Agitationem Taurorum, aliarumque ferarum Beſtiarum.

SVMMARIVM.

1 *Exponit Pontifex rationem huius prohibitionis.*
2 *Sub pœna Excommunicationis prohibet huiuſmodi Ferarum agitationes.*
3 *Eccleſiaſtica Sepultura priuat eos, qui tales agitationes exercendo, moriuntur.*
4 *Clericis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, ſub pœna Excommunicationis prohibet, huiuſmodi Spectaculis intereſſe.*
5 *Prohibet, ac irritat omnes Obligationes, Iuramenta, ac Vota à quibuſuis facta, de huiuſmodi Beſtiarum agitatione; etiamſi in honorem alicuius Sancti, aut alicuius Eccleſiaſticæ ſolemnitatis facienda eſſet talis agitatio.*
6 *Principibus omnibus præcipit, vt hanc Sanctionem ſeruari faciant; ac Feudatarijs tranſgreſſoribus, pœnam priuationis Feudorum imponit.*
7 *Idem quoque præcipit ſub pœna Cenſuræ Eccleſiaſticæ omnibus Patriarchis, Primatibus, Epiſcopis, ac omnibus locorum Ordinarijs.*
8 *Priuilegijs, ac Conſtitutionibus contrarijs quibuſcumque, derogat.*
9 *Tranſumptis, eandem fidem decernit eſſe adhibendam, quæ eiſdem ſuis litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

PIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

DE Salute Gregis Dominici, noſtræ curæ Diuina diſpenſatione crediti, prout ex debito Paſtoralis officij adſtringimur; ſollicitè cogitantes, Fideles cunctos Gregis eiuſdem ab imminentibus corporum periculis, etiam animarum pernicie perpetuò arcere ſtudemus. Exordiũ.

1 Sanè, licèt *deteſtabilis Duellorum vſus* à Diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Decreto Concilij Tridentini prohibitus fuerit; nihilominùs adhùc in pleriſque Ciuitatibus, & alijs locis, quàmplurimi *ad oſtentationem virium ſuarum*, & audaciæ, in publicis, priuatiſque Spectaculis, *cum Tauris, & alijs feris Beſtijs* congredi non ceſſant, vndè etiam hominum mortes, mẽbrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriuntur. Cauſa prohibitionis.

2 Nos igitur conſiderantes hęc Spectacula, vbi *Tauri, & Feræ* in Circo, vel Foro agitantur, à pietate, & charitate Chriſtiana aliena eſſe, ac volentes hæc cruenta, turpiaque Dæmonum, & non hominum Spectacula aboleri, & animarum Saluti, quantùm cum Deo poſſumus prouidere, omnibus, & ſingulis Principibus Chriſtianis, quacunque, tàm Eccleſiaſtica, quàm mundana, etiam Imperiali, Regia, vel quauis alia dignitate fulgentibus, quouis nomine nuncupentur, vel quibuſuis Cõmunitatibus, & Rebuſpublicis, hac perpetuò noſtra Conſtitutione valitura *ſub Excommunicationis, & Anathematis pœnis, ipſo facto incurrendis, prohibemus, & interdicimus*, nè in ſuis Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis, huiuſmodi Spectacula, vbi *Taurorum*, aliarumque Ferarum Beſtiarum agitationes exer- Prohibitio agitationis Taurorum, & ferarum Beſtiarum.

centur, fieri permittant. Militibus quoque, cæteriſque alijs perſonis, nè cum Tauris, & alijs Beſtijs in præfatis ſpectaculis, ipſi tàm pedeſtres, quàm equeſtres congredi audeant, interdicimus,

Moriens ibi careat Eccleſiaſtica Sepultura.

3 Quòd ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, *Eccleſiaſtica careat Sepultura*.

Clericiſpectaculis non interſint, neq; Milites.

4 Clericis quoque, tàm Regularibus, quàm Sæcularibus Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, vel in Sacris Ordinibus conſtitutis, *ſub Excommunicationis pœna*, nè eiſdem Spectaculis interſint, ſimiliter prohibemus.

Cótractus omnes de eiuſmodi agitationibus irritantur.

5 Omneſque *Obligationes, Iuramenta, & Vota*, à quibuſuis perſonis, Vniuerſitate, vel Collegio de huiuſmodi Taurorum agitatione, etiam vt ipſi falsò arbitrantur, *in honorem Sanctorum*, ſeu quarumuis Eccleſiaſticarum Solemnitatum, & Feſtiuitatum, quæ diuinis laudibus, ſpiritualibus gaudijs, pijſque operibus, non huiuſmodi ludis celebrari, & honorari debent, hactenùs factas, & facta, ſeu in futurum facienda, quæ, & quas omninò prohibemus, caſſamus, & annullamus, ac pro caſſis, nullis & irritis haberi, perpetuò decernimus, atque declaramus.

Principes hanc Sanctionem ſeruari faciát.

6 Mandamus autem omnibus Principibus, Comitibus, & Baronibus S. R. E. Feudatarijs, *ſub pœna priuationis Feudorum*, quæ ab ipſa Eccleſia Romana obtinent. Reliquos verò Principes Chriſtianos, & Terrarum Dominos prædictos, hortamur in Domino, & *in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus*, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, præmiſſa omnia in ſuis Dominijs, ac Terris huiuſmodi exactiſſimè ſeruari faciant, vberrimam ab ipſo Deo mercedem tàm boni operis recepturi,

Prælati ſub cenſuris Eccleſiaſt. idem procurét.

7 Ac vniuerſis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, alijſq; locorum Ordinarijs, *in virtute Sanctæ Obedientiæ*, ſub obteſtatione diuini Iudicij, & interminatione maledictionis æternę, quatenùs in Ciuitatibus, & Diœceſibus proprijs, pręſentes noſtras litteras ſufficienter publicari faciant, & præmiſſa, etiam ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, obſeruari procurent,

Quibuſcunq; nō obſtantibus.

8 Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac exemptionibus, priuilegijs, indultis, facultatibus, & litteris Apoſtolicis, quibuſuis perſonis cuiuſcunque qualitatis, & conditionis exiſtentibus, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Fides trāſumptorū.

9 Volumus autem, quòd præſentes litteræ in Cancellaria noſtra Apoſtolica, & acie Campi Floræ de more publicentur, & inter Conſtitutiones *perpetuò valituras* deſcribantur, & earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsùs fides vbique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

D.P.An.2 die 1.Nouemb.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo, quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Kalendis Nouembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

QVÆ-

QVÆSITVM II.

Verùm prædicta Conſtitutio Pij V. Contra Tauriludia, fuerit ab alijs Summis Pontificibus abrogata?

SVMMARIVM.

1 *Prædicta Conſtitutio Pij V. modificata fuit à Gregorio XIII. pro Regnis Hiſpaniarum.*

2 *Ponitur Exemplar Gregorianæ Conſtitutionis.*

3 *Hæc Conſtitutio, exceptis Hiſpaniarum Regnis, Quoad reliqua confirmat Conſtitutionem Pij V.*

Clerici omnes, tàm Regulares, quàm Sæculares in ſacris Ordinibus conſtituti, vel beneficia Eccleſiaſtica poſſidentes, ſi prædictæ Conſtitutionis tranſgreſſores extiterint, pœnam Excommunicationis incurrunt.

4 *Hæc pœna Excommunicationis, non eſt latæ ſententiæ, nec comprehendit Clericos in minoribus conſtitutos.*

5 *Obligationes, Iuramenta, &c; vt ſuprà, etiam irritantur, ex vi prædictæ Conſtitutionis.*

6 *Prædicta Conſtitutio Pij V. iterùm modificata fuit à Clemente VIII.*

7 *Ex vi Clementini Diplomatis; Conſtitutio Pij V. redacta eſt ad terminos Iuris communis, & Sacrorum Canonum.*

8 *Principes, ac Rectores Ciuitatum Tauriludia permittentes, non ampliùs excommunicantur, ex vi prædicti Diplomatis; modò illa, non permittant fieri diebus Feſtis, vel abſque debito Moderamine; vt ſi mortis, vel vulneris periculum immineret.*

9 *Excommunicatio comminatoria Pij V. aduersùs Eccleſiaſticos, huiuſmodi ludis adſtantes, eſt iam ſublata, ex vi eiuſdem Clementini Diplomatis.*

10 *Quoad Regulares, prædicta Pij V. Conſtitutio, adhuc in ſuo robore permanet.*

1 RESPONDETVR *Primò*, Prædictam Conſtitutionem, vniuerſaliter loquendo, adhuc in ſuo robore permanere, ſed tantummodò à Gregorio XIII. moderatam fuiſſe, vt locum non haberet in Hiſpaniarū Regnis, quòad *Laicos*, ac fratres *Milites* tantùm, quarumcunque Militiarum, & dummodò huiuſmodi Tauriludia Feſtis non inirentur diebus, vt patet, ex Gregoriano Diplomate, edito Anno Domini 1575. die 25. Auguſti, vbi hęc habentur: — *Prima Reſponſio. Simpliciter non eſt abrogata dicta conſtitutio. Quoad Regna Hiſpaniæ abrogata eſt à Greg. XIII.*

2. *Exponi Nobis nuper fecit &c. Nos ipſius Philippi Regis, Nobis in hac parte humiliter porrectis ſupplicationibus inclinati, Excommunicationis, Anathematis, & Interdicti, aliarumque Eccleſiaſticarum Sententiarum, & Cenſuras in ipſius Pij prædeceſſoris Conſtitutione contentas pœnas, in eiſdem Hiſpaniæ Regnis; quoad Laicos, ac fratres Milites tantùm, quarumcunque Militiarum, etiam Præceptorias, & Beneficia ipſarum Militiarum pro tempore obtinentes, dummodo dicti fratres Milites Sacris Ordinibus initiati non fuerint; & agitationes Taurorum Feſtis diebus non fiant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium tollimus & amouemus, præmiſſis, aliiſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. (prouiſo tamen per eos, ad quos ſpectauerit, quòd exinde alicuius mors, quoad fieri poterit, ſequi non poſſit., &c.)* — *Exemplar Gregoriani diplomatis.*

3 Vbi notandum eſt cum Azorio *tom. 3. lib. 2. cap. 15.* ex vi huius Gregorianæ Conſtitutionis, exceptis ſupradictis, confirmatam eſſe in reliquis Pij V. Conſtitutionem; ideòq; *Clericos*, tàm *Regulares*, quàm *Sæculares*, Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, vel in Sacris Ordinibus conſtitutos, his Spectaculis intereſſe non poſſe, *ſub pœna Excommunicationis*, eamque obligationem eſſe ad *peccatum mortale*, quoniam imponitur ſub pœna Excommunicationis. — *Azorius. Clerici adhùc nō poſſunt huiuſmodi ſpectaculis interuenire.*

4 Præterea notandum eſt, non eſſe Sententiam Excommunicationis *latam*, ſed *ferendam*, nec ipſo facto incurri; ſed poſt monitionem, Epiſcopus poteſt Excommunicationem ferre. Item non comprehendi Clericos omnes in minoribus Ordinibus conſtitutos, ſed *in Sacris*, & Beneficia Eccleſiaſtica habentes.

Quinam Clerici prohibeãtur &c.

Obligationes, ac vota, adhuc ſunt irrita.

5 Et tandem, omnes *Obligationes*, *Iuramenta*, *& Vota* à quibuſuis Perſonis, Vniuerſitatibus, vel Collegijs de Taurorum agitatione in honorem Sanctorum, ſeu quarumuis Eccleſiarum Solemnitatem, aut Feſtiuitatem factas, aut faciendas inpoſterùm, eſſe irritas, & caſſas ipſo facto, ità Pio V. decernente in ſua Conſtitutione, quæ ex hac parte derogata non fuit à Gregorio.

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

Iterum abrogata fuit dicta conſtit.

6 RESPONDETVR *Secundò*. Eandem Pij V. Conſtitutionem pro Hiſpaniarum Regnis, rursùs modificatam fuiſſe à Clemente VIII. anno Domini 1596. Pontificatus ſui anno 4. Nàm animaduertens Summus Pontifex, Cenſuras latas contrà Tauriluſores, ac Tauriludij Spectatores, nihil, aut parùm profuiſſe, æquum fore duxit, eas omninò auferre; ait enim: *Nos conſiderantes, pœnas omnes Excommunicationis præſertim, & Anathematis, Salutares eſſe debere, quid eo conſilio adhibenda ſint, vt omnes illarum timore perterriti, eas res, quæ prohibentur, omninò euitent; & animaduertentes commemoratas Cenſuras, & pœnas, parùm in dictis Hiſpaniarum Regnis hactenùs profeciſſe, atque hoc tempore, non ſolùm Animabus non mederi, ſed plurimùm obeſſe, quinimmò materiam ſcandali pleriſque afferre.*

His ſanè malis, atque periculis pro debito Paſtoralis Officij, quantùm cum Domino poſſumus, occurrere cupientes, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, Excommunicationis, atque Anathematis, ceteraſque pœnas in dictis literis contentas, quoad omnes in illis expreſſos, In Regnis Hiſpaniarum duntaxat, tollimus, remouemus, & amouemus &c.

Rodriq.

7 *Vbi* notandum eſt cum Rodriquez *in QQ. Regular. tom. 3. q. 68. art. 2.* ex vi Clementini Diplomatis, Conſtitutionem Pij V. redactam eſſe ad terminos *Iuris Communis*, & Sacrorum Canonum; vt patet ibi: *Eaſdemque Pij Prædeceſſoris litteras ad terminos Iuris Communis, cui per præſentes non intendimus derogare, perpetuò reducimus, reductaſque, & reſtitutas eſſe decernimus, & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis, necnon ceteris Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, aliiſque contrarijs quibuſcunque.*

Sublata eſt excommunicatio côtrà Principes, ac Rectores Ciuitatũ.

8 *Prætereà*, nec fore Excommunicatos Principes, ac Rectores Ciuitatum, Tauriludia fieri permittentes, dummodò ea cum debito Moderamine fieri permitterent; itàvt nullum ſubſequi poſſet cædis, aut vulneris periculum, neque ea Feſtis diebus fierent; vt patet ibi: *Volumus autem, vt huiuſmodi Taurorum agitationes in eiſdem Hiſpaniarum Regnis, feſtis diebus non fiant, & per eos, ad quos ſpectat, prouideatur, nè inde alicuius mors, quoad fieri poterit, ſequatur.*

Sublata etiam eſt excom. cõtrà Eccleſiaſticos.

9 *Tertiò* notandum eſt, Excommunicationem comminatoriam aduersùs Eccleſiaſticos appoſitam in Pij V. Conſtitutione, à Clemente VIII. ſublatam; itàvt *Clerici Seculares* Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, vel in Sacris Ordinibus conſtituti, huiuſmodi Tauriludijs adſtantes, *non incurrant* in dictam Excommunicationem comminatoriam. Admonentur tamen in Domino, nè intereſſe velint huiuſmodi Tauriludijs, à Charitate, & Pietate Chriſtiana tàm alienis: indecens enim eſt, vt illi, qui Chriſtum Dominum manſuetiſſimum Agnũ repræſentant, proprijs oculis hæc cruenta, turpiaque Dæmonum, & non hominum Spectacula videndo approbent. Vndè ait Summus Pontifex: *Clericos verò Seculares, Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, vel in Sacris Ordinibus, ſeù in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutos, in dictis Hiſpaniarum Regnis exi-*

ſten-

ſtentes, per præſentes monemus, & hortamur in Domino, nè paterna hæc noſtra, & Sedis Apoſtolicæ benignitate abutantur, ſed memores muneris, & vocationis ſuæ, eamque vtriuſque rationem habeant, vt nihil, quod à propria dignitate, & à ſua, cæterorumque Salute alienum exiſtimatur, vllo vnquàm loco admiſiſſe, arguantur.

Quòad Regulares non ſint abrogata Pij conſtitutio.

10 *Vltimò* notandum eſt, Pij V. Conſtiturionem, quantùm ad *Regulares*, adhuc in ſuo robore permanere: Clemens enim VIII. etſi Clericis Sæcularibus Tauriludia ſpectantibus, Excommunicarionis pœnam non infligat; excipit tamen Regulares, vt patet ibi: *Monachis, & Fratribus Mendicantibus, cæteriſque cuiuſcunque Ordinis, & Inſtituti, Regularibus exceptis*. Vide Rodriquez *loc. cit.* vbi fuſiùs diſputat, An mortaliter peccent Regulares, his Taurorum Spectaculis aſſiſtentes?

QVÆSITVM III.

Vtrùm Torneamenta ſint licita?

SVMMARIVM.

1 *Torneamentorum varia ſpecies enumerantur.*
2 *Haſtiludium quid ſit, & an abſque periculo exerceatur?*
3 *Torneamenta cruenta illicita ſint, ac prohibita: Per Sacros Canones Torneatoribus Eccleſiaſtica ſepultura denegatur.*
4 *Cur Torneamenta, Nundinæ, ac Feriæ dicta fuerint?*
5 *In cruentis Torneamentis, tàm corpus, quàm anima, periculo exponuntur.*
6 *Incruenta Torneamenta non ſint illicita, nec in eis vlla militat prohibitionis ratio.*
7 *In Extrauaganti 1. de Torneam. permiſſa ſunt hæc incruenta Torneamenta, nec in ijs locum habent pœnæ contrà Torneatores inſtitutæ.*

Torneamentorum diuiſio.

Quid ſit Torneamentum cruentum & incruentum.

1 PRÆMITTIMVS *Torneamenta* in Duplici Genere eſſe; Alia nimirùm *Cruenta*, in quibus vtrinque pugnatur armis ad cruentandum aptis: Alia verò *Incruenta*, quæ omni periculo vacant ad Virium Oſtentationem, Populique Oblectamentum inſtituta.

Quid Equeſtre, ac pedeſtre?

Rursùs Incruenta Torneamenta, alia eſſe *Pedeſtria*, quæ iniri ſolent inter Singulos, Binos, Ternos, aut Quaternos, Defenſiuis Armis inſtructos, Enſibus ſinè acumine, ac Lanceis ſinè cuſpide. Excipiendi autem ſunt vtrinque Ictus Quaterni, aut Quini.

Alia verò eſſe *Equeſtria*, quæ Troianum Ludum, ſiuè Arundineū appellant, quo Equites tecti parmis, Arundines iaciunt in alios, & excipiunt; modò etiam Luteos quoſdam globulos inuicem iaculantur; ità tamen, vt nullum ſubſit, nec leuiſſimi vulneris periculum.

Haſtiludiū quid? & an periculo vacet?

2 Eſt prætereà *Haſtiludium*, ſiue Ludus Equeſtris, Lanceis ſinè cuſpibus inter Nobiles iniri ſolitus; qui Ludus *per ſe* periculo vacat, cùm Equi mutuò non incurrant, Equiteſque Defenſiua gerentes Arma, obuio pectore hebetis Lanceæ Ictū excipiant. Dixi *per ſe*; nàm quandòque *per accidens*, etiam in Haſtiludio cædes, & vulnera inferri, & accipi ſolent, vt Henrici II. Galliæ Regis mors teſtatur.

Reſponſio ad Quæſitum.

Torneamenta cruenta, prohibita.

3 Ad Quæſitum ergo Reſpondetur: Torneamenta *Cruenta* illicita eſſe, ſecùs verò *Incruenta*. PRIMA PARS Probatur *ex cap. 1. de Torneamentis*, vbi expreſsè prohibentur fieri Torneamenta, ac Torneatoribus in Delicti pœnam, Eccleſiaſtica denegatur Sepultura: his verbis. *Felicis memoriæ Innocentij, & Eugenij Prædeceſſorum noſtrorum*

ve-

veſtigijs inhærentes, deteſtabiles illas Nundinas, vel Ferias, quas vulgò Torneamenta vocant, in quibus Milites ex condicto conuenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ, temerè congredi; vnde mortes hominum, & animarum pericula ſæpè proueniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quamuis ei poſcenti poenitentia non negetur; Eccleſiaſtica tamen careat Sepultura.

Torneamentorũ frequentia.

4 Vbi notandum eſt, hæc Torneamenta vocari à Summo Pontifice hic *Nundinas*, & *Ferias*, non ſolùm quòd tunc fieri ſolerent, ſed quòd tàm frequentes erat Torneatores, quàm Negotiatores in Nundinis.

Ratio, cur cruenta, ſint illicita.

5 Probatur *Secundò* ratione, in eodem Textu implicitè contenta; quia nimirùm illicitum eſt exponere ſe Corporis, & Animæ periculo: ſed in Torneamentis Corpus ſimul, & Anima periculum ſubeunt, illud hoſtiles ictus excipiendi; hæc odij, & Iræ lethale crimen committendi: Ergo illicitum eſt in Cruentis Torneamentis Pugnare. *Præterea finis* ipſe eſt etiam malus, nempè Virium Oſtentatio, ex quo fit tàm periculoſam actionem, neque honeſti finis titulo cohoneſtari poſſe, Et tandem probauit euentus, huiuſmodi Torneamenta, quàmplurimis mortem peperiſſe: Vnde in Hiſtorijs Germanorum legitur, vna die cæſos *Sexcentos* Torneatores.

Cur Incruenta non ſint prohibita.

6 SECVNDA PARS, nempè illicita non eſſe Torneamenta Incruenta, Probatur; quia in ijs non militat ratio vlla prohibitionis, cùm & mortis, & cædis periculo vacent, Armiſque hebetibus fiant, & ludus potiùs ſit, ac vmbratilis Pugna ad vires exercendas, ac Populi oblectamentum inſtituta.

Permiſſa ſunt in ſacris Can. incruenta Torneamenta.

7 Hæc Torneamenta Incruenta permiſſa ſunt *in Extrauag. 1. de Torneamentis*, Vt probat Maior *in 4. diſt. 15. quæſt. 5.* & Nauarrus *in Manuali cap. 15. de 5. præcep. Decal. num. 9.*

Quapropter in his locum non habent poenæ contrà Torneatores inſtitutæ, etiamſi *per accidens* mors contingeret, cùm ex ſe non ſint Cruenta, nec periculoſa. Ità etiam ſentit Mendozza *2.2. diſp. 170. Sect. 5. §. 34. in fine.* Maior Nauarr. Mẽdozza.

SECTIO IV.

DE SECVNDA DVELLI SPECIE,

HOC EST,

De Duello Virium Oſtentatiuo.

SECVNDAM Duelli Speciem voco, *Pugnam Corporalem Deliberatam inter Duos in loco Condicto, ob Gloriam Virium, & Dexteritatis.* Huiuſmodi Duellum, ſi originem ſpectes, Viliſſimum eſt, atque *Colluctantes* inter Ruſticos ortum: Adoleuit deindè Troianos inter Milites, viguitque Romæ inter Gladiatoria Munera priſtinis temporibus, quibus proprio Sanguine ad inanem Gloriam aſſequendam, velificabatur: Hac autem noſtra ætate, qua Vitia pariter, ac Virtutes conſenuere, conſenuit quoque; ità vt rariſſimè iniri ſoleat Singulare Certamen ob ſolam Virium Oſtentationem. Exitum verò, ſi reſpicias, nihil aliud eſt, niſi Vulnera, & Cædes.

Luctus vbique ingens, & plurima mortis imago. Virg. Aeneid. 2.

Quapropter videndum eſt, an Illicitum ſit huiuſmodi Duellum offerre, & indagandum præterea eſt, an quandòque oblatum acceptare liceat, quod in præſenti Sectione, paucis explanare aggredior.

QVÆ-

QVÆSITVM I.

Vtrùm Duellum ad Virium Oſtentationem ſit licitum?

SVMMARIVM.

1 *Duellum oſtentatiuum virium, eſſe illicitum, communis eſt Theologorum ſententia.*

2 *Finis, ob quem eligitur tale Duellum virium oſtentatiuum, eſt de ſe intrinſecè malus.*

3 *Duellum oſtentatiuum virium acceptare, etiam eſt illicitum.*

Tale Duellum detrectans, laude potiùs, quàm probro dignus cenſetur.

4 *Litterarum Profeſſores, nullam propriæ exiſtimationi maculam inferunt, ſi quæcumque oblata Duella detrectent.*

Reſponſio negatiua.

1 RESPONDETVR cum Cōmuni Theologorū Sententia, *Illicitum* eſſe huiuſmodi Duellū. Ità præſertim Caietanus *in 2.2.qu. 95. art.8. in Comment. circà medium*, vbi hæc habet: Tale Duellum committere, eſt *pernicioſum* ex ſuo genere, quia contrà rectam rationem eligit vterque alterum velle percutere: Conſtat nàmque à ratione alienum eſſe, vt pro Oſtentatione Virium quis pugnet, &c. Idem habet *in Summa, verb. Duellum*. Sic etiam Armilla *in Summa, verb. Duellum nu. 1.* Nauarrus, *in Summa Latina cap. 15. in fine*, Delrius, *lib. 4. Diſquiſ. Magic. cap. 4. quæſt. 4. ſect. 2. ad finem*, Valentia, *2.2. diſp. 3. quæſt. 17. punct. 1. in cauſa 5. & 6.* Emanuel, *1. tom. Summæ in 2. editione, cap. 73. num. 2.* Nauarra, *lib. 2. de Reſtit. cap. 3. in 2. par. dub. 13. in noua editione, num. 296.*

Caiet. Armilla. Nauarrus. Delrius. Valentia. Emanuel. Nauarra.

Ratio.

2 Et ratio eſt, quia finis ille, (nempè Virium Oſtentatio) neque eſt honeſtus *per ſe*, neque neceſſarius, ad quem eliguntur media *intrinſecè mala*: ergo hoc Duellum eſt intrinſecè malum. Antecedens probatur, quia oſtentare Vires ad inanem gloriam ſpectat; ad eumque finem aſſequendum mutuæ cædes, & vulnera, quæ vt media eliguntur, ſunt intrinſecè mala; conſtat enim illicitum eſſe cædere, aut vulnerare alterum, niſi in Defenſionem Inculpatæ Tutelæ, vel in Scelerum vindictam, publica auctoritate: At in Duello Virium Oſtentatiuo, neque cædes, & vulnera inflicta cohoneſtari poſſunt titulo *Defenſionis*, cùm nulla præſupponatur Iniuria Duellatoribus illata, ad cuius depulſionem Duellica Pugna ſit neceſſaria. Nec rurſùs cohoneſtari poſſunt titulo *Punitionis*, cùm Princeps Sontem aliquem ab altero Duellatore plectendum non tradiderit: ergo, cùm hæc media ſint intrinſecè mala, & finis ipſe intentus ſit malus, cōſequens etiam eſt, ipſum *Duellum*, ad Oſtentandas Vires ſuſceptum, eſſe *intrinſecè malum*. Conſequentia patet, quia hoc Duellum nihil aliud eſt, quàm intentio eius finis, taliumque electio mediorum, eorumque exequutio.

Tale Duellum ſpecificatur malum à fine, ad quem eligitur.

3 *Petes*. Eſtne illicitum acceptare hoc Duellum? Et ratio dubitandi eſt, quia non Acceptans videtur fateri ſe parem non eſſe Prouocanti, ſicque quodammodò ſuæ exiſtimationi derogare videtur.

Illicitum etiam eſt, tale Duellum acceptare.

Reſpondetur Affirmatiuè, ob eaſdem rationes ſuperiùs allatas. Nec ratio dubitandi hìc locum habere poteſt, cùm huius Duelli detrectatio, nullam exiſtimationis maculam inurat; in eo enim Vires tantummodò oſtentandæ ſunt inaniter; ideòque Prouocatus, ſi oblatum detrectet Duellum apud prudentem hominum exiſtimationem, non probro, ſed commendatione dignus habetur.

4 Quapropter hâc eadem ratione excuſat Alciatus ab acceptan-

Alciatus de Duello to.6. var. DD.c.24. n.4.

Litterarũ profeſſoribus, non probro, ſed laudi datur, ſi Duella detrectent.

do Duello *Litterarum Profeſſores*, quorum non *Corporis*, ſed *Ingenij*: non *Armorum*, ſed *Literarum* Vires ſunt commendandæ: Nec enim (inquit Alciatus) vllus armato homini honor eſt, ſi Inermem prouocet; Sole peruſtus, vmbraticum; corporeis laboribus aſſuetus, ſedentarium; pinguis, & benè curatus, tenuem atque emaciatum. Poterit Doctor hoſtili impetitioni, ſic reſpondere. Vt tu me tuis armis in Certamen prouocas, ità ego Te Iure manu conſertum in arenam meam, ideſt, coràm Magiſtratibus voco, quo in loco armis meis, nimirùm libris, & Doctrinarum Auctoribus oſtendam, quantùm artes tuæ noſtris ſint inferiores, faxoque, vt quod ſummus omnium Orator dixit:

Cedant arma Togæ, concedat laurea linguæ.

Nàm quantùm ad Arma bellica attinet, cum his nos nihil commune habemus, qui Palladis, & Muſarum ſtudia, non furioſiſſimi illius Dei Martis profitemur. Qui hiſce verbis Perduelli Doctor præſcripſerit, rectè atque ordine dixiſſe cenſebitur: nec minùs Martis tela retudiſſe iudicabitur, quàm Veneris olim Plato, hoc Epigrammate.

Plato.

Hæc Venus ad Muſas, Me ſiccine temnitis? atqui
Tela acuens ſaxo Filius vltor erit.
Cui Muſæ, has ſtolido nugas dic Cypria Marti;
In Nos namque tuis, non habet Arma Puer. Hæc Alciatus.

Ex quibus omnibus conſtat, Litterarum Profeſſoribus, ludibrio non dari, ſi oblatum Duellum detrectent, quinimmò apud prudentem hominum exiſtimationem, magnam ſubindè laudem eſſe conſequuturos; cùm eos, non armorum vſus, nec corporis ſtrenuitas, ſed Ingenij præſtantia, ac Litterarum ornamenta commendent, ac laude dignos efficiant.

QVÆSITVM II.

Vtrùm quandò aliquis, iter faciens, præuidit occupatum eſſe tranſitum à Duellatore, neminem permittente tranſire, niſi pugnet, poſſit hic licitè acceptare Duellum, vt incœptum iter proſequatur?

SVMMARIVM.

1 *Quinàm conſueuerint tranſitum impedire Viatoribus, niſi Duello certarent?*

2 *Licitum eſt Viatori tale Duellum acceptare, quandò abſque graui damno, non poteſt inchoatum iter omittere.*

3 *Fugienti Hoſtes, licitum eſt Claudum, vel Infantem iacentem in via, Equi pedibus proterere, quandò aliter ſuam vitam non poteſt tueri.*

4 *Duellum oblatum, acceptare non licet Viatoribus, ſi minora ſint diſcrimina, quæ ex itineris omiſſione ſequerentur, quàm ea, quę in ipſo Duello eſſent ſubeunda: ſecùs autem eſt, ſi maiora eſſent diſcrimina: Si autem æqualia, id eligere poſſet, quod magis ei liberet.*

5 *Fugiens Hoſtes, tenetur à curſu deſiſtere, quandò Infans, qui obterendus eſſet, non eſſet baptizatus.*

6 *Tenetur etiam, omnem diligentiam adhibere, vt fugam proſequendo, iacentem in via, non conculcet, & quandò aliter ſuæ vitæ poſſet conſulere, teneretur à fuga deſiſtere.*

PRO-

Hurtadus

Quinàm, & qua de Cauſa, cô fuerint talia Duella committere?

1 PROPONITVR hoc Dubium ab Hurtado *vol.2. de Spe, & Char. diſp.*170. *Sect.*3. *§.*17. occaſione arrepta, quòd olim apud Hiſpanos ſolerent nonnulli Nobiles, atque robuſti, Pontem aliquem, aut locum alium occupantes, neminem nobilem illàc tranſire permittere, niſi cum illis, aut pugnaret, aut eis ſe ſubijceret. Iſque appellabatur *Tranſitus honoroſus*. Inter quæ (vt ipſemet Hurtadus refert) celeberrima fuere duo Spectacula apud Pontem Orbigenſem: Alterum recentius, quo Suerus de Quiñones, Pontem integro anno cuſtodiendum ſuſcepit: Alterum antiquius regnante Ramiro Legionenſi: tunc quidem Arabs Mahometanus nomine Baraganus, nè Chriſtiani Compoſtellam ad B. Iacobi reliquias venerandas iter facerent, Orbigenſem Pontem occupauerat, nec Fideles vltrò tranſire ſinebat, niſi ſecùm Duello certarent. Sed tandem inita Monomachia cum Sanctio Perez, De la Plaza, Nobili inter Palatinos, obtruncatus fuit. Dubium igitur eſt, An ſi alicubi modò idem contingeret, poſſent Viatores oblatum Duellum acceptare, atque aditum ſibi armis aperire, in caſu, quo *præuidiſſent* huiuſmodi Trãſitum fuiſſe occupatum.

Viatori quandoq; licet, tale Duellum acceptare.

2 RESPONDETVR ad hoc Quæſitum: Si præuiſa Duellica pugna, non poſſet Viator ſinè graui damno inchoatum iter omittere, aut aliam Viam arripere, in hoc caſu, *licitum eſſe Duellum*. Ratio eſt, quia Viator, per talem Viam tranſeundo, vtitur *Iure ſuo*; ſiquidem Iure Gentium talis Tranſitus eſt illi debitus, proindè poteſt armis ſibi aditum aperire, atque cum Iniuſto illius Viæ Occupatore, oblatum Duellum committere. Et reuerà talis Pugna potiùs iuſta, ac neceſſaria *Defenſio* Inculpatæ Tutelæ, quàm *Duellum* ad Vires oſtentandas, ex parte Acceptantis, dicenda foret.

Ratio.

Fugienti hoſtes, an liceat iacentem in via conculcare?

3 Confirmatur ex eo, quod nonnulli Doctores concedunt, licere fugienti Hoſtes, occidere hominem in Via iacentem, eumq; ſibi fugitiuo curſum retardantem, Equi pedibus proterere; Ius enim habet ipſe tranſeundi, & non poteſt, neque tranſire, neque Vitam tueri, niſi homine conculcato, & interfecto. Ità Corduba, *lib.*1. *quæſt.*37. *dub.*2. Leſſius, Bonacina, Caietanus, quos refert, & ſequitur De Lugo, *tom.*1. *de Iuſt. & Iur. diſp.*10. *Sect.* 5. *num.*127. contrà Nauarram, *lib.*2. *de Reſtit. cap.*3. *par.*2. *difficul.*2. Siluestrum, *verb. Homicidium.*1. *quæſt.*26. & Alios, quos ſequitur Turrianus, *diſp.*26. *dub.*2. *num.*27. Et ratio eſt, quia actio illa conculcandi Claudum, vel Infantem in anguſto itinere iacentem, *per ſe*, & ex intentione Agentis, non ordinatur ad cædem Infantis, vel Claudi; ſed ad propriæ Vitæ incolumitatem, fugam proſequendo per Viam communem, ad quod habet Ius, & *per accidens* eſt, quòd ſequatur damnum alterius: ergo multò magis poterit quis ferro ſibi aperire debitum iter, Vim Vi repellendo, ac cum Iniuſto Occupatore Duellando.

Corduba. Leſſius. Bonac. Caietan. De Lugo. Nauarra. Silueſter. Turrian.

In quo caſu non liceat Viatoribus oblata Duella acceptare?

4 Aduertendum tamen eſt, An *Maiora* ſint *Diſcrimina*, quæ ex talis Itineris omiſſione ſequerentur, an verò *Aequalia*, vel *Minora*, quàm ſit ipſum periculũ Vitæ, quod in Duellica Pugna ſubeundum eſt. Si enim *Maiora* eſſent, tunc liceret Viatori, iuxtà ea, quæ diximus, oblatum Duellum acceptare: Si verò *Aequalia*, tunc integrum ei eſſet, illud eligere, quod ſibi magis liberet: Si verò *Minora*, tunc non licere in tali Duello pugnare; & committeretur peccatum contrà propriam Charitatem, tale præuiſum periculum aggrediendo, non verò peccaretur contrà Charitatem Proximi, Iniuſtè Tranſitum Occupan-

tis, ità Hurtadus, *loco citato §. 23.*

Fugiens, tenetur ſiſtere, nè Infantem non baptizatum cóculcet.

5 PORRO', circà ea, quæ dicta ſunt in confirmatione, de cóculcando Infante in Via iacente, aduertunt Doctores; Si *Infans* ille non eſſet baptizatus, & deberet ea de cauſa in æternùm damnari, *lege Charitatis* teneri Fugientem ſiſtere; quia Charitas obligat, ad præferendam æternam ſalutem Proximi, Vitæ propriæ temporali; pro quo videri poſſunt ea, quæ diximus in *Tractatu 3. Quæſ. 15. & ſeqq.*

Tenetur fugiens quoad poteſt, lacétis in viá damnum euitare.

6 Aduertunt prætereà, adhibendam tunc eſſe omnem diligentiam, & curam, quæ *moraliter* adhiberi poteſt, ad progrediendum ſinè detrimento illius Innocentis, declinando à Via recta per aliam partē: & ſi id fieri non poſſet, vrgendo calcaribus equum, vt per ſaltum relinquat Infantem intactum, vel alia omnia media adhibendo, quæ in illa neceſſitate, & breuitate temporis, menti occurrere, & exequutioni mandari poſſint: ijs autem adhibitis, non eſſe obligationem ſiſtendi, ſed poſſe hominem progredi ad ſaluandam propriam Vitam, quandò aliundè *extrema neceſſitas* ſpiritualis Innocentis non obſtat, quæ ſemper præferri debet, vt inter cæteros Doctores, benè ait Eminentiſſimus Cardinalis De Lugo *loco citato*, vbi plurima alia doctè, ac prudenter, vt ſolet, dubia ſoluit, ad celebrem illam pertinentia Quæſtionem, nimirùm, An liceat Innocentem occidere?

QVÆSITVM III.

Vtrùm Viatori liceret oblatum Duellum acceptare, quandò ei Tranſitus fortuitò denegaretur ab aliquo Duellatore, nec poſſet vltrò tranſire, niſi Duello pugnaret?

SVMMARIVM.

1 *Viatori non licet oblatum Duellum acceptare, quandò ſinè dedecoris nota poteſt regredi.*

2 *Secùs autem eſt, ſi dedecoris notam, regrediendo incurreret.*

3 *Propriam vtilitatem, non teneretur Viator negligere, vt Impedientis iter peccatum euitaret.*

1 RESPONDETVR. Diſtinguendum eſſe in hoc Caſu, An poſſet Viator *ſinè dedecoris nota* regredi, vel non: Si *Primum*, non licere ei oblatum acceptare Duellum, ſed potiùs ſecuriorem reditum arripere, quàm progreſſum longiorem, cum Vitæ periculo in Duellica Pugna intentate.

Viator tenetur regredi, quandò ſine decore poteſt.

2 Si verò dicatur *Secundum*, tūc *licitè* poſſe Eum acceptare Duellum, aſſerit Hurtadus, *de Spe, & Charit. vol. 2. diſp. 170. ſect. 4. §. 23. & 24.* Ratio eſſe poteſt, quia ſicuti ex communi Sententia, homo *Nobilis*, vel *Miles* non tenetur fugæ ſe dare, quandò armis ab Alio impetitur: fuga enim actus turpis eſt Viro Nobili; ità pariter nec tenetur *Viator* pedem referre, quia regredi, eſſet fugere; ac proindè licitè poſſet, cum Iniuſto Viæ occupatore, Duellicam Pugnam inire.

Hurtad.

Ratio.

3 Prætereà, Viator, *per ſe, & dire-*

Altera ratio.

eſſe, non vult niſi tranſire, illique Tranſitus eſt vtilis, à qua vtilitate non tenetur abſtinere propter peccatum impedientis iter armis; ſed proſequi poteſt ſuum tranſitum, & in illo proſequendo, ſe ab Aggreſſore defendere: omnia enim, quæ trãſiens facit, ſunt vel vtilia, vel indifferentia, à quibus abſtinere debet, quandò ſinè graui incommodo poteſt, nè alius peccet. At verò, quandò ex tuis factis, alius *per accidens* accipiat occaſionem peccandi, non teneris Tu ab illis abſtinere cum graui, & proportionato damno.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm inter Milites vtriuſque Exercitus, liceat in Bello ex cõſenſu Ducum, ſpectaculi & voluptatis cauſa, atque ad robur Militum oſtendendum, committere Duellum Oſtentatiuum Virium?

S V M M A R I V M.

1 *Militibus, committere non licet talia Duella virium oſtentatiua.*

2 *Si ab Hoſtibus, huiuſmodi certamina eſſent Militibus oblata, poſſent ea acceptare, non tamen ad vanam virium oſtentationem, ſed ad conſeruandam Exercitus exiſtimationem.*

3 *Milites committentes Duella ob ſolam virium oſtentationem, Duellicas pœnas, ac Cenſuras contrahunt.*

Reſponſio negatiua.

1 RESPONDETVR Negatiuè cum Caietano, Armilla, Nauarro, Delrio, Valentia, Emanuel, Petro Nauarra, & Alijs DD. *loc. cit.* in 1. *Quæſ. huius ſect.* Quòd ſi Exercituum Ducibus, durà nimis hæc videatur Sententia, audiant ipſi Caietanum *loc. cit.* vbi; *Errant Principes*, ait, concedentes quaſi Spectaculi cauſa, cùm in Bellis ſunt, Certamina quaſi ſingularia, puta decem hinc, & decem indè, ad Oſtentationem Virorum fortium: *Diabolica* ſunt hæc, & ſicut Duella iudicanda, eadem ratione. Nec excuſat Eos tempus Belli, vel Conflictus partialis Hoſtium cum Hoſtibus, quoniam Iuſti cauſa Belli in hoc partiali Conflictu locum non habet; quia habens Iuſtum Bellum, vt ſic, non ad Oſtentationem pugnat.

Cur illicita ſint hæc Duella?

Sanchez.

Acceſſit Caietano Sanchez *in Precept. Decal. lib. 2. c. 39.* vbi explicans hanc Duelli Speciem ad Vires Oſtẽdendas, docet, Duellum hoc eſſe *illicitum*, quia nefas eſt medium tàm periculoſum, & atrox, ob tàm vanum finem ſuſcipere.

Quid ſi huiuſmodi certamina, ab hoſtibus eſſent oblata?

2 Liceret tamen, ſubdit Sanchez, huiuſmodi Certamina ab Hoſtibus oblata *acceptare*, non principaliter ob vanam fortitudinis Oſtentationem, ſed principaliter, gratia conſeruandæ bonæ *Exiſtimationis* Exercitus apud Hoſtes, quia ea non parum momenti ad Victoriam habet. Et ſi non acceptarentur, redderentur animoſiores Hoſtes, exiſtimando noſtros, præ timore id Certamen effugere.

Milites ad viriũ oſtẽtationem Duellãtes contrahũt cenſuras, &c.

3 Præſcindendo igitur ab hoc fine, ſimpliciter aſſerendum eſt in cæteris euentibus, Milites ad Virium Oſtentationem Duellum committentes, incidere *in omnes Pœnas* atque *Cenſuras* Duellatoribus, à Summis Pontificibus, ac Tridentini Concilij Patribus inflictas, cùm in his quoque Duellis Virium Oſtentatiuis, Corporum neces, Animarumque pericula eſſent Milites ſubituri.

QVÆSITVM V.

Vtrùm poſſint mutuò pugnare duo Homines Iuſtè Damnati ad Necem, ſi Iudex det illis optionem, vt vel mutuò pugnent, Victorque euadat Incolumis, vel vt Tortor eos trucidet; Iudexque velit experiri vtriuſque Vires, & Dexteritatem?

SVMMARIVM.

1 Reis capite damnatis licitum eſt in tali caſu, mutuò pugnare, non tamen ad oſtentationem virium, ſed ad executionem iuſtæ pœnæ; ac mortis effugium.

2 Cur in tali caſu vtrique Reo liceat Tortoris munus obire?

3 Ratione alicuius circumſtantiæ, reddi poteſt illicita talis pugna.

Licitum non eſt pugnare in tali caſu, ſi ſubrepat odium contrà alterum Duellatorem.

4 Filio non licet tale Duellum acceptare contrà Patrem, nec è contrà: Inter duos Fratres, etiam illicitum eſt tale Duellum.

5 Narratur Hiſtoria de Filio, qui Patri vitam ademit, vt libertatem, à Iudice ſibi oblatam conſequeretur.

Reſponſio affirm. Azorius. Becanus. Filliucius. Hurtad.

1 RESPONDETVR cum Azorio, *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. Becano, *par.* 2. *cap.* 26. *quæſt.* 7. *num.* 2. Filliucio, *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 8, *nu.* 159. & Hurtado, *de Spe, & Char. vol.* 2. *diſp.* 170. *ſect.* 4. *§.* 26. Prædictos Reos Iuſtè Capite Damnatos, licitè poſſe mutuò pugnare, non quidem ad oſtentandas Vires, ſed ad exequutionem Iuſtæ pœnæ, & effugium mortis.

2 Probatur, quia vterque Reus poteſt obire *Tortoris* munus ex Iuſta cauſa, nempè ob mortis effugium. Neque vero alter alterũ cædit, quia ab illo cæditur; Tortor enim non poteſt cædi à Reo Iuſtè damnato: ſed illum cædit, quia *Iuſtè eſt Damnatus*, & ſibi eſt commiſſa exequutio pœnæ. Ratio.

3 Quàmuis autem per ſe conſideratum licitum ſit hoc Duellum, tamen ob varias circumſtantias reddi poſſet illicitum. Quapropter præcauendum eſt *periculum Odij*, quocùm, non poteſt licitè pugnari. In quo caſu illicitũ ſit tale Duellum?

4 Præterea, ſi *Pater, & Filius*, vel duo *Fratres* eſſent ambo Capite Damnati, & daretur eis à Iudice talis optio inuicem Duellandi, tunc *non liceret* eis tale Duellum committere; valdè enim à Natura alienum eſt, Patrem ſæuire in Filium, Filium in Patrem, Fratrèſque inuicem contrucidari, Quod neque inter ipſas Feras accidere ſolet. Inter consãguineos, an ſit licitum?

5 Ad hanc rem refert Hurtadus *loc. cit.* Gandaui duos Reos, Patrem Filiumque Capite damnatos, oblatamque Patri libertatem, ſi Tortor eſſet Filio, ab eoque recuſatam, nè interimeret quem genuerat: eam tamen *acceptam à Filio*, qui Vitam ademit ei, à quo vitam acceperat: commotamque eſſe vniuerſam Flandriam ad ſpectandum ferum Spectaculum, cuius monumentum erexere Gandauenſes, imaginem Filij trucidantis Patrem.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm liceat duobus Reis Capite Damnatis, Duellum, iubente Iudice, committere; non quidem ad euadendam mortem, ſed ad grauiorem mortis pœnam vitandam?

SVMMARIVM.

1 *Duellum à Iudice oblatum ad euadendam grauiorem mortis pœnam, licitum eſt Reis committere.*

2 *Idem quoque aſſeritur, ſi tale Duellum, iubente Iudice committeretur ad euadendas Tortoris manus, ac proprij delicti diuulgationem.*

Explicatur Quæſiti ſenſus.

FINGE Iudicem præcipere Reis, vt Duellum inuicem inirent, aliòquin viuos ab ipſo comburendos tradi: Liceretne, oblatam tunc Duellicæ Pugnæ occaſionem arripere, ea tamen conditione, vt qui incolumis ſupereſſet, etiam trucidandus foret, ſed leuiori mortis genere?

Reſponſio affirm.

Hurtad.

Ratio.

1 Reſpondet *Affirmatiuè* Hurtados, *vol. 2. de Spe, & Char. diſp.* 170. *ſect.* 4. *§.* 27. rationemque aſſignat, quia tunc effugium necis atrocioris *vtile* eſſet vtrique Reo, qui iàm non eſſent *Tortores*, ſed *Amici*; vterque enim alteri prouideret minus malum, inflicto minori, auctoritate publica (priuata nàmque id minimè liceret.)

Alter caſus in quo licitum etiam eſt Duellum à Iudice oblatum committere.

2 Idem etiam ſentiendum eſſe aſſerit, quandò Iudex Capitè Damnatis præciperet, vt Bellum committerent, aliòquin eos Tortori traderet cum *Delicti publicatione*, quæ diuulgatio effugeretur, ſi Duellum inirent. Et ratio eſt, quia vterque eſt periturus, & in tali caſu, medio Duello, vitaretur vtriuſque grauis infamia: igitur non ſolùm ſibi quis conſuleret, ſed etiam alteri, at proindè magis eſſet Amicus, quàm Tortor.

SECTIO V.

DE QVAESITIS IN ORDINE

Ad Tertiam Duelli Speciem,

HOC EST,

Ad Duellum Euitatiuum Ignominiæ.

FErreuſne, an Linguæ Gladius ſit magis pertimeſcendus? ignoro. Alter Vitam adimit, adimit Alter Honorem: Iſte ſanguineo perfundit ruboro vultum; Ille per aperta vulnera ſãguine fuſo, exſangue membrum omne relinquit: Mortales Ille, huius Lucis priuat vſura: Iſte Famæ ſplendore, cunctos orbat Honeſtos: Vnus vitalem attrahere prohibet auram; Alter Populari aura ad Nominis Immortalitatem velificare vetat: Illo micante, in perpetuas ſepeliuntur tenebras Homines: Iſto nudato, Honeſti nominis pallio nudantur Familiæ, ac perpetuò exponuntur Ludibrio: Vno feriuntur Viuentes; Alter etiam in Mortuos ſæuit: Ille Præſentes tantummodò vulnerat; Hic Abſentibus vulnera infligit: Ille tandem in Creaturas acuitur; Hic etiam in Creatorem, iuxtà illud Nazianzeni: Gregor. Nazianz.

Sæpè fatebor enim in mentem Mihi venit, iniqua
Carpere voce Deum.

Quapropter Nonnulli fas ſibi eſſe duxerunt contrà Linguæ Ictus, Ferreum ſtringere Gladium, ac in Contumelioſos Ferro ſæuire, quod

an licitum ſit, in Præſenti examinādum eſt Sectióne, in qua videbimus, An ad euitandam Ignominię Maculam, liceat Contumelioſos repercutere, Fugientes inſequi, vel etiam occidere, & his ſimilia. Sit ergo

QVÆSITVM I.

Vtrùm Inuaſorem, qui Fuſte, vel Alapa minatur malum contrà Honorem, ſi alia non ſuperſit defendendi ratio, occidere liceat?

SVMMARIVM.

1 *Licitum eſſe talem Inuaſorem interficere; communis ferè eſt DD. Sententia. Adducuntur duæ rationes oppoſitæ ſententiæ.*

2 *Affirmatiuæ ſententiæ adhæret Auctor. Pro defenſione honoris magis licita eſt defenſio, quàm pro defenſione facultatum.*

3 *An Vulnera, ac Cædes cum debito moderamine, ſint vtile, ac neceſſarium medium ad depellendam iniuriam ab Aggreſſore inferendam?*

4 *Soluuntur oppoſitæ rationes. Rarò euenit, vt huiuſmodi Iniuriæ, ab Inuaſore in occulto illatæ, non publicentur.*

5 *An læſus honor recuperari nequeat, abſque Inuaſoris repercuſſione?*

1 COMMVNIS ferè eſt Affirmatiua Sententia, quā tenent, ac docent Sotus, Nauarrus, Siluester, Lopez, Leſſius, Villalobos, Hurtadus, Marchantius, Philippus Faber, Fillucius, Strouerſdorf, Azorius, Becanus, Molfeſius, Angelus Vantius, quos omnes citat, & ſequitur Diana *par.5.tract.4.reſol.4.* contrà Ioann. Maior. *in 4. Sentent. diſt. 15. quæſt. 20.* Sylunim; *2.2. D.Thomæ, quæſt.64.art.7. Quæritur nonò.* Malderum, *in 2.2. tract.3. dub.7. aſſert.1.* & Tannerum, *tom.3. diſp.4. quæſt.8. dub.4. num.74.* vbi: Non placet, inquit, fas eſſe Viro honorato occidere Inuaſorem, qui Fuſtem, vel Alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat, ſi aliter vitari hæc Iniuria nequit: Tùm quia fieri poteſt, quòd ſi res in occulto agatur, ea re parùm honor lædatur: Tùm quia etiam læſus honor, aut via Iuris, aut alijs modis recuperari poteſt.

Margin: Sotus. Nauarrus. Siluester. Lopez. Leſſius. Villalob. Hurtad. Marchan. Faber. Filliuc. Strouerſd. Azorius. Becanus. Molfeſ. Vantius. — Diana. — Duæ rationes pro negatiua ſententia.

2 Sed Affirmatiua Sententia, ſic à præcitatis Doctoribus probatur *Primò*: Pro facultatum Defenſione *Aggreſſorem*, ſeù potiùs Furem confodere licet: ergo multò magis licebit *Aggreſſorem* occidere, qui Alapa, vel Fuſte, Honorem auferre conatur. Quis enim ambigit Honorem pluris exiſtimari, quàm aurum? Iuxtà illud: *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ?*

Margin: Affirm. ſententia. — Ratio.

3 Probatur *Secundò*, quia cædes, aut vulnus cum iuſta moderatione, eſt medium per ſe *vtile*, & vnicè tunc *neceſſarium* ad propulſandam Iniuſtam Vim, proportionatam illi damno: ergo eſt licitum illud medium. Antecedens probatur, quia niſi homo vulneretur, aut occidatur, haud dubium, quin poſſit nouam mihi Vim inferre: cur autem Ego teneor illam pati? Igitur ea cædes, non honeſtatur; quia ſit *depulſio* acceptæ iàm Iniuriæ, ſed *impedimentum*, ne inferatur noua, quæ probabiliter imminet.

Margin: Secunda ratio. — Cur cædes, & vulnera ſint media vtilia ad iniuriam propulſandā.

Quia verò antequàm videantur ſigna probabilia Fugæ, vel quod Inimicus deſiſtet in noua Vi, ſemper poſſumus timere probabiliter ab illo nobis imminere Vim nouam, ideò poſſumus *licitè* Aggreſſorem *occidere*; quia illum occidere in Conflictu actuali, eſt illum occidere in ipſa Aggreſſione, quæ in morali

æſtimatione, & in præuiſione, non conſiſtit in indiuiſibili; neque perturbatio patientis Iniuriam dat locum accuratæ conſiderationi de motibus Inimici. Quod verò Molina obijcit *tom.4.tract.3.diſp.17.num.* 8. Puniri *in Foro exteriori* eum, qui repercutit Aggreſſorem, intelligitur non in ipſo Conflictu, ſed vel in Fuga Aggreſſoris, vel quandò ceſſat timor nouæ Violentiæ, quàmuis hæc ſint incontinenti, ideſt non diù poſt illatam Vim. De hoc autem, in ſequenti Quæſito, redibit ſermo.

Molina.

4 Ad Primum autem Tanneri argumentum, Reſpondetur cum De Lugo *de Iuſt. & Iur. diſput.* 10. *ſect.* 10. *num.* 187. ràrò occurrere, vt eiuſmodi Iniuriæ in occulto illatæ non publicentur ab ipſo inferente. Si tamē hoc periculum publicationis non eſſet in aliquo ſpeciali caſu, non eſſet tunc Ius tantæ Defenſionis.

Soluitur prima ratio oppoſitæ ſententiæ.

5 Ad Secundum ſimiliter Reſpondendum eſt: Rariſſimum eſſe, quod non ſit ad minus magnum periculum non recuperandi Honorem, ſi permittatur Iniuria; quia apud homines non cenſetur ſufficienter redintegrari ille Honor per Iuris remedia: aliundè verò ſemper eſt magnum periculum, quòd Iniuriator ipſe nolit ſatisfacere, quantum ſufficit ad maculam illam apud homines huius ſæculi delendam.

Secunda ratio ſoluitur.

QVÆSITVM II.

Vtrùm poſt impactam Alapam, vel Fuſtem, liceat ad Honorem recuperandum Inuaſorem repercutere, vel Fugientem inſequi, vel etiam occidere?

SVMMARIVM.

1 *Proponitur Sententia negatiua, duplici argumento munita.*
2 *Occidere, aut vulnerare Aggreſſorem poſt impactam alapam, vel fuſtem, &c. vindicta potiùs, quàm Defenſio videtur.*
3 *Si licitum eſſet Inuaſorem repercutere poſt impactam alapam, liceret etiam, Adulterum in crimine deprehenſum interficere.*
4 *Secundam Sententiam affirmatiuam, Quinàm DD. tueantur?*
5 *Iuxtà Sotum, & Molinam, licitum eſt, Furem inſequi pro recuperatione bonorum, non tamen Aggreſſorem, qui honorem abſtulit.*
6 *Ex Nauarro, ac Fabro, inſequi licet Aggreſſorem in continenti, ſtatim ac iniuriam intulit, non autem interpoſito tempore.*
7 *Hæc affirmatiua Sententia, à Leſſio non cenſetur in praxi permittenda, ob periculum odij, vindictæ, & Iræ contrà Aggreſſorem: eſto probabilis videatur ſpeculatiuè.*
8 *Conciliantur ex Petro à Nauarra hæ duæ ſententiæ oppoſitæ.*
Duplex diſtinguitur honor in homine; alter, qui ex Spirituali bono reſultat, alter, qui ex temporali: Pro tuendo primo, docet Nauarra, licere Aggreſſorem interficere, non autem pro ſecundo.
9 *Quomodò explicet Nauarra Auctores negatiuæ ſententiæ.*
10 *Affirmatiuæ ſententiæ adhæret Auctor, aſſeritque licere poſt impactam Alapam, &c. ad honorem recuperandum, in continenti Inuaſorem repercutere, fugientem inſequi, ac etiam interficere.*
11 *Inuaſorem, non minùs licet inſequi, vel occidere pro recuperando, ac pro defendendo honore.*
12 *An per alia Iuris remedia, ſufficienter redintegrari non poſſit honor grauiter læſus ab Inuaſore, niſi ipſum Inuaſorem vulnerando &c?*
13 *Oſtenditur, pari ratione licere inſequi*

vel

vel occidere Aggreſſorem honoris, ac Aggreſſorem bonorum.

14 *An idem honor deperditus, cenſeatur recuperari per occiſionem Inuaſoris, ſicuti eadem res ablata recuperatur per occiſionem Furis?*

15 *Aggreſſor, grauem inferens ignominiam, eodem modo cenſetur ſecùm deferre ablatum honorem, ac Fur ſecùm deferre rem furtò ſublatam.*

16 *Inuaſoris occiſio vtilis eſt, vt ablatus honor reſtituatur, ſicuti vtilis eſt occiſio Furis, vt res deperdita recuperetur.*

17 *Damnificatorem bonorum, ac honoris violatorem, licitum eſt ſtatim repercutere, quando aliter fieri non poteſt reparatio.*

18 *Adulterum in flagranti crimine deprehenſum, an liceat interimere?*

19, & 20 *An in bonis eiuſdem, vel ſuperioris ordinis, lædere liceat Aggreſſorem honoris, in continenti, & ſtatim ac intulit Iniuriam: & an in tali caſu locum habeat licitæ defenſionis ratio, ſi aliter fieri non poſſit reparatio bonorum, vel honoris amiſſi?*

21 *Læſus in honore, poteſt ſe indemnem reddere, cum detrimento honoris eius, à quo læſus eſt, non ſecus ac læſus in facultatibus, damnificando tantùndem debitorem, poteſt ſuum damnum reſarcire.*

22, & 23 *Oſtenditur, in vtroque caſu, locum habere iuſtam Defenſionem, ſecluſo animo Vindictę contrà Inuaſorem.*

24 *Si repercutere non liceret honoris offenſorem, occaſio daretur Improbis, vt in quemlibet iniurias, ac contumelias ingererent.*

25 *An in repercuſſione, vel occiſione Offenſoris, interueniat vindicta, & an damna, quę ex permiſſione talis occiſionis ſequerentur, eſſent per ſe intenta?*

26 *Licita ſolùm eſt Offenſoris occiſio, aut repercuſſio, ſi fiat in continenti, non autem interpoſito tempore.*
Quādo ſtatim fit repercuſſio Offenſoris, cenſetur vnicus moraliter congreſſus: Duplex autem, ſi fiat poſt temporis interuallum.

27 *Offenſorem lædere non licet, ſi poſt illatam iniuriam, veniam petat.*

28 *Soluitur Oppoſitum argumentum contrà primam reſponſionem Auctoris ad Quæſitum.*
Illicita eſt fugientis. Offenſoris cædes, ſi poſt eius fugam, Offenſus non cenſetur adhùc infamia notatus, ſecundùm prudentem hominum exiſtimationem: ſecùs ſi poſt eius fugam, adhùc infamiæ macula remaneat notatus.

Adducuntur Aliorum Opiniones.

1 PRIMA OPINIO Negantem Partem amplectitur. Ità Sotus, 5. *de Iuſt. quæſt.* 1. *art.* 8. Carrerius, *in Practic.* §. *Homicidium* 6. *num.* 110. Molina, *diſp.* 17. Vaſquez, *dub.* 9. *num.* 37. Rodriquez, *in Summa, tom.* 1. *cap.* 135. *num.* 11. Turrianus, *diſp.* 27. *dub.* 3. Bañes, *apud Ipſum,* Salonius, *quæſt.* 64. *art.* 7. *controu.* 2. *concl.* 1. Malderus, *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 14. Hurtadus, *de Spe, & Charit. vol.* 2. *diſp.* 170. *ſect.* 16. §. 132. & nouiſſimè De Lugo *de Iuſt. & Iur. diſp.* 10. *ſect.* 10. *num.* 190. & *ſeqq.* qui hanc Sententiam non ſolùm *practicè*, ſed etiam *ſpeculatiuè* veriſſimā exiſtimat, & ait meritò Vaſquez dixiſſe contrariam Sententiam *Gentilitatem* ſapere, & à Chriſtiana lege alienam eſſe; ità vt ipſimet Mundani, qui pactione coacti ad recuperandum Honorem, Offenſorem repercutiunt, vel occidunt; ſtimulante tamen Conſcientia, videant, & fateantur ſe grauiter peccare, licèt Mundani Honoris legibus coacti, aliud facere non poſſint.

Prima ſētentia negatiua. Sotus. Carrer. Molina. Vaſquez. Rodriq. Turrian. Bañes. Salonius. Malder. Hurtad. De Lugo.

2 *Fundamentum* huius Sententiæ eſt, quia licitum non eſt priuata auctoritate occidere, vel percutere aliquem, niſi *ob Defenſionem* rei, quam aliter amittes, & eo modo conſeruabis; aliòquin erit non Defenſio,

Prima ratio ex eo, quòd talis repercuſſio, videtur potiùs vindicta, quàm defenſio.

ſed

ſed *Vindicta*, quæ auctoritate priuata ſemper eſt illicita; Sed occidere, vel repercutere Aggreſſorem poſt impactam Alapam, non conducit ad Defenſionem Honoris, quippequi per Iniuriam illatam, iam deſtructus eſt: ergo talis Repercuſſio, non poterit cohoneſtari titulo *Defenſionis*, ſed ſimpliciter dicenda eſt *Vindicta*, cùm non deſeruiat ad ablatum Honorem recuperandum, ſed ad nouum acquirendum, quo compenſetur iactura illius Honoris alio medio æquiualenti. Quod vtique Illicitum eſt, non ſecùs ac eſſet *Illicitum* occidere Furem fugiẽtem, ſi ablatam pecuniam in flumen proieciſſet, & dùm fugeret, alius tibi tantũdem pecuniæ offerret, dummodò fugienti Furi necem inferres; hoc enim non eſſet Defenſio tuæ pecuniæ, nec medium ad recuperandam illam à Fure, ſed eſſet *Vindicta* facti præteriti, ad lucrandum præmium tali Vindictæ ab illo alio propoſitum.

Secunda ratio à pari: ex eo quod non liceat Viro, occidere Adulterum in crimine deprehenſum.

3 *Præterea* à poſteriori, rurſùs eadem Negatiua Sententia probatur à De Lugo, tali pacto: Quia ſi licita eſt Percuſſio Inuaſoris, ſaltem *in continenti*, poſtquàm Ipſe iàm tuũ Honorem læſit, & vult recedere, fruſtrà, & immeritò Theologi communiter, & ipſi etiam Auctores cõtrariæ Sententiæ dicunt, Maritum non poſſe *in Foro Conſcientiæ* licitè occidere Adulterum in Adulterio deprehenſum; quia conſequenter deberent dicere, id licere; Si enim licitè occidis eum, qui te Colapho v.g. vel fuſtibus cædit, quandò id neceſſe eſt, ad retinendum tuum Honorem, ſaltem *in continenti* poſt Iniuriam acceptam; Cur, quæſo, non licebit in continenti occidere eum, qui maiori Iniuria, & Contumelia acta, lædit tuum Honorem per Adulterium, ſi aliter Honorem retinere, vel recuperare non potes; prout reuera non potes, multò magis, quàm in priori caſu de Contumelia Verbis, vel Fuſtibus illata, quę Dehonoratio poſſet per publicam & magnam Offenſoris *humiliationem* deleri? Certè non videtur differentia, nec ratio apparens, cur ſi licet Percuſſio *Contumelioſi in continenti*, nõ liceat etiam Occiſio *Adulteri in flagranti*, quandò in ipſo Crimine inuenitur. Conſequens autem Ipſi non concedunt, ſed expreſsè negãt; ergo nec Antecedens debent vllo modo admittere.

Secunda ſententia affirm.

4 SECVNDA OPINIO Affirmantem Partem ſequitur. Ità Nauarrus, *in Manuali cap.* 15. *nu.*4. Henriquez, *de Irregularit. cap.*10. vbi multos pro hac Sententia citat, inter cæteros Iaſonem, Cordubam, Manſium, Pegnam, Clarum, Caietanum, & Antoninum. Item Victoria, relect. *de Iure Belli, num.*5. vbi dicit: Eum, qui Colaphum accepit, poſſe ſtatim *repercutere*, *etiam gladio*, non ad ſumendam Vindictam, ſed ad vitandam Infamiam, & Ignominiam, etiamſi Inuaſor non eſſet vlteriùs progreſſurus. Vndè ſequitur, ſi Ille fugiat, poſſe Læſum ſtatim inſequi, & percutere; ſi enim poteſt repercutere Manentem, cur non Fugientem?

Nauarrus. Henriq. Iaſon. Corduba. Manſius. Pegna. Clarus. Caietan. Antonin. Victoria.

Ità etiam Fernandez, *in Exam. Moral. par.*1. *cap.*9. *§.*1. *num.*16. Qui affectus, inquit, Iniuria, magnam Honoris Iacturam faceret, ſi fugientem non perſequeretur, *Inuaſorem perſequi poſſet, & percutere* tantùm, quantùm ad ſui Honoris Defenſionem opus eſſet, etiam occidendo, ſi id opus eſſet. Ratio, inquit, eſt, quia ego poſſũ perſequi *Furem*, & illata Vi, etiam mortis illius damno, raptã recuperare: ergo maiori cum ratione *Infamatorem*, & ab eo raptum Honorem extorquere.

Fernand.

Pro eadem Sententia eſt Diana, 1. *par. tract.*1. *Miſcellan. reſol.*15. *& par.*5. *tract.*4. *reſol.* 11. vbi citat Marchantium, *in Summ. reſol. paſtor. ad Decal. cap.*5. *quæſt.*3. *caſu* 3. & Philippum Fabrum, *de Reſtit. in* 4. *Sen-*

Diana. Marchãt. Phil. Fab.

tent. diſt. 15. *quaſt.* 3. *diſp.* 52. *cap.* 1. *num.* 29. vbi ità inquit: An liceat ſolùm occidere, quandò durat Congreſſus, vt cùm Fur accipit rem alienam, vel aliquis afficitur Iniuria, aut Alapa, vel Fuſte cæditur, an etiam poſtquàm re ablata, & inflicta Iniuria fugit, eſt dubium.

Sotus, Molina.

Furem perſequi liceat, non offenſoré honoris.

5 Sotus, & Molina, *diſput.* 17. *num.* 8. tenent, licere quidem inſequi *Furem*, quandò res eſſet magni valoris, & exigua ſpes eſſet recuperandi, impunè poſſe occidere: *quoad honorem* verò nequaquàm, quia inquiunt, qui Alapa, vel Fuſte percuſſus eſt, iàm amiſit Honorem; ideò ſi perſequendo occidat, eſt vindicare Honorem; at Vindicatio non pertinet ad Perſonam Priuatam, ſed ad Principem.

Nauarrus.

In quo caſu liceat ſit Offenſorem repercuſſio.

6 Nauarrus verò *in Manuali, cap.* 15. *num.* 4. aſſerit: Poſſe inſequi, & occidere licitè. Et hæc Opinio (inquit Faber) *Mihi probabilior videtur*, intelligêdo hoc *de in continenti perſequutione*, vt ſi quis infligat Vulnus, vel Alapam, aut Fuſte quempiam percutiat, & ſtatim fugiat; nàm in hoc Caſu ſi offenſus inſequatur, & occidat, cenſetur occidere, *in actu ipſius Congreſſus*; neque enim Iudicandum eſt, hos eſſe duos Congreſſus; alterum, quo quis Iniuriam intulit; alterum, quo ſtatim eum inſequens interficit, ſed eſt vnus, & idem; *ideò licitè occidit*.

Repercuſſio, quæ non fit in continenti, an ſit licita?

Secùs ſi perſequutio non ſtatìm, & continuato tempore inſequatur, ſed qui percuſſit iàm abijt, & qui Vulneratus eſt, vel affectus Iniuria, non eſt inſequutus continuatè, *ſed interpoſito tempore*; tunc enim videntur diuerſi Congreſſus, & Secundus videtur ordinatus ad Vindictam. Accedit, quòd perſequendo Fugientem, defendit Honorem ſuum, cuius magnam Iacturam faceret, ſi fugientem non perſequeretur. Ità Faber.

Leſſius.

7 Leſſius, *de Iuſt. & Iur. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 80. Nonnihil videtur ab hac Sententia ſcrupuloſè diſcedere, dicens: Quod hæc Sententia eſt *ſpeculatiuè* probabilis, tamen in praxi, non videtur facilè permittenda: *Primò*, Ob periculum Odij, Vindictæ, & Exceſſus; ſi enim D. Auguſtinus ob has cauſas ægrè admittit, vt quis pro Vita tuenda alterum poſſit occidere, quantò minùs in tali caſu, ob Honorem tuendum concederet? *Secundò*, Ob periculum Pugnarum, & Cædium; vndè qui in tali caſu occideret, puniretur in Foro Externo; vt docet Gomez, *tom.* 3. *cap.* 3. *nu.* 24. etſi mitiùs. Tùm quia alter dedit cauſam, tùm quia homo intenſo dolore permotus, non eſt omninò ſui compos.

Practicè, cur nó ſit permittéda offenſoris repercuſſio?

Pet. Nau.

8 Petrus à Nauarra, *de Reſtit. lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 371. vtramque conciliare conatur Opinionem, tali pacto diſtinguendo: *Duplex Honor*, inquit, eſſe poſſe videtur in homine; *Vnus qui ex Spirituali Bono reſultat*, ſiue ex parte intellectus, vt Sapientia, Prudentia, Scientia, &c. Siue Voluntatis, vt Virtutes; ratione enim horum, homo honorabilis dicitur, & eſt, non ſolùm apud Sapientes, ſed apud omnes etiam Inſipientes.

Duplex honor diſtinguitur in homine.

Alter Honor, qui ex Corporali bono procedit, vt ex Viribus, Valetudine, Pulchritudine, &c. Poſſet ergo quis dicere, quod non licet indifferenter pro tuendo Honore occidere, ſed *pro primo* tantùm, qui verus Honor eſt, & per ſe expetibilis. *Secundus* verò Honor, non eſt per ſe, ſed propter aliud expetibilis, & ità tunc tantùm pro eo Honore tuendo licebit occidere, cùm neceſſarius eſt, vel vtilis ad alia Bona conſequenda, Iàm enim, & nomine Sanitatis, Virium, Pulchritudinis aſſequi poteſt officia, & alia neceſſaria Bona, à quibus impediretur talis Famæ, proprijque Honoris ablatione iniuſta.

Pro tuendo honore, qui eſt per ſe expetibilis, licitum eſt læſoré interimere.

An id etiá liceat pro honore, qui nó eſt per ſe expetibilis?

Extrà quem Caſum, *Illicitum*

vi-

videtur; Eſt enim vanus Honor, nec eſt verè dicendus Honor, aut Fama. *Qui enim ex Virtute non eſt, Honor dici non poteſt*; Vndè ſi homines Viribus valentes, magna rerum geſtarum Gloria in Honore ſunt habiti, id non tàm ob Vires, quàm ex Magnitudine Animi, quæ Virtus eſt, prouenit: Sola enim Corporis Valetudo, non facit hominem honorabilem, ſicut nec Corporis imbecillitas (in qua Animi magnitudo eſſe poteſt) non facit Dehonoratum quempiam.

Couarru.

Opinio negatiua, quomodò ſit intelligenda, iuxta Petrū Nauar.

9 De hoc igitur *Honore* loquitur Couarruuias *in Relect. §. Vnico, nu.4.* cùm dicit, non licere pro Honore tuendo occidere. Si enim de *Honore* primo loqueretur, vel Secundo quidem modo, cùm neceſſarius eſt ad alia Bona conſequenda, omnes, vt dixi fatentur licitam eſſe illius Defenſionem cum Inuaſoris Occiſione; De illo enim Honore ſcriptum eſt: *Curam habe de bono nomine, & meliùs eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ*. Si ergo licitum eſt pro Defenſione temporalium Bonorum, Inuaſorem occidere; à fortiori licebit pro dicto Honore, qui non inanis, ſed ſolidus, & neceſſarius eſt in Populo.

Syluij opinio explicatur.

Et ſanè, ſubdit, huius Sententiæ fuit Syluius *verb. Homicidium, quæſt.2. dict.6.* dùm dicit: Non licere occidere pro Honore; eſſet enim aperta Contradictio, cùm *verbo Excommunicatio, & verbo, Bellum*, oppoſitum dixerit. Interpretandus ergo eſt iuxtà hanc rationem. Vndè in dicto verbo Homicidium, ſic dicit: *Licet occidere, ſecundùm Aliquos pro Honore perſonali conſiſtente in turpi fuga, quod tamen Archidiaconus negat. Et hoc rationabilius, maximè vbi hæc turpitudo non eſt de malo culpæ, ſed de naturali timiditate*;

Auctoris Sententia.

Prima Auctoris reſponſio ad Quæſitū.

10 RESPONDETVR PRIMO ad Quæſitum cum Auctoribus Secundæ Sententiæ, Nauarro, Henriquez, Iaſone, Corduba, Manſio, Pegna, Claro, Caietano, Antonino, Victoria, Fernandez, Marchantio, Diana, Fabro, Soto, Molina, & Leſſio *locis ſuprà citatis*; Licitum eſſe poſt impactam Alapam, vel Fuſtem, ad Honorem recuperandum *in continenti* Inuaſorem repercutere, Fugientem inſequi, vel etiam occidere. Eſt contrà Auctores Primæ Sententiæ, præſertim contrà De Lugo, *loc.cit.* Cuius, & Dignitatem, ac Doctrinam ſemper ſum veneratus; liceat tamen Mihi quaſdam in præſenti Quæſtione difficultates, non impugnandi, ſed diſputandi gratia coràm Ipſo, meo tanquàm coràm Magiſtro exponere, vt magis magiſque, quæ Ipſe docuit, eluceſcant.

Prima ratio, ex eo quod licet furē occidere pro tuendis facultatibus.

11 PROBATVR *Primò*, quia per ipſummet De Lugo, *n.187.* pro *defendendo Honore* Inuaſorem occidere licet, non alia ratione, niſi quia, ſi pro *defendendis Facultatibus* Inuaſorem, ſeu potiùs *Furem* occidere licet, magis licebit pro defendendo Honore, qui multò pluris æſtimatur ab Hominibus, quàm pecunia: ergo poſt impactam Alapam, vel Fuſtem, licebit ad *Honorem recuperandum* Inuaſorem *in continenti* repercutere, vel Fugientem inſequi, vel etiam occidere, cùm eadem ratio militet vtrobique.

Secunda ratio, quia alioquin difficiliter recuperari poteſt honor.

12 PROBATVR *Secundò*: Per ipſummet De Lugo *loc.cit. in reſponſ. ad 2.* habetur, *rariſſimum* eſſe, quòd non ſit ad minùs magnum periculum non recuperandi Honorem, ſi permittatur Iniuria; quia apud homines non cenſetur ſufficienter redintegrari ille Honor per Iuris remedia; aliundè verò ſemper eſt magnum periculum, quod Iniuriator

ipſe nolit ſatisfacere quantum ſufficit ad maculam illam apud homines huius Sæculi delendam: ſed per Alapam, vel Fuſtem maxima Iniuria Inuaſo infertur apud homines huius Sæculi: ergò ad hanc maculam delendam, & *ad Honorem recuperandum*, licebit Inuaſorem poſt impactam Alapam, vel Fuſtem, *in continenti* repercutere; Fugientem inſequi, vel etiam occidere, cùm per alia remedia non cenſeatur ſufficienter redintegrari Honor, tàm grauiter læſus.

Tertia ratio, ex eo quod liceat occidere furē.

13 PROBATVR *Tertiò*: quia licitum eſt occidere *Furem fugientem* cùm re tua, quandò aliter eam recuperare, vel defendere non potes: ergo ſimiliter poteris Inuaſorem occidere, qui fugit cum tuo Honore, quem aliter tueri non potes.

Reſponſio De Lugo cōtrà tertiam rationem.

14 *Reſpondet* De Lugo, *nu.* 193. negando Conſequentiam, ac diſparitatem aſſignando, quia *in Primo Caſu*, Occiſio eſt *Defenſio rei tuæ*, nè auferatur, quæ eadem res extat in ſpecie, & in indiuiduo, & eſt tua: *In Secundo* autem Caſu, Occiſio non eſt Defenſio, cùm Honor iàm ſit ablatus, & non recuperetur per Occiſionem idem Honor, nec Occiſio ſit vtilis ad eum recuperandum, ſed ad acquirendum alium diuerſum, quem ab Offenſore non accipis, ſed ab alijs propter Fortitudinem *Vindictæ*, qui Honor non poteſt vllo modo licitè procurari.

Solutio.

An idem honor deperditus recuperetur, per repercuſſionē læſoris?

Sed contrà, Nàm Honor cùm ſit quid *morale* in ſignis excellentiæ, & hominum exiſtimatione conſiſtens, ſicuti per Alapam, vel Fuſtem cenſetur auferri, ſic etiam per repercuſſionem, ſiuè Occiſionem *moraliter*, idemmet recuperari cenſetur, nec alius diuerſus acquiritur, ſed idem prorsùs ab Inuaſore *moraliter* recuperatur: ergo ſicuti licet Fugientem Furem, cum re tua, ſi aliter illam recuperare nequis, occidere, ità & Iniurioſum Inuaſorem.

Quarta ratio.

An offenſor, ſecum honorem ablatum deferat?

15 PROBATVR *Quartò*; quia ſicut Fur defert ſecum rem tuam, ità is, qui illata graui ignominia fugit, tuum ſecùm defert Honorem; nàm in poteſtate illius eſt, eum tibi reſtituere, offerendo ſatisfactionem: ergo potes illum percutere, vt Honorem tuum reſtituat.

Reſponſio contrà quartam rationem.

16 *Reſpondet* De Lugo, Occiſionem Furis *vtilem* eſſe, vt reſtituat Fur rem tuam, quam eo occiſo, accipis ab ipſo; at in poſito Caſu, Occiſio *non eſt vtilis*, vt ipſe tibi Honorem reſtituat, cùm neque ſatisfactionem offerat, nec te ipſe, ſed alij, quia illum occidiſti, honorent: ergo per Occiſionem, rem ablatam non recuperas, ſed lucraris aliam ab alijs in iuſtæ Occiſionis præmium.

Solutio.

Sed contrà: Si per ipſum De Lugo, vtilis eſt Furis Occiſio, vt reſtituat Fur rem tuam, quam eo occiſo accipis ab ipſo: ergo etiam in Caſu poſito, non videtur minùs vtilis Inuaſoris Occiſio, vt ipſe ſic tibi eundem Honorem moraliter reſtituat, vt apud homines huius Sæculi communis eſt exiſtimatio.

Afferuntur aliæ Rationes pro eadem Prima Reſponſione.

Quinta ratio.

17 PROBATVR *Quintò*; quia ſi damnum ab aliquo rebus tuis illatum, non poſſet aliter ſarciri, quàm illius *Percuſſione*, poſſes ſtatim percutere, vt tali modo fiat damni reparatio; ergo ſi violato Honore, non poteſt aliter fieri reparatio, quàm ſi feriatur is, qui eum læſit, feriri poterit.

An licita ſit læſoris repercuſſio, quandò aliter fieri non poteſt honoris reparatio?

Reſpōſio cōtrà quintam rationem.

18 *Reſpondet* De Lugo: In primis hoc argumentum æquè, & fortiùs probare, poſſe licitè occidi *Adulterum*, ſaltem *in flagranti crimine*, quandò deprehenditur; quia Honor Mariti grauiſſimè læſus, non

po-

poteſt aliter recuperari, etiam Veniæ petitione,& qualibet ſatisfactione oblata; & tamen hoc licitum eſſe negatur.

Altera Reſponſio eo tra eandē rationē.

19 *Deinde* Antecedens vniuerſaliter acceptum, falſum eſſe: nàm ſi alius tibi in rebus tuis damnum intulit; quod nec ipſe poteſt reſtitutione compenſare, nec tu aliter recuperare potes, niſi eum libertate priuando, & obligando ad ſeruitutem pro damno illato, non potes certò id authoritate ſaltem propria facere; quia *libertas* eſt bonum ſuperioris ordinis, nec Ipſe Fur tenetur *cum tanto diſpendio*, damnum tibi iniuſtè illatum, reſarcire. Minùs ergo poteris Vita priuare Offenſorem ad reſarciendum damnum tibi in Honore illatum, licèt aliter reſarciri non poſſit, cùm longè ſuperioris Ordinis ſit Bonum Vitæ, quàm Bonum Libertatis.

In bonis ſuperioris ordinis, in uaſoris, an liceat fieri compenſatio.

Confirmatio Eiuſdē reſpóſionis.

Denique, nec etiam in Bonis *eiuſdem Ordinis* lædere poteris, vt Honorem tuearis; v. g. ſi Alapam accepiſti, Alapam reddere, Fuſtem pro Fuſtibus; ſi iàm Percuſſor ab offenſa *ceſſauit*; quia hoc medium non eſt vtile ad tuendum Honorem, vel illum recuperandum, niſi quatenùs continet rationem Vindictæ, ſub qua ratione nullo modo poteſt eligi.

Finge enim te ab aliquo *lethaliter* vulnerari, quem ſi in continenti non occidas, ſcis noliturum tuo vulneri remedium adhibere Titiū, qui ſolus ſcit, & valet tanto vulneri mederi. Quis dicat, te eo caſu poſſe Percuſſorem tuum *licitè* occidere, eòquod damnum ab eo tibi illatum non poſſis aliter reſarcire, niſi eum interficiendo? Sic ergo ſe habet in Caſu noſtro: nàm eſto, quod non poſſet Honor tuus aliter reſarciri, niſi morte, vel percuſſione eius, qui iniuriam fecit; adhùc non licet eo modo, acceptæ Contumeliæ remedium quærere.

20 *Sed contrà*; quia per ipſum De Lugo, etiam ſequeretur *licitè* poſſe occidi Adulterum, ſaltem *in flagranti*, quandò reperitur. Probatur Sequela; quia per ipſum licet occidere Inuaſorem ad læſum Honorem recuperandum: ergo etiam licebit Marito occidere Adulterum, quia Honor Mariti grauiſſimè eſt læſus; eſt enim par ratio. Aliundè ergo petenda eſt ratio, cur Adulter occidi nequeat, quam omitto, cùm non ſit huius loci. Nec fortaſſe deſunt, qui Sequelam admitterent, ſi periculum eſſet publicationis, non verò ſi *Secretò* id accideret; quia tunc Honor non eſſet læſus apud hominum Exiſtimationem, & in hoc Caſu, Occiſionem illam Adulteri, fortaſſe dicent eſſe per Modum Defenſionis, non autem Vindictæ: Sed an hoc verum ſit, iudicent Alij: Nos enim in hanc meſſem, falcem mittere non intendimus.

Impugnatio ſuperioris reſponſionis De Lugo.

Ad illud de Alapa, &c. verum eſt, quod apud homines huius Sæculi, ſi quis ob acceptam Alapam, Alapam redderet, vel Fuſtem pro Fuſtibus, vtique Honorem non recuperaret, etiamſi id faceret ratione Vindictæ; non enim dentem pro dente, nec oculum pro oculo eruere licet: ſed Iniuria illa per Alapam, vel Fuſtem illata, nonniſi Inuaſoris mutilatione, vel ſanguinis effuſione; aut Occiſione delentur, quæ ſi *in continenti* ſequatur, *licita* erit ad Honorem recuperandum, cùm rationem licitæ Defenſionis habeat: Si verò poſt temporis interuallum; prorsùs *illicita* erit, vtporè habens Vindictæ rationem, quæ priuatæ authoritati nō debetur, ſed publicæ.

Impugnatio confirmationis eiuſdem reſponſionis.

Prætereà, ad illum Caſum, qui fingitur de eo, à quo lethaliter es vulneratus, &c. Reſpondetur, ſi *in continenti*, cum Inculpatæ Tutelæ Defenſione Inuaſorem occidiſti, vtique non peccaſti: Si verò poſt temporis Interuallum, peccaſti quidem de Inuaſore Vindictam ſumendo. Ità ſi poſt Alapam impactam,

vel

vel Fuſtem, *in continenti* ad Honorem recuperandum, Inuaſor repercutiatur, vel etiam occidatur, licitum eſt; poſt verò temporis interuallum, *minimè*. Et ratio diſcriminis eſt; quia in continenti: *Inuaſoris Occiſio eſt per modum licitæ Defenſionis: Poſt verò temporis interuallum, eſt per modum Illicitæ Vindictæ*.

Sexta ratio.

Læſus in honore, an poſſit ſe indemnem reddere cum detrimētō honoris offenſoris.

21 PROBATVR *Sextò:* Si qui læſus eſt Iniuſtè in facultatibus, poteſt accipere ſibi ex Bonis Debitoris tantundem, ſi aliter ſatisfactionem habere non poteſt, & reſarcire poteſt ſuum damnum, damnificando ad hunc finem debitorem, quantùm neceſſe ſit ad ſe indemnem reddendum; cur etiam, qui læſus eſt *Iniuſtè* in Bonis Corporis, non poſſet lædere in Bonis Corporis eum, qui ipſe læſit, ſi hoc neceſſe, & vtile eſſet ad ſe indemnem reddendum? Cur item, qui læſus eſt in Honore, non poterit cum detrimento *Honoris* eius, qui læſit, ſe indemnem reddere, prout fieri poſſet, eum *in continenti*, alia ſimili, vel grauiori Contumelia afficiendo?

Reſponſio De Lugo ad ſextam rationem.

22 *Reſpondet* De Lugo, *nu.* 194. Diſparitatem eſſe, quia *acceptio* pecuniæ alienæ ad compenſandum debitum, non eligitur quatenùs *Malum affert Debitori*, ſed ſolùm quatenùs *Bonum affert Mihi*, recuperando id, quod meum eſt, vel mihi debetur. At verò *Percuſſio*, Occiſio, vel Dehonoratio Aduerſarij, eligitur præcisè quatenùs ei affert Malum: nec enim alio modo conſiderata, vtilis eſt mihi ad meum Honorem, niſi quatenùs infert malum Aduerſario, quod quia honorificum eſt apud homines, indè eſt vtilis mihi ad acquiſitionem Honoris, quo compenſem Honorem illum, quem perdideram, quarè non poteſt eligi, niſi *ſub ratione Vindictæ*, hoc eſt, quatenùs infert malum pro malo, quod quidem authoritate priuata non licet, vt omnes ſupponunt.

Percuſſio vel occiſio, non poteſt eligi prout eſt malum Offenſoris

Ad ſummum ergo tale argumentum probaret, quòd ſi eſſet aliquid quod præſcindendo à malo, quod Aduerſario infertur, afferret tibi Bonum, & reſarciret tuum Honorem, vel Damnum, poſſet id eligi, etiamſi eſſet cum damno eius, qui offenderet: quia tamen id repugnat, & ea omnia non aliter conducunt ad tuum Honorem tuendum, niſi quatenùs afferūt malum Aduerſario, & quia ipſa mali illatio, bona, & vtilis, ac honorifica exiſtimatur, prout mali illatio eſt; ideò non licet priuata authoritate Repercutere, vel Occidere, aut Dehonorare eum, qui te Offendit, ad recuperādum proprium Honorem; quia iàm eligeretur ad eum finem Vindicta, prout *formaliſſimè Vindicta* eſt, & intenderetur, non quidem, vt finis vltimus, ſed vt medium ad Honorem recuperandum.

Impugnatio ſuperioris reſponſionis De Lugo.

23 *Sed contrà* hanc rationem, ſic inſurgo: Sicuti *acceptio* pecuniæ alienæ ad compenſandum debitum, non eligitur quatenùs malum affert Debitori, ſed ſolùm quatenùs bonum affert Tibi; ità pariter *Percuſſio*, vel Occiſio Inuaſoris non eligitur ab Inuaſo ſe defendente cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ (de quo hic eſt Diſputatio) quatenùs Inuaſori malum affert, ſed ſolùm quatenùs bonum, Recuperationem ſcilicet Honoris affert tibi, iàm Inuaſo per Alapam, vel Fuſtem: Ergo ſicuti *licita* eſt alienæ pecuniæ *Acceptio* ad compenſandum debitum; ità non minùs licita erit *Percuſſio*, vel Occiſio Innaſoris, cum pluris faciendus ſit Honor, quàm pecunia.

Quis autem inficiatur, quòd ſi Repercuſſio, vel Occiſio Inuaſoris intendatur ab Inuaſo, ſub ratione *Vindictæ*, non ſit peccaminoſa? Sed nos contendimus, quod repercuſſio illa intendatur præcisè ſub ratione *licitæ Defenſionis*, quod licere, eadem nos ratione dicimus, qua

dicit

dicit De Lugo, licere Defenſionem Honoris cum Inuaſoris Occiſione.

Poſtrema ratio pro prima reſponſione ad Quæſitum.

24 PROBATVR tandem, quia ſi non liceret repercutere Offenſorem in continenti, *daretur licentia Improbis,* Contumelias grauiſſimas in quemuis ingerendi; nam per fugam, vel ceſſationem tuti eſſent, præſertim ſi non adeſſent Teſtes, vel ſi non morarentur in eodem loco.

25 *Reſpondet* De Lugo; Simile argumentum fieri poſſe de occiſione Adulteri, quæ ſi Marito non liceat, audaciores fient Improbi ad illud ſcelus. Sed tamen in neutro caſu debuit *Vindicta* permitti; quia ſi non ſola Defenſio, ſed etiam vindicta ſingulis Priuatis liceret, maiora certè incommoda in Republica ſequerentur, & ſumma rerum omnium perturbatio.

Sed contrà, quia ſicuti per ipſum De Lugo licet pro Honoris Defenſione *Inuaſorem occidere*, non obſtante, quod Incommoda, & Perturbatio in Republica ſequutura eſſent; non alia ratione, niſi quia, non *per ſe*, ſed *per accidens* ſequerentur; ità pariter dicendum in caſu poſito, damna, quæ ex ſimili permiſſione occidendi Inuaſorem poſt impactam Alapam, ſequutura forent, non *per ſe*; ſed *per accidens*, eſſe ſequutura; ideòque ex hoc capite adhùc firma remanet Quinta Ratio adducta.

Duæ aliæ Reſponſiones ad Quæſitum.

Offenſoris repercuſſio, illicita eſt niſi fiat in continenti.

26 RESPONDETVR *Secundò*: Repercuſſionem, ſiue Occiſionem Inuaſoris, licitam eſſe, ſi *in continenti* fiat, non autem interpoſito tempore. Et ratio eſt, quia quando *in continenti* fit, vnicus moraliter cenſendus eſt, & idem Congreſſus, cõplectens duos partiales; alterum, quo quis Iniuriam infert, alterum, quo ſtatim Inuaſus Iniuriam depellendo, Inuaſorem interficit. At verò cùm *interpoſito tempore* accidit, duo diſtincti Congreſſus totales *moralitèr* cenſentur; alter, quo Iniuria infertur, alter autem, quo poſt temporis interruptionem ad Vindictam Inuaſor occiditur, quod eſt per ſe malum, vt ex dictis patet.

Offenſorẽ qui veniã petit, non licet reper cutere.

27 RESPONDETVR *Tertiò*: Si læſor Veniam petat, offendi non poteſt, quia quantùm in ſe eſt Honorem reſtituit. Ità Leſſius, & Petrus Nauarra *locis ſuprà citat.*

Soluitur Oppoſitum Argumentum.

Argumentum contrà primã reſponſionem ad Quæſitũ.

28 Obijcies contrà Primam Concluſionem ex Hurtado *loc. ſuprà cit. §. 138.* Non licere cædere, aut vulnerare Iniuſtum Aggreſſorem iam fugientem, etiamſi Violentiam infamem intulerit; quia ex lege Duelli, qui accepit ab aliquo Alapam, Fuſtem, aut Vulnus, non remanet *notatus Infamia*, ſi eum fugiat Aggreſſor: ergo non poteſt licitè Fugientem cædere Aggreſſorem. Conſequentia patet; quia Cædes Fugientis non poſſet honeſtari, niſi propter depellendam Iniuriam, & Infamiam; ſiquidem neque Alapa, neque Fuſtis, neque vulnus iàm inflictum poſſunt depelli: ergo tantùm ſupereſt depellenda Iniuria, & Infamia. Quòd ſi hæc non ſupereſt propulſanda, iàm cædes Fugientis non eſſet *Defenſio*, ſed *Vindicta*, quæ interdicta eſt homini Priuato.

Furem inſequi non licet ſi vel non diripiat bona, vel ablata relinquat.

Hoc Argumentum confirmatur ab exemplo Latronis fugientis, quem occidere non licet, ſi ſolùm Bona diripere attentauerit, & *non diripuerit*: vel ea direpta, tibi perſequenti *reliquerit*, non alia ratione, niſi quia Vulnera Fugientis Latronis, ideò cohoneſtari poſſunt, vt recuperentur direpta Bona, quæ ali-

ter recuperari nequeunt. Pariter ergo dicendum eſt in priori argumento, non eſſe licitam Fugientis Inimici cædem, niſi relinquatur Infamia grauatus is, quem Inimicus fugit.

Reſponſio ad Argum.

Offenſoré fugienté, in quo caſu, repercutere pô liçet?

RESPONDETVR, diſtinguendo Antecedens; *Vel* ſecundùm prudentem hominum exiſtimationem; Qui accepit ab aliquo Alapam, Fuſtem, &c. per ſolam Fugam Percutientis, non remanet Infamia notatus, ſed per fugam illius communiter cenſetur quodammodò redditus ablatus Honor; itàvt quicquid Honoris Iniuſtus Aggreſſor, percutiendo abſtulit, poſteà fugiendo, compenſaſſe putetur; & tunc quidem vltrò concedimus, *Illicitam* fore Fugientis Inimici cædem: non enim alio titulo ea cohoneſtari poſſet, niſi defendendi, aut recuperandi *Honoris*, quem ſi ſupponimus in poſito caſu, per ſolam fugam Percutientis Inimici recuperatum eſſe, vtique *Illicitum* erit, Illum fugientem ad Vulnera, vel Necem vſque perſequi.

In quo caſu liceat fugientem offenſoré inſequi?

Si verò, qui Alapam accepit adhùc Infamiæ macula notatus remaneat, poſt Percutientis fugam, & tunc non videretur illicitum, Fugientem perſequi; vt citati pro noſtra Sententia DD. ſentiunt, juxtà ea, quæ hactenùs dicta ſunt. Et hinc patet reſponſio ad Confirmationem.

QVÆSITVM III.

Vtrùm pro Honore, Fama, & Gloria conſeruanda liceat Inuadentem non Armis, ſed Lingua, hoc eſt, Detractorem occidere?

SVMMARIVM.

1 *Rationes aliquot, quibus negatiua ſententia ſuaderi poſſet.*

2 *Petrus à Nauarra, licitum videri cenſet, talem Aggreſſorem fama interficere.*

Detractor æquiparatur Iniuſto Aggreſſori.

2 *Honor, non tàm gladio, quàm lingua aufertur.*

Grauiùs in honore læſus cenſetur, qui arundine cæditur, quàm qui gladio impetitur.

4 *Contumelia, & Detractio, in quo differant?*

Detractorem, non ſecùs ac Contumelioſum occidere licet, quandò aliter euitari non poteſt infamia.

5 *Soluuntur rationes dubitandi ſupràpoſita.*

6 *Bañes affirmatiuam ſententiam, probabiliorem cenſet, etiamſi crimen, quod Detractor panderet, eſſet verum, ſed occultum.*

7 *Non refert, vtrùm verberibus, vel lingua lædatur honor, vt poſſit armis defendi.*

8 *Detractiones, ſicut & Contumeliæ, poſſunt armis impediri.*

9 *Pericula amiſſionis vitæ, vel famæ, æquiparantur à Iuriſperitis.*

10 *Ius Defenſionis ſe extendit ad omnia ea, quæ neceſſaria ſunt, vt quis ſe immunem ſeruet.*

Detractor monendus eſt, vt deſiſtat, antequàm lædatur, vel interficiatur.

11 *Leſſius cenſet, in praxi permittendam non eſſe hanc affirmatiuam ſententiam,*

ne pluribus occultis cædibus præbeatur occaſio.

12 *Clericis an liceat Detractores, ac Offenſores ſua fama interficere.*

Duę ratio nes pro negatiua ſententia.

1 PRIMA fronte Negatiuè Reſpondendum videtur, quia priuata auctoritate non licet Arma ſumere, niſi contrà Inuadentem Armis; tùm etiam quia Honor, qui per detractionem aufertur, reparabilis eſt, vel per illius reſtitutionem, quam facere poteſt Detractor, vel alio modo Veritatem aperiendo: Ex quo ſequitur æquum non videri, tàm magnum, atque irreparabile mortis damnum Detractori inferre.

Reſponſio Petri à Nauarra.

2 Reſpondet tamen *Primò* Petrus Nauarra, *lib. 2. cap. 3. num. 375.* licitum eſſe videri, talem *Detractorem* occidere, cùm revera in tali caſu *Detractor Iniuſto comparetur Aggreſſori*; nihil enim referre videtur, an aliquem gladio Linguæ, vel Ferreo inuadas. Cùm non minor Iniuria, & damnum, hoc, quàm illo modo inferatur: Ius autem Defenſionis, non tàm ob modum inferendi, quàm ob illatum damnum conſurgere, putandum eſt.

Prima ratio.

Altera ratio.

3 Accedit, quòd *Honor* non tàm *Gladio*, ſicut Corporalis Vita aufertur, quàm *Lingua*, vel certè minitantibus actibus. Vndè iàm apud omnes etiam Sapientes, ea increbuit Opinio, vt qui arundine cæditur, in *Honore grauiter læſus* dicatur, non autem, qui vulnus accepit. Is enim, qui gladio vulneratus eſt, Honoris nihil amiſit. Si igitur *Honos* magis *ex verbis*, actibuſque minitantibus amittitur, quàm *Armis*, *& Gladijs*. Non benè dicitur, non licere Honorem tueri Armis, niſi armis auferatur ab Inuaſore.

Soluitur difficultas contra hàc affirmatiuam ſententiã.

4 Ad hæc, inquit Nauarra, Obijcio argumentum; nàm Contumelia à Detractione in eo differt, quòd licèt vtraque Honorem Proximi lædat, tamen *Contumelia* in præſentia, & in faciem; *Detractio*, ſeù murmuratio occultè, & in abſentia Læſi fit. Sicut de Rapina, & Furto dicunt DD. *Rapina* enim coràm Læſo, *Furtum* fraudulenter cõmittitur: Sed ex omnium ſententia, licet contumelioſum occidere, vbi aliud non remanet, eam Iniuriam arcendi remedium, cùm tamen Armis non inuadat; Igitur qui Murmuratione, & Detractione Iniuriam, maculamque inferre conatur *Iniuſte*, licebit, ſi aliter Infamiam, & Dedecus fugere non poteſt, occidere.

Detractio & contumelia, quomodò differant?

Diſcrimẽ inter rapinã & furtum.

Solutio primæ rationis negatiuæ ſententiæ.

5 Nec *Prima* Ratio in contrarium valet, cùm longè ſit diſſimilis ratio de Vita, quæ non adimitur, niſi Armis: at in Honore, perculſus manet Innocens, verbis, & actibus Contumeliæ, vel Detractionis.

Solutio ſecundæ rationis.

Secunda etiam facilè ſoluitur: nàm etiam Honor, Contumelia ablatus, reſtitui poteſt per Veniæ petitionem, & humiliationem: Et etiam Bona temporalia reparabilia ſunt; & tamen iuxtà omnium Sententiam, licet Aggreſſorem talium Bonorum occidere.

Verùm cùm hæc, & alia, quæ *loco citato* affert Nauarra, non aſſerendi, nec docendi, ſed diſputandi gratia dicat, aliorumque Iudicio examinanda relinquat.

Secunda Reſponſio ad Quæſ. Bañes.

6 Ideò reſpondet *Secundò* Bañes, *quæſt. 64. art. 7. dub. 4. Affirmatiuam ſententiam in caſu poſito probabiliorem eſſe*; Additque, idem ſentiendum eſſe, etiamſi crimen ſit verum; ſi tamen eſt occultum, itàvt ſecundùm Iuſtitiam Legalem, non poſſis pandere. Ità quoque ſentiunt nonnulli Alij recentiores.

Prima ratio pro hac affirmatiua ſententia.

7 Probari poteſt *Primò*; quia ſi baculo, vel alapa impacta, velit quis tuum Honorem, vel Famam violare, potes armis prohibere: ergo etiamſi id conetur lingua; nàm parùm videtur referre, quo Inſtrumento quis nitatur inferre

noxam, ſi æquè efficaciter nocebit.

Secunda ratio. 8 *Secundò*, quia Contumeliæ poſſunt Armis impediri: ergo etiam Detractiones.

Tertia ratio. 9 *Tertiò*, Periculum Famę æquiparatur periculo Vitæ, quod eſt commune pronuntiatum Iuriſperitorum, inquit Clarus, *num.*26. atqui ob periculum Vitæ euadendum, licet Vitæ Aggreſſorem occidere; ergo, &c.

Quarta ratio. 10 *Quartò*, quia Ius Defenſionis videtur ſe extendere ad omne id, quod neceſſarium eſt, vt te ab omni Iniuria ſerues immunem. Monendus tamen Detractor priùs eſſet, vt deſiſteret. Hæc Bañes.

Tertia Reſponſio ad Quæſitũ. Leſſius. 11 Reſpondet *Tertiò* Leſſius *de Iuſt. & Iur. lib.*2.*cap.*9. *dub.*12.*num.*82. hanc ſententiam ſibi in praxi non probari; quia multis occultis cædibus, cum magna Reipublicæ perturbatione, pręberet occaſionem; In Iure enim Defenſionis ſemper conſiderandum, nè eius vſus *in perniciem* Reipublicæ vergat: tunc enim non eſt permittendus. (Hęc opinio in praxi, cur non ſit permittenda?) Accedit, quòd etſi ſpeculatiuè vera eſſet, tamen vix in praxi poſſet habere locum: nàm Infamia, vel eſt illata, vel non eſt; ſi eſt illata, non extinguetur per mortem Infamantis; ſi non eſt illata, plerùmque non ſatis conſtat, aliter non poſſe eam impediri, ac proindè non poterimus eo modo Defenſionis vti.

Aliud Quæſitũ. 12 *Petes*. Liceatne Clericis occultos Detractores, & bonæ ſuæ Famæ Iniquos Aggreſſores occultè occidere, eo pacto, quo de Laicis dictum eſt?

Reſpõſio. Pet. Nau. *Reſpondet* Petrus Nauarra *lib.* 2. *de Reſtit. cap.* 3. *num.* 391. Quod ſi id Laicis licet, licebit etiam Clericis, qui Honoris, & bonæ Famæ curam habere poſſunt, & debent. Sic enim Honos non ex Viribus, ſed ex Litteris, & Virtute naſcitur, qui certè, cùm omnibus ſit neceſſarius: tùm maximè Sacerdotibus, & Religioſis, qui debent eſſe, & Sapientiæ, & Virtutis Exempla, quem honeſtiſſimum, & Honorem, & bonum nomen tueri, non illis Vitio dari debet.

Et ſanè idem iudicium de Secularibus eſſe deberet, ſi ad Veritatem Euangelij ambularemus, & Chriſti Domini exemplum, & Apoſtolorum veſtigia, primitiuæque Eccleſiæ feruorem haberemus. Quis enim Chriſtianus dedecori dandum putaret, quod Percutientem ſe, non percuteret, cùm Chriſtus Percutienti, alteram maxillam præbendam cenſeat? Hæc Ille. Nos autem in hac re ſilentium decet. Dedecori non datur Percutiẽtem non repercutere.

QVÆSITVM IV.

An licitum ſit Cædem, aut Vulnera inferre Contumelioſo, ad Contumeliam depellendam?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio Negatiua cum communi ferè DD. ſententia.*
2 *Cædes, ac vulnera in Contumelioſum, non poſſunt cohoneſtari titulo Defenſionis.*
3 *Hæc negatiua reſponſio, Iuriſperitorum auctoritate firmatur.*
4 *Cædes, ac vulnera prohibita ſunt lege Dei, nec vtilia ſunt ad iniuriam propulſandam.*
5 *An aliquo alio fine cohoneſtari poſſint cædes, & vulnera in Contumelioſum?*
6 *Cur facultatum Aggreſſorem cædere liceat, non autem Contumelioſum?*
7 *Non ſunt licita vulnera, ac cædes ad eum finem, vt Offenſor illatas Contumelias retractet, ac veniam precetur.*
8 *Furem, licitum eſt vulneribus cogere, vt abſcondita bona prodat, non autem Contumelioſum, vt veniam precetur. Aſſignatur diſparitas.*

RE-

Reſponſio negatiua.
Filliuc.
Leſſius.
Binsfeld.
Azorius.
Molfeſ.
Hurtad.
Diana.
Paſqualig.
Pet. Nau.
Bonacin.

1 RESPONDEO Negatiuè cum Filliucio, *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 3. *quæſt.* 7. *num.* 49. Leſſio, *lib.* 2. *de Iuſt. & Iur. cap.* 9. *num.* 78. Binsfeldio, *de Iniurijs, & damno dato, cap.* 1. *quæſt.* 9. *concl.* 4. Azorio, *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 17. Molfeſio, *tom.* 1. *Summæ tract.* 11. *cap.* 19. *num.* 74. Hurtado, *in* 2. 2. *de Spe, & Charit. diſp.* 170. *ſect.* 15. *§.* 123. *& ſeqq.* Diana, *par.* 5. *tract.* 4. *de Homicidio reſol.* 12. Zacharia Paſqualigo, *in Deciſ. Moral. deciſ.* 441. *contrà* Petrum Nauarra, *lib.* 2. *de Reſtit. cap.* 3. *num.* 382. Bonacinam, *diſp.* 2. *de Contractibus, quæſt. vlt. ſect.* 1. *punct.* 10. *num.* 7. vbi etiam alios citat DD. qui tamen non de Iniuria, in ſolis conſiſtente verbis loquuntur, ſed de Iniuria Fuſte, vel Alapa inferenda. Eſt prætereà hæc noſtra Sententia contrà Ioannem de Eſcobar, *par.* 1. *de puritat. & Nobilit. proban. quæſt.* 1. *gloſſ.* 4. *num.* 14. Strouerſdorf, *quæſt.* 64. *de Iuſt. & Iur. art.* 7. *concl.* 5. Baldellum, *lib.* 3. *Moral. Theol. diſp.* 24. *num.* 24. qui omnes aſſerunt licere Contumelioſum occidere, dummodò tamen Contumeliæ ſint atroces, & alia ratione vitari nequeant.

Eſcobar.
Strouerſd.
Baldell.

Ratio.

2 Probatur autem noſtra, & cõmunis ſententia, quia *Cædes, & vulnera*, vtpotè Diuina, humanaque Lege prohibita, nunquàm licita eſſe poſſunt, niſi vel *in ſcelerum vltionem*, publica auctoritate: vel priuata, *ob neceſſariam ſui Defenſionem*, ſeruato Inculpatæ Tutelæ Moderamine: Sed in caſu poſito, neutro titulo poſſunt eſſe licita: ergo ſimpliciter aſſerendum eſt, Illicitum eſſe Vulnera, vel Cædem inferre Contumelioſo. Maior ab omnibus admittitur: Minor verò probatur; quia Contumeliæ, cùm conſiſtant in ſolis verbis, verbis itidem ſunt repellendæ; quique verbis Contumelioſis adimitur, vel deſtruitur Honor, idem viciſſim redditur, ac conſeruatur alijs verbis, ad conſeruandum Honorem idoneis. Cùm ergo verba ſolùm ſint ex ſe ſufficientia ad Contumeliam propulſandam, opus non erit Arma adhibere, ac Contumelioſum vulneribus, vel morte afficere.

Contumeliæ verbis ſunt repellendæ.

3 Conſentiunt cum Theologis doctiſſimi Iuriſperiti, qui de Duello ſcripſere, inter quos Iacobus de Caſtillo *tom.* mihi 6. *Varior. tractat. lib.* 4. *num.* 2. vbi ait: Si vnus dicat, Tu es proditor Fidei, Violator, Fur, Adulter, Hæreticus, Sodomita, vel alia huiuſmodi, & Iniuriatus dicat, Tu immò es proditor &c. reſpondendo per eadem verba, retorquendo in ipſum Aduerſarium: Vel dicat, vt magis eſt ex conſuetudine Militum, TV MENTIRIS, & tunc fit compenſatio, quia paria delicta, mutua compenſatione tolluntur. *cap. Si de adulte. l. ſi vxor. eo tit. argum. l. ex plagis. §. tabernarius. ad l. Aquil. in Clem.* 1. *de homicid. & in l. ſi duo. ff. de dol. vbi inter partes dolo hinc indè commiſſo inuicem non agent, quia fiet compenſatio, & facit l. viro, atque vxor. ff. ſolut. matrim. & quod ibi plenè not. & in l. ſi ambo, de comp.* Ità præfatus Iuriſperitus, quocum ità quoque ſentiunt Andreas Alciatus *eodem tomo in Conſil. de ſingul. Certam.* & Socinus Iunior, *conſ.* 1. *de Duello*.

Iac. de Caſtillo.
Alciat.
Socin.

4 Affert Hurtadus aliud Argumentum ad eandem Sententiam comprobandã; quia nimirùm quandò medium eſt prohibitum lege Dei, non poteſt eligi ad iniuſta damna propulſanda, niſi quandò ad id eſt *per ſe vtile*, ſed cædes, & vulnera ſunt prohibita lege Dei, & non ſunt per ſe vtilia ad depellendam Iniuriam Contumeliæ: ergo ad id non ſunt licita.

Vtilia non ſunt vulnera Contumelioſi ad Iniuriã depellendam.

Minor patet; quia *Iniuria Contumeliæ* oritur, tùm ex *praua opinione*, quam ex Contumelia poſſunt alij concipere de affecto Contumelia: tùm ex *audaciæ contemptu*; Contumelioſus enim contemnit, quem afficit Contumelia. Contemptus hic non poteſt tolli; niſi Contumelioſo palinodiam cantante, veniamque

Contemptus à Cõtumelioſo illatus nõ poteſt vulneribus tolli.

petente; qui enim hominem contemnit, opus eſt, vt eum honoret ad compenſandum contemptum: poteſt item contemptus depelli Magiſtratu plectente Contumelioſum, & oſtendente affectum Contumelia, fuiſſe ea indignum: At Contumeliã Patiens, non poteſt ferro oſtẽdere, ea ſe non fuiſſe dignum, licèt Contumelioſum occidat; Poteſt enim eſſe dignus Contumelijs, quantùm eſt ex ſe, & ſimul occidere Contumelioſum; ergo Cædes Contumelioſi *inutilis* eſt ad diluendum contemptum.

Falſitas contumeliç, nõ probatur cæde contumelioſi.

Veritas item, aut Falſitas *Contumeliæ*, non poteſt probari Cæde Contumelioſi; poteſt enim, & verum dixiſſe, & cædi.

An ob aliquem aliũ finem, licita ſit Contumelioſi cædes?

5 Supereſt ergo, vt *Cædes* ſit vtilis ad probandum affectum Contumelia, fortiorem eſſe Contumelioſo: hùc enim tendunt omnes leges Duelli. Sed hic finis non poteſt licitè comparari Cæde hominis: ergo &c.

Item hic finis de maiori fortitudine, eſt inutilis ad depellendam Iniuriam Contumeliæ: nàm poſſum ego eſſe fortior Contumelioſo, & ab omnibus ità exiſtimari, & tamen infici vitijs obiectis per Contumeliam, & eſſe contemptibilis.

Soluuntur Oppoſita.

Primum argumen.

6 Obijciunt *Primò* Aduerſarij: licitum eſſe occidere *Inuaſorem Facultatum*: ergo licitum eſt etiam occidere *Inuaſorem inferentem ignominiam*, cùm maius bonum ſit Fama, quàm ſint Facultates temporales, iuxtà illud *Prouerb.* 22. *Melius eſt bonum nomen, quàm Diuitiæ multæ*. Prou. 22.

Solutio.

Reſpondetur. Ideò licitam eſſe *Furis Cædem*, quando aliter amiſſa recuperari nequeunt Bona, quia Cædes illa, eſt medium vtile ad perdita Bona recuperanda. Verùm *Cædes Contumelioſi*; neque apta eſt, neque vtilis ad verbales propulſandas Iniurias, ſiquidem Contumelioſo cæſo, non per hoc oſtenditur falſam fuiſſe illatam Contumeliam, ſed tantummodò Contumelioſum in illatæ Contumeliæ pœnam, vulnera, ac Cædem reportaſſe.

Alterum argum.

7 Obijciunt *Secundò*: Quàmuis Vulnera, & Cædes vtilia non ſint ad amiſſum recuperandum Honorem, tamen vtilia ſunt, ad hoc vt Contumelioſus, quas Iniuſtè intulit Contumelias retractet, veniamque precetur; ac proindè ad eum finem poſſent licitè eligi ab eo, qui eſt Iniuria affectus, non ſecùs ac licitum eſſet, Vulneribus cogere Furem, vt indicaret, vbinàm ablatas abſcondiſſet fortunas.

Solutio. Contumelioſi retractatio ac veniç petitio læſũ honorem nõ reſarciũt.

Reſpondetur, Neque ex hoc capite, licita reddi poſſe talia Vulnera; quia in tali caſu retractatio, & veniæ petitio à Contumelioſo factæ, non læſum reſarcirent Honorem, quippequæ non ſpontè, ſed *metus cauſa*, & inuoluntariè factæ cenſerentur. Quapropter omnes cenſere poſſent, Contumelias fuiſſe veras, ſatisfactionem autem non fuiſſe veram; vel ſaltem fuiſſe ſuſpectam, vt ſunt omnia, quæ contingunt metus cauſa. Quòd ſi omnes contractus, & Profeſſio Religioſa contingentes *metus cauſa*, ſunt irriti: nonnè cenſebitur (inquit Hurtadus) inanis iſta Contumelioſi ſatisfactio, extorta intentata morte violenta? Cenſebitur quidem homo valentior Contumelioſo.

Furẽ, cur cogere liceat vulneribus, vt abſcõdita bona prodat, non autem cõtumelioſũ vt ſe retractet &c.

8 *Ad Confirmationem* Reſpondetur, diſparem eſſe rationem: nàm Fortunæ redditæ per Vim illatam Furi, ſunt Domino æquè vtiles, quia illarum vtilitas non pendet à ſpontanea, aut violenta reſtitutione; ſed ab illarum expedita poſſeſſione. Hinc fit, vt licitum ſit *Furem* Vulneribus cogere, vt eas facultates abſconditas prodat, non verò fas eſt,

Con-

Contumelioſum cædere, eumque Vulneribus cogere ad veniam petendam, quia illa Veniæ petitio, vtpote Vi extorta non ſatisfacit Honori læſo; ſatisfaceret autem, ſi à publica poteſtate præciperetur, vel ab ipſomet Contumelioſo ſpontaneè fieret.

QVÆSITVM V.

An Contumelioſum dicentem, *Tu Mentiris*, licitum ſit occidere, vbi hoc verbum *Mentiris*, eſt valdè ignominioſum?

SVMMARIVM.

1 *Licitum non eſt Contumelioſum in tali caſu interimere.*
2 *Vulnerare, vel Occidere Contumelioſum, non eſt medium aptum ad repellendam Iniuriam.*
3 *Verba Contumelioſi in tali caſu, verbis etiam retundi poſſunt.*

Reſponſio negatiua. Azorius. Diana. Paſqualig. RESPONDEO Negatiuè cum Azorio, *par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *queſt.* 17. Diana, *par.* 5. *tract.* 4. *de Homicidio. reſol.* 13. *verb. Sed meritò*, & Paſqualigo, *in Deciſionib. moral. deciſ.* 442. *num.* 3. contrà Henricum Srrouerſdorf, *de Iuſt. & Iur. in* 2.2. *D. Thomæ, queſt.* 64. *art.* 7. *concl.* 5. vbi ſic ait: Poteſt etiam interfici, qui Virum honoratū baculo, vel pugno conatur percutere, nec poſſet aliter impediri; immò dicere *Tu Mentiris*, vbi hoc valdè probroſum eſt.

Ratio. 2 Fundamentum eſt; Quia occidere, aut vulnerare in tali caſu Contumelioſum, non eſt medium aptum, neque neceſſarium, ad repellendam Contumeliam illam; quia etiam occiſo, aut vulnerato Contumelioſo, non per hoc conſtat *Te non eſſe Mentitum*, ac proindè neque cenſetur repulſa Contumelia, ſed tantummodò ſumpta Vindicta de tali Contumelioſo; quod vtique licitum non eſt. Adde, quòd cùm Iniuria illa ſit in genere verborum; verbis etiam repellenda eſt, ac in Contumelioſum retorquenda.

Dubium. Alciatus. 3 Sed dices ex Legibus Duelli, vt ſcribit Alciatus *in Conſil. de Sing. Certam. n.* 18. *to.* 12. *DD.* Verbum *Mentiris*, tàm atrocem inferre Iniuriam, quæ nullis verbis purgari poſſit, ſed ſolo facto, ideſt Armorum violentia.

Reſpōſio. Reſpondetur ex eodem Alciato, falſum eſſe, adeò atrocem eſſe talem Iniuriam, vt nullis contrarijs verbis retundi poſſit: Deindè, Etiamſi concedamus (inquit Alciatus) grauiſſimum eſſe id mendacij probrum, cur eiuſdem probri retaliatione non diluitur? Mentiris, immò tu longè fœdiùs Mentiris; debet enim omne verbale crimen contrarijs retundi.

SECTIO VI.

DE TERTIA DVELLI SPECIE, HOC EST,

De Duello Ignominiæ Euitatiuo, ſeu Honoris Cauſa.

CÆteras inter Duellicas Species, Tertia hæc ad Ignominiam euitandam, humano Generi pernicioſiſſima eſt: Nàm cùm ſuapte natura ſemper appetentes laudis ſint Mortales, libenter pro Honore; ſeu periclitante tuendo, ſeu amiſſo recuperando,

Arma arripiunt: protinùs eis ſingulare certamen inire arridet,

--- *Pulchrũq; mori ſuccurrit in armis.* Virg. 2. Aeneid.

Nec pœnarum metu coërciti, nec Corporum, Animarumque periculo deterriti, à Duello Honoris Defenſiuo ineundo, animum reuocãt; ſed Diuinis, Humaniſque poſthabitis Legibus, vt Honorem tueantur; Vitam, Animamque tueri negligunt. Quamobrem multorum in dies fatigantur Theologorum ingenia ad noua ſubindè excogitanda argumenta, quibus aliquo pacto huiuſmodi cohoneſtari poſſit Duellum, nè dùm omninò Chriſtiano ex Orbe exterminari nequit, ſaltem aliqua ſub formalitate cohoneſtatum appareat. Verùm, nè quis in hac parte Me Duelli laxaſſe habenas, immeritò conqueratur, equidẽ de induſtria ſilebo; quid tamen alij ſenſerint Doctores, audire libet; ideòque illos proprio loquentes ore hùc introduximus. Quid ergo dicant, in ſequenti Quæſito audiemus.

QVÆSITVM VNICVM.

An licitum ſit Duellum Honoris cauſa committere? Vbi multa alia ad hoc Quæſitum pertinentia, ſoluuntur Dubia.

SVMMARIVM.

1 *Prouocato ad Duellum, occidere non licet Prouocantem ratione prouocationis.*
Proponitur oppoſita ſententia Petri à Nauarra.
2 *In Occiſione Prouocatoris, locum habere iuſtam ſui Defenſionem, videtur docere Nauarra.*
3 *Hæc Nauarri ſententia impugnatur: Ignominia, quæ non acceptando Duellum reſultat in Prouocato, non cenſetur illata à Prouocatore.*
4 *Prouocatus ad Duellum, non tenetur ſe domi continere, nec aliquam actionem cum ſuo graui incommodo prætermittere.*
Hæc Concluſio, plurium DD. auctoritate firmatur.
5 *Qui certò ſciret ad Duellum ab aliquo vocari, teneretur ſe domi continere, poſſet tamen egredi, quandò expediret, vt ſua negotia pertractaret.*
6 *Quandò damnum, quod ex incluſione intrà domum reſultat, eſt proportionatum damno, quod ex ipſo certamine prouenit, tunc licitum eſt Prouocato in publicum exire.*

CELEBRI huic Quæſito plenè ſatisfacturus, varia Theologorum placita referam; nè tamen ipſa Doctrinarum copia, ac varietas, Lectoris mentem obruat, in varias eam partiti ſumus Reſpõſiones, quarum ſingulis, aliquid in ſumma excerptum, clarioris intelligentiæ cauſa præmittimus. Sit autem modò Occiſio prouocantis ad Duellum non eſt licita. Opinio Petri à Nauarra.

Prima, & Secunda Reſponſio ad Quæſitum.

1 RESPONDETVR *Primò*: Prouocato non licere occidere prouocantẽ, ex vi prouocationis ad Duellum. Eſt contra Petrum à Nauarra, *lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 286.* vbi hęc habet. *Et quamuis magna eſſet ignominia non acceptare* (ſcilicet Duellum) *quia contumelioſè ſe gerit ergà me, adhuc non liceret acceptare, cum illud non ſit medium neceſſarium ad vitandam ignominiam, ſed poſſet pura defenſione vti.* vbi innuit, quòd ignominia illa, quæ ex *non acceptatione Duelli*, Prouocato in- Occiſio prouocatoris, an ſit licita defenſio?

fer-

fertur, ſit depellenda media occiſione Prouocantis.

2 Videtur autem Nauarra moueri ex illa paritate, qua licet pro *Defenſione Honoris* Contumelioſum occidere: quæ Occiſio ab ipſo appellatur in præſenti caſu, mutato nomine, *Defenſio*; nàm ad mentem huius Doctoris, ſicuti Occiſio Contumelioſi ſe habet per modum *Licitæ Defenſionis*; ità etiam in caſu noſtro ſentire videtur, quàmuis ſubobſcurè, quòd *ignominia* illa, quæ à Prouocato non *acceptante Duellum* contrahitur, poſſit ab ipſo Prouocato, media Occiſione Prouocantis, quæ ſe haberet per modum *Licitæ Defenſionis*, deleri, ac repelli. Verùm contrà hanc doctrinam, ſic inſurgo.

Impugnatur Nauarri opinio.

3 Vel per Te, *non acceptare Duellum* eſt Ignominioſum reſpectu non Acceptantis, vel non: ſi non eſt *Ignominioſum*; ergo Illicitè, & Iniuſtè Prouocatus occidetur: nec in iſto caſu, vllo pacto Occiſio rationem haberet *Defenſionis*. Vel eſt Ignominioſum, & tunc quidem Ignominia illa non oritur ex Prouocante, qui Te prouocans ad Duellum, Te exiſtimauit Virum fortem, ac Virtute pollētem; quam ergo Ignominiam, quæſo, Tibi intulit? Immeritò ergo illius Occiſionem meditaris ad Iniuriam depellendam. Ignominia verò ortum haberet ex tui animi vilitate non Acceptantis: ergo Tibi adſcribenda eſt talis Iniuria, non verò Prouocanti: Si ergo Prouocans, cauſa non eſt Ignominiæ, quæ ex hac acceptatione Duelli oritur, cur Ipſe pœnam luet talis Ignominiæ? ergo non videtur firma Nauarri opinio.

Prouocās ad Duellū an inferat Prouocato Ignominiam?

4 RESPONDETVR *Secundò*, Prouocatum nō teneri *domi ſe continere*, nec omittere actiones illas, quæ ſinè graui incommodo præteriri nequeunt. Eſt communis. Ità Bañes, *de Iuſt. & Iur. tom.4. art.7. dub.3. in fine.* his verbis: *At verò ſi irritatus eſt certus moraliter, quod irritans vult cum illo digladiari, debet verbis ſuum Honorem modeſtè defendere, vt iam diximus, ſed non tenebitur domi manere, ſed poterit exire, quoties ſibi opportunum erit ad negotia ſua tractanda.*

Bañes.

5 Idem habet Sanchez, *lib. 2. cap. 39. num. 11.* ità: *Sed nunquid ſi quis iratus quempiam vocat, dicens ſe velle illum paucis ſeorsìm conuenire, liceat huic exire? Sic diſtinguendum eſt: ſi vocatus ſit moraliter certus, ſe ad Duellum vocari, non licet. At non tenebitur domi ità manere, vt nequeat egredi, quoties opportunum ſibi fuerit ad ſua negotia pertractanda. At egredi licebit, ſi credat fore, vt iratus blandis verbis placetur.* vbi etiam citat Bañes modò à nobis adductum.

Sanchez.

Qui cert[...] ſcit ad Duellum vocari, a[...] licitè poſ[...] ſit egred[...]

6 Conſentit Hurtadus, *de Spe. & Charit. vol. 2. diſp. 170. ſect. 11. §. 96.* ſequentibus verbis: *Quandò Prouocati concluſio intrà domum, eſt illi futura graui damno, proportionato incommodis Certaminis, non tenetur Prouocatus ad ſe concludendum, ſed poteſt licitè in publicum exire.* Hoc ipſum docent communiter.

Hurtad.

Soluuntur duo Dubia.

7 *Si tempus prouocationis futurum ſit diuturnum, maximè incommoda cenſetur incluſio intrà domum, ac proindè licitum eſſet prouocato egredi.*

8 *Serui, qui ſuis Dominis famulari, & obſequium præſtare tenentur, an licitè egredi poſſint, ſi ad Duellum fuerint prouocati?*

9 *Egreſſus è domo honeſtatur, quando in foro agendum eſſet de aliqua lite magni momenti, ac neceſſarium eſſet ibi intereſſe: Idemque dicendum in caſu, quo Prouocati Vxor, Filius, aut Parens, vel alia perſona maximè coniuncta eſſet in graui periculo amittendi vitam, bona, aut famam.*

10 *Hęc doctrina locum habet, etiam ſi faciendum eſſet iter per locum condictum, vbi Prouocator expectat armatus, iuxtà Hurtadum.*

PRI-

Primum Dubium.

7 PETES *Primò*, Quandonàm concluſio intrà domum erit cenſenda *maximè incommoda?*

Reſpóſio. *Reſpondetur* cum Hurtado *loco cit*. Si tempus prouocationis futurum ſit *diuturnum*, licere Prouocato *è domo egredi*. quia tàm diuturna carceratio eſt per ſe moleſtiſſima & inter grauiſſima ſupplicia locum tenet: eſt enim plena grauiſſimis incommodis. Nàm priuatur homo Amicorum familiaritate, & cōſuetudine, oblectatione ſpectaculorum publicorum, vtilitate adeundi loca diuerſa, in quibus geruntur multa ſpectantia ad rem domeſticam; exercitatione virium inambulando, quod maximè vtile eſt ad ſanitatem; priuatur facultate viſendi templa, aſſiſtendi Sacrificijs, & Cōcionibus ſacris: neque caret ſuſpicione timiditatis. Denique eſt quędam ſpecies *Careerationis diuturnæ*.

Diuturna concluſio intra domum, cenſetur maximè incómoda.

8 Prætereà ſi quis Regi famuletur, aut viro Principi; quorum obſequio niſi aſſiſtat, cadet ab illorum gratia, & fortè dabit occaſionem, vt dimittatur ex illorum domo. Hæc ſunt grauiſſima damna per ſe excuſantia egreſſum è domo: niſi prouocatus moneatur ab Hero, ſibi placere, vt ſe domi contineat, dùm pax non componitur, aut ſi certò ſperet id ſuo Hero gratum futurum.

Alij caſus in quibus grauiter incommoda redditur cóclu. ſio intrà domum.

9 Item ſi in Foro agitur de aliqua *lite magni momenti*, cuius cauſa cadet, niſi interſit. Item ſi Filius, Vxor, Parens, Frater, aut alia perſona, ſibi maximè coniuncta, ſit *in graui periculo* amittendi vitam, famam, aut fortunas. Tunc enim honeſtatur *egreſſus è domo:* vt ſi accerſendus ſit Medicus, aut Chyrurgus, aut Confeſſarius, ſinè quibus aliquis ex ſuis graue damnum patietur ſpirituale, aut corporale, neque poteſt per aliū illos accerſere. Aut ſi emendi ſint, cibi, veſtes, & alia, ſinè quibus vita non degetur, aut degetur miſerè: neque habet alium, per quem illa comparet, vel ſit daturus opem alicui perſonæ publicæ, vel priuatæ, ſibi coniunctæ, aut etiam alicui innocenti. Si eſt Medicus, aut Miles, poteſt exire ad viſendos ægros, & munera militaria. Denique quoties non poteſt honeſtè *ſe domi continere*, quia prudens quiſque cenſebit id oriri non à ratione, ſed à timiditate. Quæ autem ſint hæ occaſiones, prudenti vſu diſcitur potiùs, quàm doctrina. Hæc Hurtadus.

Secundum Dubium.

10 PETES *Secundò*, Vtrùm hæc licita ſint, quando prouocatus certò ſcit, inimicum eſſe in loco, per quē ipſe eſt iturus? vel etiam quandò faciendum eſt iter per locum condictum, vbi Prouocator expectat armatus?

Reſpondet Hurtadus *loco ſæpè cit*. §. 98. Ea licere illis in occaſionibus: quia hæc doctrina eſt, quoties eſt timor probabilis futuram pugnam cū Aduerſario aggreſſuro prouocatum: etenim ſi nullus ſit probabilis timor futuri congreſſus, poteſt licitè prouocatus egredi domo, quoties libuerit, ſed quod mihi licet cum probabili timore futuri congreſſus; mihi etiam licet certo moraliter de eodem congreſſu, quia periculum probabile de aliqua re, perindè eſt, ac certitudo moralis in morali conſideratione: vt ſi Ego timeo probabiliter hominem à me occiſum iri, ſi rem aggredior, tàm homicida ſum, quàm ſi eam moraliter certus aggrederer: quàmuis ratione maioris, minoriſue ſcientiæ, peccatum minuitur, aut augetur intrà eam ſpeciem. Ratio à priori, quia probabiliter timens homicidium, rem aggreditur, iam illud animo haurit, &

Reſponſio affirmat.

Ratio.

quòd

quod eſt in ſe, illi dat operam, ſed cum timore probabili pugnæ futuræ, hæc omnia licita ſunt prouocato: ergo eadem ſunt licita cum timore moraliter certo.

Tertia Reſponſio, Quoad Simplicem Duellandi Complacentiam.

11 *Voluntas pugnandi, quatenus importat ſimplicem complacentiam de pugna, eſt indifferens, vt ſit, vel non ſit peccaminoſa.*

Quid ſi pugna delectet ſolùm ratione dexteritatis, quæ in illa oſtenditur, aut ratione alicuius boni, quod ex ipſa reſultat?

Complacentia de pugna, nō ſemper eſt peccaminoſa.

11 RESPONDETVR *Tertiò* ad Quæſitum, *Voluntatem pugnandi*, quatenùs eſt *ſimplex complacentia* in pugnam, (prout ſcilicet prouocatus de pugna ſibi complacet) eſſe *indifferentem*, atque poſſe eſſe *peccaminoſam*, & *non peccaminoſam*. Probatur: Si pugna delectet propter *vulnera, & cædem inimici*, eſt peccatum mortale, quia eius obiectum formale eſt *intrinſecè malum*, in quo propter ipſum nullus poteſt delectari. Poteſt item non eſſe *peccatum*, quando pugna delectat non ratione *vulnerum, & cædis*, ſed ratione *dexteritatis*, quæ in illa oſtenditur, vel *alius boni eam ſecuturi*: tunc enim *ſimplex complacentia* non tàm fertur in *pugnam*, quàm in *bonum* eam ſecutum: vt qui ſimplicem habet complacentiam de alicuius obitu, vt veili ipſi.

In quo caſu, non ſit peccaminoſa?

Poteſt item in publicum exire cū voluntate abſoluta illum impetendi, tametſi ab illo non eſſet petendus. Quæ voluntas eſt peccatum mortale: idem dico, quando prouocatus non habens voluntatem abſolutam aggrediendi prouocatorem, optat tamen ſe ab illo inuadi, vt per occaſionem illum cædat: quæ voluntas eſt etiam peccatum mortale. Ità Hurtadus *loc. cit. Sect.* 12. *§.* 191.

Quarta Reſponſio, Quoad abſolutam Duellandi Voluntatem.

12 *Voluntas abſoluta pugnandi, qua Prouocatus decernit, ſe aggreſſurum inimicū, etiam ſi ab illo non fuerit priùs inuaſus, an ſemper importet peccatum? Talis voluntas abſoluta pugnandi, habet rationem iuſtæ defenſionis ex parte Prouocati, quando certo ſcit ſe eſſe inuadendum à Prouocatore, & commodius ſibi eſſet in ſui Defenſionem, illum præuenire.*

13 *Secùs autem, ſi Prouocatus nihil commodi ſentiat, aggrediendo Prouocatorem, antequàm ab illo peteretur.*

Prouocatus, habēs voluntatē pugnandi antequàm inuadatur, an mortaliter peccet?

12 RESPONDETVR *Quartò*. *Voluntas abſoluta*, qua prouocatus eſt deliberatus, quantùm in ſe eſt, *inuentum inimicum aggredi*, non expectans vtrùm ille ipſum *aggrediatur*, ſed illum protinùs aggredi, cùm primùm illum viderit: Si tamen prouocatus exiſtimaret, ſe *non inuadendum* à prouocatore, ipſe illum *non aggrederetur*: hæc inquam *abſoluta voluntas*, poteſt eſſe peccatum, & non eſſe. Si enim prouocator eſt in procinctu expectans prouocatum, qui eſt moraliter certus, ſe à prouocatore inuadendum, & prouocato eſt *commodius* ad ſuam defenſionem, illum *inuadere*, non eſt peccatum *ea voluntas*; quia eſt *actualis defenſio*, & inculpata. Prouocator enim actu eſt in inferendo vim; quia & prouocauit, & actu expectat armatus, vt prouocatum occidat.

In quo caſu licita ſit ea abſoluta volūtas pugnādi?

In quo caſu, non liceat Prouocatorē aggredi?

13 Si verò nil *commodi* ſentiat prouocatus in aggrediendo prouocatorē, non poteſt illum *aggredi*: tùm quia *aggreſſio* non eſt ſimpliciter *neceſſaria*, neque *commodior* ad *defenſionem*: vndè tenetur expectare, vt ab alio petatur: tùm etiam, quia

fortè prouocator reſipiſcet, aut timebit, quibus actibus tenetur locum dare prouocatus, dùm commodè poteſt: eſt autem hæc aggreſſio à prouocato, peccatum mortale, ſi prouocator conſpiciatur inermis, ſpeciem præſeferens nolentis dimicare; id prudenter cenſetur, Ità Hurtadus *loc. cit.*

Quinta Reſponſio, Quòad conditionatam Duellandi voluntatem.

14 *Voluntas conditionata, quam habet Prouocatus pugnandi, ſi ab Aduerſario cogatur, eſt bona, quandò alia non ſupereſt via ad ſe honeſtè tuendum.*

15 *Oſtenditur, hanc conditionatam voluntatem pugnandi, ſpecificari bonam ab obiecto, & rationem habere iuſtæ defenſionis.*

Voluntas conditionata de pugna, eſt bona.

14 RESPONDETVR *Quintò*, Voluntatem conditionatam de pugna, eſſe illam, qua prouocatus decernit pugnare, ſi à prouocatore cogatur, nec poſſit aliter ſe honeſtè tueri; & hanc volũtatem eſſe *bonam*, cùm ſit de *obiecto bono*. Ità Hurtadus *loco ſuprà citato* §. 103, Diana *par. 5. tract. 13. reſol. 25.*

Hurtad. Diana.

Ratio, cur ea conditionata voluntas, ſit bona.

15 Ratio eſt manifeſta; quia talis *voluntas*, eſt *de obiecto bono*; quia quando non poteſt periculum aliter effugi, quàm dimicando cum iniuſto aggreſſore, tunc cum illo pugnare eſt bonum, quia eſt neceſſaria defenſio ab iniuſta vi; Tunc enim prouocatus *egrediens domo*, vult abſolutè negotia ſua gerere, & explere munus ſuum, Quod quidem honeſtum eſt: *media* autem, quæ elegit, ſunt *indifferentia* ad bonum, & malum, honeſtari autem poſſunt ab *honeſto illo fine*: ſunt autem *ea media*, egreſſus è domo, inambulatio per vias publicas, & id genus alia, à quibus non tenetur prouocatus abſtinere, cum *graui ſuo damno*: quàmuis ſibi perſuadeat, prouocatorem eis abuſurum *ad pugnam*: ille enim abuſus non oritur ex meis actionibus, quibus eſt ille per accidens abuſurus: oritur autem per ſe à ſola malitia prouocatoris, qui ex meis actionibus honeſtis abripit anſam ad peccandum, Quæ confirmantur ab exemplo Fœminæ nuptæ, quæ poteſt ſe moderatè comere, quia ità Marito placet: quàmuis ex ornatu ſuo ſciat ſe ab Antonio adulterè amandam. Itaque hæ omnes actiones licitæ ſunt prouocato ante certamen, In ipſo autem conflictu, ſe poteſt armis tueri, quando alia honeſta ratione non poteſt: ſicut cęteri omnes nõ prouocati ad Duellum, ſe poſſunt tueri in occaſione ſubita: quia prouocatio vitiare potuiſſet actiones prouocati indifferentes, & antecedentes pugnam, ſi prouocatus illas potuiſſet ſine incommodo omittere: at verò quandò illæ licitæ fuerunt, prouocatio præterita non potuit vitiare defenſionem: ob quod prouocatus ſe gerere poteſt, ac ſi nunquàm fuiſſet prouocatus,

Confirmatio huius Doctrinæ.

Sexta Reſponſio, Quòad Duelli Acceptationem.

16 *Militibus, ac Viris equeſtribus an liceat ſe Prouocatoribus ſiſtere, quandò aliàs ob ignauiæ ſuſpicionem, Officium, aut Principis fauorem amitterent?*

17 *Quid ſi Prouocatus, crebris conuitijs, ac contumelijs afficiatur à Prouocatore, nec ſe aliter liberari poſſit ab illa moleſtia, niſi armis congrediatur?*

18 *Pro auertendis contumelijs, ac pro defendendo honore, magis licet pugnare, quàm pro defendendis bonis.*

Hoc tamen intelligendum eſt, ſi adſit ſpes præualendi contrà Aduerſarium.

Vi-

Vitam pro honore exponere, an ſemper liceat?

19 *Oſtenditur ex Leſſio, probabilem videri hanc doctrinam.*

20 *Duellum non acceptare, an etiam apud Sapientes, dedecus afferre cenſeatur. Et an tale dedecus, pluris ſit faciendum, quàm bonorum amiſſio?*

21 *Acceptare Duellum, non videtur intrinſecè malum, ſed licitum reddi poſſe, quandò iuſta ſubeſt cauſa.*

22 *Pluribus rationibus oſtenditur Ex Leſſio, hanc doctrinam de licita acceptatione Duelli, modo ab ipſo explicato, non eſſe in praxi amplectendam.*

23 *Quid circa hoc ſenſerit Hurtadus? Prouocato, an liceat in condicto loco comparere, non cum abſoluta voluntate pugnandi, ſed conditionata, ſi ſcilicet prius petatur à Prouocatore?*

24 *Prouocatus comparendo, an ſit cauſa ruinæ Prouocatoris?*

25 *Non cenſetur Prouocatus acceptare Duellum, ſi licitas aliquas actiones exerceat, ex quibus per accidens, & ob ſolam Prouocatoris malitiam, ſequitur pugna.*
Tenetur Prouocatus à talibus actionibus, etſi aliòqui licitis abſtinere, quandò abſque graui, ac proportionato damno poteſt.

26 *An honorem cenſeatur amittere Prouocatus, niſi in locum condictum egrediatur?*
Prouocatus non cenſetur Duellum acceptare, ſi dum licitè poteſt in condictum locum egreditur.
Tenetur tamen à tali egreſſione abſtinere, quandò alio medio poteſt infamiam timiditatis depellere.

27 *Solutio argumenti, ex Hurtado. An dedecus ſit non egredi?*

28 *Non refert, vtrùm iuſte, vel iniuſte detrahatur honor, ſi egredi omittat.*

29 *An ex tradita doctrina aliquod abſurdum ſequatur?*

30 *Prouocatus egrediens in campum &c. an pro Duellatore puniendus ſit à Iudice?*

31 *Quid alij DD. circà id ſenſerint? Explicantur ex Hurtado, ac Fillucio, negatiuæ ſententiæ Auctores.*
Concludit Hurtadus, ſpeculatiuè tantùm, non autem practicè probabilem videri affirmatiuam ſententiam, de licita egreſſione prouocati in locum condictum; modo ab ipſo explicato.

16 RESPONDETVR *Sextò:* Probabile eſſe, quod ſi Miles in Exercitu, Vir equeſtris in aula regia, officio, dignitate, Ducis aut Principis fauore, ob ignauiæ ſuſpicionem, excidere debeat, niſi identidem prouocanti ſe ſiſtat; non audere aliquos DD. damnare eum, qui meræ defenſionis gratia paruerit.

17 Idemque ſentiendum, ſi ad pugnandum laceſſens alterum, crebra conuitia, & contumelias adijciat: qua ille moleſtia, & ſubeundo dedecore aliter liberare ſe nō poſſit, niſi armis congrediatur. Ità expreſsè Laymann *Sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 3. num. 4.* qui pro prima parte huius Concluſionis citat Nauarrum *cap. 15. num. 3. & 4.* Layman. Nauarrus

18 Probat tali pacto: Si ob defenſionem bonorum, hominem mutilare, vel occidere fas eſt; multò magis, ſi ità neceſſe ſit ad defendendum honorem, vel auertendam contumeliam: quandoquidem honor pluris valet, quàm fortunæ bona: & iniuria perſonæ maior eſt, quàm fortunarum damnum, vti annotauit Nauarr. *cit. num. 3.* & Abbas *in cap. olim num. 17.*

Dummodò, inquit, ſpes ſit cōtra iniuſtū aduerſariū præualendi: alioquin illicitum erit, certo mortis periculo ſe exponere ad vitandū dedecus, quod non ex hominis delicto, ſed ex vulgi ſiniſtra opinione prouenit. Sicuti enim *vita* maius hominis bonū eſt, quàm *honor, & fama* apud homines; ità & *mors*, maius malum eſt, quàm *ignominia, & dedecus*, quod ab hominibus alicui, præſertim Chriſtiano, ſinè eius culpa irroga-

tur: quia vti gloria, quæ apud homines eſt, non apud Deum, vera gloria cenſeri non debet: ità & dedecus ſeu ignominia. quod notauit Petrus Nauar. *lib.2. cap.4. nu.17.* Quin & *verus honor,* qui ex virtute naſcitur, *maius bonum* non eſt, quàm vita corporis per ſe loquendo: adeò vt, ſi quis retenta virtutis conſtantia, *ignominiam* aliquam, vel criminis ſuſpicionem falsò incurrere debeat, potiùs illam ſuſtinere oporteat, quàm vt *vita* prodigatur, ſicuti benè docet Nauarr. *cap. inter verba*, 11. *quæſt.3. concl.4. num.25.* vbi ait: Quòd vulgi error eſt, pro honore moriendum eſſe. Ità Laymann *loc. cit.*

Petrus Nauarr.

Honor non eſt maius bonũ, quàm corporalis vita.

Opinio Leſſij.

Leſſius.

19 LESSIVS *de Iuſt. & Iur. lib.2. cap.9. num.83. & 84.* hanc eandem tradit doctrinam, his verbis. Si aliqua occaſione me prouoces ad *Duellum*, & niſi acceptem, cenſebor *ignauus*, *& meticuloſus*; nec potero ampliùs in aula comparere, vel vllam promotionem militarem ſperare; vt in quibuſdam aulis Principum dicitur vſitatum. Cur enim tali euentu non poſſim *Duellum acceptare:* non quidem animo *illum interficiendi*, ſed *comparendi in loco condicto*, nè famam, & opinionem *ſtrenuitatis* (quæ Nobilibus æquè eſt chara, atque ipſa vita) amittam? ità tamen, vt ſi me inuaſeris, ſtatuam me tueri cum debito moderamine.

Cõfirmatio eiuſdẽ Doctrinę.

Confirmatur Primò, quia ſi quis Mihi velit adimere vitam, vel bona, nec poſſim aliter ea tueri, niſi acceptando Duellum, poſſem acceptare: cur non etiam, vt ſeruem meum honorem, & famam?

20 Dices, recuſare Duellum non eſt *dedecus* apud Sapientes, ſed tantùm apud ſtultos: ergo &c. Reſpondet; quidquid ſit; eſt *tantum dedecus*, vt paſſim apud nobiles pluris æſtimetur, quàm *omnium bonorum amiſſio*; imò ſæpè quam *mors ipſa:* ergo Iure naturæ poſſunt hoc dedecus à ſe depellere, etiam cum vitæ periculo.

Recuſare Duellum, an ſit dedecus pluris æſtimãdũ, quàm bonorum amiſſio.

21 Confirmat ſecundò. Quia acceptare Duellum, & comparere tali loco, non eſt *intrinſecè malum,* ſed quiddam *adiaphorum*, quod benè, & malè fieri poteſt: ergo ſi *iuſta cauſa* ſubſit, poterit licitè fieri. *At conſeruatio honoris*, qui tanti æſtimatur, eſt *iuſta cauſa:* ergo &c.

Secunda confirm.

22 Hæ rationes (ſubdit Leſſius) videri poſſunt alicui probabiles. Nihilominùs *in praxi contrarium ſequendũ ſentio*, tùm ob alias cauſas: tùm etiã, quia Eccleſia ſub grauiſſimis pœnis vetuit Duella, vt patet ex Cõc. Trid. *ſeſſ.25. cap.19. de reform.* quod meritò potuit ob maxima mala, quæ aliòquin ſequerentur: tùm denique quia is, qui Duellum offert, non nititur me ſpoliare meo honore: ſed ſi *honoris amiſſio* ſequi videtur, id ſolùm eſt *per accidens*, & ex conſequenti; aliaque ratione impediri poteſt. Primò, ſi dicat ſe paratum fore, ſi per Eccleſiæ decreta liceret. Secundò, Prouocantem experturum, quicum negotium habeat, ſi palàm, & non proditoriè aggreſſus fuerit. Ità Leſſius.

Hæc ſententia, cur nõ ſit amplectenda.

Hurtadi Opinio.

Hurtad.

23 HVRTADVS *de Spe, & Charit. vol.2. diſp.170. ſect.13. §.105.* fusè hoc ipſum docet, *his proprijs verbis*. Pone hominem nobilem ab alio *prouocari ad Duellum:* qui ſi illud recuſet, non cenſebitur, illud recuſaſſe propter legem Dei, ſed propter *timiditatem*; quia non benè audit de obſeruatione legis, quia ſe facilè proijcit in alia peccata: vel certè alia ex cauſa cenſebitur timidus, & ab alijs deſpicietur, apud quos ſem-

per

Prouocato an liceat in locum conductum exire?

per erit inglorius, ex quo non leuia incommoda ſequentur. Eſt igitur quæſtio, vtrùm in hoc caſu poſſit Prouocatus exire *in locum condictum*, non cum *abſoluta voluntate* pugnandi, ſed cum *conditionata*, ſi à Prouocatore prius petatur iniuſtè. Prouocati autem *abſoluta voluntas* eſt, tueri opinionem viri fortis, & depellere infamiam *timiditatis*: quæ obiecta per ſe ſunt honeſta, & neceſſaria viro nobili ad degendam vitam decorè inter ſuos: præcipuè militi, qui ab exercitu cenſebitur eſſe Gallina, & non Vir: media autem quæ eligit ad hunc finem, ſunt indifferentia ad bonum, & malum, nempè *egredi in agrum*, & in eo inambulare: quæ media honeſtantur ab eo fine: Hæc abſolutè vult Prouocatus; Pugnare autem non vult: ſed ſi ab alio petatur iniuſtè, vult ſub ea conditione, ſe inculpatè tueri armis, ſi alia ratione commodè non poſſit.

Prouocatus, non cenſetur acceptare Duellum in caſu poſito.

In hac occaſione videtur Prouocatus minimè peccare; neque *Duellum acceptare*; quia *Duelli acceptatio* eſt *voluntas deliberata*, ſeu *abſoluta*, qua iſte homo caret. Item omnia, quæ vult *abſolutè*, ſunt licita ex ſe: finis item amatur licitè, quia nihil mali eligitur, neque ex parte finis, neque ex parte mediorum; quia hæc ſunt *egreſſus in agrum*, & in illo *inambulatio*: quæ autem amantur *conditionatè*, ſunt etiam honeſta: amat enim ſub conditione defenſionem inculpatam, per cædem aggreſſoris iniuſti, quando ſit medium vnicum ad propulſandam violentiam iniuſtam.

Prouocatus exeundo, &c. an ſit cauſa ruinæ Prouocatoris?

24 Solùm poteſt eſſe difficultas, quia prouocatus videtur eſſe prouocatori cauſa ruinæ; quia cum prouocatum viderit in agro, illum aggredietur iniuſtè, quod non faceret, prouocato non comparente.

Reſpondeo, me non eſſe cauſam *per ſe*, illius ruinæ, quæ per ſe oritur à ſola malitia prouocatoris. Prouocatus enim non vult, niſi oſtēdere ſe non eſſe *timidum*, neque facit, niſi inambulare per agrum: quæ per ſe non habent connexionem cum alterius ruina, niſi *per accidens*, ex illius ſola malitia. At nullus tenetur cum graui, & proportionato incommodo abſtinere ab actionibus bonis, & indifferentibus, quàmuis illis alius ſit *per accidens* abuſurus ad ſuam ruinam, vt conſtat exemplo fœminæ ſe moderatè comentis: ſed in hoc caſu non poteſt prouocatus eas actiones prętèrire abſque graui incommodo: ergo non peccat eas exercens, quia neque ex parte illius, eſt voluntas pugnandi, aut aggrediendi prouocatorem, ſed ſe præcisè defendendi.

Duellum acceptare ſemper illicitum.

25 Dices ab omnibus negari licitum eſſe *acceptare Duellum*, tùm quia eſt intrinſecè malum, & prohibitum lege Eccleſiaſtica: tùm quia in illo vterque eſt aggreſſor: ſed prouocatus acceptaret Duellum, quia ſciēs ſequendam eſſe pugnam ex ſuis actionibus, illas eligens, vult moraliter pugnam.

Pugna ſequitur per accidens ex actionibus Prouocati &c.

Concedo maiorem propter eius probationes; & nego minorem: Ad eius probationem Reſpondeo, *pugnam* ſequi *per accidens*, ex illis actionibus propter ſolam malitiam prouocatoris: qui autem vult cauſam, ex qua *per ſe*, & infallibiliter ſequitur effectus, vult *virtualiter*, & *moraliter* effectum ipſum: qui autem vult aliquid, quod non eſt cauſa effectus, non vult effectum. Talis eſt prouocatus in hac occaſione. Teneretur autem lege charitatis ab his actionibus abſtinere, quando ſine graui & proportionato damno poteſt: ſecùs verò, ſi non poteſt.

Prouocatus, quandonam teneatur à talibus actionibus abſtinere?

26 Dices ſecùndò, hunc caſum eſſe chimæricum, quia impoſſibile eſt, vt aliquis *verum honorem amittat*, quod non egrediatur in *locum condictum* à prouocatore: quia apud viros prudentes, & Chriſtia-

nos nullus poteſt malè opinari de alio, quod non egrediatur: ob quod nullus poteſt acceptare Duellum.

Reſpondeo *acceptationem Duelli* eſſe intrinſecè malam: ob quod propter nulla commoda temporalia eſt admittenda: hæc autem non eſt *acceptatio Duelli*; ſed quædam actiones honeſtæ, & indifferentes per ſe vtiles, & vnicè neceſſariæ ad depellendam infamiam *timiditatis*: à quibus abſtinere non tenetur, cum tàm graui incommodo, quàmuis prouocatot illis ſit *per accidens* abuſurus.

In quo caſu illicitũ eſt Prouocato egredi?

Item dico, quod ſæpiùs dixi, eas actiones eſſe *illicitas*, quoties prouocatus poteſt per aliud mediũ depellere *infamiam timiditatis*: vt ſi vir ſit notæ fortitudinis, aut pietatis, aut ſi per virum Principem poſſit pacem componere. At verò, ſi cenſetur in alijs occaſionibus eſſe violator legis Dei, nec nota eſt eius fortitudo, neque aliæ perſonæ accurrunt, quæ cum eius honore eadem tractent, iam eſt in tantas anguſtias coniectus, vt non poſſit abigere infamiã timiditatis, niſi egrediẽdo in agrum. Hunc caſum diſputo: Si non contingant hæ omnes circumſtantiæ, non erit licita egreſſio: ſi verò contingant, diſputo vtrùm ſit licita.

Prouocatus an honorẽ amittat, ſi non egrediatur, quandò licitè poteſt?

27 Quod obijcitur *non amitti honorem*, eſt cōtrà experientiam (*ſubdit Hurtadus*): tùm quia etiam viri prudentes cenſebunt eum propter *timiditatem ſolam non egredi*: quia cùm eius *fortitudo* non ſit nota, non exiſtimabunt ab illo præteriri certamen, quod teſtetur ſe illo non egere ad opinionem *fortitudinis*: cum item eius mali mores ſint noti, præteriri certamen non adſcribent timori Dei: cùm item aliæ perſonæ non ſe interponant, non attribuetur illarum auctoritati: ergo omnes prudenter cenſebunt, ab illo præteriri certamen timiditatis cauſa. Tùm etiam, quia *infamia* apud tot homines nobiles, rerum huius ſæculi peritiſſimos, eſt viro nobili *intolerabile damnum*: quod vitaret cum diſpendio omnium fortunarum; immò tàm cara eſt viro nobili ea fama, vt pro illa vitam profundendam non dubitet. Cur igitur tàm graue damnum patietur, nè exerceat actiones per ſe indifferentes, & honeſtas? Leuiora damna ſunt, quæ in alijs occaſionibus, ſimiles actiones excuſant: Leuius enim damnum eſt, quod fœmina patietur, ſi non ſe comat, & alia infinita (pergit Hurtadus.)

An illicita ſit talis egreſſio ex eo, quòd alius iniuſtè detrahatur honor?

28 Eam famam *detrahi iniuſtè*, non minuit grauitatem ærumnæ; ſi enim ego verè ſum infamis, quid intereſt ad leuandam infamiam, eam *iuſtè*, vel *iniuſtè* pati? interetit quidem multum apud Deum: apud homines autem nihil intererit: vt ſi ego ſpolier fortunis iniuſtè, non ero minùs egens, quàm ſi iuſtè. Igitur grauitas damni eadem eſt: vnde argumentor: Si me aliquis prouocaſſet ad pugnam, & ſi non egrederer, me alijs fortunis ſpoliarent iniuſtè; ſi verò egrederer, conſeruarem fortunas: in hoc caſu ego poſſem licitè egredi, ſciens ea egreſſione prouocatorem abuſurum ad pugnam: ergo etiam poſſum egredi ad vitandam infamiam iniuſtam.

Antecedens patet, quia iniuſta deprædatio fortunarum tàm graue damnum eſt, vt illius vitandi gratia non tenear abſtinere ab actionibus de ſe indifferentibus, licèt alij illis ſint abuſuri per accidens ad peccandum. Conſequentiam probo: quia ea infamia grauius malum eſt viro nobili, quàm deprædatio fortunarum: contrà fas autem non eſt minùs deprædatio, quàm infamia: ergo eadem eſt vtrobique ratio. Quod ſi aliqui admittunt, mihi licere hominem actu conuiciantem occidere, nè ignominia ex contumelia inſideat, multò meliùs licebit exercere actiones per ſe indifferentes, nè ex prouocatione contrahatur infamia, quæ adhuc in fieri dependet ab egreſſu in campum.

Di-

Refelluntur abſurda, quæ ſe qui videntur ex ſuperiori Doctrina.

29 Dices, hinc multos arrepturos anſam ad *egrediendum in campum* ſinè neceſſitate. Reſpondeo primùm, non propterea inuertendam eſſe doctrinam; Multi enim ex laudibus fidei, anſam arripuere ad cenſendum, impium ſola fide iuſtificare, non tamen propterea non fuit laudanda fides: quia illi damno prouiſum fuit, oſtendendo charitatis neceſſitatem. Item multi ad non ieiunandum abutuntur doctrina, non obligante eos, qui grauiter indigent cibo: multi enim eo non indigentes, ſibi ſine fundamēto perſuadent ſe indigere: idem dixerim de abſtinentia à carnibus: nec tamen propterea reticenda fuit illa doctrina. Idem dixerim de inculpata defenſione per necē aggreſſoris: multi enim leui fundamento cēſent, ſibi ad tuendam vitam nullum ſupereſſe medium præter eam necem.

Quæ tamen præcauent Theologi, hortando ſingulos, vt conſulant vtrumque medium ſyncerè recenſa neceſſitatis qualitate, & illorum ſequatur conſilia; monendo item ſingulos, vt diligenter explorent per ſe, & per amicos, omnes vias, quibus poſſint mortē iniuſtā effugere. Ità in præſenti monendi ſunt prouocati vniuerſi, vtrùm illis ſuperſit alia ratio *depellendi infamiam*.

Hæc Doctrina plurima euitantur peccata in depellenda infamia.

Si verò illi ſe præcipites agant, illorum eſt culpa, non Theologi, rem ſecundùm ſe contemplantis, & præſcribentis rationem, qua ſeruata, errari non poſſit. Quin potius hæc doctrina eſt apprimè neceſſaria ad vitanda multorum peccata, qui parati ſunt acceptare Duellum voluntate abſoluta, & egredi in agrum ad pugnandum abſolutè, ſi neceſſarium ſit ad depellendam infamiam: famam autem præponunt temporali vitæ, & æternæ. Quæ peccata vitantur, ſi illi ſibi perſuadeant, nō eſſe opus ad vitandam infamiam acceptare Duellum *abſolutè*: ſed ſufficere velle abſolutè ſe non eſſe *infamem*, & ad id comparādum velle abſolutè *egredi in agrum*, & velle *abſolutè* non pugnare, & velle *abſolutè* non aggredi inimicum, & velle *ſub conditione* ſe armis tueri, cum inculpato moderamine, ſi ad id iniuſtè cogatur.

Obiectio.

30 Obijcies, Prouocatum ſic egredientem puniendum pro Duellatore.

Solutio.

Egrediēs in campū, an puniendus ſit à Iudice?

Reſpondeo, Eum puniendum à Iudice *ignorante* rationem, qua prouocatus egreditur in campum; ſecùs verò à Iudice *ſciente*. Sicut punietur pro homicida, qui violentum aggreſſorem occidit, impotens eum alia ratione fugere, punietur (inquā) à Iudice ignaro, nō verò à gnaro. Ità prouocatus debet dicere prouocatori: *Ego in agrum egrediar, vt oſtendam, me non eſſe timidum, nō tamen egrediar ad pugnandum tecum; nolo enim pugnare, nec vllo pacto aggrediar, ſed potiùs pacem tecū componam: quòd ſi Tu me comparentem in campo fueris aggreſſus iniuſtè, Ego me viriliter defendam, cum defenſione inculpatæ tutelæ*. Quibus verbis omne abigit ſcandalum: prouocator enim conſpiciet æquum prouocati animum, & beneuolum. Quòd ſi alij adſtent, non poterunt ſcandalum pati ex tàm modeſto reſponſo: eruntque teſtes apud Iudicem moderationis, & æquitatis prouocati.

Aliorum DD. ſententia. Bañes.

31 Ab hac ſententia diſcedunt frequenter Theologi. Dominicus Bañes, *in quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 3. *verſ. Nihilominùs*, refert cenſum à nonnullis, licitam eſſe acceptationem Duelli, *nè honorem amittant*: quos tamen impugnat, non tamen ſatis conſequenter: initio enim dubij ſecundi cenſet ipſe, licitum eſſe Inuaſorem occidere in defenſionem *fortunarum, & honoris*, qui eſt maius bonum. Sed propter *defenſionem fortunarum*, licitum eſt acceptare Duellum; ergo & pro *defenſione honoris*, qui eſt maius bonum. Auctores, quos ipſe adducit, non ſunt accipiendi de acceptatione Duelli de-

Explicantur Auctores contrariæ ſententiæ.

vo-

voluntate abſoluta pugnandi, & inimicum cùm primùm viſum aggrediendi: hæc enim ſunt in acceptatione abſoluta Duelli; in quo ſenſu ea ſententia non eſt probabilis, ſed digna cenſura Theologica: accipiendi autem ſunt de *voluntate abſoluta* non contrahendi infamiam, & egrediendi in campum ad id conſequendum, & *voluntate abſoluta* non pugnādi; ſed potiùs, quod in ſe eſt, componendi pacem: ſi autem ab alio petatur iniuſtè, iuſtè vult ſe defendere inculpatè. In quo ſenſu refert hanc ſententiam Filliucius *tom.2.tract.29. num.* 145. *in* 3. ratione. Item *num.* 146. *in* 5. ratione, quam ſententiam in hoc ſenſu explicatam, cenſet eſſe probabilem *eo num.* 145. In qua ſic explicata, non reperio aliquid improbabilitatis: in quo conſentio Filliucio: alij autem cēſeant ſitne vera, vel falſa? Vnū aduerto, auctores negantes licitam eſſe acceptationem Duelli, frequenter agere de voluntate *abſoluta*, nō verò de hac *cōditionata*.

Filliuc.

Vno igitur verbo: *Acceptatio* Duelli eſt voluntas *abſoluta* pugnandi cum alio, honoris, aut inimicitiæ cauſa: Hæc acceptatio, eſt ſinè dubio peccatum, contrahens pœnas in Duellatores. Et quia hac voluntate ſemper, aut ferè ſemper pugnatur, ideo pœnæ contrahuntur. At hæc voluntas, de qua agitur non eſt *abſolutè* de pugna; ſed *abſolutè* de fugienda nota timiditatis, exeundo in agrum, in quo nulla eſt malitia; nec tenetur ab eo abſtinere cum tanto damno: pugna autem odio habetur *abſolutè*, & amatur *ſub conditione*, quòd ſit neceſſaria, & *licita defenſio*: *Sic accepta opinio videtur probabilis ſpeculatiuè; practicè autem eſt valde difficilis.* Hactenùs Hurtadus, qui & Sanguinis, & Patriæ nobilitate, duobus veluti calcaribus incitatus, Theologicam hanc Doctrinam, pro honore Prouocati tuendo, acutè, acriterque tuetur.

Cōcluſio opinionis Hurtadi.

Hæc opinio probabilis eſt ſolùm ſpeculatiuè non verò practicè.

Septima Reſponſio ad principale Quæſitum, Affirmans Acceptari poſſe Duellum.

32 RESPONDET *ſeptimò* Filliucius, Probabile eſſe, acceptari poſſe Duellum ob *honoris defenſionem*: parùm à præcedēti Reſponſione differre videtur. ità expreſsè aſſerit *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 8. *§. ſextò quæro*, *num.* 145. Adducam eius probationes fideliter, ipſiuſmet verbis.

Duellum ob honoris defenſionem, an liceat acceptare? Filliuc.

Primò, quia prouocans in caſu poſito ad Duellum, eſt *inuaſor honoris* Prouocati: At quando non poteſt aliter conſuli *honori*, niſi inuaſorem *occidendo*, licet vtique *occidere*: ergo &c. Secundò, quia inuaſo fas eſt inuaſorem occidere, vt honorem tueatur, quando fuga ſibi *ignominioſa* eſt: At maior *ignominia* eſt, illatum Duellum reſpuere: ergo &c. Tertiò, cur in tali euentu non poteſt acceptari Duellum, non animo prouocantem *interficiendi*, ſed *comparendi* tantùm in *loco condicto*, nè famam *ſtrenui viri* (quæ nobilibus æquè chara eſt, ac ipſa vita) amittat. Quod ſi prouocans inuaſerit, prouocatus ſtatuit ſe defendere cum debito moderamine. Quartò; Si quis velit alteri adimere vitam, vel bona, nec poſſit aliter ea tueri, niſi acceptando Duellum, poteſt acceptare; vt ſi inimicus armatus reperiat te inermem, & permittat tibi arma, potes eum occidere, ſi non potes alia ratione euadere, tunc enim eſt vera defenſio: Eademque ratio videtur in inuaſione fortunarum, vt Colligitur ex Caietan. *art.* 8. *ad* 3. *in* 4. *cauſa*. Nauarr. *cap.* 15, *num.* 9. Angelo *verb. Duellum*, *num.* 2. & alijs. Cur ergo non etiam ad ſeruandum honorem, & famam, poterit Duellum acceptari? Quintò, *Acceptare* Duellum, & *comparere tali loco*, non

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Caietan. Nauarr. Angel.

Quinta ratio.

eſt

eſt *intrinſecè malum*; ſed quiddam *indifferens*, quod benè, & malè fieri poteſt. Cur ergo, ſi iuſta cauſa ſubſit, qualis eſt *honoris æſtimatio*, non poſſit licitè fieri? Atque ità hanc ſententiam tenent Aliqui, vt refert

Bañes.

Bañes *q.64. art. 7. dub.3. &* Sanchez *num.9.* Ità Filliucius.

Octaua Reſponſio ad Principale Quæſitum, Negans acceptari poſſe Duellum.

33 *Duellum acceptare non licet ob metum infamiæ.*
Honorem non amitti non acceptando Duellum ob Dei timorem, communiter DD. docent.
34 *Reginaldi, & Aliorum ſententia.*
35 *Idem ex doctrina Laymann confirmatur.*
36 *Pluribus rationibus ex Filliucio idem oſtenditur.*
37 *De Lugo eandem tuetur ſententiam. Cur titulo Defenſionis cohoneſtari non poſſit Duelli acceptatio, ad euadendam Ignominiæ maculam?*

33 RESPONDETVR Octauò, Probabile eſſe etiam, non licere *Duellum acceptare* ob metum *infamiæ*, ſiue quòd timeat quis, nè de ipſo dicatur, quòd ſit *vilis*, ac *degeneris animi*. Ità Abulenſis *1. Regum. cap. 17. quæſt. vltim.* Salonius, *2.2. quæſt.64. art. 3. contr.3.* Caietanus, *2.2. quæſt.95. art. 8. circa ſolutionem ad 3. in caſu 3. & in Summa verb. Duellum.* vbi Armilla, *num.1.* Sotus, *lib. 5. de Iuſt. quæſt. 1. art. 8. ad finem corporis, verſic. Quòd ſi hinc quiſpiam.* Azeuedo, *lib.8. recopil. tit.8. lib.10. num.18.* Nauarra, *lib.2. de reſtitut. cap.3. in 2. par. dub.13. in noua editione, num.286.* Bañes, *2.2. quæſt.40. art. 1. fine, & quæſt.64. art.7. dub.3. in ſolutione ad 3.* Valentia, *2.2. diſp.3. quæſt. 17. punct.1. in 2. cauſa.* Petrus de Ledeſma, *2. tom. ſummæ, tract.8. cap.18. poſt 9. concluſionem diffic. 4.* Emanuel, *1. tom. Summa, in 2. editione, cap.73. n.1.*

Abulenſ. Salon. Caietan. Armilla. Sotus. Azeued. Nauarr. Bañes. Valent. Ledeſma. Emanuel.

Sanch. Ratio.

Et tandem Sanchez, *in Præcepta Decalogi tom. 1. lib.2. cap.39. n.9.* Dicendum eſt (inquit) hanc non eſſe iuſtam *acceptandi* Duelli cauſam, ſed eſſe culpam mortalem acceptare: Ducor, quia etſi apud vulgares, & improbos, id *ignominiæ* tribuatur: tamen apud Sapientes, & probos, id *honori* adſcribetur, quādo gratia diuinæ legis ſeruandæ, Duellum oblatum reſpuitur, quod falſæ vulgi opinioni præponderat. Quarè non eſt ſimile de fuga, dum aliquis inuadit: ea enim militiam profitenti reputatur *ignominioſa*, etiā apud Probos, & Sapientes.

Ignominiæ n... tribuu... non ac... ptare Duelli...

Præterea, quia ſi ob defendendum honorem liceret acceptare Duellum, id quoque ob eandem rationem indicere liceret, quando ad tuendum honorem eſſet: vt contingit, quando quiſpiam iniuriam paſſus eſt. Quippè vtrumque eſt eiuſdem rationis: At nullus fas eſſe indicere admittet: Tandem, quia etiam apud mundanos ſatis conſulet ſuo honori Prouocatus, etiamſi non acceptet Duellum, ſi tamen aliter ſatisfaciat; licebit Prouocato ad Duellum, ſic reſpondere Prouocanti: *Paratus ſum ad Me defendendum, quandocumque me inuaſeris; nolo tamen Duellum acceptare, eò quod legi diuinæ aduerſetur.* Quia paratum eſſe ad defendendum, vacat culpa.

Altera... tio.

Prouoc... tus q... nāmod... reſponc... re poſſi... nè igno... niam... currat...

Regina... opinio...

34 Ità etiam Reginaldus *tom. 2. lib. 21. num.80. §. Primò enim:* his verbis. Metus eiuſmodi, vt communiter Summularij docent, in *verbo Metus*, nullo iure excuſat, cùm non innitatur *rationi, vel legi*: ſed, vt rectè notat Caietanus *2. 2. quæſt. 95. in fine cauſa 3. ſtultæ opinioni Vulgi*. Atque vt Bañes habet *2. 2. quæſt.40. art. 1. in fine.* Si quæ contingat in hac re amiſſio *honoris, & famæ*, tantùm eſt apud *homines vanos, & amatores huius ſæculi*. Apud *bonos* enim, & *timoratæ conſcientiæ homines*, nihil *famæ*, & *honoris* amittit is, qui nè Deum offendat, & in Eccleſiaſticas Cenſuras incurrat, non vult acceptare

Bañes.

Duellum; præſertim cùm licitè poſſit euadere infamiam, reſpondendo Prouocanti: *Ego quidem vbicumque me aggreſſus fueris, paratus ſum me defendere: ſed Duellum non accepto: quia impium eſt, & iuſtis legibus damnatum.*

Layman. 35 Ità ferè idem habet Layman *in Theol. moral. Sect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. in hunc modum. Nemo prudētum *vitio* tibi vertet, quòd legem Dei obſerues, hominiſque occidendi periculum, abſque iuſta neceſſitatis cauſa non adeas. Imprudentium autem, & vanorum hominum iudicia in re adeò graui attendenda non ſunt. Nam multi etiam ex vulgo imprudenter iudicant, decorum eſſe de accepta iniuria, vindictam ſumere propria auctoritate: non ideò tamen id licitum efficitur. Neque ſimile eſt de fuga: ea enim homini nobili, aut militari ignominioſa æſtimatur. Sed ad Duellum prouocatus aliud mediū eligere poteſt, videlicet, vt neque fugiat, neque congrediatur, ſed dicat: *Paratus ſum me defendere, quandocumque me aggreſſus fueris: ſed ex condicto Duellum acceptare non poſſum: cum id diuinæ legi, & iuſto etiam Magiſtratus precepto aduerſetur.*

Filliuc. 36 Conſentit Filliucius *tom.* 2. *tract.* 29. *in* 5. *precept. Decalogi, cap.* 8. *num.* 147. vbi eandem tuetur Sententiam.

Prima ratio cur illicita ſit ea Duelli acceptatio. Primò quidem, quia etſi apud homines mundanos, & improbos, id *ignominiæ* tribuatur: tamen apud Sapientes, & probos adſcribitur *honori*, quem Chriſtianum decet: Si ob ſeruandam Chriſti legem reſpuatur; & hæc Sapientum æſtimatio præferenda eſt opinioni vulgi.

Secunda ratio. Prouocatus non acceptans Duellum, etiā apud Mūdanos tueri poteſt ſuum honorem. Secundò, quia etiā apud Mundanos, ſatis conſulere poteſt *honori* ſuo Prouocatus, ſi dicat paratum ſe fore, niſi Eccleſiæ præceptum id prohiberet ſub pœna Excommunicationis, & infamiæ. Vel paratum ſe eſſe ad *defenſionem*, quandocumque inuaſus fuerit; vel prouocantem experturum, quocum negotium habeat, ſi palàm, & non proditoriè aggreſſus fuerit.

Tertia ratio. Tertiò, quia quandocumque *repulſio propriæ iniuriæ* veræ, vel exiſtimatæ, eſt coniuncta cum *offenſione Dei*, non eſt *vera virtus*; quia contrà rationem, & præceptum Dei; qui eſt ſumma regula, & infallibilis omnis veri honoris. Quando autem non eſt *virtus*, nec etiam poteſt eſſe *verus honor*; Ideòque, nec Iure æſtimandus apud homines probos, qui ratione duci debent, non opinione vulgi.

Quarta ratio. Quartò, quia ſi quid apud Curias inferiorum Principum *honorabile* exiſtimaretur; In Curijs tamen Regum, & Imperatoris ſecùs haberetur: proculdubio, qui ſe conformaret conſuetudini Curiæ maiorum Principum, neglecto more inferiorum, *honorabilior eſſet*. Multò autem minor proportio eſt inter peruerſum mundi morem, & abuſum mundanorum hominum, reſpectu operis conſueti in ſchola Virtutis, & Dei, quàm Curiæ Principis inferioris reſpectu ſuperioris, ergo.

Quinta ratio. Quintò, Si quid tribueretur *honori* apud Principes Chriſtianos, quod *inhonoratum* eſſet apud barbaros, vt Turcas, Tartaros, Trogloditas, &c. abſque dubio honoratior eſſet, qui morem Principum Chriſtianorum ſequeretur, eo, qui barbaros imitari vellet: At multò maius eſt diſcrimen inter Deum, & regulam rationis, reſpectu Mundi, & hominum mundanorum; quàm inter Chriſtianos, & Barbaros.

Sexta ratio. Duellum acceptans infamis eſt apud Principes, & curiam Pōtificiam. Sextò, *Infamia* apud Principes, & Curiam Romanam, & Pontificiam, magis eſt reputanda; quàm apud plebeios, & vile vulgus: At qui Duellum offert, vel acceptat, eſt *infamis* iure Canonico, & apud Concilia Sapientum. Adde etiam

apud

apud Curiam Franciæ Decreto Hērici IV. non minùs Regno, quàm militari virtute inſignis. Ergo, &c.

Hæc placuit fuſiùs perſequi contrà morem; quia frequētiſſimè hac de cauſa Duellum acceptari ſolet: & à Viris bonæ alioqui conſcientiæ exiſtimatur, aliter fieri non poſſe. Atque hæc eſt ſententia ferè communis, Caietani, Soti, vtriuſque Nauarri, Valentię, Ledeſmę, Azorij, & alirum, quos citat, & ſequitur Sāc. *c.39.n.9.* Ex quibus patet reſpōſio ad argumēta cōtraria. Hæc Filliucius.

Præclara doctrina De Lugo.

37 Nouiſſimè De Lugo *de Iuſt. & Iur. tom.1. diſp.10. ſect.8. num.172. & ſequ.* huic ſententiæ firmiter adhæret, ſic aſſerens. Ad difficultatem ergo propoſitam fatendum eſt, non poſſe licitè acceptari Duellum, etiamſi *ex recuſatione, ignominia, & nota grauis* incurratur apud Sæculares.

Cur in tali acceptatione Duelli, nō habeat locum iuſta ſui Defenſio.

Ratio autē, cur eiuſmodi *ignominia* nō excuſet Acceptantem Duellum, ſed ſit intrinſecè malum, & excuſet *non Fugientem*, quando inuaditur, nec id ſit intrinſecè malum, peti debet ex eo, quòd *occiſio* in vno caſu ſit *Defenſio*, & non in alio. Quando enim alius te inuadit, vt interficiat, potes te defendere eum *occidendo*, ſi aliter effugere non potes, nec eum aliter euadere, quia *fuga* affert tibi *maximum ignominia, & dedecoris damnum*; & licèt id oriatur ex praua hominum exiſtimatione, qui id *dedecori*, & puſillanimitati tribuunt, quòd potuiſſet *pietati, & charitati tribui*; ſed tamen vndecumque id proueniat, malum tibi eſt, *ignauū, & timidum* reputari, ac ab alijs communiter contemni; vnde non potes iā ſine graui incōmodo, aliter vitam tueri, quàm inuaſorem occidendo.

Cur vitæ Inuaſorē occidere liceat, non autē Prouocatorē?

At verò, quando alius te ad Duellum prouocat, ſi acceptares, & eum in Duello occideres, *occiſio* illa non eſſet *defenſio* tuæ vitæ, nemo enim te inuadit, ſed rogat ſolùm, & inuitat ad pugnam; non tamen te occiſurus, ſi non acceptas; non ergo occidis, vt te *defendas* ab occidere volente, ſed vt vires, & virtutem oſtendas: quarè manet illa *occiſio* ſemper intrinſecè mala, cùm ſit occiſio priuata ſine neceſſitate ad defenſionē. Acceptare ergo Duellū, erit acceptare occaſionē occidendi iniuſtè, atque adeò erit intrinſecè mala ipſamet acceptatio.

Occiſio Prouocatoris eſt intrinſecè mala.

Nec excuſat *timor dedecoris* ex recuſatione Duelli, quia id non facit, quòd *occiſio* ſit *defenſio*, cùm nemo te inuadat, aut velit tibi inuito aliquid auferre: quarè patienter toleranda eſt ignominia illa, quæcumque ſit, quæ ex eo oritur, quòd vis obſeruare legem Dei, qua prohibetur occiſiō priuata ſine neceſſitate defēſionis, qualis illa erit, ſicut, ſi ignominiam incurreres, propter obſeruantiā pręcepti, circà caſtitatē, vel aliquid aliud. Ità De Lugo.

Timor dedecoris nō excuſat.

Nona Reſponſio, Aſſerens nullam ſequi infamiam ex non acceptatione Duelli.

38 *Duellum non acceptans ob Dei timorem, nullam infamiæ notam contrahit.*
39 *Ex Diuina, ac Eccleſiaſtica legis obſeruatione, honor numquam amittitur.*
40 *Animi fortitudinem, Quinam, & quomodò oſtenderint abſque acceptatione Duelli?*

38 RESPONDETVR *Nonò*; Qui oblatum Duellum non acceptat propter *Dei timorem*, Tridentini, ac Sāctarum Legum cuſtodiam, nulla prorsùs *infamiæ* nota afficitur.

Duellum non acceptans ob Dei timorem nullā contrahit Infamiæ notam.

39 Probatur, quia nullus poteſt *honor* amitti ex obedientia legi Dei, & Eccleſiæ, maximè cum tàm graues pœnę, & infames ſint decretæ in Duellatores. Si enim aliquis oſtendat ſe recuſare certamen, non ex *timore prouocantis*, ſed ex *timore peccati*, aut cenſurarum, certè hic nul-

Ratio.

lum honorem amittit. Ratio eſt, quia quandocumque repulſio propriæ *iniuriæ* veræ, vel exiſtimatæ, eſt coniuncta cum offenſione Dei, non eſt *vera virtus*; quia cōtrà rationem, & præceptum Dei, qui eſt ſumma regula, & infallibilis omnis *veri honoris*. Quandò autem non eſt *virtus*, nec etiam poteſt eſſe *verus honor*; ideoque nec iure æſtimandus apud homines probos, qui ratione duci debent, non opinione vulgi. Maximè, quia dicere poteſt licitè, gladium pugno apprehendens, *Ego hoc enſe me viriliter defendam à te, & à quocumq; mortalium vbicumque me petiueris, quòd hic, ſi me aggreſſus fueris, præſtabo: exire autem in locum condictum, non eſt hominis Chriſtiani obediẽtis legi Dei, & Eccleſiæ.*

Prouocatus non acceptans Duellum, quomodò reſpondere poſſit.

Hæc verba non ſunt hominis timidi, ſed fortis, atque Chriſtiani, quibus non ſolùm ex lege Dei, ſed etiam ex lege Duelli conſeruatur honor, quia apprehenſio gladij, actus eſt fortitudinis: verbis autem dicere, ſe eſſe paratum ad reſiſtendum cuiuis mortalium, ſatis ſignificant animi fortitudinem. Præſertim in tribus occaſionibus.

Prima eſt quando prouocatus eſt *nota fortitudine*, cenſentque præſentes, eũ nõ indigere egredi in campũ, ad conſeruandam *opinionem fortitudinis*.

Secunda quando prouocatus eſt nota *pietate*, & *obſeruatione* legis Dei: tunc enim magno cum honore certamen contemnit. Hùc reuoco, quando prouocatus eſt notæ *manſuetudinis* ingenitæ: ob quam vitat omnem rixandi occaſionem: tunc item cum laude aſpernatur prouocationem.

Tertia eſt, quando in loco, vbi ſunt Prouocator, & Prouocatus cõmodè poſſunt ad arma venire, quin impediatur. In quauis ex his occaſionibus fateor ità ſatisfieri honori.

40 Neque verò id contigit ſemel. Quidam vir nobilis Locronienſis, Gubernator Habanæ, cùm prouocaretur ad certamen, reſpondit, oſtenſum à ſe multis in prælijs *animum impauidum*, certamẽ autẽ à ſe recuſari propter *legẽ Dei*: quo reſpõſo ingentem ſibi comparauit gloriam.

Quinam huiuſmodi Reſponſionibus animi fortitudinem oſtẽderint

Alius Eques inauratus, & Dux cohorti peditum Pompelionenſium, cùm laceſſeretur iniurijs, obmutuit. Laceſſens autem cùm eum offendiſſet in loco deſerto, metu rigens hæſit: cui ſubridens Adelfonſus: *Gratias* (inquit) *age Chriſto, qui me patientiam docuit, & iniuriarum condonationem*. In Vrbe Salmanticenſi, cùm quidam homo nobilis, & fortis, diù licentiosè vixiſſet, receptus in frugem meliorem, cùm prouocaretur ad Duellum, reſpondit: *Ego tempore ſuperiori non recuſarem Duellum: nunc autem benè noſti, Mihi gratia Dei, curæ eſſe eius legem*. Quod vehementer fuere mirati viri nobiles.

Simile etiam exemplum narratur, Cuiuſdam viri Principis Equitis cuiuſdam Religionis militaris; ad quem cùm acceſſiſſet oriente Sole, Domeſticus alius Viri nobilis, eũ per libellum prouocantis ad certamen ſingulare. Reſpondit, *dicito tuo Hero, me neque ad res iucundas, & voluptuoſas ſolitum tam manè è lecto ſurgere: quid faciam ad pugnam*? quod quidem ab omnibus eſt laudatum, etiam à Rege, Ordinis adminiſtratore, & à cæteris Commilitonibus. Igitur ſolus ille notatur infamia, qui ex timiditate certamen recuſat, non propter Dei timorem, qui ſemper cum maximo honore coniungitur, vt benè docet Hurtadus *loc. cit.*

VIdiſti Mi Lector, ex his, quæ hactenùs in præſenti ſunt dicta Quæſito, quàm acriter pro Duello Honoris Cauſſa, duellent inuicèm Doctores. Ego à partium ſtudijs alienus, meam tacitus præterire volui Sententiam; vniuerſam tamẽ hanc Theologorum pugnam ſpectandam propoſui, vt Tibi & oblectamento ſimul, ac documẽto foret. Tuum nunc erit pro tuo Iudi-

cio,

cio, ac prudentia, eam Sequi Sententiam, quæ magis Catholicæ Religioni, ac Chriſtianę Pietati accedit. Nec vllam, ex Duelli detrectatione ob Dei Timorem, honoris iacturam timeas. *Abſit enim hoc à Me, dicit Dominus: Sed quicūq; glorificauerit me, glorificabo eū: qui autē contemnunt me, erunt Ignobiles.* 1. Reg. 2.

SECTIO VII.

DE QVAESITIS IN ORDINE

Ad Quartam Duelli Speciem,

HOC EST,

Ad Duellum Terminatiuum Litis Criminalis, aut Ciuilis.

Nonnullos reperies, qui præclaram Aliorum Famam falſi Criminis macula denigrare non erubeſcunt; ideòque apud Principem, aut Iudicem clandeſtinis Delationibus ſibi aditum aperiunt, vt illorum gratiam, quam Virtutum meritis conſequi nequeunt, ſaltem aliorum Criminum delatione aucupentur. Ità ſeſe Principum auribus inſinuant, illorumque mentibus prauam multorum opinionem inſtillant, vt ſæpiſſimè eos redigant ad iniuſta edenda Decreta, contrà Innocentium Famam, ac Vitam, vt paſſim Hiſtoriarum monumenta teſtantur. Nouerat hoc egregius ille Romanorum Imperator, *Amor, ac Deliciæ Generis Humani*, Titus Veſpaſianus; ideòque non ſolùm ex Aula, verùm etiam Romano ex Orbe Criminatores, ac Delatores, diriſſimis priùs pœnis affectos expulit: nàm Suetonio teſte: *Delatores aſſiduè in Foro flagellis, ac fuſtibus cæſos, ac nouiſſimè traductos per Amphiteatri Arenam, partim ſubijci in ſeruos, ac venire imperauit: partim in aſperrimas Inſularum auehi.* Et Martialis itidem Cæſari gratulatur, quòd Delatores expulerit. Suetonius in Veſpaſiano, lib. 8. cap. 8.

Turba grauis paci, placideq; inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes,
Traducta eſt Getulit, nec cœpit arena nocētes:
Et Delator habet, quod dabat, exſilium
Exſulat Auſonia profugus Delator ab Vrbe:
Impenſis Vitam Principis annumeres.

Martialis lib. 1. Epig. 4.

Nec immeritò illos expulit Vrbe Cæſar, quandòquidem pernicioſiſſimum hoc hominum genus, ſæpè Principis animum, ad vltionem contrà Inſontes armabat. Verùm cùm neque hac hominum peſte expurgata ſit adhùc Chriſtiana Reſpublica, & multa indies ex occultis Delationibus diſſidia oriantur & Lites; ac nonnulli etiam Bonis ſpoliati, Capite plectantur iniuſtè. (Non enim Iudices omnes, aut Principes, Macedonum Regem Alexandrum imitantur, qui *in audiendis cauſis, quandiù diceret Accuſator, aurem alteram manu occludere, quæ Reo illibata ſeruaretur, alteram tantùm porrigere Accuſatori conſueuerat.*) Hinc dubium ortum eſt inter Doctores, An cùm alia non ſuperſit Accuſato, ſuam teſtandi Innocentiam, via, poſſit armata manu contrà Delatorem, iniquum veluti contrà Aggreſſorē inſurgere, eumq; ad necem præuenire? Grauiſſima quidem hæc eſt Difficultas, quam in ſequēti Quæſito enodare aggredior. Ambroſius Marlianus, in Theatro Politico, cap. 20.

QVÆSITVM I.

Vtrùm licitum ſit occidere Eum, qui vadit ad Iudicem, vt imponat falſum teſtimonium, propter quod ſim occidendus, & infamandus?

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Prima Sententia Negatiua Soti, Caietani,& Aliorum.*
2 *Adducuntur huius ſententiæ rationes.*
3 *Ex Bañes, & Alijs, falſum Teſtē, qui ad Iudicem vadit, licitum eſt interimere, ſi admonitus noluerit retrocedere, nec aliter poteſt accuſandus ſibi conſulere.*
4 *Leſſius hanc ſententiam in praxi non approbat.*
5 *Ex Petro à Nauarra, ea occiſio illicita eſt publicè, non autem priuatim & occultè. Cur occultè liceat?*
6 *Inuaſio, quæ lingua gladio fit, æquiparatur inuaſioni, quæ fit armis.*
Iudæi gladio linguæ Chriſtum Dominum crucifixerunt, iuxtà D. Auguſtinum.
7 *Falſum Teſtem occidere ob ſui Defenſionem, magis licet, quàm Duellum acceptare, ad euadendam iniuſtam mortem, ex Petro Nauarra.*
8 *Non refert, vtrùm proprio, vel alieno gladio, falſus teſtis inuadat.*
9 *Cur publicè illicita ſit falſi teſtis occiſio?*
10 *Qua ratione ſuadeatur, oppoſitam ſententiam probabiliorem eſſe, ex Petro à Nauarra?*
11 *Ex mente Auctoris An licita ſit armata Defenſio contrà falſum Teſtem inuadentem, etſi inermem?*
12 *Contrà inermem Aggreſſorem Pudicitiæ, ac bonorum in magna quantitate, licita eſt armata Defenſio.*
13 *Calumniatus occidendo Calumniatorem in tali caſu, vim vi repellit.*
14,& 15 *Falſus Teſtis cenſetur moraliter Inuaſor, etſi non phyſicè: idque pluribus ſuadetur rationibus.*
16 *Probabile eſt Calumniatorem, ac falſum teſtem in Foro conſcientiæ licere occultè interimere, modò tali medio efficaciter damnum euitetur, nec alio medio euitari poſſit.*
17 *Propria, vel aliena manu interfici à Calumniatore, idem eſt.*
18 *Calumniatorem interficere, acceptando Duellum, vel extrà Duellum, an liceat?*
19 *Honorem, aut bona auferenti licitum eſt reſiſtere, ac necem inferre, quando damnum aliòqui ſubeundum, proportionatum eſſet tali reſiſtentiæ, nec alia via euitari poſſet.*
Damnum Infamiæ, aut Occiſionis, quod ex falſa teſtificatione reſultat, non cenſetur illatum publica auctoritate, ſed priuata ipſius Calumniatoris.
In praxi vix poteſt occurrere, vt neceſſarium, ac licitum ſit Calumniatori armis reſiſtere.
20 *Argumenta primæ, & oppoſitæ ſententiæ ſoluuntur.*
Accuſatorem, ac Iudicem, ſi bona fide procedant, licitum non eſt interimere: ſecus autem Accuſatorem, qui ex malitia & non ſecundùm legalem Iuſtitiam inuadit, & accuſat.
21 *Quid ſi de verò, ſed occulto crimine quis accuſetur, itaut ex tali accuſatione certum mortis, vel infamiæ diſcrimen eſſet ſubiturus?*
22 *Accuſatorem, qui damnificare intendit in cauſa ciuili, an liceat interficere?*
23 *Vim inferre incipit Accuſator, quandò certam apponit cauſam futuri periculi.*

1 PRIMA OPINIO Negatiua eſt Soti, *de Iuſt. Iur. & lib. 5. q. 1. art. 8. circà finem §. Quid autē* aſſerentis, nequaquā licere; quoniam, inquit, ſolùm licitum eſt *Vim Vi* repellere; *Vis* autem non eſt, niſi *præſenti aggreſſione*, aliàs ſi Tu præuenires, tu eſſes, qui *aggredereris*, quarè tunc alia tibi Iuris remedia exquirenda ſunt. Si autem Prætor, aut alij Miniſtri Iuſtitiæ vellent in me manus inijcere, conſtaretque mihi per iniquitatem id facere, liceret mihi profectò, perindè *Vim Vi* repellere, ac ſi eſſent perſonæ priuatæ. Secùs tamen, ſi id *bona fide, & lege* tentarent, nempè quia ſunt indicia, vel aliqua *legitima accuſatio*; tunc enim licèt ego eſſem In- Prima ſẽtentia. Secus.

no-

nocens, non mihi liceret, quo me eriperem, Miniſtros vulnerare.

Caietan. Pro hac eadem ſententia adducitur Caietanus, 2.2. *quæſt.* 95. *art.* 8. *dub. vlt.* vbi hæc habet: *Defenſio armata* non eſt mihi licita, niſi contrà Inuadentem me *Armis*; in alijs autem cauſis, ſola ſententia Iniuſta fit *Inuaſio*. Nec opus eſt *violentia* in exequutione ex parte Iudicis, quoniam Reo non reſiſtente, abſque *Armis* omnia fiunt.

Corduba. Idem ſenſit Corduba, *lib.* 1. *QQ. quæſt.* 38. *dub.* 1. Quia, inquit, non eſt *Inuaſio*, cùm non ſit *Vis* corporalis, ſed fraudulenta machinatio. Eandem ſententiam ſequitur Vaſquez, *tract. de reſtitut. cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 34. Turrianus, *diſp.* 27. *dub.* 2. *num.* 10. Syluius, 2.2. *quæſt.* 68. *art.* 7. *Quæritur* 5. Salonius, *in* 2.2. *quæſt.* 64. *art.* 7. *controu.* 1. Malderus, *in* 2.2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 7.

Vaſquez. Turrian. Syluius. Salonius. Malderus.

Prima ratio pro negatiua ſententia. 2 Probatur *Primò*, hæc ſententia à præcitatis Doctoribus: Quia ſi ipſe Accuſator, *bona fide*, imponeret mihi crimen, non liceret mihi illum occidere: ergo neque ſi *mala fide*. Conſequentia Probatur, quia ſi *Defenſio Vitæ* licita eſt, etiam contrà Ignorantem inuincibiliter.

Secunda ratio. Probatur *Secundò*; Quia ſequeretur, quòd etiamſi Accuſator intenderet damnificare in *cauſa Ciuili*, licitum eſſet illum occidere. Probatur ſequela; quia ſi illa actio habet rationem *Defenſionis*, licita erit pro conſeruatione rerum temporalium: At hoc videtur eſſe inconueniens: daretur enim litigantibus occaſio, homines occidendi, quos *falſos* eſſe *Teſtes* iudicauerint; vndè magna Reipublicæ perturbatio ſequeretur. Confirmatur: Nàm Iudex iuſtè puniret talem interfectorem: ergo ipſe iniuſtè occideret.

Tertia ratio. Probatur *Tertiò*; Quia propriè *Vis* non dicitur, niſi quandò aliquis *actualiter aggreditur* aliquo facto perſe nociuo: ſed ille Accuſator nondùm ſic *aggreditur*: ergo tunc non verificatur, quòd *Vim Vi* Innocens repellit.

Quarta ratio. Probatur *Quartò* à Turriano; Quia nimirùm Falſus Teſtis non eſt propriè *Inuaſor*; nàm licèt *contrà Ius* id faciat, non tamen *contrà ordinem Iuris*: Aggreſſor autem eſt, qui *contra Ius, & Iuris ordinem*, Iniuriam infert, aliòquin non vt priuata perſona, neque propria auctoritate agit, ſed publica, *hoc eſt, per Iudicem*, & Iuris ordine ſeruato.

Secunda ſententia. Bañes. 4 SECVNDA OPINIO eſt Bañes, *de Iuſt. & Iur. quæſt.* 64. *art.* 7. *circà medium*, *dub.* 4. *concl.* 2. *§. Similiter dico*. aſſerentis, quòd ſi ille, qui vadit ad Iudicem, fuerit admonitus, & noluerit retrocedere, poterit is, qui iniuriam patitur, occidere illum, defendendo ſe, vel ſua, ſi aliter non poteſt.

Suarez. Eandem Sententiam docet Ioannes Franciſcus Suarez, *in Enchirid. Caſuum Conſcient. lib.* 7. *verb. Homicidium. §.* 13. vbi ſic ait: Licet occidere Teſtem euntem ad teſtificandum falſum contrà me, vbi agitur ad mortem; nihil enim differt *armis*, vel alia Iniuſta Via me inuadat, ſi certò ſcio, *gladio oris eius* me fore occidendum. Sic Ille. Ità etiam Tannerus, *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 4. *num.* 83. Strouerſdorf, *in* 2. 2. *D. Thomæ*, *quæſt.* 64. *art.* 7. *concl.* 5. Reginaldus, *tom.* 2. *lib.* 21. *cap.* 5. *num.* 57. Sanchez, *in Summa*, *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 7. quos citat, & ſequitur Diana, *par.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 97. *& par.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 7.

Tannerus. Strouerſd. Reginald. Sanchez. Diana.

Prima ratio. Probat Bañes hanc Sententiam, *Primò*; Quia licitum eſſet mihi occidere hominem, qui vocat ſeruum, vt me occidat, ſi non habeo aliud medium, quo Vitam ſeruem Incolumem: ergo, &c.

Secunda ratio. *Secundò*: Si quis vadit, vt ſoluat, vel irritet Canem, aut Leonem contrà me, licitum eſt mihi illum occidere, antequàm ſoluat Canem, aut Leonem: ergo etiam in caſu poſito, licitum erit occidere Accuſatorem, vel Inuaſorem.

TER-

Tertia ſententia.
Leſſius.

4 TERTIA OPINIO eſt Leſſij, *de Iuſt.& Iur.lib.2.cap.9. num.47.in fine*. vbi ait: Quòd Bañes Opinio, etſi fortaſſe ſpeculatiuè probabilis videri queat, non tamen in praxi eſt admittenda, ob incommoda, quæ ex ea ſequi poſſunt; facilè enim homines ſibi perſuadent ſæpè ob calumniam accuſari, & non eſſe effugium, niſi morte Accuſatoris, ſicque multæ cædes Iniuſtæ patrarentur. Denique talis in Republica benè conſtituta, vt homicida plecteretur.

Quarta ſentent.
Pet. Nau.

5 QVARTA OPINIO eſt Petri à Nauarra, *lib. 2. de Reſtitut. cap.3. num.* 359. qui pro hac dirimenda controuerſia, hac diſtinctione vtitur: Occidere prædictas perſonas, publicè non licet, priuatìm, atque occultè liceret.

Occulta occiſio cur ſit licita?

Ferro, ac Linguæ gladio inuadi idem eſt.

6 *Secundam* huius diſtinctionis Partem, *Primò* Probat; Quia *Ferro*, vel *Linguæ gladio* inuadi, idem eſt. Nec video, inquit, (contrà Caietanum) quid differat *armis*, vel *Iniuſta Via* me inuadi, ſi certò ſcio *gladio oris* me fore iniquè damnandum. Hac enim ratione Iudæi Chriſtum crucifixerunt, cum acuerunt linguas, tanquàm Serpentes: *Filij enim hominum, dentes eorum arma, & ſagitta, & lingua eorum gladius acutus*. Vndè, vt benè Auguſtinus ait: *Pſalm.* 63. Pilatus, & eius Miniſtri, qui Chriſtum armis inuaſerunt, comparati Iudæis, multò Innocentiores fuerunt: Iudæi enim acriùs, & veriùs crucifixerunt, cùm clamantes dixerunt: *Crucifige, crucifige:* Vndè in dicto Pſalmo, poſtquàm dixit: *Exacuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, ſubdit ſtatim: Subitò ſagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt ſibi ſermonem nequam*. Repetere ſermonem, confirmare eſt. Cùm ergo dixerunt ſemel, & iterùm: *Crucifige, Crucifige*, planè firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Tunc ergo illi verè crucifixerunt, & occiderunt *gladio Linguæ*, & ſermonis nequam. Vndè obiter animaduertes, non eſſe contrarios Euangeliſtas: Lucas enim inquit, *hora ſexta* eſſe crucifixum Dominum. Marcus verò: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*. Cùm enim Chriſtus, & armis Gentium, & linguis Iudæorum ſit crucifixus, Lucas narrans *armatam inuaſionem*, ait fuiſſe *hora ſexta*: Marcus verò attendens ad *linguas Iudæorum*, qui *hora tertia* clamauerunt: *Crucifige, crucifige* (inquit). *erat autem hora tertia*. Quàmuis, & alias expoſitiones alibi attulimus, hanc tamen, quia acutiſſimi illius eſt, ſummique Theologi, omniumque Theologorum, & virtute animi, & ſapientia præſtantiſſimi, acerrimi quondam, nè dicam vnici, ſuo tempore Eccleſiæ Defenſoris, Sanctiſſimi Patris Auguſtini, placuit modò afferre, vt intelligamus, non minùs impeti Innocentem, & occidi Lingua, quàm Armis. Si ergo miſer Innocens verè occiditur gladio Linguæ, nec aliud eſt diffugium, quàm Inuaſorem occidere, neſcio cur id ei non liceat, Vim iniquiſſimam repellendo? Ità Nauarra.

Quomodo verum ſit, Christum hora tertia, ac ſexta fuiſſe crucifixū?

Acceptare licet Duellū ad euitandā iniuſtam mortem.

7 *Secundò*; quia ſi acceptare Duellum eſt licitum, vt ſe defendat ab Iniuſta morte (teſte Caietano) & in Duello ipſo licet occidere talem Calumniatorem, cur tandem abſque Illo, non licebit? cùm præſertim Innocens eſt minùs potens, cùmque pura Defenſio, ſemper licita magis, quàm Duellum apud Sapientes ſit habita: tùm quia magis neceſſaria, magiſque coacta: tùm quia in Duello cooperatur nouo peccato alterius, quo me alter poſſet perimere, non ſolùm lingua, ſed manu. Adde, quòd ex omnium ſententia, licet Contumelioſum hominem occidere pro Honore tuendo: at Dedecus, & Contumelia, non gladio ferreo, ſed Lingua inuritur, non ergo eſt illa doctrina vera, quòd armata Defenſio non licet, niſi contrà Inuadentem Armis.

Defenſio magis neceſſaria, quàm acceptatio Duelli.

Caiet.

8 *Tertiò*; Quia (vt Caietanus fatetur *quæſt. illa* 95.) nihil refert, an aliquem occidas *proprio gladio*, an gladio *Iudicis*, vel Carnificis: licèt enim Iudex, vel Carnifex non me aggrediantur illo gladio; tamen teſtis, illorum gladio me inuadit: quòd enim proprio, vel alieno inuadat, nihil refert. Vnde Nathan dixit ad Dauid: *Vriam interfeciſti gladio filiorum Ammon*.

9 *Prima* verò Pars, nempè non licere publicè occidere prædictas perſonas, Probatur ex eodem Nauarra *loc. cit.* Quia *Defenſio* ſolùm eſt licita ad euadendam mortem propriam; ſi autem palàm occideret, maior ſuſpicio generaretur contrà ipſum ad mortem eius. Sicut enim Defenſionis, priuata mortem finis eſt, priuatam mortem vitare, quæ ſi ſequitur, non licet occidere: ità Defenſionis à publica morte, finis eſt publicam mortem vitare, qui tamen finis non ſequitur, ſi palàm occidat, vt dictum eſt. Non ergo licet palàm, ſed occultè talem Vim repellere. Ea enim ratione repelli poteſt Vis, qua ratione infertur. Manifeſtè ergo inuadentem, manifeſta Vi licet occidere, occultè verò, Teſtificantem, vel Condemnantem licet occidere. Ità Nauarra.

Argum. Alieno, ac proprio gladio interficere an ſit idẽ?

10 *Verùm obijcit* ſibi, quòd non ſit idem aliquem *lingua*, ſeù *gladio alieno* occidere, ac ſi *proprio* faceret, tali pacto. Si Teſtis, vel Iudex, alijque Miniſtri Iuſtitiæ me ad Iniuſtam Mortem condemnarent, ex ignorantia tamen inuincibili, fateri debemus, & in particulari Sotus adnotauit, *art.* 8. Non licere quemquam illorum occidere: at ſi illi ijdem per Vim illatam me occidere vellent, etiam ex ignorantia inculpabili, liceret eos occidere. Non ergo idem eſt Iudicium de Aggreſſione Armis, & de Inferente Iniuriam Lingua, vel alieno gladio, vel etiam Sententia.

Reſpõſio. Prima ſẽtentia eſt probabilior, licet hæc non careat probabilitate

Reſpondet: Ob has rationes, Primam Sententiam probabiliorem videri: Sed nec improbabilem, inquit, noſtram putamus. Non enim eum auderemus condemnare, qui tali neceſſitate oppreſſus, Iniquum Teſtem, vel Iudicem occultè occideret. Sicut etiam licet venenum in propinantem occultè conuertere: maximè, quia nec eorum fundamentum eſt omninò verum, quòd Inuadentem Armis licet occidere: aliàs ſaltem Carnificem liceret occidere, etiam quandò inuincibiliter procederet, quod tamen non dicent Ipſi. Ità Nauarra.

Auctoris Sententia.

Prima Auctoris Reſponſio ad Quæſitũ.

11 RESPONDETVR *Primò* ad Quæſitum: Defenſionem *armatam* licitam eſſe contrà falſum Teſtem *Inuadentem*, licèt *Inermem*. Eſt contrà Auctores Primæ Sententiæ, præſertìm contrà Caietanum, & Cordubam, locis ſuprà citatis.

Prima ratio pro prima reſp.

12 Probatur *Primò* contrà Caietani rationem: licita eſt *Defenſio armata* contrà Furem, volentem Bona in notabili quãtitate auferre, etiamſi Fur ſit *Inermis*: & licita eſt quoque contrà *Inermem* Pudicitiæ *Aggreſſorem*, in caſu, quo tàm Fur, quàm Pudicitiæ Aggreſſor, aliter repelli non poſſent, quàm Armis: ergo licita etiam eſt talis *armata Defenſio* contrà *Falſum Teſtem* Inuadentem, quàmuis *Inermem*.

Secunda ratio.

13 Probatur *Secundò* contrà Cordubæ rationem; Quia licet reſpectu Iudicis, quem Calumniator, Accuſator, vel Falſi Teſtes decipiunt, ſit *fraus*; reſpectu tamen Accuſati, & Condemnati nulla ſit *fraus*; nullo enim modo decipitur, ſed fit *Vis*, quæ illi infertur per Iudicem deceptum, compellentem ad mortem: ergo hanc *Vim* poteſt Calumniatus *Vi* repellere, occidendo eum,

qui primus Auctor Iniuſtus eſt huius Violentiæ, nempè Calumniatorem, ſi id neceſſe ſit ad euadendum.

Secunda Auctoris Reſponſio ad Quæſ.

Falſus teſtis eſt moraliter Inuaſor.

14 RESPONDETVR *Secundò:* Teſtem, qui vadit ad Iudicem, vt imponat falſum Teſtimonium, propter quod ſim occidendus, vel infamandus, licèt non ſit *phyſicè*, eſſe tamen *moraliter Inuaſorem*, & Aggreſſorem, etiamſi id faciat tantùm contrà Ius, non tamen contrà Iuris ordinem. Eſt contrà Vazquez, Turrianum, & alios, negantes, Falſum Teſtem eſſe propriè Inuaſorem. Eſt verò ad mentem Petri à Nauarra, *loc. cit.* & De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom.* 1. *diſp.* 10. *Sect.* 7.

Vaſq. Turrian. Nauar. De Lugo.

Prima ratio pro ſecunda reſponſ.

15 Probatur *Primò*: Nàm aliàs nec Iudæi clamantes contrà Chriſtum, nec falſi Teſtes, nec Iudas, eſſent Aggreſſores; & ità nec Iudam properante morte prohibere, ſi aliter non poſſet, liceret, & alios falſos Teſtes &c. Deindè, quia implicantia videtur, vt aliquis faciat contrà Ius, & Iuſtitiam, & non faciat contrà Iuris, & Iuſtitiæ ordinem: Ius enim eſt ordo Iuris, & ordo Iuris eſt Ius, cùm Ius ordinatum eſſe debeat. Quis enim eſt, non dico Ius, ſed Iuris ordo, vt quis Innocentem falſo Teſtimonio occidat? Licèt enim Iudex ordine Iuris procedat, condemnando ſecundùm ea, quæ in Iudicio probantur, ſi de Innocentia Rei nullo modo illi conſtet, & conſequenter, nec contrà Ius agit, & ità reſpectu Iudicis illa Mors cùm ordine Iuris irrogetur, imò etiam Iure, & iuſtè, reſpectu illius, ac proindè tales Iuſtitiæ Miniſtros, bona fide (licèt reipſa iniuſtè condemnarēt) ex Ignorantia ſcilicet Inuincibili, ob allegata, & probata, non liceret vllo modo occidere, quod ſic opinantibus (inquit Nauarra) concedimus, vt concedit Sotus, *lib.* 5 *de Iuſt. q.* 1. *art.* 8. *verſ. Sic autem*. Tamen reſpectu deponentis, non eſt facta ordine Iuris, id eſt, ille non ordine Iuris condemnat, cùm nullus ordo Iuris poſtulet, aut permittat, vt quis falsò accuſetur ad Mortem ab Accuſatore, vel Teſte; licèt concedat, vt à Iudice ſecundùm probata (eo omninò neſciente) Innocens condemnetur. Concludit ſic tandem Nauarra: Siue ergo Teſtis falsò deponens, ſiue Accuſatot falsò accuſans, ſiue Iudex iniquè condemnans, verè ſunt Aggreſſores, & contrà communem Iuris ordinem id efficiunt.

Sotus.

Secunda ratio.

Probatur *Secundò*: Quia non apparet, cur Ius Defenſionis tollatur ex eo, quòd Iniuriæ irrogentur, ſeruato exteriùs Iuris ordine; Si tamen reuera Iniuria ſit, & Violentia ſit. Vndè non minùs incurreres Excommunicationem ob Violentiam in Clericum factam, ſi per fraudem faceres eum à Iudice verberari, aut interfici, quàm ſi propria manu eum percuteres; quia vtraque eſt vera, & propria violentia.

Tertia ratio.

Probatur *Tertiò*, ex De Lugo, *loc. cit.* quia ſi Satellites, & Miniſtri Iudicis ſcirent Innocentiam tuam, & vellent adhùc Sententiam Iudicis, & Capitalem pœnam in te exequi, poſſes illis reſiſtere, etiam eos occidendo, vt cum communi DD. quos affert, docet Molina, *diſp.* 15. *num.* 3. Et tamen illud malum ab illis inferretur auctoritate publica, & non priuata, vt conſtat.

Quarta ratio.

Probatur *Quartò*: Si aliquis fraudulenter, vt noceat propriæ Reipublicæ, Principem externum decipiat, eique ſuadeat, poſſe illam inuadere; tunc Princeps non procedit auctoritate priuata, ſed publica, & ſeruato Iuris ordine, ex falſa tamen relatione illius fraudulenti; & tamen quando Milites irrumperent in Subditos huius Reipublicæ, & vellent eos ſpoliare ſuis Bonis, poſſet quilibet eorum, etiam propria authoritate priuata, & ante

Bellum à ſua Republica indictum, Se, ſuaque Bona defendere, occidendo etiam Spoliatores. Ergo Ius defendendi Se, & ſua Bona, non eſt ſolùm contrà Iniurias illatas auctoritate priuata, ſed etiam contrà eas, quæ authoritate publica, & ſeruato Iuris ordine, videntur inferri.

Quinta ratio. Probatur *Quintò*, & Vltimò; Quia in caſu noſtro licèt malum illud, pròut infertur à Iudice, inferatur *authoritate publica*, & eſto, quòd ea de cauſa non liceret Iudici reſiſtere, ab eoque Se per Vim defendere; pròut tamen infertur à Calumniatore, vel falſo Teſte, non infertur *authoritate publica*, ſed *priuata*, & non ſolùm *contrà Ius*, ſed etiam *contrà Iuris ordinem*: neque enim ipſe habet *auctoritatem publicam* ad calumniandum, nec *Iuris ordo* ſeruatur, ſed violatur ab eo, qui falsò accuſat, vel teſtificatur, cùm omnia Iura præcipiant Accuſatori, & Teſti, vt nonniſi iuxtà conſcientiam accuſet, vel teſtificetur: ergo contrà illum, quatenùs eſt perſona *priuata*, & contrà *Iuris ordinem* infert Iniuriam, ex nullo capite negari poteſt Ius reſiſtendi etiam cum ejus detrimento.

Tertia Reſp. ad Quæſ. 16 RESPONDETVR *Tertiò*: Probabile eſſe, licere in foro Conſcientiæ illum falſum Teſtem, & Calumniatorem *occultè* occidere, quandò non eſſet alia via euadendi, & hoc eſſet efficax ad damnum illud vitandum. Eſt ad mentem Bañes, *quæſt.*84. *art.*7. *dub.*4. Nauarri, *lib.*2. *de Reſtitut. cap.*3. *num.*361. Molinæ, *tom.*4. *diſp.*12. Bonacinæ, *diſp.* 2. *de Reſtitut. quæſt. vlt. Sect.*1. *punct.*9. *num.*7. De Lugo, & Dianæ *loc. citat.* & Aliorum apud eundem Dianam.

Bañes. Nauar. Molin. Bonac. De Lugo. Diana.

Prima ratio. 17 Probatur *Primò*; Quia, quòd *propria* manu, vel *aliena* me occidas, parùm refert; Sicut dictum eſt per Prophetam ad Dauid: *Interfeciſti Vriam gladio filiorum Ammon*. Si ergo poſſum te occidere, quandò *propria* manu me vis occidere, potero etiã, quandò *lingua gladio* occidere volueris.

Secunda ratio. 18 Probatur *Secundò* ex Bañes, & Leſſio; Quia in hoc caſu licitum erit tibi acceptare Duellum; vt docet Caietanus *quæſt.*95. *art.*8. *ad* 3. & in Summa verb. Duellum, & alij Doctores communiter: ergo in Pugna poſſes licitè occidere illum Calumniatorem: ergo etiam extrà Duellum: non enim aliter poſſum licitè occidere in Duello, niſi vt me eripiam ab eis Iniurijs, quas aliter non poſſum effugere: ergo ad eundem finem potero etiam occidere ſinè Duello.

Tertia ratio. 19 Probatur *Tertiò* ex De Lugo; Quia ſi aliquis Iniuſtè velit Tibi immediatè auferre Bona Fortunæ, & multò magis, ſi auferre velit Honorem, vel Famam, nec aliter poſſis id impedire, poteris Vi, & Armis reſiſtere, atque eum occidere, ſi damnum ſit proportionatum tali reſiſtentiæ: ille autem Calumniator, *propria auctoritate* vult te Infamare apud Iudicem, quæ Infamia, non à Iudice, ſed ab ipſo immediatè ponitur, & meritò exiſtimatur grauiſſimum Damnum, propter id, quod conſequẽter affert; nẽpè *certum Vitæ periculum*: ergo poteris *Vi* eũ opprimere, nè te in re tãti momẽti lædat.

Sicut ſi falſis calumnijs velit te apud Conſanguineum Infamare, nè tibi hæreditatem relinquat, ex qua, tua vita, & totius tuæ familiæ dependet, nec aliter poſſes damnum illud effugere. Vndè iterùm argui poteſt contrà rationem Vaſquez, quia hoc damnum illius infamiæ, quam calumniator apud Iudicem mihi infert, non irrogatur certè *auctoritate publica*, ſed *priuata* ipſius calumniatoris, qui ſolùm, & immediatè totum illud damnum infert; ergo licèt contrà iniuriam *auctoritate publica* inferendam, non poſſem me defendero, *Vim Vi* repellendo; potero tamen id facere con-

trà calumniatorem, quatenùs *auctoritate propria* vult mihi infamiam apud Iudicem irrogare, quæ infamia meritò in his circumſtantijs tanti æſtimatur, quanti mors ipſa æſtimatur; in praxi tamen vix poteſt occurrere caſus, in quo id neceſſarium, & licitum ſit.

Soluuntur Oppoſita.

Solutio primæ rationis negatiuæ ſententiæ.

20 Ad Argumenta Primæ Sententiæ reſpondetur cum Bañes *loc. citat.*

AD PRIMVM, quòd ſicut non poſſum me *defendere per vim* ab ipſo Iudice, & Miniſtris, qui *bona fide ſecundùm allegata, & probata* procedunt, etiam ſi ex *ignorantia* id faciant, ità neque accuſatorem poſſum occidere, qui *bona fide*, & *iuridicè* me accuſat. Ratio eſt, quia omnes iſti exequuntur officium legalis Iuſtitiæ, ac per conſequens nō faciunt mihi *iniuriam*. Et confirmatur: Quia innocens, probatus nocens, tenetur pati mortem illatam à Miniſtris Reipublicæ: ergo accuſatus tenetur pati accuſationem factam ſecundùm *legalem iuſtitiam*. Ratio vtriuſque eſt: quia ſic expedit communi bono Reipublicę. Cæterùm, quando quis me inuadit, vel accuſat ſiue ex *malitia*, ſiue ex *ignorantia*, & non ſecundùm *iuſtitiam legalem*, licitum mihi eſt me defendere, non obſtante morte illius.

Dubium.

21 Sed rogat quis quid agam. Ego, ſi quis vadit ad me accuſandum de crimine vero, ſed occulto, ex cuius accuſatione mihi certum periculum creatur mortis, vel infamiæ?

Reſpōſio.

Reſpondetur, quòd ſi ille non habet ius ad me accuſandum, neque procedit ſecundum iuſtitiam legalem, ità me poſſum defendere ab illo, ſicut ab imponente falſum crimen. vide Bañes *loc. cit.*

Bañes.

Secūdùm argum. ſoluitur.

22 AD SECVNDVM argumentum reſpondetur, concedo ſequelam. Diximus enim iam, quòd licitum eſt pro defenſione rerum temporalium inuaſorem occidere. Cùm igitur ille accuſator per ſe, vel per tertiam perſonam iniquè contendat accipere mea bona: licitum mihi erit illa defendere. Neque illud inconueniens ſequitur ex iſta doctrina, niſi ex malitia hominum litigantium, qui non prudenter examinabunt circumſtantias, in quibus licitum eſt, falſum accuſatorem, & falſum teſtem occidere. Ad confirmationem reſpondetur, concedo antecedēs, & nego conſequentiam. Quia Iudex procederet ex falſa præſumptione: At ſi iuridicè poſſet probari ratio iuſtæ defenſionis, tunc Iudex iniquè puniret interfectorem.

Solutio tertij Arg.

23 AD TERTIVM argumentum reſpondetur, quòd moraliter loquendo, ille iam *capit facere vim*, quando apponit *cauſam certam periculi futuri*: ſicut qui parat laqueum pedibus meis in loco, per quem mihi neceſſe eſt tranſire: neque enim debeo expectare ad repellendam *vim*, quando iam nullum erit remedium. Sed tunc verè me defendam, quando iam poſita eſt aliqua *actio*, per quam, per bonam conſequentiam, ſequitur meum *periculum*: alioquin poſteà nullus eſt locus defenſioni relictus.

AD QVARTVM ex dictis in Secunda reſponſione ad Quæſitum, facile patet reſponſio, falſus enim Teſtis, etſi non *phyſicè*; eſt tamen *moraliter Inuaſor, & Aggreſſor*, vt fusè ibi oſtenſum eſt.

QVÆ-

QVÆSITVM II.

Vtrùm Iniuſtus Litigator, qui Calumnijs, & Falſis Teſtibus, conatur in Iudicio Te tuis rebus ſpoliare, poſsit licitè à Te occidi, quandò aliter non potes ſpoliationem illam effugere?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur prima ſententia negatiua.*
Lex prohibens homicidia, prohibet etiam occiſionem Iniuſti Litigatoris.
2 *Titulo defenſionis excuſanda non eſt occiſio iniuſti Litigatoris.*
Pluribus occultis cædibus daretur occaſio, ſi licita eſſet, & excuſabilis talis Occiſio.
3 *Oppoſitam ſententiam, Quinam DD. tueantur?*
Aggreſſorem Vitæ, ac Facultatum magni momenti, æquè licet occidere.
4 *Quid requiratur ad hoc, vt licita ſit occiſio iniuſti litigatoris?*
Rariſſimè ea omnia occurrunt, quibus licita reddatur talis occiſio: Cur in Foro externo numquàm excuſetur?
5 *Soluitur ratio oppoſitæ ſententiæ.*
Priuata auctoritate non poteſt Actor priuari Iure agendi in Iudicio.
Princeps, putans ſe probabilem cauſam habere, an licitè poſſit ſe tueri cum occiſione Aduerſariorum?

Prima ſententia Negatiua. Coninch. Syluius. Diana.

1 PRIMA OPINIO eſt Negatiua. Ità Coninch *de Fide, Spe, & Charit. diſp.* 32. *dub.* 2. *num.* 12. Sylutius *in* 2. 2. *D. Thom. q.* 64. *ar.* 7. *Quæritur*, 6. Nec diſſentire videtur Diana, *par.* 3. *tract.* 5. *Miſcell. reſol.* 97. Adducam verba ipſius Coninch, dicentis: Quòd etſi ſpectato ſolo *Iure Naturæ*, non ſit improbabile, quandò inter duos lis agitur, ſiue criminalis, ſiue ciuilis, modò hæc ſit magni momenti, & vnus conetur falſis Inſtrumentis, aut Teſtibus ſubornatis, Innocentem opprimere: hunc, ſi id ipſi certò conſtet, poſſe alium ſecretò interficere, ſi id poſſit commodè facere, nec alia ſit ratio euadendi periculum, quòd ipſi ab alio iniuſtè imminet; quia hæc *Occiſio* habet rationem *Iuſtæ Defenſionis*, contrà Iniuſtum Inuaſorem. Etſi, inquam, hoc ſpectato ſolo *Iure Naturæ*, non ſit impoſſibile; tamen credo *Iure Poſitiuo* poſſe id prohiberi, atque adeò, de facto eſſe prohibitum à lege prohibente homicidia, & ad hunc caſum extendi poſſe. Vſu enim videtur receptum, vt in quauis Republica benè conſtituta, talis Occiſor deprehenſus, morte puniatur. Ità Coninch.

Ratio.

2 Probatur etiam hæc Sententia, Quia nunquàm tale homicidiũ excuſari poteſt ratione *neceſſariæ Defenſionis*, nam alioquin ſequeretur, quòd quoties Reus putat probabiliter, ſe *Iuſtam cauſam* in Iudicio tueri, vel certè *probabiliorem*, poſſet pro rebus ſuis tuendis Aduerſarium occultè occidere: quod quidem grauiſſima inconuenientia in praxi afferret, & infinitis cædibus occaſionem præberet, cùm nemo ferè ſit ex litigantibus, qui non putet ſe *probabilem*, imò *probabiliorem cauſam*, & *certum Ius* habere, ac proindè facilè ſibi perſuaderet, ſe aduerſæ partis *machinationibus* iniuſtè opprimi. Sequela verò probatur, quia ad Iuſtitiam Belli ſufficit, quòd Princeps Inuaſus putet, ſe *probabilem cauſam* habere, vt licitè poſſit Se tueri, etiam cum *occiſione* Aduerſariorum.

Secunda ſententia affirmat. Bañes. Nauar.

3 SECVNDA SENTENTIA eſt Affirmatiua. Ità Bañes, *de Iuſt. & Iure, quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. *concl.* 2. *& in reſponſ. ad* 2. Nauarra, *lib.* 2. *de reſtit.*

De Lugo.
Sanchez.

cap.3. in 2. part. dub.13. num. 289. & 290. De Lugo, *de Iuſt. & Iur. diſp. 10. ſect. 9. num. 183. & ſeqq. §. Contrariam tamen.* & Thomas Sanchez, *lib. 2. in Decalog. cap. 39. nu. 7.* vbi cum Alijs dicit; non ſolùm licitè acceptari poſſe Duellum in eo caſu, ſed etiam ſinè Duello poſſe Aduerſarium Calumniatorem occultè occidi, quandò id abſque periculo fieri poſſet.

Ratio.

3 Quod probari poteſt eiſdē argumentis, quibus *ſup. Quæſ.* probatum eſt; in ſimili caſu occidi poſſe Accuſatorem Iniuſtum, qui *Calumnijs, & Falſis Teſtibus* Te ad mortem ſubeūdam in Iudicio compellit. Nàm, ſicut *pro Vita tuenda* potes Illum Iure *Defenſionis Naturalis* interficere; ſic etiam pro *Facultatibus defendendis* poteris in caſu ſimili idem facere, cùm non minùs poſſis occidere Aggreſſorem Iniuſtum tuarum *Facultatum*, quàm *tuæ Vitæ*. Vndè addit idem Sanchez, cum Nauarra, non poſſe àb Innocente tunc acceptari Duellum, ſi tutò poſſit illum Actorem Iniuſtum occultè occidere: ſic enim vitabit periculum propriæ Vitæ, & peccatum Aduerſarij, Duellum Iniuſtum ex parte tua ſuſcipientis.

Duellum in tali caſu, an liceat acceptare.

Limitatio præcedẽtis doctrinæ.

4 Aduertunt tamen prædicti DD. ad hoc exigi, quòd conſtet *apertè*, & omninò *certò*, Actorem omninò *Iniuſte*, & *per Calumniam* procedere, atque etiam, quòd Innocens hæc Bona irrecuperabiliter, & certò amiſſurus eſt: quæ quidem quia in Republica bene compoſita, vix vnquàm concurrent, ideò in praxi caſus rariſſimus eſſe poteſt. Vndè non mirum, quòd exceptio talis nunquàm in Foro Externo admittatur pro excuſanda eiuſmodi Occiſione; ſemper enim Iudex præſumet, quòd Irrationabilis fuerit ille prætextus, cùm per viam iuridicam potuiſſet conſtare de *calumnijs* Accuſatoris: Quòd ſi conſtare non poſſit de ijs, iàm eo ipsò non conſtat de titulo, quem Reus habuit ad eum licitè occidendum, & idcircò tanquàm *Homicida* condemnabitur.

In foro externo, cur non excuſetur talis occiſio?

5 Ad argumentum oppoſitæ Sententiæ reſpondetur cum De Lugo *vbi ſuprà*, negando ſequelam: Quandò enim probabile eſt *Ius* Actoris, licèt non habeat, niſi probabile Ius ad cauſam, habet tamen *certum Ius agendi* in Iudicio, quo Iure priuari non poteſt ab Aduerſario, *auctoritate priuata*, quia eſt *verum Ius* ſemper, quo fieri poteſt validus Contractus tranſactionis, qui fieri non poſſet licitè ex parte Actoris, ſi *Ius litigandi* non haberet. Vndè benè arguitur ab exemplo Belli: nàm in Bello Princeps, qui Superiorem non habet, eſt Ipſe, qui iudicat de *Iure ſuo*, & *Iure Aduerſarij*, non *auctoritate priuata*, ſed *publica*, quod facere debet adhibito conſilio Virorum Doctorum, ſicut ſi eſſet Iudex in cauſa Subditi: quarè ſi iudicat pro cauſa ſua, quæ probabilis eſt, iàm procedit auctoritate publica ad exequutionem.

Solutio rationis oppoſitæ ſententiæ.

QVÆSITVM III.

Vtrùm, quandò Miniſtri publici iniuſtè aggrediuntur interficere, aut comprehendere aliquem, vt iniuſtè interficiatur, licitè poſſint occidi?

SVMMARIVM.

1 *Poſſunt licitè occidi, ſi de illorum iniuſtitia, vel poteſtatis abuſu, liquidò conſtet, vel ſi Aggreſſus viderit vitam ſuam periclitari, niſi illos interficiat.*
2 *Secùs autem, ſi vel iuſtè, vel bona fide illos procedere nouerit.*
3 *Rem furtiuam reddere nolens, Mini-*

ſtris iuſtè ipſum impetentibus reſiſtere non poteſt.

Molina. Lugo.

1 BREVITER Reſpondetur cum Molina, *tom. 4. diſp. 15. num. 3.* & De Lugo, *de Iuſt. & Iure, diſp. 10. ſect. 6. num. 144.* diſtinguendo; Vel enim de illorum iniuſtitia liquidò conſtat, quia certū eſt, quòd illi ſcientes ſe iniuſtè agere, ad id procedunt, ac niſi interficiantur, periclitatur eius Vita; aduersùs quē iniuſtè procedunt, tunc ità Inuaſus, vt ſentiunt citati Doctores, licitè poteſt dictos Miniſtros in ſuam Defenſionem interficere. Item poſſe eis reſiſtere, quandò conſtat eos ſua abuti poteſtate, Sotus, *5. de Iuſtitia, quæſt. 1. art. 8.* Silueſter *verbo Bellum, ſecundò num. 7.* & Couarruuias *1. var. reſol. cap. 2. num. 13.* affirmant.

Sotus. Silueſt. Couarr.

2 Quòd ſi Publici Iuſtitiæ Miniſtri *bona fide*, iuxtà munus ſuum procedant, *interfici non poſſunt*, etiam ſi contrà Innocentem procederent. Ratio eſt, quoniam *munus ſuum publicum* exequuntur, ſuntque ea in parte *ſuperiores*, comparatione illius, idque poſtulat *commune Reipublicæ bonum*. Fugere tamen tunc poſſet, ac *ſe defendere*, nullum damnum huiuſmodi Miniſtris inferendo.

Pet Nau.

3 Eadem ratione, iuxtà Petrum à Nauarra, *lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 388.* Latro, qui rem furtiuam reddere nolit, non poteſt Iuſtitiæ Miniſtris reſiſtere, cùm enim iuſtè impetatur, *Iure reſiſtendi caret*, non ſecùs ac is, *qui* à Miniſtro Iuſtitiæ *capitur*, ratione commiſſi Delicti.

SECTIO VIII.

DE QVARTA DVELLI SPECIE,

HOC EST,

De Duello Terminatiuo Litis Ciuilis, aut Criminalis.

MVlta licèt ex Singulari Certamine pericula oriantur, & damna; nonnullis tamen Theologis maiora videntur ea, quæ ex falſis prouehiunt Calumnijs; ideòque in dubium reuocant, an licitè aduersùs Calumniatorem iniri poſſit Duellum, & veluti clauus clauo expellendus. Deteſtabilis, inquiunt ipſi, eſt *Monomachia*, verùm deteſtabilior videtur *Calumnia*; cuius picta ſolùm imago terrorem ſimul, ac odium parit. Illam neſcio an Apellæo Penicillo Lucianus, an Apelles Luciani calamo deſcriptam, expreſſamque, tali ſub imagine ſpectandam propoſuit: Imago hæc eſt. Lucianus

Vir prælongis auribus, quales *Midæ* fuerunt, in ſolio, velut Iudex conſidet, & accedenti *Calumniæ* opē largiter promittit. Circumſtant ſedētem virum mulierculæ duæ, *Ignorantia* ni fallor, ac *Suſpicio*. Adit aliundè propera *Calumnia*, eximiè cōpta, vultu ipſo, & geſtu corporis efferam rabiem, & Iram, æſtuanti conceptam pectore præferens; ſiniſtra facem tenens flammiuomam: dextra Adoleſcentem capillis prælienſum, manus ad Superos tendentem, obteſtantemq; Immortalium Deorum fidem, rapit. Anteit Vir pallidus, in ſpeciem impurus, acie oculorum minimè hebeti, cæterùm planè ijs ſimilis, qui diuturno aliquo morbo contabuerunt. Hunc facilè conijcias *Liuorem* eſſe. Quin etiam Calūniæ Imago ex Luciano.

mu-

Mulierculæ duæ comitantur, quæ Calumniç ornatrices dicũtur, quarum alteri nomen eſt *Sycophantia*, ſeù *Inſidiæ*, alteri *Fallacia*. A' tergo lugubri habitu, pullata, laceraque *Pœnitentia* ſubſequitur, quæ capite in tergum deflexo, cum lacrymis, ac pudore procul venientem *Veritatem* excipit. Ità Calumniam Lucianus expreſſit.

Ammian. Verùm Calumniatorem ipſum longè fœdiùs deſcribit Ammianus: *Calumniator*, inquiens, non eſt homo, ſed *Lamia*, omni diritate teterrima: ſinè fronte, ſinè oculis, ſinè conſcientia; *Monſtrum* planè horribile, cui ſoli prominent dētes turpi rubigine infecti, cui feralis pallor, cui deformis macies, cui nudata carnibus oſſium cōpages teſtat. Draconis alicuius peſtilentem ſceleton, aut exſiccatum cadauer diceres. (Calumniatoris Imago, ac Mores, ex Ammiano.)

Quid tùm? Dignam hanc ferali effigie vocem, aut potiùs ſibilum emittit: per Forum medium ſerpit, dentibus aduncis, aſpectu rabido, hùc, & illùc circumſpectans, ſi quem reperiat, cui aliquid mali faucibus efflare, quem ore attingere, dentibus inſecare, lingua conſpergere poſſit; hinc licentiùs ſupergreſſus, fluminis modo, fortunis ſeſe complurium repentinus infundit, fertur per ſtrages multiplices, ac ruinas, vinculis corpora ingenuorũ affligēs: & quoſdam obterēs manicis, Crimina ſcilicet multa confarcinando, à veritate longè diſcreta. Sic Ille.

Hæc autem inter cætera Calumniatores faciunt, vt ex aliorum pernicie, ac ruina; aſſurgant ipſi, ac aliquid lucrentur. Quamobtem miratur Poëta Calumniatorem quendam pecunia carentem:

Martialis lib. 11. Epigram. 67.

Et Delator es, & Calumniator:
Et Fraudator es, & Negotiator:
Et Fellator es, & Laniſta. Miror
Quare non habeas Uacerra nummos.

Huiuſmodi igitur aduersùs *Calumniatores*, An Singulare Certamen inire liceat? videndum erit: In eo tamen euentu, in quo Duellum vnicum foret medium, Calumnias repellendi.

QVÆSITVM VNICVM.

An ſi Innocens Iniuſtè accuſatus, & damnatus, vel ad Mortem damnandus, prouocaretur ab Accuſatore ad Duellum, poſſet certam Mortem, quam per Iudicem ſubiturus eſſet; in Duelli periculum commutare?

SVMMARIVM.

1 *Iniuſtus Accuſator, eſt moraliter in actuali aggreſſione.*
2 *Proponitur prima ſententia negatiua Suarez, & Abulenſis.*
3 *Duelli acceptatio in poſito caſu, non eſt Defenſio, ſed Aggreſſio, iuxtà hanc ſententiam.*
4 *Si licita eſſet ea Duelli acceptatio, plura ſequerentur abſurda:* 1. *Licitam eſſe etiam prouocationem.* 2. *Accuſatorem occultè occidi poſſe ad euitandam iniuſtam mortem.* 3. *Licere etiam, Duellum acceptare ob conſeruationem famæ, nè per iniuſtam accuſationem auferretur.*
5 *Falſum Accuſatorem, nec in Duello, nec extrà Duellum licet interficere.*
6 *Si Duellum acceptare liceret contrà Iniuſtum Accuſatorem, pluribus occultis cædibus præberetur occaſio.*
7 *Affirmatiuæ ſententiæ adhæret Auctor; aſſeritque licitum eſſe in poſito caſu, certam & iniuſtam mortem in Duelli diſcrimen commutare.*
8 *Acceptatio Duelli in tali caſu, eſt vtile, ac neceſſarium medium ad iniuſtam vim propulſandam.*
9 *Medium per ſe vtile eligere ad iniu-*

ſtam

ſtam vim depellendam, an, & contrà quem liceat?

10 *Duelli acceptatio contrà iniuſtum Accuſatorem &c. ordinatur ad iniuſtam vim depellendam.*

11 *Prouocator, an iniuſtè vim inferat in poſito caſu; & an Prouocatus habeat Ius eam vim depellendi?*

12 *Moralis aggreſſio ſatis eſt, vt poſſit Prouocatus necem Prouocatoris honeſtare.*

Prouocatio phyſica, & moralis æquiparantur.

13 *Qui certam mortem iniuſtam in Duelli diſcrimen commutat, an eligat minus malum ad auertendum maius?*

14 *Eum, qui alicui imperat, aut conſulit, vt iniuſtam necem inferat, an liceat occidere?*

15 *Iure naturali, vnicuique datur facultas ſuam vitam tuendi, etiam iniuſtos homicidas occidendo, quando alia via non ſupereſt ſe tuendi.*

16 *Hæc affirmatiua ſententia, plurium DD. auctoritate firmatur.*

17 *Oppoſitæ ſententiæ argumenta diluuntur.*

Acceptatio Duelli in poſito caſu eſt licita Defenſio, non Aggreſſio: & qui illud acceptat, non eſt Aggrediens, ſed Aggreſſus.

18 *Accuſator, an reuera vim inferat, & an aggrediatur?*

19 *Oſtenditur non ſequi abſurda, quæ adducta ſunt in prima ſententia.*

20 *Accuſatorem Iuridicum, & Iniuſtum, & non Duellantem, an liceat interficere?*

21 *An Tibi, qui ſcires aliquẽ dediſſe alteri pecuniam ad Te interficiendum, liceat eum, qui dedit pecuniam, priùs interficere?*

22 *Hæc affirmatiua ſententia, non ideò eſt improbabilis, quia multi ea abutuntur.*

23 *Eum, qui bona fide ex inuincibili ignorantia, falsò quempiam accuſat, licitum non eſt interficere.*

24 *Quid in caſu, quo quis verum crimen obijceret, cognitum ab ipſo, vt verum; idque vellet Duello probare?*

1 LICEAT Mihi inter Theologos parùm experto Militi, huius Quæſiti incruentum Certamen cum Suarez, inter Scientiarum Profeſſores fortiſſimo Bellatore, in præſenti committere. Sint Duelli huius Patrini, indè Abulenſis, hinc Lyranus *locis infrà citandis*. Sed antequàm in Arenam deſcendamus, præmittendum eſt, *Iniuſtum Accuſatorem*, meritò dici eſſe *in actuali morali Aggreſſione, & in actuali Pugna morali*; ideſt actu exercere iniuſtas actiones, ob quas Innocens Iniuſtè Morti traditur: Tunc enim eſt aliquis *actu* in hac *Pugna*, quandò iàm incœptam habet aliquam Pugnæ actionem, & eſt animo paratus cæteras proſequi; neque probabilis ſpes ſupereſt, vt ab illis Accuſator deſiſtat. *Pugna* quippè eſt à *prima pugnandi actione* vſque ad vltimam, ſicuti *phyſica Pugna* eſt à prima *phyſica actione*, vſque ad vltimam. Prima quidem *phyſica actio* eſt, quandò aliquis enſem ſtringit, & tunc dicitur incipere *actualis phyſica Aggreſſio*: tunc item probabiliter ſpes nulla eſt, Aggreſſorem à cæteris Pugnæ actionibus ceſſaturum. Accuſator iniuſtus, eſt in actuali pugna morali.

Ità patiter in caſu noſtro, *Prouocator* eſt *in actuali Pugna morali*: iàm enim enſem ſtrinxit; cùm crimen mihi falſum obiecit, & me ad Certamen prouocauit, nec probabiliter ſpero, quòd ille à cæteris actionibus deſiſtet, quæ ad me iniuſtè condemnandum, ſuperſunt; ſed potiùs exiſtimo illas proſequuturum, donec me videat iniuſtè ad mortem damnatum: ſicque *Iniuſtus Accuſator* eſt *actu in Pugna morali iniuſta*, non minùs, quàm in Aggreſſione Iniuſta phyſica, eſt ille, qui iàm enſem ſtrinxit. Sic explicata morali Aggreſſione.

2 Prima Opinio eſt Suarez, *de Charit. diſp. 13. de Bello, ſect. vlt. num. 5. §. Hæc verò exceptio*. qui Abulenſis ſequutus opinionem, docet, quòd Prima ſententia negatiua. Suar. Abulen.

in eo caſu, quo Innocens *Iniuſte damnandus ad Mortem*, prouocaretur ab Accuſatore ad Duellum, ſi vellet *certam Mortem*, quam per Iudicem eſſet ſubiturus, non poſſet licitè *in Duelli periculum* commutare.

Prima ratio probat ſententia. 3 Mouetur Suarez ad hoc aſſerendum; quia *Duelli Acceptatio*, *Defenſio* revera non eſt, ſed *Aggreſſio*, cùm *Defenſio* ſolùm habeat locum, vbi ab actuali *Aggreſſore* infertur *Vis*: Ille autem Accuſator, revera non infert *Vim*, quia non cogit ad *Pugnam*, ſed inuitat, & ſolùm propriè aggreditur calumniando: *Calumnia* autem non propulſatur *Vi*, ſed veritatis manifeſtatione. Quòd ſi hæc poſſibilis non eſt, nequaquàm licet tranſgredi ad media inordinata, quę verè non ſunt media: ſed patienter ferenda eſt Mors; non ſecùs ac ſi Innocens probaretur Nocens per falſos Teſtes.

Altera ratio ex abſurdis vitandis. 4 Ad hoc confirmandum, inquit Suarez, ſi *Duelli Acceptatio* tunc habet locum *Defenſionis*, certè etiam *Prouocatio*, ſi aliud medium non ſuccurreret: nàm etiam hoc eſſet, *Vi repellere Vim*, quæ infertur gladio Iudicis: Liceret ergo *prouocare* ad tale Duellum, quod tamen ipſimet Contrariæ ſententiæ Auctores negant:

Primum abſurdũ.

Secundũ abſurdũ. Sequetur vlteriùs, licere Accuſato, occultè ſi poſſet, occidere Accuſatorem, ſi indè ſperaret fore, vt liberaretur à morte. Patet ſequela; nàm *in Defenſione* Iuſta licitum eſt præuenire.

Tertium abſurd. Sequetur præterea licere Tibi *acceptare tale Duellum*, nè fortè per Iudicem quiſpiam Te priuet *Fama*, vel *omnibus Fortunis*: non enim ſolùm *in Defenſionem Vitæ*, ſed etiam *in Defenſionem* externorum Bonorum, licet alium occidere.

Tertia ratio. 5 Mouetur præterea Suarez; quia non poteſt Reus ſic, falsò accuſatus, *occidere* ſuum Accuſatorem: ergo neque licet idem *tentare per Duellum*. Conſequentia patet; quod enim non licet *facere*, non licet *aggredi*. Antecedens etiam liquet; tùm ex dictis, tùm etiam exemplo; quia ſi Petrus v.g. ſciret Paulum dediſſe alteri pecunias, vt is Petrum occideret, non liceret Petro, Paulum ſua auctoritate occidere, quàmuis intelligeret, ſe non alia Via, mortem ab illo tertio euaſurum, idque non aliã ob cauſam, quam, quòd Paulus per ſe *Vim non inferat*: ergo nec poterit ſimiliter falsò apud Iudicem accuſatus, ſuum interimere Accuſatorem.

6 Poſtremò, inquit Suarez, Dubium non eſt, quin ſi Contraria Opinio admitteretur, plurimæ indè orirentur *Iniuſtæ cades*, in magnam Reipublicæ perniciem; facilè quippè ſibi quiſque perſuaderet, Iniuſtè ſe in Iudicio accuſari, nec aliud ſupereſſe remedium ad Vitam, Honorem, aut Bona tuenda, quàm ſi Accuſatorem occidat. Quarta ratio ex eo quòd oppoſita ſententia multis cadibus prabeat occaſionem.

Fieret etiam, vt ſi quis *ex ignorantia inuincibili*, bona quidem fide, & tamen *falsò* quempiam accuſaſſet, poſſet Accuſatus ad Vitam, aut Famam tutandam, Innocentem illum *occidere*; nàm hic etiam Innocens Accuſator non minùs *gladio Iudicis alium inuadit*, quàm *ſi ex malitia* accuſaſſet; cùm de facto hic etiam ſit Vitam alteri, aut famam per *falſam Accuſationem* ablaturus. Quò fit, vt licèt *ſpeculatiuè* loquendo, Contraria Opinio videatur fortaſſe probabilis, nulla tamen ratione ſit *in praxi* admittenda. Hæc ſunt primæ Sententiæ argumenta.

Secunda Opinio Lyrani, quam ſequitur Auctor.

7 Secunda Opinio eſt Lyrani, 1.*Reg*.17. & Aliorum, quos conſultò in huius Quæſiti calce citabimus, aſſerentium, quòd ad Mortem dam- Lyranus.

nandus, ſi ab Iniuſto Accuſatore prouocetur, licitè poſſit *certam mortem*, quam per Iudicem eſſet ſubiturus, aut etiam mutilationis periculum, in *Duelli diſcrimen* commutare. Sub Lyrano Duce, libenter Ego tali pacto pugnabo.

Prima ratio pro aſſirm. ſent.

8 Et Primò, ſic poſitam ſententiam probo: *Acceptatio* illius Certaminis, eſt *electio medij per ſe vtilis*, & *neceſſarij* ad propulſandam Vim, quam Actor Reo infert iniuſtè; ſed quilibet poteſt licitè eligere mediū *per ſe vtile*, & *neceſſarium* ad propulſandam Vim illatam Iniuſtè: ergo Innocens Accuſatus, poteſt licitè *acceptare* illud Singulare Certamen.

Acceptatio Duelli in tali caſu ordinatur ad depulſionem iniuſtæ vis

9 Minor ab omnibus admittitur, dummodò non eligatur medium *pernicioſum Alij*, præterquàm Iniuſto Aggreſſori: Si enim Antonius me gladio petat, non poſſum ego obijcere puerum Inermem, excepturum ictus, confodiendum gladio, & periturum, quàmuis illud eſſet medium *per ſe vtile*, & fortè *neceſſarium*. Quandò igitur dicimus, *Vim Vi repellere licere*, loquimur de *Vi* inferenda illi ſoli, qui nobis infert *Iniuſtam Vim*.

10 Maior autem probatur; quia finis, eſt *Propulſatio Iniuſtæ mortis*, *Pugna* autem eſt *Impedimentum violentæ diligentiæ*, qua ille me petit ad *Mortem Iniuſtam*: ergo eſt *medium* ad me defendendum ab *Iniuſta Vi*. Probo Conſequentiam; quia quoties ego mea actione impedio violentam, & iniuſtam diligentiam aliorum, qua me occident, me defendo ab Iniuſta Vi: quia *Defenſio* nihil eſt, præter impedimentum earum actionum, ob quod, quandò aliquis me vult petere gladio, poſſum ego illi brachium ſecare, aut Vitam adimere; quia illi impedio actionem Violentam mihi, & Iniuſtam. Arbitror hoc Argumentum eſſe euidens.

11 Nec ſatis eſt reſpondere ex doctrina Abulenſis, & Suarez, tunc licitam eſſe vnicuique *Defenſionem ab Iniuſta Vi*: quod contingit, quandò alicui *Vis* infertur *Pugnis*, aut *Armis*, quæ retundere quis poteſt, feriendo Aggreſſorem, quandò alia ratione non poteſt: At verò in noſtro Caſu, Prouocator non infert actu *Vim*, quam repellere poteſt Prouocatus.

Prouocator an actu inferat vim.

Sed contrà, impugnatur ſimul, & explicatur: *Vis* enim inferri poteſt; vel *immediatè per Arma*, ea *phyſicè* mouendo; vel *mediatè*, ea mouendo *moraliter*, imperando alicui, conſulendo, aut perſuadendo Homicidiū. Quo in caſu ſunt duo Aggreſſores violenti, & Homicidæ duo; Alter, qui Homicidium *exequitur* per ſe; Alter, qui Illud *conſulit*: in vtrumque etiam pœnæ Homicidarum ſunt decretæ. Vterque item eſt *Aggreſſor Violentus*, & Iniuſtus, vtriuſque etiam actio eſt *Iniuſta cauſa* meæ necis: vterque item eſt *in actuali exercitio* ſuarum actionum: ergo vterque actu me *aggreditur Iniuſtè*: ergo in vtrumque habeo Ius tanquàm in *Aggreſſorem Iniuſtum*. Sed ſinguli habent Ius ad occidendum Iniuſtum Aggreſſorem, quandò alia ratione non poteſt Vitam ab eo tueri: ergo Prouocatus, in eo caſu habet Ius Prouocatorem occidendi in Certamine; quia alia ratione non poteſt ſe ab illo tueri.

Vis dupliciter inferri poteſt, phyſicè, & moraliter.

Iniuſtum Aggreſſorē moraliter, an liceat interficere?

12 Secundò directè probatur, *Moralem Aggreſſionem* ſatis eſſe, vt Prouocatus poſſit honeſtare *necem* Prouocati; in hunc modum. Prouocatio *phyſica* ſatis eſt: ergo & *Moralis*. Probatur Conſequentia; quia ideò *phyſica* Prouocatio eſt ſatis; quia eius Actiones ſunt Iniuſtæ, & ſunt cauſæ meæ Mortis Iniuſtæ, & ego aliter euadere non poſſum, in quibus conſiſtit *Violentia*: Sed in *Aggreſſione Morali*, omnes actiones ſunt Iniuſtæ, & ſunt cauſa meę Mortis Iniuſtæ, & ego aliter euadere non poſſum: ergo tàm ſatis eſt hæc *Aggreſſio Moralis* ad honeſtandam

Secunda ratio.

neccem Aggreſſoris, quàm eſt ſatis ad eum finem *Aggreſſio phyſica*.

Tertia ratio.

13 Tertiò, Nàm in caſu, quo quis ab altero Iniuriam patitur, licitum eſt cum diſcrimine alterius, Seipſum, & Sua tueri, quòad fieri poſſit, atque adeò ſubire *minus malum*, ad auertendum à ſe *maius*, quod ſibi paratur per Iniuriam alterius: ſed Mors per Iniuriam alterius certò imminens, eſt multò *maius malum*, quàm incertum periculum mortis propriæ, quod incurritur per Duellum: ergo licitum eſt cum alterius diſcrimine, ſecundùm ordinem Charitatis, incurrere per Duellum, hoc *minus malum* ad auertendum illud *maius*.

Minor patet, Maior probatur, tùm ex illo principio Legis Naturæ, *Vim Vi repellere licet*, vt habetur, *l. Vt Vim. ff. de Iuſt. & Iure. & cap. Si verò. 1. extrà, de ſent. Excommunicat.* vbi dicitur, *Leges, & omnia Iura hoc permittere*. Tùm ex ordine Charitatis: Nàm ſubire *minus malum* pro auertendo *maiori*, nihil aliud eſt, quàm bonum maius, cuius priuatio eſt malum maius, anteferre bono minori, cuius priuatio eſt minus malum. Quod fit omninò ſecũdùm ordinem Charitatis, etiam cum *detrimento, & periculo alterius*; qui per Iniuriam inferre molitur malum; ſiquidem eum non tenemur tunc diligere, & ſeruare, cùm non ſit *in neceſſitate* conſtitutus, ſed *ſpontanea malitia* ſua nobis facit Ius, vt eum noſtræ Defenſionis cauſa lædamus, neglecto nimirùm illius bono, pro noſtro. Itàque licebit in eiuſmodi aliquo caſu *cum diſcrimine alterius*, ſubire per Duellum, *periculum mortis incertum*, tanquàm *minus malum*, ad auertendam *Mortem*, certò aliòqui imminentem, atque adeò Immunitatem à Mortis periculo, tanquàm *minus bonum*, poſtponere ipſi Vitæ, certò aliòqui amittendæ.

Subire minus malũ ad auertẽdum maius, an liceat cum detrimẽto alterius?

Quarta ratio.

14 Quartò probatur: Quia ego poſſum occidere licitè eum, quem video *imperare, aut conſulere* alicui meam mortem Iniuſtam, & video eum tandem obtenturum à Seruo, aut Amico, vt me occidat Iniuſtè, non tamen obtinuiſſe, neq; obtenturum, ſi ego eum occidã, antequàm plura loquatur. Item poſſum occidere eum, qui per aſſaſſinatum (vt dicunt) mihi mortẽ molitur, quam ego aliter effugere non poſſum, quæ nullus negauit: ergo eadem ratione poſſum ego, acceptato Certamine, Prouocatorem occidere.

15 Quintò probatur à priori; quia Ius Naturale dat vnicuique facultatem, vt Vitam ſuam tueatur ab omnibus, qui *per Vim iniuſtam* illum velint interimere. Quòd ſi non ſuperſit alia ratio ſe tuendi, niſi *occidendo* Homicidas Iniuſtos, poteſt illos *occidere*, quandò *cædes* eſt *medium per ſe vtile* ad tuendam Vitam. Hoc autem medium in præſenti eſt vtiliſſimum, quia illo tolluntur cauſæ per ſe actionum, quibus ego perirem Iniuſtè.

Quinta ratio.

16 Tandem probatur ex Valentia, 2.2. *diſp. 3. quæſt. 17. punct. 1. columm. 2. verſ. Eſt autem aſſertio*: vbi opinatur, & probare conatur licere Innocenti etiam *offerre Duellum*, nedùm *acceptare*, quandò certum eſt, Actorem per fraudem in Iudicio ipſum oppreſſurum, & eius Iniuſtam condemnationem impetraturum; aitque eodem met *punct. 1. col. 5. verſ. Nec ſecundò*. Eiuſdem rationis ſunt ad Duellum *prouocare*, & Illud *acceptare*, quoties cauſa neceſſariæ *Defenſionis* vtrumque fit.

Vltima ratio. Valent.

Immò Bañes, *de Iuſt. & Iur. q. 64. art. 7. dub. 4. in corpore. & in ſolut. ad 2.* Emmanuel, *1. tom. Summæ in 2. edition. cap. 73. num. 1*, Nauarra, *lib. 2. de reſtitut. cap. 3. in 2. par. dub. 13. in noua edition. num. 289. & 290.* docent, Innocenti licere *acceptare Duellum* ad Vitam, Honorem, & Res familiares in notabili quantitate tuenda, quandò conſtat omninò *Iniuſtè, & per ca-*

Bañes. Emman. Nauarr.

lum-

lumniam Actorem procedere, & certum omninò eſt fore, vt Innocens hæc amittat. Quia ſi hoc Duellum *rationem Defenſionis* cum Moderamine Inculpatæ Tutelæ induit, ea *Defenſio* contrà Inuaſorem eſt licita, & pro Vita, & pro Honore, & pro Rebus etiam tuendis.

Præterea idem Bañes *loc. cit.* docet, In his caſibus licere Innocenti *acceptare, & offerre* Duellum ob rationem adductam, immò & non prouocando ad Duellum, *interficere occultè* Actorem illum calumnioſum, cùm hæc *Occiſio* ſit vera *Defenſio*.

Addendus eſt Nauarrus *ſuprà citatus eo num.* 290. docens, teneri Innocentem *non acceptare* Duellum, nec *indicere*, ſi poteſt occultè illum *occidendo*, id Vitæ, Honoris, Rerum familiarium periculum euadere, quippè ſic proprium Vitæ periculum in Duello imminens effugiet, & ſic etiam vitabit Actoris peccatum Offerentis, aut Acceptantis Duellum.

Leſſius. Hæc omnia quàm maximè approbat Leſſius, *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 7. cuius Doctrinam quiſquam poteſt inoffenſo pede percurrere.

Soluuntur Oppoſita.

Solutio primi argumenti.

Acceptatio Duelli in hoc caſu, an ſit Aggreſſio?

17 AD PRIMUM, negatur Prima illa Pars Antecedẽtis, in qua dicitur, quòd *Acceptatio* illa ſit reuera *Aggreſſio*. Quonàm pacto *Aggreſſio*, ſi ipſe Innocens ad mortem accuſandus, Vim Iniuſtam patiatur? Ipſe eſt *Aggreſſus*, & non *Aggreſſor*, neque Innocens, Duellum *acceptando*, vult abſolutè Prouocatorem *occidere*, ſed abſolutè vult ſe *defendere*; & idcircò Duellum licitè ſubire, meritò dicendus eſt. Pugnat quidem cum Accuſatore, non vt illi mortem inferat, ſed vt ſuam Innocentiam tueatur, aliàs Iniuſtè ad mortem condemnabitur.

Accuſator an reuera vim inferat?

18 Ad Alteram verò Partem eiuſdem Antecedentis, in qua dicitur, quòd Accuſator reuera *Vim* non inferat, & ſolùm propriè *aggreditur* calumniando, Reſpondetur, quòd Calumnia poteſt conſiderari dupliciter. Primò, vt *Falſa*: Secundò, vt *Violenta*; prout ſcilicet Vim habet Iudicem perſuadendi, vt Innocentem ad Mortem condemnet; *Quà falſa eſt*, debet Veritatis manifeſtatione refelli; Vndè ob hunc finem, non eſt ad arma deueniendum; Quà verò Calumnia *Violenta eſt*, poteſt licitè impediri amouendo eius cauſam, nè ſi Calumnia conſumetur, ſortiatur Iniuſtæ Mortis effectum, & ſic impediri poſſunt lethales ictus, immò poteſt Innocens ad Mortem præcauendam, Accuſatori ipſi Mortem inferre, cùm *Vim Vi repellere*, ſit de Iure Naturæ.

Abſurda contra hanc ſententiam adducta, eluduntur.

19 *Ad Primam Sequelam*, nimirùm; Quòd ſi *Duelli Acceptatio* haberet locum *Defenſionis*, liceret Innocenti Accuſatorem ad Duellum *prouocare*, ſicque etiam ſe *defendere*.

Reſpondetur: Eſſe aliquod diſcrimẽ; quia in hac Specie Duelli, Accuſatus nõ eſt *in diſcrimine Vitæ*, donec Illi offeratur Duellum; eo autem oblato, iàm imminet *diſcrimen*, vel pugnandi, vel pereundi. Vndè *Prouocatio* non eſt *neceſſaria*; quia periculum non oritur ex eo, quòd Reus non *prouocet* ad Certamen, ſed ex eo quòd Prouocatus Illud non *acceptet*. Vndè *Acceptatio* eſt *ſimpliciter neceſſaria*, non *Prouocatio*. Expectare ergo tenetur Prouocationem ab alio.

Reſponſio ad ſecundum abſurd.

Ad Secundam Sequelam, Reſpondetur: Quòd ſi Innocenti vlla Spes non ſuperſit Mortem effugiendi, licebit ei occultè Accuſatorem *occidere*, ſi tamen Accuſator Reum eſt prouocaturus per Duellum; de hoc enim ago: nàm de Accuſatore *non Duellaturo*, nunc non diſputo; quia alia poſſunt eſſe media, præter Mor-

tem. Dico igitur Accuſatorem *Duellaturum*, poſſe in noſtro caſu licitè *occidi* occultè; quia id accideret cum minori meo periculo, & occaſione ſcandali.

Reſponſio ad tertiũ abſurd.

Ad Tertiam Sequelam Reſpondetur: Magnum eſſe diſcrimen inter *Vitam*, atque *Bona*; non enim *Bona* tãti æſtimantur, quanti *Vita*: ob quod non eſt Conſequentia à *Vita* ad *Bona*. Vtrùm autem Bona per ſe tanti exiſtimentur, vt propter illa alius occidi poſſit, non deſunt Doctores id aſſerentes, vt infrà examinabitur.

Reſponſio ad ſecundum arg.

20 AD SECVNDVM Reſpondetur: Accuſatorẽ *Iuridicum*, & Iniuſtum, & *non Duellaturum*, difficiliùs poſſe *occidi*; quia Duellator probationem deduxit ad ſolum Duellum: ob quod non ſupereſt, niſi, aut perire, aut Illum occidere: At verò Accuſator multis modis poteſt refelli, & rariſſimè contingit, vt non ſuperſit, præter cædem, alius modus probabilis euadendi. Quòdſi res ſint in vltimo periculo deductæ, vt non ſit alius modus probabilis effugiendi Mortem Iniuſtam, præter *necem* Accuſatoris Iniuſti, aut Falſi Teſtis; tunc poteſt Innocens, nè certò ſit periturus, Illos *occidere*; quia inferunt *Vim Moralem Iniuſtam*.

Eum qui iniuſtam mortem molitur pecunia, an liceat interficere?

21 Ad Paritatem illam de Petro ſciente Paulum dediſſe alteri pecunias, vt is Petrum occideret, &c. Reſpondetur: Quòd cùm Paulus ſit *Moraliter Homicida*, & Mortem Petri intendat Homicidarum gladio, cur Petrus non poterit hanc *Vim Vi repellere*, Paulum legitimè occidendo? Dummodò tamen nulla alia via Petro ſuperſit, ad Vim illam præcauendam; & ſic, & non alio pacto licebit Petro, Paulũ occidere.

22 Ad Primam Confirmationem Reſpondeo: Homines ſæpiùs *abuti* doctrinis etiam Catholicis, quę propterea non ſunt *omittendæ*.

23 Ad Secundam Confirmationem Reſpondeo: Teſtem illum non poſſe licitè occidi: nec item Accuſatorẽ Falſum *materialiter*, qui *bona fide* exiſtimat crimen eſſe verum. Poteſt quidem interimi licitè Furioſus, qui abſque peccato, per furorem, alium vult occidere; Quia *Vim phyſicam* infert, quam ego non teneor pati: At verò non poteſt occidi Teſtis ille; quia non infert *phyſicam Vim*, vt conſtat, neque *moralem*; quia *Vis moralis* non infertur, nisi cum peccato; ille autem Teſtis non eſt *formaliter* Iniuſtus. Neque obeſt, illius Teſtimonio me periturum; quia quandò Tortor exequitur pœnam capitalem in Innocentem, non poteſt ab Innocente occidi; quia pœnam *materialiter* Iniuſtam, exequitur Iuſtè *formaliter*. Idem contingit in Iudice ferente Sententiam *formaliter* Iuſtam, *materialiter* tamen Iniuſtam; qui à Reo non poteſt occidi. Vndè conſtat Iuſtitia *formali* vinciri manus Iniuſtitiam Patientis.

Accuſator falſus materialiter nõ poteſt licitè interfici.

Aliud Quæſitũ.

24 Petes, quid liceat in hoc caſu? Antonius mihi obiecit crimen *verum*, cognitum ab illo vt *verum*, quod tamen voluit *Duello* probare. Anne licebit eius *nex*?

Reſpõſio.

Reſpondeo, eam licere; quia Antonius eſt *Iniuſtus*, volens me Duello occidere, aut vt me Iudex occidat, crimine non probato; Ego enim habeo *Ius* in meam Vitam aduerſùs omnem Priuatum: item, & aduerſùs Omnes, dùm non fertur à Iudice legitima ſententia. Quæ docet Bañes, *de Iuſt. & Iur. quæſt. 64. art. 7. dub. 4. verſ. Ad argumenta*. vbi aſſerit: Licere mihi Defenſionem aduerſùs obijcientem crimen verum occultum, non obſtante eius morte. Rogat quis (inquit Bañes) quid agam ego, ſi quis vadit ad me accuſandũ de Crimine verò, ſed occulto; ex cuius accuſatione certum mihi periculum creatur mortis, vel Infamiæ? Reſpondetur, quòd ſi ille non habet Ius ad me accuſandum, neque procedit ſecundùm Iuſtitiam legalem, ità poſſi me defendere ab illo, ſicut ab imponente falsũ Crimen. Sic Ille.

Bañes.

Mul-

MVlta alia, quæ in hac Sectione deſiderari poſſunt Quæſita ad Ciuiles Lites Duello dirimendas,ſpectantia, commodiùs Sectione vltima ſoluentur, vbi inter cætera, de Duello ad tuenda Bona Temporalia, agetur; ideoque illùc Lectorem remittimus, ſed modò ad Quintam Duelli Speciem gradum faciamus.

SECTIO IX.

DE QVAESITIS IN ORDINE

Ad Quintam Duelli Speciem,

HOC EST,

Ad Duellum Terminatiuum Belli.

ACturi de Duello Terminatiuo Belli, Bellica nonnulla Quæſita præmittimus, quæ cum Duellicis conueniunt Dubijs, immò adeò ſunt aliqua inuicem coniuncta, vt Hæc ex Illis, Illa verò ex Iſtis dependeant. Pauca tamen hic,more noſtro attingemus; plura qui velit hæc Bellica Dubia addiſcere, reliquos adeat Scriptores, qui de Bello, ſeù Theologico, ſeù Morali, ſeù Theologico-Morali calamo, ſemper tamen doctiſſimè ſcripſerunt. Et hac noſtra quoque ætate, vt cæteros prætercam, è Noſtratibus hæc Militaria argumenta ſparſim in ſuis Voluminibus attigere Andreas Molfeſius, Antoninus Diana, Antonius Naldus, Leonardus Duardus, Marcellus Megala, Thomas Del Bene, Zacharias Paſqualigus, Auctores omnes ſuo nomine celebres, & nuperrimè *Franciſcus Ceſpedes* Sacræ Theologiæ Profeſſor, natione Hiſpanus, qui *Militaria Dubia* in vnam collecta *Centuriam*, breui, ſed clara & facili methodo ſoluit. Scripſit prætereà Volumen aliud, *De Exemptione Regularium*, quod & Mihi dicatur, & ſpero fore, vt antequàm meum hoc, qualecumque tamen eſt, de *Duello* abſoluatur Opus, ſit illud in lucem proditurum: Sed Nos iàm ad Bellica, quæ diximus, explananda deueniamus Quæſita, ac primò de *Stratagematis Militaribus*, aliqua Nobiliſſimis Equitibus ſatisfacturi, dicamus.

QVÆSITVM I.

An licitum ſit in Bello Iuſtò, non modò palàm,& apertè, ſed etiam per Inſidias, & Stratagemata varia, procurare Victoriam?

SVMMARIVM.

1 *Adducuntur nonnulla ex Sacris Litteris teſtimonia, ac rationes, quibus videtur oſtendi, non licere vti inſidijs, &c.*
2 *Ex Politicis, idem quoque videtur ſuaderi.*
3 *Reſponſio ad quæſitum affirmatiua, in qua aſſeritur, licitum eſſe vti Inſidijs, ac Stratagematis ad aſſequendam Victoriam.*
4 *Ioſue præceptum fuit à Deo, vt in bello inſidijs vteretur.*
5 *Ex D. Auguſtino, contrà Iuſtitiam Belli non eſt, vti inſidijs.*
6 *Inſidiæ, ac Stratagemata, ſunt me-*

dium

dium iuſtum, ac proportionatum ad obtinendam Victoriam.

7 *Politicorum auctoritate hæc affirmatiua reſponſio confirmatur.*

8 *Inſidijs vti non licet, quandò fides data eſt hoſtibus, de illis non extruendis.*

9 *Licitum non eſt aliquem fallere, dicendo ei falſum, vel non ſeruando promiſſum.*

10 *Non tamen illicitum eſt occultare ei aliquod conſilium, aut propoſitum &c.*

11 *Fidem, ac promiſſum de non extruendis inſidijs, non tenetur quis ſeruare, ſi talis fides extorta fuerit ab eo, per metum cadentem in conſtantem virum.*

12 *Idemque aſſeritur, ſi talis promiſſio adimpleri non poſſit, abſque grauiſſimo detrimento boni communis.*

13 *Quid in caſu, quo ab Aduerſarijs data viciſſim fides frangeretur?*

14 *Oppoſitæ Sententiæ argumenta diluuntur.*

1 QVÆSTIO eſt Theologorum etiam, nedùm Politicorum digna ingenijs; quam vltrò citròque varijs hactenùs firmant, ac impugnant Argumentis. Et quidem quibus negatiua arridet Sententia varijs mouentur rationibus.

Deuter. 16. I. Nimirùm, ex illo *Deutoronomij 16. Iuſtè, quod Iuſtum eſt exequeris.* Ergo Bellum Iuſtum, inquiunt, exequendum eſſe alijs medijs Iuſtis, & non Inſidijs, ac Stratagematis, quæ cùm ſint fraudes quædam, videntur ad Iniuſtitiam pertinere.

II. Ex eo, quòd nulli hominum mentiri liceat, ac fides etiam hoſti ſeruanda ſit; ideòque non vtendum Inſidijs, ac Stratagematis, quæ mendacij quoddam genus ſunt, ac fidelitatis virtuti oppoſita.

Matth. 7. III. Ex illo *Matthæi 7. Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis:* Sed nemo ſibi Inſidias parari vellet: ergò neque alteri parare debet: Ergo neque hoſti in Bello Iuſto; illud enim Chriſti effatum ad omnes Proximos ſe extendit, ac proindè etiam ad hoſtes, qui proximi quoque ſunt.

IV. Ex eo, quòd Inſidiæ in abſcondito fiant: *nàm fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prou. 1. ergo ſignum eſt Inſidias eſſe malas; *malum enim ſemper odit lucem.* Prou. 1.

2 V. Ex Politicis cum Tacito aſſerentibus: Eſſe veri Militis, immò Viri; *non fraude, neque occultè, ſed palàm, & armatum, Hoſtes ſuos vlciſci,* affertur illud Euripidis. Tacitus II. annal.

Vir nemo mentis altæ clanculùm velit
Occidere hoſtem. Euripides in Rheſo.

Atque illud ex Achæis Populis, qui Polybio narrante, & laudante: *In tantùm abhorrebant à Machinationibus iſtis, & ſtruendis dolis, vt nec hoſtes ſuos vellent per fraudem vincere, conſentes neque ſplendidam, neque firmam vllam Victoriam, niſi quis palam, & ex condicto depugnans, animos quoque deieciſſet Aduerſariorum.* Polybius lib. 13. Illud nimirùm animo voluentes, ſæpè hoſtes Inſidijs, ac Stratagematis ſuperatos, facilè animum extollere, ac redintegratis viribus iterùm inſurgere, *non Virtute, ſed occaſione, & arte Ducis victos ſe ratos:* ideòque talia repellenda eſſe Stratagemata, eamque intentandam eſſe Victoriam, quæ & Victori laudi, & Victis ludibrio, animique deiectioni ſit futura. Siquidem Claudiano teſte, Tacitus Agric.

— nulla eſt Victoria maior
Quàm, quæ confeſſos animo quoque ſubiugat hoſtes. Claudianus 6. Conſul. Honor.

Afferunt demùm Politici illud Flori li. 1. c. 12. Eam *Vir Sanctus, & Sa-*

piens ſciet Veram eſſe Victoriam, quæ ſalua Fide, & integra dignitate parabitur. Scripſerat hoc Florus in Romani Exercitus Imperatoris Camilli laudem, qui Faliſcos obſidens, *Ludimagiſtrum* cum Pueris Faliſcorum ad Se venientem, atque Principum Liberos, curæ ſuæ demandatos, dedere volentem repulit, inquiens: *Non ad ſimilem tui, nec Populum, nec Imperatorem, ſceleſtus ipſe, cum ſceleſto Munere veniſti.* Nobis cum Faliſcis, quæ pacto fit humano, ſocietas non eſt: quam ingenerauit Natura, vtriſque eſt, eritque. Sunt & Belli, ſicut Pacis Iura: iuſtèque ea non minùs, quàm fortiter didicimus gerere. Arma habemus non aduersùs eam ætatem, cui etiam captis Vrbibus parcitur: ſed aduersùs Armatos, & ipſos, qui nec læſi, nec laceſſitiâ Nobis, Caſtra Romana ad Veios oppugnarunt: Eos Tu quantùm in Te fuit, nouo ſcelere viciſti: *Ego Romanis artibus, Virtute, Opere, Armis, ſicut Veios vincam.* Hæc Camillus ad Ludimagiſtrum, quem denudatum deindè, manibus poſt tergum illigatis, reducendum Falerios Pueris tradidit: virgaſque Eis, quibus Proditorem agerent in Vrbem verberantes, dedit. (Liuius De cad.1.li.5.)

Hac Romani Imperatoris Fide, ac Iuſtitia permoti Faliſci, protinùs ad Camillum in Caſtra, Romamque ad Senatum Legatos miſere, qui Senatoribus dicerent: *Vos Fidem in Bello, quàm præſentem Victoriam maluiſtis. Nos Fide prouocati, Victoriam vltrò detulimus: ſub ditione veſtra ſumus: mittite qui Arma, qui Obſides, qui Vrbem patentibus Portis accipiant. Nec Vos Fidei noſtræ, nec Nos Imperij veſtri pœnitebit.*

His, alijſque argumentis, ac præclarè Aliorum geſtis, ac dictis permoti Nonnulli, eam ſequuntur Sententiam, non licere in Bello Inſidijs, ac Stratagematis vti. Verùm his non obſtantibus.

(Prima reſponſio ad Quæſitũ.) 3 RESPONDETVR PRIMO ad Quæſitum cum D. Thoma, 2.2. *qu.* 40. *art.* 3. Valentia, *tom.*3. *diſp.*3. *qu.* 16. *de Bello*, *punct.*3. Turriano, Bonacina, Victoria, Laymann, alijſq; Doctoribus, ſparsìm de Bello agentibus, *licitum eſſe in Bello Iuſto Inſidijs, ac Stratagematis vti.* (D.Thom. Valentia. Turrianus Bonac. Victoria. Layman.)

4 Probatur *Primò* ex Sacris litteris *Ioſue* 8. præcipiens Deus Ioſue, vt Inſidijs vteretur ad expugnandam Ciuitatem Hai: *Pone*, inquit, *Inſidias Vrbi poſt eam.* (Ioſue 8.)

5 Probatur *Secundò* ex Auguſtino, *quæſt.*10. in Ioſue, qui huius Scripturæ locum perpendens, inquit: *Hinc admonemur, non fieri hoc Iniuſtè ab ijs, qui Bellum Iuſtum gerunt: vt nihil homo Iuſtus prætereà cogitare debeat in his rebus, niſi vt Bellum Iuſtum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt: non enim omnibus fas eſt. Cùm autem Iuſtum Bellum ſuſceperit, vtrùm aperta Pugna, vtrùm ex Inſidijs vincat, nihil ad Iuſtitiam intereſt.* (D.Auguſt.)

6 Probatur *Tertiò* ratione; Quia Inſidiæ, & Stratagemata ſunt *medium proportionatum*, & accommodatum ad Victoriam obtinendam, intentoſque Belli fines aſſequendos; Ideòque ſicuti licitum eſſet talia media palàm adhibere, contrà hoſtes, ità etiam clanculùm, & per Inſidias; parùm enim refert, an aliquid occultè, vel palàm fiat, dummodò *Iuſtè* fiat. (Ratio pro prima reſponſione.)

7 Probatur *Quartò*, ex Politicis, ac præcipuè ex Lipſio, *lib.*5. *Ciuilis doctrinæ*, *cap.*17. vbi licere aſſerit contrà hoſtes, quos perdere, mos, faſque ſit, Stratagematis vti; & dummodò vincas, nihil refert, quomodò? iuxtà illud Poëtæ (Lipſius.)

— Dolus, an Virtus, quis in Hoſte requirat? (Virgilius Aeneid.2.)

accinit Virgilio Pindarus Iſthm. Od.4.

— oportet quidlibet
Conantem, frangere Aduerſarium.

Ecce Venator, inquit Lipſius, etiam feras quaſdam Vi, & manu interficit, quaſdam occultus ſubſiſtit, & laqueis, aut retibus captat: quis reprehendit? A'laude propiùs totum hoc genus inſidiarum abeſſe videtur, quàm à culpa. Certè Vir, & Dux bonus Braſidas, ità effatur: *Illa Belli furta pulcherrimam laudem habent, per quæ hoſtes maximè decipiuntur, & Amici plurimùm iuuantur.*

Valerius Maximus.

Valerius quoque Maximus *lib.7. cap.4. de Stratagematis.* ſummoperè ea commendat, nedùm approbat, appellans ea, *Partem calliditatis egregiam, & ab omni reprehenſione procul remotam; cuius opera*, inquit: *Quia appellatione noſtra vix aptè exprimi poſſint; græca pronunciatione Stratagemata dicuntur.*

Notabile Romanorum Stratagema.

Ad hanc rem inter cætera, illud valdè commendatur Stratagema, à Romanis olim adhibitum, ad Gallos Capitolium obſidentes decipiendos; nàm cùm Galli, Vrbe capta, Copitolium obſiderent; ſolamque potiendi eius ſpem in fame obſeſſorum repoſitam animaduerterent, dura obſidione Romanos premere non deſiſtebant; donec ſeſe f..me afflictos, Gallis obſidentibus dederent. Verùm Romani *ad auertendam famis opinionem apud Gallos, de induſtria in Hoſtium Stationes, panes de Capitolio iacere, compluribus ex locis caperunt. Quo ſpectaculo Obſtupefactos, infinitamque* (inquit Valerius) *frumenti abundantia noſtris ſupereſſe credentes; ad pactionem omittendæ obſidionis compulerunt. Miſertus eſt tunc profectò Iupiter Romanæ Virtutis, præſidium ab aſtutia mutuantis: cum in ſumma alimentorum inopia, proijci præſidia inopiæ cerneret. Igitur vt vafro, ità periculoſo conſilio Salutarem exitum dedit.*

Liuius Decad 1. li 5.

Secunda reſponſio ad Quæſitum.

8 RESPONDETVR SECVNDO': Licitum non eſſe Inſidijs, ac Stratagematis vti, quandò hoſtibus *fides data eſſet* de non extruendis Inſidijs. Ità præcitati Doctores: Nàm vt *lib.1. de Officijs cap.29.* ait Ambroſius, *Fides etiam Hoſtibus ſeruanda eſt. Vt ſi conſtitutus ſit cum Hoſte, aut locus, aut dies prælio, aduersùs Iuſtitiam putatur, aut loco præuenire, aut tempore.*

Ambroſ.

Ratio.

9 Probatur ex D.Thoma *loc.cit. in corpore.* vbi ait: Dupliciter aliquem falli poſſe ex *facto*, vel *dicto* alterius. Vno modo ex eo, quòd ei *dicatur falſum*, vel non ſeruetur promiſſum, & iſtud *ſemper eſſe illicitum*, talique modo nullum debere Hoſtes fallere; Sunt enim quædam Iura Bellorum, & fœdera, ipſos etiam inter Hoſtes ſeruanda, teſte Ambroſio.

D. Thom.

10 Altero modo ſubdit D.Thomas, aliquem falli poſſe ex *dicto*, vel *facto* noſtro, quia ei *propoſitum*, aut *intellectum non aperimus*, hoc autem nos ſemper facere *non teneri*; quia etiã in Doctrina Sacra, multa ſunt occultanda, maximè Infidelibus, nè irrideant, ſecundùm illud *Matthæi 7. Nolite Sanctum dare Canibus*. Vndè multò magis ea, quæ ad impugnandum Inimicum paramus, ſunt eis occultanda. Vndè inter cætera documenta rei militaris, hoc præcipuè ponitur de occultandis Conſilijs, nè ad Hoſtes perueniant, vt patet *in lib. Stratagematum Francorum:* & talis occultatio pertinet ad rationem Inſidiarum, quibus licitum eſt vti in Bellis Iuſtis; nec propriè huiuſmodi Inſidiæ vocantur *Fraudes*, nec *Iuſtitiæ* repugnant, nec ordinatæ voluntati. Eſſet enim inordinata voluntas, ſi aliquis vellet nihil ſibi ab alijs occultari. Hæc D.Thomas.

Tertia reſponſio ad Quæſitũ.

11 RESPONDETVR TERTIO', Etiam, quandò Hoſtibus data eſſet Fides de non extruendis Inſidijs, licere eas extruere in aliquibus Caſibus, quorum

Primus Caſus.

Primus eſt: Quandò Promiſſionem *extorſit* Hoſtis, per metum cadentem in conſtantem Virum. Vt ſi Princeps in magno diſcrimine

Vitæ conſtitutus, promitteret Hoſti aliquam Ciuitatem, ſicut ait Banes *art.*3.& patet per ea,quæ tradit Syl-ueſter *verb. Metus. §.*8. de Contra-ctibus requirentib.liberum Conſen-ſum, qui redduntur nulli per eiuſ-modi metum. Quanquàm ſi ac-ceſſiſſet *Iuramentum*, propter illud, oporteret *implere* Promiſſum. .

Secundus Caſus.

12 *Secundus* eſt: Si adimpleri Promiſſum non poſſet *ſinè grauiſſimo detrimento* Boni communis, etiamſi eſſet Iuramento firmatum. Ità Va-lentia *loc.cit.*

Tertius Caſus.

13 *Tertius:* Si Hoſtis *frangeret* ex toto,aut ex parte datam viciſsim *fidem*; nàm hæ promiſſiones,etiam Iuramento firmatæ,non intelligun-tur fieri, niſi *conditionaliter*, ſi Hoſtis ſimiliter ſtet Promiſſis. Promiſſio-nes autem, & Iuramenta *ſub condi-tione* facta, non obligant *deficiente conditione*, vt patet ex ijs, quæ tradit Syluеſter *verb. Iuramentum.*4. *nu.*13. *& ex cap. Peruenit. extrà, de Iureiuran-do.*

Soluuntur oppoſita.

14 PORRO' ad Oppoſitæ Senten-tiæ Fundamenta, facilis patet ex dictis reſponſio. Ad ea autem,quę ex Politicis afferuntur, Reſpondetur ad Primum cum Lipſio, Euripidem non de publico Hoſte, nec de Præ-lijs loqui, ſed *de priuatis Inimicitijs*, in quibus locum, iuſtè quidem, eſſe non vult huic fraudi. Aliud eſt in Bellis; nàm etiam Romani veteres, auidi aliàs, & tenaces Regiæ huius Viæ,quendam *bonum Dolum dicebant, & pro Solertia hoc nomen accipiebant: maximè ſi aduerſus Hoſtem, Latronemue quis machinaretur.*

Vlpianus l.1. De Dolo.

Ad illud Polybij, Polybius ipſe reſpondeat, qui *lib.*11. ad oppoſi-tam Sententiam tranſiens, inquit: *Facinorum Militarium ea eſſe minoris laudis, ac momenti, quæ propalàm, & per Vim patrantur, his quæ ex occaſione, & per Dolum.*

Quòd autem Romanus Scri-ptor Florus, huiuſinodi damnare videatur Stratagemata, reuera ille non damnat; ſaluam tantùm in ijs vult Fidem,& Dignitatem: Nàm contrà fœdera, aut pacta, fraudem quis probet? Quis item vilem ali-quam, & abiectam? vt ſi quis ho-ſtem veneno tollat, aut clàm im-miſſo, emptoque Percuſſore. Hæc talia ſperne, & cum Ageſilao cen-ſe: *Fœderatum iniuſtè fallere, impium; at Hoſtes non ſolùm iuſtum, ſed etiam ſuaue, & fructuoſum eſt.*

Plutarch.

QVÆSITVM II.

An ſi in Bello Aduerſarij offerant Satisfactionem poſt incœptum iàm Bel-lum, debeat Pars læſa il-lam acceptare, & ab in-cœpto Bello deſiſtere?

SVMMARIVM.

1 *Antequàm bellum indicatur, tenetur Princeps condignam priùs ab Aduerſa-rijs ſatisfactionem petere, eamque acce-ptare, ſi offeratur.*
2 *Poſito,quod bellum ſit in fine, vel in medio, non debet pars læſa acceptare ſatisfactionem, iuxtà Caietanum.*
3 *Probabilius eſt, partem læſam teneri acceptare oblatam ſatisfactionem.*
4 *Satisfactione oblata, deſinit bellandi neceſſitas.*
5 *Acceptare ſatisfactionem non tenetur pars læſa, ſi illam non poſſit ampliùs ac-ceptare.*
6 *Bello actualiter capto, an teneatur Princeps ex Iuſtitia deſiſtere, & acce-ptare ſatisfactionem?*
7 *An ex Charitate teneatur Princeps eam ſatisfactionem acceptare?*
8 *Pars Aduerſaria, incœpto bello, eſt adhuc in ſtatu ſatisfaciendi.*
9 *Poſito, quòd Aduerſarij velint pacificè ſatisfacere. deſinunt eſſe ſolùm in ſtatu ſatiſpatienti:*

Oblata ſatisfactione ab Aduerſarijs; pars leſa non eſt amplius Iudex Aduerſariæ partis.

10 *An Iudex Ordinarius teneatur acceptare à Reo compenſationem oblatam?*

Princeps tenetur cōdignam ſatisfactionē petere, antequam bellum indicat.

1 PRÆMITTIMVS, præter iuſtas Belli cauſas, debere Principem, antequàm Bellum indicat, condignam priùs ab aduerſaria Parte Satisfactionem petere, eamque, ſi offetatur, acceptare. Si verò eam non impetret, tùm demùm indicere poſſe Bellum. Ità liquidò conſtat ex illo *Deuter.* 20. *Si quando acceſſeris ad oppugnandam Ciuitatem, offeres ei primùm Pacem: Si receperit, & aperuerit Tibi portas, cunctus Populus, qui in ea eſt, Saluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contrà te Bellum, Oppugnabis eam.* Et ratio eſt, quia bellare non voluntatis, ſed neceſſitatis eſt, *cap. Noli.* 23. *quæſt.* 1. propter ingentia mala, quæ cum bello coniuncta eſſe ſolent. Hinc Auguſtinus *Epiſt.* 207. *ad Bonifacium Comitem:* Verè ait, *Pacem habere debet voluntas, Bellum neceſſitas.* His poſitis, Dubium eſt, Si poſtquàm petita eſſet Satisfactio, & non impetrata; incœpto tamen bello, ea deindè ab Aduerſatijs offettetur, teneteturne Pars læſa illam acceptare, atque ab incœpto bello deſiſtere?

Deuter. 20.

D. Auguſtinus.

Caietani ſententia.

2 RESPONDET *Primò* Caietanus in Summa, non teneri Partem læſam, eam incœpto bello acceptare Satisfactionem, ſi bellum ità incœptum eſt, vt ſit iàm quasì in fine, vel in medio, cùm ſcilicet iàm configi cœptum eſt, & non tantummodò eſt indictum.

Ratio.

2 *Probat* eo argumento, quia quandò eò vſque proceſſum eſt, non ſunt ampliùs Aduerſarij in Statu, vt inquit, *ſatisfaciendi*, ſed *ſatiſpatiendi* à Parte læſa, tanquàm à Suo iàm legitimo Iudice: & culpa illorum eſt, quòd quandò erant adhùc in ſtatu *ſatisfaciendi*, nempè antè indictum bellum, vel in eius initio, cùm ſcilicet tantummodò indictum erat, noluerunt ſatisfacere.

Secunda ſententia.

3 RESPONDETVR *Secundò*, probabiliùs eſſe teneri Partem læſam, talem acceptare Satisfactionē. Hanc Sententiam, vt certam ſupponere videtur Silueſter *verb. Bellum* 1. *queſt.* 10. *concl.* 5. cùm affirmat debere Hoſtibus poſt bellum iuſtum *reſarciri* omnia damna eis illata, vltrà *condignam ſatisfactionem* ab eis acceptam, vel oblatam. Quo ipſo ſatis indicat Silueſter, debere acceptari Satisfactionem, quandocumque oblatam ab Hoſtibus in Bello, ſicut etiam Silueſtrum intellexit Bañes *dub.* 8. Ità prætereà ſentiunt Valentia, *tom.* 3. *diſp.* 3. *qu.* 16. *de Bello, punct.* 2. Laymann, *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. *aſſert.* 4. & Alij.

Valentia.

Layman.

Ratio.

Oblata ſatisfactione, bellū non eſt neceſſarium.

4 *Probatur* hæc Sententia, quia quandocumque Hoſtis offert ſufficientem Satisfactionem læſæ Parti; & hæc illam acceptare poteſt, iam eo ipsò deſinit *Bellum* eſſe *neceſſarium*, atque adeò *licitum*; Bellum enim cùm multa alioquì incommoda Mortalibus afferat, non eſt ſuſcipiēdnm, niſi ſit neceſſarium ad Iniuriæ compenſationem, dicente etiam Auguſtino *loc. cit. Pacem habere debet Voluntas; Bellum Neceſſitas, vt liberet Deus à neceſſitate; & conſeruet in Pace.* Cùm igitur Pars aduerſaria Satisfactionem offert, etiamſi configi cœptum ſit, non apparet ampliùs tunc belligerandi *neceſſitas*, ac proindè nec talis Belli *Iuſtitia*.

In quo caſu non tenetur pars læſa acceptare ſatisfactionem.

5 Aduertendum tamen eſt, id intelligendum eſſe, quandò lęſa Pars oblatam Satisfactionem *acceptare poteſt*; quandò enim non poſſet, clarum eſt tunc *non teneri*, vt ſi offetretur, non modò, quandò iam Conflictus aliquis eſſet factus, ſed etiam in tali aliquo *ardore Conflictus*, à quo difficillimè poſſent Milites ſtatìm reuocari. Itaque ſufficit oblatam

Sa-

Satisfactionem acceptare, & à Bello deſiſtere, cùm primùm id fieri poteſt; vt benè docet Valentia *loc. cit.*

Condignâ ſatisfactionem, teneatur pars læſa acceptare.

6 Aduertendum præterea eſt cum Laymann[a], *vbi ſuprà*, Partem læſam tunc teneri ab incœpto Bello deſiſtere, ſi *condigna Satisfactio* offeratur. Quia verò id in Bello vindicatiuo (ſubdit Laymann) fermè impoſſibile eſt: Nàm totus Exercitus, qui Bellum iuſtum gerenti, ſe Iniuſtè oppoſuerat, in mortem tradi deberet, quod nunquàm facere conſentiret: ideò rectè negant Doctores apud Molinam *diſp.* 103. *§. Dubium eſt*. Bello actualiter cœpto, Principem iuſtè pugnantem *ex Iuſtitia* obligari, vt Bello abſiſtat, & oblatam ſibi Satisfactionem acceptet.

Molina. Bello incœpto, an teneatur Princeps ex Iuſtitia acceptare ſatisf.

An teneatur ex charitate?

7 Plerùmque tamen *ex Charitate* acceptare obligabitur, & ſi in ipſomet Conflictu, aut poſt Conflictum, Pars aduerſaria offerat *Satisfactionem*, quam moraliter exhibere poteſt, ac debet: videlicet, vt iniuſtè *ablata* reſtituat: *Belli expenſas*, & æſtimationem *periculi*, illatæ *Iniuriæ* Principi, iuſtum Bellum gerenti refundat; *Authores* etiam Iniuriæ, qui ſpecialiter digni morte ſunt, tradat. Qua item in re, Naturalis æquitas, & lex Charitatis poſtulat, vt Princeps Chriſtianus, multum de ſummo Iuſtitiæ rigore remittat. Sic Ille.

Solutio argumenti primæ ſententiæ.

8 AD ARGVMENTVM Caietani, reſpondetur cum Valentia, negandum eſſe, Partem aduerſariam incœpto Bello, non eſſe ampliùs in ſtatu *ſatisfaciendi*, ſed *ſatispatiendi*: Nàm cauſa propria, ob quam Hoſtes aliquando iudicari debeant, eſſe ſolùm in ſtatu ſatispatiendi, non eſt, quia ſitiàm Conflictum, ſed quia ipſi *nolunt* pacificè *ſatisfacere* ſinè Bello. Quæ cauſa perindè habere locum poteſt in initio Belli ante Conflictum, atque poſt: & ſicut poteſt etiam initio Belli deeſſe, ità in medio, & in fine.

9 Quarè quandocumque Hoſtes mutauerint eam voluntatem, deſinent eſſe in Statu ſolùm *Satispatiendi*. Nàm *deſinet* eòipſo *Bellum* eſſe *neceſſarium*, atque adeò *licitum*, & conſequenter etiam Pars læſa deſinet eſſe Iudex aduerſariæ Partis; ſiquidem non eſt Iudex eius ordinarius, ſed in extraordinario illo caſu, quo ſcilicet aduerſaria pars nolit ſatisfacere, & per hoc ſit in Statu ſolùm *Satispatiendi*, quàndiu ſcilicet perdurat in illa voluntate, non aliter compenſandi Iniuriam illatam.

Hoſtes qui ſatisfactionem offerunt, non ſunt ſolùm in ſtatu ſatis patiendi.

10 Aliud autem cenſendum eſt de *Iudice Ordinario*: Nàm is nunquàm tenetur acceptare à Reo cõpenſationem oblatam. ſed poteſt ordinaria auctoritate officij ſui, eum punire, propter aliorum exemplum, & bonum commune, cuius ei cura incumbit.

Iudex an teneatur Rei compenſationẽ acceptare?

Dicendum eſt igitur, teneri partem læſam, *Satisfactionem*, etiam *incœpto Bello* acceptare, dummodò ea ſit *ſufficiens*, ac condigna; ac prætereà dummodò *poſſibile* ſit, tunc cùm offertur, ab incœpto bello deſiſtere.

QVÆSITVM III.

An liceat occidere Obſides, ſi qui eos tradiderint, pactum violauerint?

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia communior eſt inter DD.*
Innocentes per ſe, & directè interimere, numquàm eſt licitum.
2 *Qui fideiuſſit pro Reo, non poteſt lo-*

co Rei, qui promiſſis non ſtetit, pœna capitis puniri.

3 *Affirmatiuam ſententiam amplectitur Auctor.*

Si Obſides non liceret interficere, nulla haberetur ex bello pax, aut ſecuritas.

4 *Obſides eſſe Innocentes, non officit quominùs puniri poſſint, vt partes Reipublicæ delinquentis.*

Prima ſententia negatiua.

1 PRIMA, & communior Sententia *negat*, poſſe tales *Obſides* interfici, ſi Reſpublica, cuius nomine ipſi apud alienum Principem degunt, pactum violaret. Nititur hæc Sententia generali argumēto, nimirùm, illicitum eſſe *per ſe*, *& directè* Innocentes occidere, iuxtà illud *Exodi* 23. *Inſontem, & Iuſtum non occides*. Sed in Caſu poſito, Republica Fidem frangente, *Obſides* vt *Innocentes* habentur; Ergo nefas eſt eos interficere. Ità Molina *diſp.* 122. qui citat Lopez: Bonacina *de Bello*. & Leſſius, *de hypotheca, & pignore, dub.7.num.*10.

Ratio. Exod. 23. Molina. Lopez. Bonacina. Leſſius.

Altera ratio.

2 Et prætereà probatur à pari; Quia qui fide iuſſit pro Reo, cui periculum Capitis impendebat, vt à Carcere ad tempus liberaretur, ſi Reus non ſtet promiſſis, non poteſt loco Rei, pœna Capitis puniri; quia hoc eſt *ſupplicium criminis*, vt inquit Leſſius, *non ſolutio debiti*; immò in hoc Caſu, nec ſe ad perdendam Vitam poteſt obligare, cùm non ſit Dominus Vitæ ſuæ. Ità ergo in Caſu noſtro, inquiunt ipſi, non debet Innocens, & ſinè Crimine *Obſes* interfici; poteſt tamen ſe, ob ſalutem Patriæ, vel Reipublicæ ad perdendam Vitam obligare; quia bonum Commune anteponi debet proprio.

Secunda ſententia affirmat. Azorius. Diana.

3 SECVNDA verò Sententia eſt Affirmatiua, quam tenet Azorius, *tom.3. lib. 2. cap. 7. quæſt. 16.* & Diana, *par.5. tract.4. reſol.35.* & Mihi quoque probabilis videtur. Mouemur autem his argumentis; quia nimirùm, ea conditione dantur Obſides, *vt Hoſtes fidem ſeruent*. Item quia aliter *Pax, & Securitas* ex Bello haberi non poſſet, nec aliter Hoſtes ſemel deuicti, *in officio contineri* poſſent. Enimuerò ſi ſcirent Hoſtes, ſuos, quos dederint Obſides, occidi non poſſe, facillimè datam fidem frangerent, ac paruipenderent, atque Arma depoſita iterùm ſumerent, Pacemque initam turbarent: At verò ſcientes ſuos Obſides, penès alienum Principem degentes, licitè occidi poſſe, proculdubio abſtinebunt à frangendo fœdere, pactaque promiſſa, ſeruare curabunt.

Ratio cur liceat obſides interficere.

4 Nec obſtat dictos Obſides eſſe Innocentes: nàm licèt in tali euentu ipſi nihil deliquerint, Reſpublica tamen, cuius vicem repræſentant, promiſſis non ſtando, delinquit; ac proindè ipſi, licet effectiuè Innocentes, repræſentatiuè tamen Nocentes cenſentur; ideòque pròut talis delinquentis *Reipublicę* partes, ac membra puniuntur, non ſecùs, ac peccata Parentum puniuntur in Filijs; iuxtà illud *Exodi* 34. *Qui reddis iniquitatem Patrum Filijs, ac Nepotibus, in tertiam, & quartam Progeniem.*

Obſides eſſe innocentes, an obſtet?

QVÆSITVM IV.

An liceat ad redimendam propriam vexationem, tradere Innocentem Tyranno, Vrbis excidium comminanti, niſi talis Innocens tradatur?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur Prima Sententia Negatiua Soti, & Turriani.*

2 *Alterius peccato cooperari non licet. Satellites Innocentem comprehendentes ſcienter, Tyranni peccato cooperantur.*

Quid

3 *Quid ſi Tyrannus Virginem peteret ad eam deflorandam?*

4 *Quid ſi Sacros Codices ad comburendum, vel Sacramenta ad ea conculcanda peteret?*

5 *Tradere Innocentem in manus Tyranni pro Reipublicæ Salute, videtur inhumanus ſuccurrendi Reipublicæ modus, ex Turriano.*

6 *Quomodò præſenti Quæſito reſpondeant Bañes, & Salonius.*

7 *Ponitur Affirmatiua Sententia, quam ſequitur Auctor.*

8 *Licet Reipublicæ, tempore famis, Vnicum panem à priuato Ciue eripere, vt Principi ſubueniatur.*

9 *Tyranno Innocentem petente ad Necem, tenetur Innocens tali periculo ſe exponere.*

10 *Satisfit Oppoſitæ Sententiæ Argumentis.*

11 *Cur Reſpublica Innocentem tradens Tyranno, non peccet: Milites verò Tyranni, Innocentem comprehendentes peccent?*

12 *Aſſignatur diſparitas inter Virginem petitam à Tyranno, & Innocentem: Cur hunc liceat tradere, illam verò minimè?*

13 *Sacramenta, vel Sacros Codices Tyranno tradere, eſt intrinſecè malum.*

14 *Reſpondetur Turriani argumento, quoad inhumanum Reipublicæ ſuccurrendi modum.*

15 *Innocens pro ſua Patriæ incolumitate Se Tyranno tradens, ſummam conſequitur laudem.*

16 *Curtius pro Romanæ Reipublicæ Salute, Se Dijs deuouit.*

17 *Codrus Athenienſium Rex, depoſito Regio Cultu Seſe Hoſtibus intermendum obiecit, vt Athenienſes Victoriam referrent.*

Prima Reſponſio ad Quæſitū Negatiua. Sotus.

1 RESPONDET *Primò* Sotus, *lib. 5. quæſt. 1. art. 7.* Non poſſe Rēpublicam talem Innocentem Tyranno ad Mortem tradere; ipſum tamen Innocentem ex ſe obligari, vt Patriam, vel Vrbem liberet, non tamen poſſe ad hoc cogi præcepto Reipublicæ, quia ipſe non tenetur *ex Iuſtitia*, ſed *ex Charitate*, periculo ſe offerre. Sotum ſequitur Turrianus *diſp. 26. dub. 2. num. 15.* qui tamen addit: Neque ipſum Innocentem cogi poſſe à Republica, aut teneri ex ſe ad offerendum ſe ei periculo, & ſubueniendum bono publico per medium adeò inhumanum. Turrian.

Prima ratio.

2 Probatur *Primò*; Quia nunquàm licitum eſt alterius *peccato cooperari*, cùm hoc ſit intrinſecè malum; ſed tradere Innocentem in manus Tyranni ad mortem, eſt cooperari peccato illius: ergo hoc licitum non eſt. Quòd ſi negetur, id eſſe cooperari peccato Tyranni, negandum quoque erit, *Satellites* ipſius Tyranni cooperari ad mortem Innocentis, quandò eius Iuſſu Illum caperent, & vinctum Tyranno traderent.

Secunda ratio.

3 Probatur *Secundò*: Quia Tyranno petenti *Virginem* ad eam deflorandam, non poteſt Reſpublica Eam inuitā tradere: ergo nec *Innocentem*, quem Tyrannus petit ad occidendum.

Tertia ratio.

4 Probatur *Tertiò*: Quia nefas eſt tradere *Sacros Codices* Tyranno eos petenti ad comburendum, vel *Sacramenta* ad ea temeranda, etiamſi totius Vrbis excidium comminetur: ergo nec etiam fas eſt Innocentem tradere Ei ad mortem.

Quarta ratio.

5 Probat *Quartò* Turrianus, Quia Ciuis non tenetur *modo inhumano* Reipublicæ ſuccurrere, licèt teneatur humaniori modo; quarè nec ad id poteſt cogi à Republica, ſicut nec ad gladio ſe occidendum; quia id inhumanum eſt; licèt poſſet cogi ad Pugnandum, Mortis periculo; quia hic modus magis humanus, & conſuetus eſt.

Secunda Reſponſ. ad Quæſ. Bañes. Salonius.

6 RESPONDENT *Secundò* ad Quæſitum Bañes *2. 2. quæſt. 64. art. 6.* Salonius, *art. 3. controuer. 1.* Licèt Reſpublica non poſſit Innocentem tradere Tyranno; poſſe tamen *Ei præci-*

pere, vt Ipſe ad Tyrannum exeat: quòdſi noluerit obtemperare, iàm non erit *Innocens*, atque adeò poterit Reſpublica Eum Tyranno tradere.

Tertia Reſponſio ad Quæſitum Affirmat.

7 RESPONDENT *Tertiò* Nauarra, *lib.2. de Reſtit.cap.3.par.2.dub.1.* Licèt cum aliqua formidine. Molina, *tom.4.diſp.10.num.4.* Leſſius, *dub. 7.num.37.* De Lugo, *tom.1. de Iuſt.& Iur. diſp.10. ſect.4. num.* 113. & Alij, quos refert, & ſequitur Leſſius *loc. cit.* Poſſe Rempublicam Innocentem tradere Tyranno. Hanc Ego quoque Sententiam amplector.

Nauarra. Molina. Leſſius. De Lugo.

Prima ratio.

8 Probatur *Primò*; Quia Principe in extrema neceſſitate conſtituto, ſi vnicus panis ſuppeteret homini priuato, poſſet ille vi ſpoliari pane, etiamſi eſſet fame periturus, vt *Principi ſubueniretur*: ergo etiam poteſt vi cogi, & tradi Tyranno, quandò id neceſſarium eſt *ad Reipublicæ ſalutem*; quia qui aufert Ei panem, non minùs videtur ad Mortem cooperari, quàm qui Eum Tyranno tradit. Hoc argumento vtitur Leſſius *dicto num.39.* ad hanc Sententiam probandam.

Impugnatio præcedentis Rationis.

Verùm contrà Leſſium inſurgit De Lugo *loc. cit.* inquiens: Diuerſam eſſe rationem de ablatione panis ab homine, fame pereunte; & de traditione Innocentis Tyranno, petenti Eum ad Necem: Nàm *panis* eſt *ſub dominio* alto Reipublicæ, quæ ſemper poteſt illum ſibi ad vſus neceſſarios, bono publico aſſumere, non obſtante Iure hominis priuati: At verò perſona *Innocentis* non eſt *ſub dominio* aliquo Reipublicæ, quæ ſicut illam non poteſt occidere, ità nec tradere occidendum, propter vtilitatem publicam.

Secunda ratio.

9 Probatur ergo *Secundò* cum eodem De Lugo; Quia in eo caſu Priuatus tenetur *ſe exponere* illi periculo, propter publicam ſalutem: ergo poteſt Reſpublica Eum cogere, vt debito ſuo ſatisfaciat, & ad hoc poteſt, nè effugiat, præuenire, eumque ligare, & *ducere ad Tyrannum*; hoc enim nihil aliud eſt, quàm implicitè eum ſui debiti admonere, & nolentem ſatisfacere, cogere ad ſatisfaciendum, quod Iure ſuo Reſpublica facere poteſt. Alias rationes vide apud Molinam, & De Lugo *locis citatis*.

Soluuntur Oppoſita.

10 AD PRIMVM Reſpondetur: Rempublicam non cooperari morti Innocentis; quia licèt actio illa multùm conferat ad eius Necem; adhùc tamen ſecundùm ſe *eſt indifferens*, nec tradit Illum, vt occidatur, ſed *vt redimat* ſuam *vexationem*: quandò autem actio aliqua de ſe indifferens eſt, licitè fit ob cauſam grauiſſimæ neceſſitatis. — Solutio Primi argumenti Negatiuæ Sententiæ.

11 Aliundè verò Reſpublica *vtitur Iure ſuo*, dùm cogit Innocentem ad id, quod ipſe, vel Iure Naturæ, vel ex præcepto Ei impoſito, tenetur. In quo apparet diſcrimen à Tyranni Satellitibus, qui *nullum Ius* habent cogendi *Innocentem*, aut Eum ligandi, cùm nec ipſi, nec eorum Princeps, vllam in Illum ſuperioritatem habeant. — Diſparitas inter Tyrāni Satellites & Ciues tradētes Conceuem Innocentē Tyranno.

12 AD SECVNDVM Reſpondetur negando Conſequentiam; Quia ipſamet *Virgo* fortaſſe non tenetur *cum periculo Animæ ſuæ*, Se tradere pro ſalute temporali Reipublicæ, ſecluſo tamen (inquit De Lugo) eo periculo, *tenetur*. Reſpublica item, licèt non poſſet eam tradere, non tamen tenetur eam, cùm tanto damno defendere, & retinere; quarè poſſet eam *excludere*, & ſuo periculo relinquere. — Solutio Secundi argumenti.

13 AD TERTIVM quoque negatur Conſequentia; Quia in ijs actionibus continetur implicitè *contemptus Religionis*, qui ſemper manet intrinſecè malus: non valet ergo idem arguere de traditione Inno- — Solutio Tertij argumenti.

cen-

centis, ac de traditione Sacrorum Codicum, vel Sacramentorum in manus Tyranni.

Solutio Quarti argumenti.

14 AD QVARTVM Reſpondetur: Modum illum non eſſe ità inhumanum, ſicut ſe gladio interficere; immò fortaſſe minùs inhumanum eſſe, quàm perſiſtere *in loco Stationis*, in qua certiſſimum eſt, Militem breuiſſimè moriturum: Nàm qui Se ſpontè Tyranno tradit, concipere plerùmque poteſt *ſpem aliquam*, quòd Tyrannus aduenientis, & offerentis ſe humilitate, ac confidentia permotus, ad clementiam fortaſſe inclinabitur, & ſaltem *conſequitur laudem* eximiam ex illo actu ſtrenuæ virtutis, quo Se Tyranno tradit, vt ſuos Concives ſaluet; vt in ſimilibus euentibus conſequuti ſunt nonnulli, qui Seipſos pro Patriæ ſalute deuouerunt.

Curtius armatus eques, ſe in foueam præcipitē egit, vt Patriæ ſuccurreret. Val. Max.

16 Notum eſt illud apud Veteres Romanos egregium *Curtij* facinus: Nam vt ſcribit Valerius *lib. 5. cap. 6. num. 2.* cùm in media parte Fori vaſto, ac repentino hiatu terra ſubſideret, reſponſumque eſſet, re illum tantummodò compleri poſſe, qua Populus Romanus plurimùm valeret; *Curtius, & animi, & generis nobiliſſimus Adoleſcens, interpretatus, Vrbem virtute, armiſque præcipuè excellere; Militaribus Inſignibus ornatus, Equum conſcendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit, ſuper quem vniuerſi Ciues, honoris gratia, certatim fruges iniecerunt, continuoque Terra priſtinum habitum recuperauit.*

Codrus, vt Athenienſes vincerent, ſe Hoſtibus ad necem obiecit.

17 Summam quoque laudem *Rex Athenienſium Codrus* eſt conſequutus, qui cùm ingenti hoſtium Exercitu Attica regio debilitata, ferro, ignique vaſtaretur, diffidentia humani auxilij, ad Apollinis Delphici Oraculum confugit, perque Legatos ſciſcitatus eſt, quonàm modo illud tàm graue Bellum diſcuti poſſet, Reſponſumque datum eſt, *ità finem ei fore, ſi Codrus ipſe hoſtili manu occidiſſet*. Quod quidem non ſolùm totis Athenis, ſed in Caſtris etiam contrarijs percrebuit; eoque factum eſt, vt ediceretur, *nè quis Codri corpus vulneraret*. Id poſtquàm cognouit, *depoſitis inſignibus Imperij; famularem cultum induit, ac pabulantium Hoſtium globo ſe obiecit, Vnumque ex his falce percuſſum in cædem ſuam compulit: cuius interitu, ne Athenæ occiderent effectum eſt.*

QVÆSITVM V.

An liceat ad terminandum Bellum, die feſto inire Certamen?

SVMMARIVM.

1 *Machabæorum exemplo, fas eſt Feſto die Bellare, poſtulante neceſſitate.*
2 *Pro corporali Salute, fas eſt Medicis, Feſto die laborare.*
3 *Licet Feſto die Bellare, ſi opportunum erit ad Victoriam reportandam.*
4 *Ob magni lucri tranſitorij conſequutionem, fas eſt diebus Feſtis laborare.*
5 *Licet Feſto die piſcari haleces, ex ſacris Canonibus.*
6 *Obligatio vacandi Diuinis rebus Feſto die, quouſque ſe extendat?*
7 *Extrà neceſſitatis caſum, peccatum non eſt, Prælium Feſto die inire.*
8 *In hoc verò euentu, Miſſa priùs audienda eſt. Quid ſi Miſſæ auditio Bellico apparatui eſſet impedimentum allatura?*
9 *Reliquis anni temporibus, licet Certamen committere. Contraria Decreta non fuerunt vſu recepta.*
10 *Conſultum eſt Militibus ante Prælium Sacrificio intereſſe.*
Dies Prælij, dies tribulationis vocatur, ex Agellio.
Iſraëlitæ præliaturi, Sacrificium offerebant.

11 *Miſſæ auditio ante Certamen, confert ad reportandam Victoriam.*
12 *Obiter admonentur Duces, vt à rapinis Milites coërceant.*
13 *Militiæ, & Malitiæ nomine, & re cognatio, ex Patre Aloyſio Nouarino.*
14 *Militum gladijs anuli ſigillum impreſſit Pompeius, nè Vim alicui inferrent.*

Prima Reſponſio. 1 RESPONDETVR *Primò*, licitum eſſe Feſto die bellare, ſi ità Reipublicæ, vel Exercitus Salutis neceſſitas poſtulauerit, in Bello nimirùm Defenſiuo.

Prima ratio, ex Sacris litteris. Probatur *Primò*, *ex illo* 1. *Machabæor.* 2. *Cogitauerunt laudabiliter dicentes, omnis homo quicumque venerit ad nos in Bello in die Sabbathorum, pugnemus aduerſus eum.* 1. Machab. 2.

Secunda ratio. 2 Probatur *Secundò:* Quia licet in die Feſto *Medicis*, cum quantacumque mentis diſtractione laborare pro ſalute corporali vnius hominis, immò etiam cuique, pro conſeruandis ſuis rebus: ergo multò magis pro ſalute Ripublicæ. Antecedens patet, ex illo Chriſti ſermone ad Iudæos, *Lucæ* 14. *Cuius veſtrum Aſinus, aut Bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum in die Sabbathi?* Luc. 14. & Ioann. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in Sabbatho?* Ioann. 7. Denique idem aſſerit Nicolaus Papa, *Canon. Si nulla* 23. *quæſt.* 8. & ità communiter ſentiunt DD. Nic. Papa.

Secunda Reſpóſio. 3 RESPONDETVR *Secundò:* Licitum quoque eſſe Prælium Feſto die inire, quandò ità neceſſarium eſt ad finem Belli, nempè ad conſequendam Victoriam, præſertìm valdè vtilem Reipublicæ. Ità Valentia *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 5. *§. Secundò certum eſt.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 4. & Alij. Valentia. Caietan.

Ratio. 4 Probatur: Quia licitum eſt Feſto die opera ſeruilia exercere, nè *magnum lucrum* tranſitorium, & extraordinarium amittatur, vt docent Caietanus *in ſumma verb. Feſtorum violatio.* Angelus, *verb. Feriæ. num.* 34. Roſella, *ibidem.* Armilla, *verb. Feſtum, num.* 20. Bonacina, *diſp.* 5. *de* 3. *præcepto Decalogi, quæſt. Vnica, punct.* 3. *num.* 15. Palacius *verb. Feſtum.* Alcocer *cap.* 17. *Summæ,* quem citat, & ſequitur Sanchez, *tom.* 2. *opuſc. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 2. Fernandez, *par.* 1. *examin. Theol. cap.* 7. *§.* 1. *nu.* 6. Diana *par.* 2. *tract.* 15. & 1. *Miſcellan. reſol.* 34. *in fine.* Vbi tamen aduertit tunc amplectendam huiuſmodi opinionem, quandò omiſſio lucri eſſet non mediocre nocumentum allatura. Caietan. Angelus. Roſella. Bonacin. Palacius. Alcocer. Sanchez. Fernand. Diana.

Confirmatio. 5 Et fauet huic Sententiæ, *cap. Licet, de Ferijs;* vbi Pontifex diſpenſat, vt liceat *piſcari* in diebus Feſtis *haleces*, quæ certo anni tempore tranſire ſolent, nè lucrum illud tranſitorium amittatur. Ergo ſi licitum eſt huiuſmodi labores ſubire Feſto die; tātò magis Bellicos licebit ſubire labores pro communi Reipublicę vtilitate, quæ ex Victoria refertur, cùm vtrobique eadem militet ratio, imò maior in caſu poſito.

Ratio à priori. 6 Et ratio à priori eſt; Quia præceptum illud Feſto die Diuinis rebus vacandi, tanto non obligat cum diſpendio, quantum foret magni Lucri amiſſio, vel Victoriæ reportandæ Iactura. Cùm ergo, vt ſupponimus, Feſto die commoda Bellandi opportunitas ad Victoriam aſſequendam ſeſe offerat, non eſt cur ratione Feſti diei, teneantur Milites, ac Duces à Bellando abſtinere.

Tertia Reſponſio. 7 RESPONDETVR *Tertiò:* Extrà prædictos Caſus neceſſitatis, non fore peccatum, *ſaltem mortale*, Pugnare in die Feſto, modò Miſſa audiatur. Ità Caietanus, Valentia & Alij.

Ratio. Probatur; Quia pugnare non eſt alioqui opus ſeruile, cum à Principibus etiam exerceatur: nec multò magis diſtrahit mentem à diuinis, quàm alia quædam, quæ abſque peccato mortali fieri ſolent diebus Feſtis in celebratione nuptiarum;

vt

vt Haſtiludia , Choreæ, &c.

Miſſa ante Prælium audienda.

Immò putat Diana, *par.4.tract. 4.reſol.229.*contrà Rodriquez,*Summ. par.1.cap.126. num.10.* Etiam ſecluſa neceſſitate, *nec Veniale* quidem peccatum eſſe, Feſto die Bellare, ſi Miſſa audiatur: Eadem ratione, quia ſcilicet *Bellare* non eſt *opus ſimile*. Nec benè ait Bañes, Bellum diſtrahere à Pietate , & Deuotione, quibus in die Feſto vacandum eſt: nàm potiùs *abſtrahit à peccatis,* quibus Milites in otio vacare , vt plurimùm ſolent ; vt ait Molina *tom. 1. tract. 2. diſp.*111.

Diana. *Rodriq.* *Molina.*

Milites Feſto die Bellantes, an eximãtur à debito audiendi Sacrũ?

8 Miſſa verò debet quidem audiri, ſi eius auditio præparationi ad Bellum , nec. minimùm nocet : Si verò Milites, nè ſe accingant,vt pugnent , vel Sacerdotes , nè Militum Confeſſiones accipiant (opus tunc temporis magis neceſſarium) impediat, ab ea audienda excuſantur ; vt docet Duuallius *2. 2. queſt. 16. art. vlt.*

Duuallius

Quarta Reſpõſio.

9 RESPONDETVR *Quartò:* Licitum quoque eſſe reliquis anni temporibus, Prælium inire, etiam extrà prædictos Caſus neceſſitatis. Nec obſtat Alexandrum III.ſub grauibus pœnis , & Excommunicationis comminatione; vt patet *in cap.de Tregua,& Pace* , præcepiſſe abſtinendum eſſe à Pugna à Quarta Feria poſt occaſum Solis, vſque ad Secundam Feriam in ortu Solis;& ab Aduentu Domini, vſque ad octauam Epiphaniæ; & à Septuageſima ; vſque ad octauam Paſchæ : nàm Decretum hoc Alexandri, non fuit vſu receptum; vt notat etiam *Gloſſa,in dicto cap.Treguas*,& reliqui DD.communiter.

Alex.III.

Quadrageſimæ, & Aduentus tempore etiam Bellare licet.

Miſſam audiant Milites præliaturi.

10 Porrò,quàmuis neceſſitate poſtulante ab obligatione audiendi Sacrum,eximantur Milites ; vt cum præcitatis Doctoribus diximus; Cõſultum tamen erit Militibus , totiuſque Exercitus Imperatori , antequàm manus conſerant , *Sacrificio intereſſe* , ac ſupplici prece à Deo expoſcere, vt exaudiat eos *in die tribulationis* , hoc eſt , *in die Prælij* : nàm vt benè Agellius interpretatur: *Dies tribulationis, dies Prælij vocatur:* Iſraëlitarum more Deum rogent , vt *mittat eis auxilium de Sancto , & memor ſit Sacrificij ;* erat enim mos Iſraëlitico Populo (verba ſunt noſtri Doctiſſimi Agellij Coment. *in Pſal.19.*) vt antequàm Prælium inirent , Sacrificium offerrent. Qui mos etiam ex vero Dei cultu acceptus eſt à Gentilibus, & in Superſtitiones ſuas traductus ; vt ſæpiſſimè in eorum Hiſtorijs legitur. Fuiſſe autem id in more Iſraëlitarum poſitum, ex verbis Saul Regis 1. *Reg.* 13. intelligimus : *Nunc*, inquit, *deſcendent ad me Philiſtijm,& faciem Domini non placui : neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.*

Agellius *Prælium tribulati[onis] appellat[ur]* *Pſal. 19.* *Mos ſacrificandi ante prælium* *1 Reg.13*

11 Ex hac igitur ante Prælium offerendi Sacrificium conſuetudine, admonentur Duces, ac Milites, ante Prælium, Sacrificio intereſſe; ipſi enim Adſtantes etiam quodammodò Sacrificium offerunt, nedùm pro eis offertur ; iuxtà illa Sacerdotis ad Deum verba in Miſſæ Canone : *Pro quibus Tibi offerimus,vel qui Tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro Se, Suiſque omnibus, pro Redemptione Animarum ſuarum : pro Spe Salutis , & Incolumitatis ſuæ .* Ex huius ergo Pſalmi loco : *Memor ſit omnis Sacrificij tui* , inquit Agellius , *deſcendum eſt Chriſtianis Regibus, quid Illis ante bella ſuſcipienda faciendum ſit , & præcipuè cùm ad dimicationem vltimam , & manuum conſertionem ventum eſt ; Precibus nempè, Sacrificijque expiatione , ac litatione Deo ſupplicare : nec tàm in armis , quàm in Dei Ope Spem ponere : vt ità mittat eis Dominus auxilium de Sancto, de Cælo, & loco Gloriæ ſuæ : Tribuat eis ſecundùm cor eorum , & omne Coſilium eorum confirmet: quem optant prælij exitum; tribuat; & quod animo perceperunt, & cogitarunt , confirmet : omneſque petitiones eorum impleat, fauſto prælij euentu eis conceſſo.*

Memor eſt Dominus Sacrificij , cui milites interfuerũt.

12 Cumque hùcuſque calamus

Milites à rapinis coërcendi.

excurrerit, libet hìc Exercituum Imperatores admonere, vt Milites ſuos, & à cœteris criminibus, & præſertìm à rapinis, in quas proni ſunt Milites, coërceant. *Sufficit Militiæ Malitia ſua*, quæque ex ſe continuò damna parit, vt meritò triſti auena cecinerit Ille

Quis fuit horrendos, primus qui protulit enſes?
Quam ferus & verè ferreus ille fuit.
Tũc cædes hominũ generi, tunc prælia nata.
Tũc breuior diræ Mortis aperta via eſt.
At nihil ille miſer meruit: nos ad mala noſtra
Vertimus, in ſæuas quod dedit ille feras
Diuitis hoc vitium eſt auri.

Aloyſius Nouar.

13 Ad hãc rẽ è Noſtratibus Pater Aloyſius Nouarinus, *in Electis Sacris lib.3. c.12.* In Militarem licentiã inuectus: Vix, inquit, exprimi poteſt quantas inuehat calamitates, quanta afferat damna, non coërciti Militis audacia, temeritas, inſolentia: nec caſtitas, nec opes, ſæpè nec Vita tuta eſt, vbi Militum Exercitus adeſt; inuadunt omnia, omnes infeſtant, domus expilant, conuicia, & Iniurias adijciunt, vt Innocens eſſe videatur, qui placidè, ac quadam Vrbanitate nocet. Denique *Militia Malitia*, non ſolùm nomine, ſed etiam re cognata eſt; Sæpè *Malus*, qui *Miles*, & Malitia ibi regnat, vbi Militia. Hinc illud *Iſaiæ 40. verſ. 2. Completa eſt Malitia eius*. ex Hebræo legitur: *Militia eius*, vt nimirùm oſtendatur, cognatam eſſe Militiæ Malitiam.

Militum gladijs annuli ſigillum impreſſū.

14 Cum igitur tàm proni ad prædas, ad rapinas Milites ſint, tàm veloces ad aliorum damna excurrant, probè illi Duces, Principeſque agunt, qui illorum inſolentiam coërcent. Hinc illud recenſitu dignum, quod de *Pompeio* narratur, qui in Siciliam cum Exercitu miſſus, cum audiſſet ſuos Milites ab itinere diuertentes, omnia temerè rapere, omnes infeſtare, grauiſſimè puniuit, & cùm aliquos præmitteret, eorum *gladijs anuli Sigillum impreſſit*, nè quempiam læderent, vt dùm exerere gladios non poſſent, eorum inſolentia comprimeretur, & modeſtiæ vagina, Militaris ſæuitia, ac inhumanitas contineretur, nè in aliorum damnum erumperet.

Admonitiuncula ad Exercituũ Duces

Digna res, quæ in exemplum cat, & quam Chriſtiani Duces, probique Principes, ac Reges imitentur: bonus Miles, qui ſub Modeſtiæ, Innocentiæ, ac Iuſtitiæ Vexillo pugnat, à rapinis abſtinet, ſed opportuniùs Dei timor pro gladij ſignaculo erit, hic corde altè imprimatur, & licentiam omnem, omnem ſæuiendi libidinem, omnem ſæuitiam cohibebit.

Hæc ex Patre Aloyſio pauca delibare libuit, ad Militum, ac Ducum documenta, ac prætereà, vt meum hoc exile, ac tenue Opuſculum, tanti Viri doctrina, ac nomine locupletaretur, ac cohoneſtaretur. Comperta eſt enim omnibus dicti Patris Doctrina, de Literaria Republica tàm benemeriti, quippè qui hactenùs in lucem edidit Vndeuiginti Tomos iuſtæ magnitudinis, ſeù in folio, vt dicunt, omnes ſolida, varia, ſacraque Doctrina refertos, præter duodetriginta Pia Opuſcula, Italicè, ac Latinè conſcripta. Multa prætereà iàm parata habet, & in diem componit Volumina, quæ ſi lucem, vt ſpero viderint, lucem ipſi luci erant additura.

Macte noua virtute animi, ſic itur ad aſtra — *Virgil. Aeneid. lib.9.*

Aloyſi: perge tuis Lucubrationibus Literariam Rempublicam illuſtrare, cœteroſque tuo exemplo excita Noſtrates, ad edenda citò in lucem, quæ in vmbra, ac tenebris lucubrare nituntur.

QVÆSITVM VI.

An ad terminandum Bellum, liceat in Bellico Conflictu occidere eos, qui ſunt, aut præſumi debent, eſſe Innocentes?

SVMMARIVM.

1 *In Iuſto bello, quinam ex aduerſaria parte ſint Innocentes?*

2 *Mercatores, an etiam cenſendi ſint Innocentes?*

3 *Innocentes in iuſto bello, per ſe & directè interficere non licet.*

4 *Ex Sacris litteris prohibitum eſt, Infantes, ac Mulieres occidere in Bello.*

5 *Innocentium occiſio ad nullum iuſti belli finem aſſequendum conducit.*

6 *Pueros interficere non licet, ex eo, quòd timeatur, eos poſtquàm adoleuerint, bellum eſſe inituros, ac Pacem turbaturos.*

7 *Nonnulla Scripturæ teſtimonia expenduntur, quæ huic doctrinæ videntur aduerſari.*

8 *Cur Deus præceperit Ioſue, vt ex Ierichôtinis, tàm Fœminas, quàm Paruulos occideret.*

9 *Cur idem præceperit fieri contrà Amalechitas, itàut deſtrui iuſſerit vniuerſam eorum ſubſtantiam, etiam Infantes, Mulieres, ac Iumenta &c.*

10 *Innocentes per accidens, & præter intentionem interficere, in quo caſu liceat?*

11 *Cur aliquando eos, qui Innocentes videntur in aliquo delicto, permittat Deus, non ſecùs ac Nocentes puniri?*

12 *An expugnare liceat aliquam arcem, vbi plures ſunt Innocentes, quàm Nocentes?*

1 SVPPONIMVS, cùm Iuſtum Bellum geritur, non omnes ex aduerſaria Parte Nocentes eſſe, nec præſumi debere. Hi autem ſunt Infantes, Mulieres, Religioſi, niſi obſtaret contrarium de aliquibus iſtorum, vt ſi Mulier aliqua, vel Religioſus, aut Clericus pugnans inueniretur. Præter hos autem, ſunt etiam vt Innocentes præſumendi Alij, quos enumerat Pontifex Alexander III. *in cap. Innouamus. extrà, de Tregua, & Pace*, vbi dicit: *Innouamus, vt Presbyteri, Monachi, Conuerſi, Peregrini, Mercatores, Ruſtici, Euntes, & Redeuntes, & Animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, ſecuritate congrua lætentur.* Quibus adduntur etiam *Legati*, ſiuè *Oratores*, *in Canon. Paternarum. 24. quæſt. 3.*

Innocentes quinā cenſeatur.

Clerici ac Religioſi, an ſint Innocentes?

2 Nec tamen per *Mercatores*, putat Caietanus *in Summa, verb. Bellum*, Debere hic intelligi eos, qui ſint *Ciues* in hoſtium Republica, ſed qui tranſeunt importantes aliqua Mercimonia. Nàm *Mercatores Incolæ*, non ſunt, quòad hoc melioris conditionis, quàm *Artifices*, vt rectè inquit Caietanus, *loc. cit.* & Valentia, *tom. 3. diſp. 3. q. 16. de Bello. punct. 3.* His poſitis:

An etiam Mercatores cenſendi ſint Innoc.

Caietan. Valentia.

3 RESPONDETVR *Primò* ad Quæſitum, licitum non eſſe in Bellico Conflictu, *per ſe, directè, & ex intentione*, occidere eos, qui ſunt, aut præſumi debent *Innocentes*. Ità communiter Doctores, Victoria, Valentia, Silueſter, Emmanuel Sà, Reginaldus, Turrianus, Becanus, Laymann. & plures Alij, vbi de Bello tractant.

Prima Reſponſio ad Quæſ. Innocentes non licet interficere

Victoria. Valentia. Silueſter. Emman. Turrianus Becanus. Reginald Layman.

4 Probatur *Primò ex illo Deuteron. 20. Cùm tradiderit Dominus Deus tuus Ciuitatem in manu tua, percuties omne, quod in ea generis Maſculini eſt, abſque Mulieribus, & Infantibus.*

Prima ratio. Deut 20

5 Probatur *Secundò*: Quia talis Occiſio ad nullum ex Belli finibus, quos Doctores ponunt, aſſequen-

Secunda ratio.

dum,

dum, directè, & per ſe occidi poſ- ſunt. Non enim ob ſatisfactionem, vel recuperationem rei ablatæ, vt patet: Neque etiam propter Iniuriæ vindictam; Nàm neque aliqua culpa ipſorum Innocentum propria, *vindicari* eorum morte poteſt, cùm ſint Innocentes, vt ſupponimus: Neque etiam aduerſariæ Reipublicæ, cuius Innocentes ſunt Partes. Nàm Reſpublica non debet puniri in ſuis Partibus, niſi ſecundùm id, quod ſubeſt Dominio (ſaltem vniuerſali) & ordinario Iuri Reipublicæ: Tale autem non eſt Ciuium Vita, cùm de illa non poſſit Reſpublica ſtatuere, niſi fortè in aliquo rariſſimo caſu pro Salute communi.

Obiectio. 6 Sed dices *Primò*: Quàmuis tales Pueri, v.g. ſint eo Belli tempore Innocentes, nihilominùs ſi eis Vita donetur, poterunt, cùm adoleuerint, iniuſtè Bellum mouere contrà aduerſariam Partem Victricem, ac Pacem turbare; ac proindè vt ſtabiliùs firmetur in futuro Pax, licere videtur, eos Innocentes occidere.

Reſponſio. *Reſpondetur:* Si Pacem per Innocentes aliquandò turbandam fore timeatur, poſſe huic periculo aliter occurri, abſque eorum occiſione, redigendo nimirùm eos in *Seruitutem*, vel Captiuitatem, quod ſaltem Iure Gentium in Bello licet. Ob hanc rationem meritò dixit Franciſcus Victoria, *in Relectione de Iure Belli num.* 38. Intolerabile ſibi videri, ſi in Bello contrà Saracenos, ideò interficiantur eorum Infantes, nè fortè poſteà Adultiores facti, repugnent Chriſtianis, exemplo Maiorum ſuorum. Poteſt enim aliter huic periculo occurri, vt dictum eſt. (Franc. Victoria.)

Altera obiectio. 7. Dices *Secundò*: Deum præcepiſſe Ioſue, vt Ciuitatem Iericho, omneſque Habitatores funditùs deleret, ac occideret; & ità Deo præcipiente, ac adiuuante, Exercitus ſub Duce Ioſue, *cœperunt Ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à Viro, vſque ad Mulierem, ab Infante, vſque ad Senem. Boues quoque, & Oues, & Aſinos in ore gladij percuſſerunt. Ioſue 6.* (Ioſue 7.)

Pariter, 1. *Reg.* 15. præceptum eſt Sauli, vt Amalecitas perderet, abſque vllo, ſeù Puerorum, ſeù Mulierum, cæterorumque Innocentium diſcrimine. *Hæc dicit Dominus Exercituum, Vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: Non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à Viro, vſque ad Mulierem, & Paruulum, atque Lactentem, Bouem, & Ouem, Camelum, & Aſinum.* Non videtur ergo alienum eſſe à Iuſtitia, & Charitate, *Innocentes* quoque in Bello Iuſto *occidere*; quandòquidem id Deus præceperit; non enim ſi hoc intrinſecè malum, & Iniuſtum eſſet, præcepiſſet vnquàm Deus, immò nec præcipere potuiſſet. (1. Reg. 15)

8 Reſpondetur ad hæc, & ſimilia Sacrarum literarum teſtimonia, fuiſſe id ſpecialiter præceptum à Deo. Nam quòad *Primum*, reſpondet Abulenſis *in cap. 6. Ioſue*, Deum ideò præcepiſſe occidi etiam fœminas, pueros &c. quia Ierichontini erant de Chananæis, quorum terram accepturi erant Iſraëlitæ, ideò tenebantur occidere omnes, tàm pueros, quàm fœminas &c. id enim fuit illis ſpecialiter à Deo præceptum, *Deuter.* 20. *De ijs Ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes viuere, ſed interficies in ore gladij, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pharezæum, & Heuæum, & Iebuſæum. Sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, nè fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt Dijs ſuis &c.* Nec obſtat; Deum præcepiſſe occidi tantùm viros, reſeruari autem pueros, & fœminas &c. nam hoc intelligendum erat, quando pugnabant contrà aliquam gentem, quæ eſſet extrà terram Chanaan, vt exprimitur ibi: *Sic fa-* (Solutio. Cur Deus præceperit Pueros ac Fœminas interfici in Iericho? Abulenſ. Deut. 20.)

*cies cunctis Ciuitatibus, quæ à te procul ſunt, & non ſunt de ijs Vrbibus, quas in poſſeſſionem accepturus es. Deuter.*20.

Rabanus.

9 Quoad *ſecundum*, Reſpondetur ex eodem Abulenſi, & Rabano ibi, quòd ideò Deus iuſſit occidi, ac deſtrui Pueros, Fœminas & Iumēta Amalec, quia iam olim minatus erat Deus Amalec, deleturum ſe memoriam eius de ſub cælo, eò quòd pugnauerit contrà Iſraëlitas in Raphidim; vt habetur Exod.17. nam poſtquàm fugauit Ioſue Amalec, *Dixit Dominus ad Moyſen, ſcribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Ioſue, delebo enim memoriam Amalec ſub Cœlo*. Si autem Pueri, Fœminæ, aut Iumenta reſeruata fuiſſent, non fuiſſet penitùs deleta *memoria Amalec*. Non ergo inferre licet: Ex eo, quòd Deus præceperit occidi ex Amalecitis, ac Ierichontinis etiam Pueros, Fœminas &c. ideò in quolibet iuſto bello, id non eſſe à charitate alienum, nam in quolibet alio bello, nec erit eadem ratio, nec ſpeciale Dei præceptum &c.

Exod. 17.

Innocentes per accidens, & præter intentionē, an liceat interficere?

10 RESPONDETVR *Secundò* ad Quæſitum, licitum eſſe in Bello Iuſto *per accidens, & præter intentionem* Occidere Innocentes. Ità Victoria, *de Relectione Belli num.*34. Silueſter, & Caietanus, *verb. Bellum*, Couarruuias, *Regula Peccatum. par.*2. *§.*3. *num.*4. Molina, *diſput.*119. Becanus, *quæſt.*11. Valentia *loc. cit.* Laymann, *lib.*2. *tract.*3. *cap.*12. *num.*11. & Alij. Quod tamen intelligendum eſt, dummodò ità terminandi Belli neceſſitas poſtulauerit, ac communis boni ratio exegerit, vt ſi v.g. nequeat Arx quæpiam, aut Ciuitas expugnari, niſi diruatur, aut incendatur; & ideò etiam aliqui Innocentes, qui ſint in illa, pereant.

Victoria.

An liceat expugnare arcem in qua plures ſint Innocentes, quàm Nocentes?

11 Aduertendum tamen eſt; vt rectè admonet Victoria, *vbi ſuprà, num.*37. Si non multum referret ad finem Belli, ſic expugnare aliquam Arcem, vbi eſſent *Multi Innocentes*, & pauci Nocentes, non licere id facere: Nàm malum, quod ex morte tot Innocētium ſequeretur, præponderaret exiguo illi emolumento ad finem Belli conſequendum, quod afferret talis expugnatio Arcis. Et ſemper eſt cauendum, nè maiora damna per Bellum inferantur, quàm bonum ſequatur.

Innocentes, cur permittat Deus ſimul cum Nocentibus puniri?

12 Hic autem obiter nota, Deū aliquando permittere, Innocentes non ſecùs ac Nocentes puniri, etſi enim hìc, & nunc, in aliquo delicto culpa vacent, puniuntur tamē propter alia eorum peccata; id quod in ſimili aduertit Chryſoſtomus, Antiochenum Populū alloquens *hom.*3. vbi ſic ait. *Nè igitur dicamus, quòd crimine carens ille ceciderit, alter verò facinoris auctor effugerit; Innocens enim punitus, aliorum peccatorum pœnas luit, & qui nunc effugit, niſi mutatus fuerit, in alio capietur laqueo:* & paulò poſt ſubdit. *Et hoc manifeſtum eſt ex Fratribus Ioſeph: cùm enim illi iuſtum vendidiſſent, & tredecim anni præteriiſſent, puniri metuentes, & de vita timentes, peccati recordati ſunt, & inter ſe dicebant: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum &c. Gen.*42.

Chryſoſt.

SECTIO X.

DE QVINTA DVELLI SPECIE,

HOC EST,

De Duello Terminatiuo Belli.

QVintam hanc Duelli Speciem ad dirimenda Bella inuentam, experimento comprobatum eſt, neceſſariam, atque vtilem quandòque fuiſſe; Siquidem paucorum Mili-

tum diſcrimine, totius Exercitus incolumitati conſulitur; breuique temporis interuallo, quæ diù traherentur Bella, dirimuntur. Bella enim, vt facilè inchoantur, ità difficillimè ad finem trahuntur; Siuè (vt cum Salluſtio loquar) *Omne Bellum ſumitur facile, cæterùm ægerrimè deſinit. Non cuius in poteſtate initium, eius & finis eſt.* Ideòque opportunum fore videtur, vbi commodè fieri poterit, inito Duello; Bellum dirimere, vnumque, aut alterum Militem pro toto mori Exercitu, nè cæteri pereant Commilitones. An ergo huiuſmodi inire liceat Duellum, præſenti examinandum eſt Sectione: Locum autem Queſtio habet in Bello Iuſto, quod ad Duelli Iuſtiriam ſummoperè conducit, immò ad reportandam ex Duello Victoriam, iuxtà illud;

Salluſtius in Iugurth.

Frangit, & attollit vires in Militè causa:
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Propertius 4. Elegia 6

Quod & clariùs expreſſit Bernardus; *Si bona,* inquiens, *fuerit cauſa Pugnantis, Pugnæ exitus malus eſſe non poteſt: ſicut nec bonus iudicabitur finis, niſi cauſa non bona, & intentio non recta præceſſerit.* Sed iàm rem ipſam aggrediamur.

Bernardus de noua Militia.

QVÆSITVM I.

An liceat Bellum terminare Duello?

SVMMARIVM.

1 *Iniuſtum bellum non licet Duello dirimere.*
2 *Bellum iuſtum, ſed vindicatiuum, neque licitum eſt dirimere Duello.*
3 *Duellum inire non licet ad dirimendum bellum defenſiuum.*
4 *Bellum iuſtum dirimere Duello, in quo caſu liceat?*
5 *An iuſtè belligerantibus liceat etiam in aliquo caſu prouocare ad Duellum?*
6 *Duellum ſubire non licet parcendo multitudini &c. iuxtà Caietanum.*
7 *Duellum acceptare ad terminandum iuſtum bellum, in quo caſu liceat, ex Caiet.?*
8 *An etiam liceat aliquando prouocare ad Duellum?*
9 *Diluuntur Oppoſita.*
Princeps redigendo bellum in Duellum, non inducit hoſtilem partem ad malum, ſed ad euitanda maiora belli mala, eligit minus malum.
10 *Innocentium vitam periculo mortis exponere in Duello pro communi bono Reipublicæ, an liceat?*
11 *An liceat Principi iuſtè belligeranti non ſe obligare ad defendendos ſuos, ſi vincantur ab Aduerſarijs in Duello?*

1 RESPONDETVR Primò ad Quæſitum: *In Bello Iniuſto, & Illicito,* licitum non eſſe *Duello* dirimere *Bellum*. Ratio eſt, quia cùm in tali euētu *Duellum* eſſet *Iniuſti, ac Illiciti Belli Pars,* Ipſum quoque Illicitum, ac Iniuſtum cenſeretur.

Prima Concl. Bellum iniuſtum dirimere non licet Duello.

2 RESPONDETVR *Secundò:* In Bello *Iuſto,* ſed *Vindicatiuo,* Illicitum quoque tale *Duellum* eſſe. Ratio eſt, quia qui authoritate publica Iniuriam vindicat, debet eſſe velut Agens reſpectu puniendi. Quarè inſtar Agentis naturalis debet eſſe multò fortior, itàut quaſi certa ſit Victoria. Quod in Singulari Certamine non reperitur, quia, vel par eſt vtriuſque Conditio, vel multa poſſunt, ac ſolent accidere, vt ipſe etiam, qui valentior videtur, ſuccumbat. Ità Caietanus 2.2. qu. 95. art. 8. circà ſolutionem ad 3. in cauſa 5.

Secunda Cōcl. Bellum vindicatiuum non licet Duello dirimere.

Caiet.

Valentia. Sanchez.

Valentia, *tom.* 3. *diſp.*17. *punct.*1. *in cauſſa* 1. & Sanchez *tom.*1.*lib.*2.*c.*39. *num.*15.

Tertia concl. Bellum defenſiuum neque licet Duello dirimere.

3 RESPONDETVR *Tertiò:* Neque *in Bello defenſiuo* licere Duellum inire ad dirimendum Bellum; nam etiam *in Bello defenſiuo* imitari oportet Agentia Naturalia in quãtùm fieri poteſt, quæ meliori, & efficaciori modo poſſibili, contrarijs reſiſtunt: At eſt inefficax, & debilis reſiſtendi modus per vnum, quem facillimè contingit vinci. Quarè iniquè communis Defenſio vni commiſſa, tali periculo exponeretur. Ità præcitati Doctores.

Quarta concl. Duellum inire ad dirimendum bellum, in quo caſu liceat?

4 RESPONDETVR *Quartò*, Licere in *Bello Iuſto*, Duello dirimere Bellum, in eo caſu, quo Princeps Iuſtè belligerans videt Se viribus deſtitutum ad Bellum commune, & fore, vt eo indicto ſuccumbat: & ſi Duello rem terminandam committat, eſt Victoriæ Spes; inito nimirùm priùs pacto inter vtramque factionem, vt cauſa per Prælium decidenda, paucis vtrinque pugnaturis, aut duobus decidenda committatur; itàut eius partis ſit Victoria, cuius Milites vicerint. Ità Caietanus *loc. cit.* & *in Summa verb. Duellum.* vbi Armilla *num.*1. Emmanuel Sà *num.*1. Nauarrus *Summa Latina*, & *Hiſpana*, *cap.*11. *nu.* 39. & *cap.*15. *num.*9. Minchaca, *in Controuerſ. Illuſtr. lib.*1. *cap.* 48. *num.*19. Azebedo, *lib.*8. *Recopilat. tit.*8. *lib.* 10. *num.*13. Delrius, *lib.*4. *Diſquit. Magic. cap.*4. *quæſt.*4. *Sect.*2. *ad finem.* Nauarra, *lib.*2. *de Reſtit.* c.3. *in* 2.*part. dub.* 13. *in noua editione, n.*294. Valentia, *loc. cit. verſic. Talis autem caſus.* Sanchez, *loc. cit. num.*16. Peregrinus, *de Duello, quæſt.* 2.*nu.*16. Hurtadus, 2.2. *diſp.*170. *Sect.*17. §.147. qui etiam citat Serarium, *in* 1. *Reg.* 17. *concl.*2. Suarez, *diſp.*13. *Sect. vlt. num.*8. Becanum, *cap.*26. *quæſt.* 1.*n.*3. & Filliucium, *tom.* 2. *tract.*29. *nu.*142. atque Alciatum, Socinum, Ferrerum, Lignanum, Caſtillum, & Antonium Maſſa, doctiſſimos Iuriſperitos, qui cum præcitatis Theologis conueniunt ad aſſerendum, licere in caſu poſito, Bellum terminare Duello.

Caietan. Armilla. Sà. Nauarr. Minchaca. Azebedo. Delrius. Nauarra. Valentia. Peregrin. Hurtad. Serarius. Suarez. Becanus. Filliucius. Alciatus. Socinus. Ferretus. Lignanus. Caſtillus. Maſſa.

Quinta concl. An liceat etiam prouocare &c

Huius Sententiæ Fundamentum eſt, quia in caſu poſito, Bellum integrum, vt ſupponimus, eſt Iuſtum; ergo etiam Duellum, vtpotè talis Belli Pars. Idque confirmatur, quia Iuſtè Belligerans Ius habet ad integrum hoſtilem Exercitum, ſingulóſque eius Milites imperendos; ergo &c.

5 RESPONDETVR *Quintò:* Iuſtè Belligerantibus licitum eſſe in poſito caſu, etiam *prouocare*, nedùm oblatum *acceptare Duellum.* Ità Caietanus, alijque præcitati Doctores. Et Ratio eſt, quia licet Iuſtum Bellum gerentibus *prouocare* Hoſtes ad Pugnam, eiſque Prælium *offerre:* ergo licet etiam *prouocare* eos ad Monomachiam, quandò id cenſuerint expedire ad Victoriam conſequendam: Etenim Iuſtus Belligerator habet Ius ad alium puniendum pro Iniuſto Bello, eiuſque cauſis. Vndè ex parte Hoſtis, nullus ei poteſt ſubeſſe ſcrupulus: ex parte verò ipſius, poteſt etiam ſcrupulus eiselli, quia pro vtilitate publica poteſt ſe exponere Morti: poteſt item Certamen inire, ſeruatis legibus prudentiæ, nè temerè congrediatur cum eo, quem non ſperet prudenter ſuperare: petita item facultate à Duce, qui illam poſſit dare, vt benè aduertit Hurtadus *loc. cit.*

Confirmatio præcedentis doctrinæ ex Caietano.

6 Hæc omnia complexus eſt *loc. cit.* Caietanus, vbi *Quintam*, ſeù *Speciem*, ſeù *Cauſam Duelli* explicans: Quinta cauſa, inquit, eſt *Indulgentia Multitudinis*, quandò ſcilicet inter duas Patrias eſt Bellum, & *parcendo Multitudini*, reſoluitur de conſenſu partium, totum Bellum in Duellum, vt legitur de Coſdroë filio, & Heraclio in legenda Exaltationis Sanctæ Crucis. Ob hanc ſiquidem Cauſam non eſt licitum ſubire Duellum. Et Ratio eſt, quia declinatur à Natura

Belli ex vna parte Iuſti, ad Naturam Duelli, quod rationi rectæ aduerſari patet ex antedictis.

7 Fateor tamen (ſubdit Caietanus) quòd in caſu, quo Pars habens *Iuſtum Bellum*, cognoſcit vires ſuas, & quòd oportet, aut confligere, & ſuccumbere; aut *acceptare Duellum*, quòd licitè *acceptat Duellum*. Transfert enim quaſi *certum* caſum in *dubium*, & in ſpem Victoriæ, vtendo omnibus ſuis viribus:

An etiam liceat prouocare ad Duellum &c.

8 Nec ſolùm licitum eſt tali parti in prædicto neceſſitatis articulo conſtitutæ *acceptare*, ſed etiam *prouocare* tale Duellum, *reſoluendo Bellum in Duellum*; quoniam ex parte Sui vtitur omnibus viribus ſuis, meliùs in Duello, quàm in Bello, & propterea non peccat. Ex parte verò alterius partis ſupponitur, quòd habeat Bellum Iuſtum, & non ſolùm ille, qui in Duello comparebit, ſed omnes parati ſunt ad inuadendum iniuſtè Patriam, vel Exercitum, Perſonas, &c. Ac per hoc offerendo Duellum, abducuntur à maiori malo, auferendo materiam maioris mali, non vt faciant totum hoc, ſcilicet minus malum, ſed vt facturi malum, peccent minùs, quod eſt officium Angelorum; vt patet de decem Viris, qui occiſuro eos, obtulerunt, vt acciperet ſuos Theſauros. Hæc Caietanus.

Soluuntur Oppoſita.

Primum argum.

9 Obijcies *Primò*: Princeps Iuſtè belligerans non poteſt *offerre Duellum* alteri parti hoſtili, iniuſtè belligeranti; quia hæc Pars non poteſt illud ſinè peccato *acceptare*: ergo non poteſt Princeps licitè *prouocare* ad Duellum, quia induceret ad peccandum.

Solutio.

Reſpondetur, Principem non *prouocare*, neque *inducere* hoſtilem partem ad *malum*, ſed ad *minus malū* ipſe enim directè petit Ius ſuum, quod quia altera pars inſtructo Bello reddere renuit, poteſt ipſe ad vitãda maxima Belli diſcrimina, petere, vt *maius* Belli *malum* in *minus malum*, quale eſt illud Duelli, vbi paucorum Vita diſcrimini exponitur, commutetur.

Secũdum argum.

10 Obijcies *Secundò*: Nefas eſt Innocentes *Mortis periculo Exponere*: ſed ad dirimendum Iuſtum Bellum Duello, Innocentum Vita *mortis periculo exponenda foret*: ergo non licet Parti Iuſtè belligeranti, Bellum terminare Duello.

Solutio.

Reſpondetur, Pro communi totius Reipublicæ Bono id fieri interdùm poſſe: nàm etiam in integro Bello, multò plures Innocentes *Mortis periculo exponuntur*. In indiuiduo tamen cauendum eſt, nè ſinè magna cauſa fiat, & quòad fieri poteſt, periculum minuatur.

Tertium arg.

11 Obijcies *Tertiò*: Princeps Iuſtè belligerans adſtringitur ad *non defendendos* ſuos, ſi vincantur ab Aduerſarijs in Duello, aut ſint in euidentiſſimo periculo: hoc autem videtur Militare contrà Ius Naturæ, quo tenemur *defendere Innocentes*.

Solutió.

Reſpondetur: *Sicut defendere Innocentem*, non eſt præceptum, quod pro ſemper obliget, ſed tunc, cùm commodè fieri poteſt: ità è contrario obligare ſe ad *non defendendum Innocentem* in caſu aliquo, non eſt intrinſecè malum, ſed tunc licere poteſt, quandò cum ijs ſit circumſtantijs, vt prudenter cenſeatur quiſpiam, non poſſe illum defendere, quia videlicet non ſinè magno, & communi incommodo defenderet: Ità verò eſt in propoſito argumenti euentu. ergo &c.

QVÆ-

QVÆSITVM II.

Vtrùm Catholicus Princeps cum Hæretico, aut Pagano, aut Tyranno Bellum gerens, poſſit rem cõmittere Singulari Certamini?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio Negatiua.*
2 *Quid ſi æquè ſperaretur Victoria è Duello, ac è toto Prælio.*
3 *Licitum eſſet Bellum redigere in Duellum, ſi Catholici Principis Exercitus inferior eſſet hoſtili, & aliàs Catholicorum Militum clades immineret.*
4 *Quid ſi duo Principes contendant de aliqua Vrbe, & vterque æquè piè tractaturus eſt cauſam Religionis, Ciuium, &c. an ſcilicet in tali caſu Princeps iuſtè belligerans, poſſit rem ſingulari certamini committere?*

Negatiua Reſpõſio. 1 MIHI videtur *Negatiuè* Reſpondendum, ea potiſſimùm ratione, quia ſi Princeps Catholicus ab Hæretico, vel Pagano vinceretur, immineret vtique Religioni periculum: vel ſi etiam à Tyranno ſuperaretur, Statui victi Regni pernicies inferretur; ergo in tali caſu, Singulari Certamini, totius Belli ſumma committi nequit.

In quo caſu liceat Bellum redigere in Duellum? 2 Verùm, ſi æquè *de ineundo Duello*, ac *de toto Prælio* ſpes eluceret à ratione alienum non fore puto, *Bellum redigere in Duellum*. Quapropter, ſi eius Exercitus fortitudine, numero, dexteritate, locorum ſitu, bellandi peritia, aliaue de cauſa, eſt ſuperior hoſtili, non poteſt tuta conſcientia Singularis Certaminis aleam experiri, niſi benè omnibus perpenſis, tantùm in ſuo ſperet Bellatore, comparato cum hoſte, quantam ſpem habet in toto Exercitu, comparato cum hoſtili, quod benè obſeruauerunt cum Caietano, Valentia *diſp. 3. quæſt. 17. punct. 1. verſ. Tales autem.* Sanchez *lib. 2. cap. 39. num. 15.* Becanus, *cap. 26. quæſt. 4. num. 1.* Caietan. Valentia. Sanchez. Becanus.

3 Quòd ſi Catholici Principis Exercitus *inferior* eſſet hoſtili, & Catholicorum pertimeſcenda eſſet Militum *clades*, poſſet tunc *totius Belli* ſumma *Duello* committi; ac præſertim ſi in Milite Duellaturo maior ſpes conſequendi victoriam, quàm in integro Exercitu videretur; quia tali Certamine Singulari, hinc multorum hominum cædes, illinc verò vnius hominis ſanguine ad Victoriam velificari poſſet.

4 Quandò autem duo Principes pro aliquo Regno, vel Vrbe Bellum gerunt, & vterque æquè piè Religionis cauſam, Ciuitatis, ac Ciuium Iura, & Bona tractaturus eſt, poterit tunc Princeps iuſtè belligerans, quàmuis potiori Exercitu ſit inſtructus, *Monomachiæ aleam ſubeundam* permittere; ad *bellicas* enim vitandas *clades*, poteſt in parte Iuri ſuo cedere, nè tàm multi in prælio pereant. Ità Hurtadus, *de Spe, & Char. vol. 2. diſp. 170. ſect. 17. §. 150.* Hurtad.

QVÆSITVM III.

Vtrùm Reges per ſe poſſint inire licitè Singulare Certamen ad Bellum dirimendum?

SVMMARIVM.

1 *Licitum non eſt Duellum inire ad dirimendum Bellum, ſi ex Regis nece, plura Regno immineant mala, quàm ex Prælio.*
2 *Secùs autem, ſi grauiora Regni damna poſſet Rex euitare, & eadem ſpes eluceret ex Duello, ac ex integro Prælio.*

3 *Ad Duellum licitum eſt Regibus conuenire, quandò abſque tumultu committi poteſt, & aliàs Exercitus parati eſſent ad prælium.*

4 *Quod de Regibus aſſeritur, idem quoque de Exercituum Ducibus intelligendum eſt.*

SVBIT quandoque cupìdo Reges, diuturnis Bellorum tumultibus fatigatos, tandem hoſtili cum Rege, *Singulari Certamine* dimicandi, vt conceptam animo Victoriam ſaltem proprijs vulneribus enitantur; ſed an eis liceat talia committere Duella, dubium eſt inter Doctores.

Reſponſio cum diſtinct.

1 Equidem diſtinguendum exiſtimo, vel *ex Regis nece* immineāt Regno *plura damna*, quàm *ex Prælio* cum integro Exercitu, & profectò non poteſt licitè inire Monomachiā; ex lege enim Charitatis, & Regij muneris cauere tenetur, nè Regnum plura, quàm neceſſe ſit, pericula ſubeat.

In quo caſu non liceat tale Duellum inire?

2 Vel, ſi tali ſingulari certamine, *grauiora Regni damna* Rex poſſit euitare, & prætereà tantam in *Duello*, quātam in *integro prælio* ſpem habeat, & tunc licitè poteſt inire certamen, vt ſentit Alciatus *lib. 1. de ſingulari certamine c.3.n.4.* laudās deinde *n.8.* quod huiuſmodi Certamen inter Petrum Aragonium, & Carolum Siculū ad componendā litem de Regno Siciliæ Conditū fuerit. Ibidem etiam apud Sarmatas, & Germanos in more poſitū fuiſſe aſſerit, vbi de Regno contenderetur, Reges ipſos ad ſingulare certamen adigere.

Alciatus.

3 Præterea hæc *Singularia Regū Certamina* licita eſſe opinor, quandò inſtructi iàm, ac ad arma parati ſunt Exercitus. Itē quandò ſine *tumultuantis Populi, aliorumque Principum frequentia*, conuenire poſſunt; tunc enim grauiora euitantur damna. Et ſic cohoneſtari poteſt Caroli V. *prouocatio*, *ad Singulare Certamen* Galliæ Regem Franciſcum laceſſentis. Ità Hurtadus, *de Spe. & Char. vol. 2. diſp. 170. ſect. 17. §. 153.*

Hurtad.

4 Quod autem de *Regibus* dictum eſt, idem de Exercituum *Ducibus*, quorum ſæpè ex morte, vel vita, totius Exercitus victoria, vel interitus pendere ſolet, dicendum erit.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm quandò Bellum reſoluitur in Duellum, liceat ex parte vtriuſque Duellantis, circumſtantiam illam apponere, vt nullus ex Adſtantibus opem alterutri ferat?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio affirmatiua.*
Commune bonum exigit, etiam inter hoſtes fidem ſeruari.

2 *Duellatori deuicto an liceat auxilium præſtare?*

VIDETVR non licere, cùm contrà Charitatem ſit, Succumbenti non ſubuenire, quippèqui in extremo Vitæ periculo eſt conſtitutus, niſi ei ſuccurratur.

Ratio dubitandi.

1 Verùm *Affirmatiuè* Reſpondetur cum Sanchez, *lib. 2. cap. 39. num. 17.* Filliucio, *tom. 2. tract. 29. cap. 8. num. 150.* Hurtado, *de Spe. & Char. vol. 2. diſp. 170. ſect. 19. §. 160.* Licitè nimirùm acceptari poſſe conditionem illam. Ratio eſt, quia *commune Bonum* exigit, vt Fides ſeruetur etiam inter Hoſtes, præcipuè in re ad Duellum ſpectante, quàmuis *iniqua ſit conditio illa*, ex parte Iniuſtè Bellantis; ob *commune* tamen *bonum* ſeruanda eſt: Et quàmuis non exprimeretur, ta-

Reſponſio Affirmat.
Sanchez.
Filliuc.
Hurtad.
Ratio.

citè

citè tamen ſubintelligeretur in pacto reſolutionis Belli in Duellum: Et ità ex Hiſtorijs habemus, ſemper fuiſſe ſeruatum, vt inter Horatios, & Curiatios tergeminos, & Alios.

2 Si verò altero Duellatore deuicto, intelligatur *controuerſia ſatis compoſita*, poteſt illi *auxilium Defenſiuum* præſtari; non verò *Offenſiuum*; ità tamen vt *Defenſio* futura non ſit cauſa Rixarum, aut Offenſionum, vt benè aduertit Hurtadus *loc. cit.*

SECTIO XI.

DE QVAESITIS IN ORDINE

Ad Sextam Duelli Speciem,

HOC EST,

Ad Duellum propriæ Vitæ, Bonorum, ac Diuini Honoris Defenſiuum.

AD vltimam Duelli Speciem properanti calamo, nouà ſuccurrunt Argumenta malorum, nouæ parantur cædes, nouus propinatur ſanguis, quem calamus bibendo, licitam contrà Inuaſorem Bonorum, mortis ſententiam ſcribat; hac enim ætate, quæ

— de duro eſt vltima ferro.
Protinùs irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas, fugere Pudor, Verumque Fideſque;
In quorũ ſubiere locum fraudeſq; doliq;
Inſidiæque & vis, & amor ſceleratus habendi.
— itum eſt in viſcera terræ
Quaſque recondiderat, Stygijſque admouerat vmbris
Effodiuntur opes, irritamenta malorũ.

Quarè mirum non eſt, alterum in alterius exitium conſpirare, illiuſque bona per vim inuadere: mirum non eſt, ſit tot iàm prodierint Bella, ac Bellis peiora Duella. Verùm, etſi pro Vita tuenda, iniuſtum perimere liceat Aggreſſorem; impium tamen, ac crudele nimis videtur; Bonorum Inuaſorem Neci dare, pro Temporalibus tuendis Diuitijs, quæ longè inferioris ſunt ordinis, ac vnius hominis Vita, qua nihil eſt carius, iucundius nihil; immò pro qua ſeruanda, vel ipſæ Crœſi Opes erogarentur. Videndum eſt igitur in præſenti Sectione, an ad tuenda Temporalia Bona, Iniuſtos contrà Aggreſſores Arma liceat adhibere; hoc enim vnicum ſupereſt, pro vltima Duelli Specie examinanda, fundamentum iaciendum; Cætera verò hùc pertinentia ex iàm dictis patent.

QVÆSITVM I.

Vtrùm pro Defenſione Bonorum, Inuaſorem liceat occidere?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio affirmatiua cum communi ferè DD. ſententia.*
2 *Ex Sacris Litteris oſtenditur, licere ob defenſionem bonorum Furem interficere.*
Cur nocturnum Furem, nõ autem diurnum liceat interficere ex Sacris Litteris.
3 *In Foro exteriori, ab homicidio non ex-*

cuſatur, qui Furem diurnum, & telo non ſe defendentem interficeret: An in Foro conſcientiæ excuſetur?

4 *Rationes aliæ ex Iure Canonico deſumptæ.*

5 *An ſola neceſſitas defendendi facultates ſufficiat, ad hoc vt licita ſit Furis occiſio, an verò requiratur, vt ſimul adſit neceſſitas ſeipſum defendendi?*

Quomodo intelligenda ſint verba illa Cap. Interfeciſtis Te, Tuaque liberando &c.

Intelliguntur disiunctiuè, iuxtà Caietanum.

6 *Coniunctio in dicto Canone appoſita, intelligi etiam poteſt copulatiuè, non tamen copulatim, itàut æquè liceat pro ſe, ac pro facultatibus liberandis, furem interficere.*

7 *In Cap. Olim, approbat Innocentius, quòd Epiſcopus Tridonienſis, occupatores cuiuſdam poſſeſſionis, vim vi repellendò eiecerit.*

8 *Contrà violentiam, ac iniuriam ſe tueri licet ex Cap. Dilecto.*

9 *Ex Ciuilium Iurium Textibus, aliiſque rationibus hæc affirmatiua reſponſio confirmatur.*

10 *Pro rebus minimis, licitum non eſt Furem interficere.*

11 *Quinàm eſſe debeat rei valor, adhoc vt pro eius defenſione, licitum ſit Furem interficere?*

12 *Lex Charitatis an ſemper obliget, Vitam Proximi bonis temporalibus anteferre?*

13 *Cur in Cap. Interfeciſti, habeatur, vt furem occidens, quamdiù vixerit pœnitentiam agat?*

14 *Cur leges decreuerint, diurnum Furem non licere interficere?*

Quandò aliud medium ſupereſt recuperandi facultates, non licet Furem occidere.

Furem diurnum, qui ſe telo defendit, cur liceat interficere?

1 AFFIRMATIVE' Reſpondeo cum communi Doctorum Sententia, ac præſertìm D. Antonini, qui 3. *par. tit.* 4. *cap.* 3. §. 2. docet non ſolùm *pro rebus ſuis*, quemque poſſe Defenſionem ſuſcipere, Vim Vi repellendo, ſicut pro ſua perſona, ſed etiam *pro rebus apud ſe depoſitis, vel commodatis*, & pro rebus Amicorum, eos adiuuando: Caietani, *quæſt.* 67. *art.* 7. Silueſtri, *verb. Homicidium.* 1. *num.* 5. Io: Medinæ, *de Reſtitut. quæſt* 4. Soti, *lib.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 8. Nauarri, Molinæ *tom.* 4. *diſput.* 16. Leſſij, Vaſquez, quos refert, & ſequitur De Lugo *tom.* 1. *de Iuſt. & Iur. diſp.* 10. *sect.* 9. aliorumque Doctorum, quibuſcum omnibus, in hoc conueniunt plerique Iuriſperiti, teſte Silueſtro, & Couarruuio. Eſt tamen hæc Sententia contrà Panormitanum, *in cap.* 2. *in cap. Suſcepimus, de Homicidio: Gloſſam* 23. *in princip.* & Innocentium, quos refert Silueſter, *verb. Excommunicatio,* 6. *caſu* 9. *not.* 4. & *verb. Homicidium.* 1. *quæſt.* 4. Scotum, *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 3. *verſic. Sed quis eſt Iniuſtus;* Qui negare videtur pro ſola Defenſione Bonorum, licere Inuaſorem occidere; dicit enim, quòd non licet occidere Furem, niſi ſit Inuaſor, quia, inquit, præſumitur velle occidere, &c. Gerſonem *in tract. de Euchar.* Auguſt. de Ancona *in Opuſc. de Auctoritate Eccleſiæ.* Abulenſem, *in cap.* 5. *Matthæi.* Eſt tandem contrà Couarruuiam *in Clementina, Si Furioſus.* 3 *par. Relect.* § *Vnico, num.* 6. vbi fuſè præſenti examinata Quæſtione, in eam tandem deflectit Sententiã, vt nunquàm exiſtimet ob puram rerum Defenſionem, licitum eſſe occidere, niſi cùm ſimul admiſcetur perſonæ periculum, & damnum; vt patet præcipuè *ex puncto, ſeù concluſ.* 8. & 9.

Reſponſio affirmat.
D. Anton.
Caietan.
Silueſt.
Medin.
Sotus.
Nauar.
Molina.
Leſſius.
Vaſquez.
De Lugo.
Couarr.
Innoc.
Silueſt.
Scotum.
Gerſon.
Aug. de Ancon.
Abulenſ.
Couarr.

2 Probatur tamen noſtra Affirmatiua Sententia, *Primò*, ex Sacris Litteris, *Exodi* 22. *Si effringens Fur domum, ſiuè ſuffodiens fuerit inuentus, &*

Prima ratio ex Scriptura.
Exod. 22.

accepto vulnere mortuus fuerit; Percuſſor non erit Reus Sanguinis. Quòd ſi orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur. Quod tamen non ideò tantùm dicitur, quòd *nocturnus* præſumatur venire *ad occidendum; diurnus* minimè: ſed potiſſimùm, quia ea, quæ noctu ſubripiuntur, ordinariè Fure ignoto, recuperari nequeant, vt rectè docet Ioannes Medina *Cod. de Reſtitut. quæſt.* 4. Ea verò, quæ interdiù, plerùmque poſſunt.

Interficiẽs Furem, nõ excuſatur in foro externo.

3 Hinc, qui *furem diurnum, non ſe telo defendentem* interficeret, non excuſaretur ab Homicidio *in foro externo; in foro* tamen *Conſcientiæ* excuſaretur, ſi non erat probabilis ſpes recuperandi; vel ſi recuperatio non erat certa, ſed dubia, vt Sotus ait, quia non tenetur res ſuas perdere, aut probabili periculo exponere, vt Fur ſaluus ſit.

Secunda ratio ex Iure Canonico.

4 *Secundò* Probatur, ex Iure Canonico, & I. *ex Cap. Interfeciſti, de Homicidio.* vbi ex Pœnitentiali Romano dicitur: *Si autem ſinè odij meditatione, Te, Tuaque liberando, huiuſmodi Diaboli membra interfeciſti; ſi aliquid ieiunare volueris, bonum eſt tibi, & eleemoſynas fac largiter.* Vbi indicatur, non eſſe neceſſariam Pœnitentiam, ac proindè hoc licitum fuiſſe; admonetur tamen ad Eleemoſynas ad cautelam erogandas, nè fortè modum exceſſerit.

Explicatio præcitati Textus.

5 Licèt autem Aliqui velint interpretari verba illa, *Te, Tuaque liberando*, itàut non ſufficiat neceſſitas liberandi Tua, niſi neceſſe etiam ſit, Te ipſum liberare: verius tamen eſt, verba illa non intelligi *copulatiuè*, ſed *disiunctiuè*, aliòquin nec ſufficeret ſola neceſſitas liberandi Te, niſi adeſſet neceſſitas etiam liberandi Tua Bona. Si autem ſola neceſſitas liberandi *Te*, eſt quæ attenditur, fruſtrà additum eſt, *Tuaque*: cùm Defenſio Bonorum nullo modo excuſet. Ità Caietanus, 2.2. *quæſt.* 67. *art.* 7.

Caietan.

Aliud enim eſt *Copulatiuè*, aliud *Copulatim* accipere. *Copulatim* accipitur nomen, cùm non vnumquodque per ſe, ſed ſimul cum alio verificatur, vt cùm dico, *Omnes Apoſtoli ſunt Duodecim*; non enim iſti ſunt duodecim, & iſti ſunt duodecim, ſed omnes ſimul. At cùm *copulatiuè* accipitur, de ſingulis prædicatum verificatur, cum coniunctione tamen, vt cùm dico, *Omnis homo eſt animal*, ſenſus eſt, quòd hic eſt animal, & hic eſt animal, & vnuſquiſque eſt animal.

6 Sic ergo illa coniunctio *copulatiuè* eſt accipienda; itàut, cùm dicit, *Te, Tuaque liberando*, ſenſus ſit, ſi interfeciſti, *Te liberando*, non peccaſti; & ſi interfeciſti, *Tua liberando*, non peccaſti; coniungit enim propoſitiones, non terminos tantùm. Aliàs ſi terminos tantùm coniungeret, & *in ſenſu copulato* accipienda eſſet, ſequeretur, quòd ad ſolam Vitam tuẽdam non liceret occidere; niſi etiam ſimul Res cum vita defenderentur; quod eſt ab omni ratione alienum.

7 Ex eodem Iure Canonico Probatur *II. ex Cap. Olim de Reſtitut. Spoliat.* vbi Innocentius III. approbat, quòd Epiſcopus Tridonenſis Templarios, qui ipſo ignorante, Poſſeſſionem occupauerant, Vim Vi repellendo, eiecerit. Aliæ rationes ex Sacris Can.

8 III. Probatur, *ex Cap. Dilecto.* 6. *de Sentent. Excommunicationis in* 6. *Cùm omnes Leges, omnia Iura Vim Vi repellere, cunctiſque Seſe defendere permittant, licuit vtique ipſi Decano (ſi prædictus Balliuus eum Bonis ſuis Mundanis iniurioſè ſpoliare, vel ea violenter occupare præſumpſerit) contrà illius Violentiam, Iniuriamque Se tueri.*

9 Probatur *Tertiò*, ex Iure Ciuili, *l. Furem.* 9. *ff. Ad leg. Cornel. de Sicarijs, & l.* 4. *ff. Ad leg. Aquil.* Tertia ratio ex Iure ciuili.

Probatur *Quartò* varijs rationibus. Quarta ratio.

I. Quia Bona temporalia ſunt ad vitam ſeruandam neceſſaria: ergo ſicut licet Vitam tueri, ità etiam hæc, quæ Vitæ ſunt neceſſaria, non

ſo-

ſolùm præcisè, vt viuamus, ſed etiam, vt conuenienter, & honeſtè viuamus,

II. Quia alióqui daretur occaſio Furibus, Viros Probos ſpoliandi; nihil enim ab illis eſſet tutum, ſi Defenſio neceſſaria non poſſet obijci. Conceſſa autem Defenſione, etiam conceſſa cenſetur Occiſio, ſinè qua ſæpè non poteſt eſſe Defenſio,

III. Quia plùs excedit Vita Spiritualis Aggreſſoris, Vitam temporalem tuam, quàm eius Vita temporalis, Bona externa tua: Si ergo potes defendere Vitam corporalem propriam, cum diſpendio Salutis æternæ Iniuſti Aggreſſoris, à fortiori poteris defendere Facultates tuas, cum diſpendio Vitæ corporalis eiuſdem Aggreſſoris. Nonnulla alia Argumenta afferunt alij Doctores, apud quos videri poterunt: Nos breuitatis ergo ea taciti præteribimus: quæ enim adduximus ad noſtram probandam Sententiam ſufficere putamus;

Pro minimis defendendis nó licet interf.

10 Aduertendum tamen eſt, non licere pro re minima Furem interficere; valdè enim iniquum foret pro pomo, vel etiam vno aureo ſeruando, alicui Vitam auferre.

Quanti valoris eſſe debeat res, ad hoc vt licitè defendi poſſit cum occiſione Furis;

Leſſius.

11 Quanti autem valoris Res eſſe debeat, pro qua defendenda licitum conſeatur, Furem interficere, videri poteſt apud Dianam, *par.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 18. vbi varias refert circà hanc Difficultatem, Doctorum Sententias. Aduerto tamen cum Leſſio, *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 68. quòd ſi Tibi verteretur *probro*, niſi rem minimam Furi extorqueres, tunc poſſes *conari*, & ſi opus eſſet *occidere*: tunc enim non tàm *Rei* quàm *Honoris* eſſet *Defenſio*. Ità Leſſius, qui pro hoc etiam citat Sotum.

Soluuntur Oppoſita.

Primum argum.

12 OBIICITVR *Primò*, ex lege & ordine Charitatis tenetur quis *Vitam* Proximi *Bonis ſuis temporalibus* anteferre: ergo licitum non eſt ob tuenda *temporalia Bona*, Furem occidere; hoc enim eſſet *ſua Bona* præferre *Vitæ Proximi*.

Solutio.

Reſpondetur, lege Charitatis *corporalem Proximi Vitam, Rei meæ familiari* præferendam eſſe, vbi ille in neceſſitate eſt conſtitutus, *nec in ſua eſt poteſtate*, periculum euadere; ſecùs verò, quandò *Voluntaria quadam iniquitate, & malitia*, in eo reperitur periculo.

Secund. arg.

13 OBIICITVR *Secundò*: Quia *in Cap. Interfeciſti, de Homicidio*, habetur, vt taliter occidens, quandiù vixerit, *pœnitentiam* agat, ac proindè *deliquiſſe* putatus eſt:

Solutio.

Reſpondetur, illud fuiſſe *Conſilium*, non verò *Præceptum*: erat enim ille Presbyter, ac proindè non valet inferri quòd deliquerit, ex eo quòd ei conſilium detur pœnitentiam agendi.

Tert. arg.

14 OBIICITVR *Tertiò* Textus *in l. Furem ff. Ad leg. Cornel. de Sicarijs*, & *in l.* 4. *ff. Ad leg. Aquil.* quæ deſumptæ ſunt, *ex leg. Duodecim tabularum*, cuius meminit Cicero pro Milone, vbi inquit, Quòd ſi duodecim tabulæ *nocturnum* Furem quoquo modo: *diurnum* autem ſi ſe telo defenderit, interfici impunè voluerunt. Quam etiam commemorat Quintilianus, *lib.* 5 *de Oratore, cap.* 12.

Cicero.

Quintil.

Solutio.

Furé diurnum, cur non liceat interficere?

Reſpondetur, *dictas Leges* intelligendas eſſe, quandò adeſt aliud remedium, facultates recuperãdi, ideò enim dicunt, *Furem diurnum* non licere interficere, ſed *nocturnum*, præſumitur enim rationabiliter, poſſe aliter recuperari ablata, Furem capiendo. Et hæc eſt ratio, quarè per leges licitum eſt diurnum Furem occidere, ſi ſe *telo defenderit*: non modò quia cùm ille ſe telo defendit, vti

Furem telo ſe defendentẽ, cur liceat occidere?

interpretatur Couarruuias, iam non *de rebus*, ſed *de perſona offenſa*, damnoque certetur; verum etiam, quia quandò non ſe *telo defendit*, eſt veriſimile, quòd capi poſſit, ac proindè aliter, quàm occidendo, ablata recuperari poterant; *nocte* verò non poſſe, vt explicat Ioannes Med. *cap. de Reſtit. quæſt. 4. verſic. eſt autem.*

QVÆSITVM II.

Vtrùm Furem fugientem liceat interficere?

SVMMARIVM.

1 *Prima ſententia negatiua, duplici argumento munita.*

2 *Affirmatiuæ ſententiæ adhæret Auctor:*

Fugiente Fure, adhuc durat inuaſio rerum, ſi non perſonæ.

3 *Inutilis ferè eſſet rerum defenſio, niſi licitum eſſet furem fugientem interficere.*

4 *Aliqui caſus, in quibus licita eſt armata defenſio contrà Inuaſorem bonorum.*

5 *Oppoſitæ ſententiæ rationes ſoluuntur.*

Occidens Furem ob ſuarum rerum defenſionem, in foro animæ excuſatur: In foro tamen exteriori, difficile excuſatur.

6 *Cur decreuerint leges, Furem diurnum, vel telo ſe non defendentem, non licere interficere?*

7 *Si res ablata recuperabilis eſſet per Iudicem, non liceret Furem interficere.*

Quandò aliud ſupereſt remedium, non poteſt dici inculpata tutela.

Quid ſi dubium eſſet, rem poſſe aliter recuperari, quàm Furem occidendo?

1 NEGATIVE Reſpondent Couarruuias, *in Clement. Si furioſus.* Mercadus, *de Reſtitut. quæſt. 4.* D. Antoninus, *3. par. lib. 4. cap. 3.* aſſerentes; licitum ſolummodò eſſe *in continenti*, vel cùm fur *parùm diſtat* à loco Aggreſſionis; *longè* tamen fugientem, non licere, vel perſequi, vel tormento, aut ſagitta transfigere. Ratio Mercadi eſt, quia cùm *longè abeſt*, nō eſt probabile, quòd ille rem meam acceperit; eſſetque occaſio, vt vnuſquiſque proximum ſpoliaret, & occideret, dicens, ſe id facere ad ſuam rem defendendam. Ratio Couarruuij eſt, quia ſecundùm Iura tantùm rem meam defendere licet; cum Proximi occiſione, quandò & *latro diurnus* non eſt, ſed *nocturnus, & ſe telo defendit*. Ille verò, qui *longè fugit, non ſe telo defendit*: ergo, &c.

Prima ſententia negatiua. Couar. Mercad. D. Anton. Prima ratio. Altera ratio.

2 *Affirmatiuè* tamen Reſpondendum videtur cum Soto, *de Iuſt. & Iur. quæſt. 67. art. 8.* Siluestro, *verb. Excommunicatio. 6. not. 4. caſu 9. §. Iſta tamen intellige. & verb. Bellum. 2. qu. 1. in fine*: qui omnes aſſerunt, licere Spoliato inſequi Latronem, & à longè, ſi poteſt, occidere antequàm rem occultet, cùm ſemper duret *Inuaſio*; licèt non perſonæ; tamen rerum.

Secunda ſēt. affirm. Sotus. Siluester.

Idipſum docet Leſſius, *de Iuſt. & Iur. lib. 2. cap. 9. dub. 11. num. 74.* vbi hæc habet: Si re accepta fugiat, tunc poſſum inſequi, & ferire; vel ſi neceſſe ſit, eminùs telo petere, vt ſi quis equo meo fugiat. Leſſius.

3 Primò Probatur; Quia *Inuaſio* rei *durat*, donec ſe in tutum receperit, vbi quietè poſſidere incipiat. *Secundò*, quia niſi id eſſet licitum; defenſio rerum *maxima* ex parte eſſet *inutilis*; poſſent enim quilibet rapere, & ſtatim *fugæ ſe dare*; in fuga enim eſſent tuti. Rationes.

4 Ponit idem Leſſius, *loc. cit. nu. 75.* plures modos aliena bona inuadendi, in quibus contrà Inuaſorem,

armatam Vim adhibere licet, nimirùm.

In his caſibus, armatâ vim adhibere licet contrà Inuaſorem.

I. Si per te niraris auferre, teque defendas contrà impedientem: in hóc caſu eſt communis Sententia, poſſe interfici, & fatetur Couarruuias.

II. Si re certo loco depoſita, volentem ingredi in eum locum Vi impedias; tunc videtur conceſſum, vt *Vim Vi repellam*, meamque rem Vi recuperem; Si tamen deſit Iudex, cuius ope id poſſum conſequi. Ità Siluester, *verb. Bellum.2. num.13.* & Panormitanus, *in cap. Sicut.3.de Iureiurando.* Idem ſentiunt multi Doctores fieri poſſe, quandò quis nulla mora interpoſita, rem ſuam perſequitur. D. Antoninus *ſuprà*. Silueſter, *verb. Bellum.2. num.10.* Ioannes à Lignano, cuius verba citantur ab Antonino, Silueſtro, Fumo, & Alijs, quibus docet, Si Vi poſſideas rem meam, poſſe me eam recuperare *in continenti*: nec poſſe te mihi reſiſtere; Secùs, ſi id tentem *ex interuallo*. Si poſſideas precariò, & ego eam velim mihi reſtitui; ſi deneges reſtitutionem; poſſe me *ex continenti* Vim tuam repellere. Nàm denegando, videris ſpoliare. Si poſſides rem meam clandeſtinè, poſſe me domum tuam ingredi; quòd ſi me nolis admittere, poſſe me Vim tuã repellere. Verùm puto hæc non concedenda, ſi res per Iudicem recuperari poſſit; vel ſi maior perturbatio metuenda.

Ioan. à Lignano.

III. Si inuadas res meas per famulum, vel arte Magica per Dæmonem; nec alia ratione, quàm nece tua, poſſit impediri.

IV. Si coniuraueris in mea damna.

V. Si impedias iniquè meos Creditores, nè mihi ſatisfaciant.

VI. Si falſa accuſatione, vel falſo Teſtimonio, me fortunis coneris euertere; nec alia ratio impediendi ſuppetat. Hæc Leſſius.

5 Ad oppoſitæ Sententiæ Argumenta facilè reſpondetur, *& Primo*, Argumentum illud facilè ſoluitur; probaret enim, quòd nec in *actuali Aggreſſione* liceret, Si Teſtes fortè non adeſſent, occidere. Tunc enim probabile non eſt, quòd iſte occiderit, nec in hoc caſu vlla occaſio datur Vnicuique, prætextu Defenſionis, captandi mortem alterius. Reſpondetur ergo: Quòd ſi ſermo ſit *in foro animæ*, tunc ſiuè multis, ſiuè nullo vidente, licet ſecluſo ſcandalo. Si *in exteriori foro*, niſì probabile fuerit, illum Inuaſorem fuiſſe, punietur; maximè ſi fur erat diurnus. Sed in hoc Vnuſquiſque ſibi conſulat: nàm etiamſi pro Vita defendenda occiderit, niſì id aliqua ratione probet, non erit à Iudicio exteriori Immunis. Vndè *in Cap. Finali.13. quæſt.2.* dicitur: *Si Teſtes adſint, quod ſinè odij præmeditatione, &c.*

Primum argumentum ſoluitur.

6 Argumentum verò Couarruuiæ ex ſupradictis eſt explicatum: nàm ſi latro *diurnus* erat, vel certè *nocturnus*, ſi *non ſe telo defendebat*, præſumit lex, quòd erat *aliud remedium* defendendi res. Quis enim ab hoſte non armato non defendat rem ſuam aliter, quàm illum occidendo? & propterea haud impunè illi foret.

Secũdum argum. ſoluitur.

7 Ex quibus infertur, quòd ſi ablatum, eſſet recuperabile *per Iudicem*, non liceret occidere; tunc enim cùm reuera non ſit res amittenda, Iniuſtè occideret; Et ita docuit Bartholus *in l.Furem.ff.de Sicarijs.* & Silueſter, *verb. Excommunicatio.6. not.4. caſu 9.§.Iſta tamen intelligi.* Cùm enim *aliud ſupereſt remedium*, non poteſt dici *Inculpata Tutela*. Et idem docuit Sotus, quandò res eſſet *dubia*, an poſſet recuperari. Contrà quam Sententiam videtur eſſe Caietanus *in dict. art.7.* vbi cùm hanc Sententiam quorundam nomine retuliſſet, ipſe aliter ſibi eſſe dicendum, reſpondit, & velle ſe oſtendit, quòd etiam ſi poſſint recuperari, poteſt vti Iu-

Si ablatũ recuperabile eſſet per Iudicem, non liceret ſa. re interf.

Barthol.

Silueſt.

Quid ſi dubium eſſet an poſſit recuperari?

re ſuo, vt patet legenti, quod ex dictis conuinci poteſt non eſſe verum.

QVÆSITVM III.

Vtrùm quandò ablata Bona nequeunt iuridicè recuperari, dùm adhùc in ſpecie exiſtunt, liceat Ea per Vim recuperare, occidendo Latronem pacificè ea Bona poſſidentem?

S V M M A R I V M.

1 *Prima ſententia negatiua Soti, & Aliquorum.*

2 *Secunda ſententia affirmatiua, quam ſequitur Auctor.*

Si res per Iudicem poſſit recuperari, vel maior perturbatio timeatur, non licet interficere, &c.

3 *Vim inferre licet latroni fugienti, dum aliud non ſupereſt remedium, & aliàs notabilis facienda eſſet rerum iactura. Iniuſtè aliena poſſidens, licèt non ſit Inuaſor perſonæ, eſt tamen rerum.*

4 *Detentus iniuſtè in carcere, tandiù inuaditur, quandiù continuatur iniuſta detentio. An Ei liceat occidere Illum, à quo iniuſtè detinetur?*

5 *Furem fugientem, ac ſecum deferentem rem, quam iniuſtè detinet, an liceat inſequi, ac occidere?*

Fur, ac iniuſtus detentor, an poſſit interfici, quando res ablata non extat eadem in ſpecie?

6 *Cur ex legibus puniantur, qui non incontinenti, ſed ex interuallo res ſuas per vim, ac propria auctoritate auferunt à poſſeſſore?*

Quandò res auctoritate Iudicis, aut alio medio recuperari poſſunt, licitum non eſt iniuſtè eas poſſidentem interficere.

1 PRIMA SENTENTIA Negatiua eſt Soti, *de Iuſt. & Iur. queſt. 67. art. 8.* D. Antonini, *3. par. tit. 4. cap. 3.* Silueſtri, *verb. Excommunicatio, 6. not. 4. caſu 9.* Rationemque Silueſter aſſignat, quia iàm ille eſt adeptus *poſſeſſionem perfectam* Bonorum. Hanc eandem ſententiam ſequitur Petrus à Nauarra, *lib. 2. de Reſtitut. cap. 3. num. 411.* aſſerens, ità communiter ſentire Doctores. Non enim, inquit, videtur ea Vis, ac Violentia Rebus inferri; licèt Iniuſtitia in retinendo committatur, vt liceat Iure Defenſionis, vtentem occidere Iniuſtum Detentorem, qui domi iàm eſt pacificus, vel ad alia negotia diuertit: nec occaſionem iurgijs, & rixis præbeamus. Sat eſſe putamus, ſi interficere poſſit fugientem, antequàm rem occultare poſſit.

Prima ſententia negatiua. Sotus. D Anton. Silueſter.

2 SECVNDA SENTENTIA quam Ego ſequor, eſt Affirmatiua; eamque tuentur Vaſquez, *de Reſtitut. cap. 5. §. 1. dub. 8. num. 43.* & De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom. 1. diſp. 10. ſect. 9. num. 181.* qui tamen fatetur, eam ex parte priùs videri traditam à Ioanne de Lignano, cuius verba hæc ex Antonino, & Alijs refert Leſſius, *dub. 11. num. 75. Si poſſides rem meam clandeſtinè, poſſe me domum tuam ingredi: quòd ſi me nolis admittere, poſſe me Vim tuam repellere.* Quam propoſitionem idem Leſſius approbat; niſi quandò res per Iudicem poteſt recuperari, vel maior perturbatio timeatur: eandem probabilem dicit Bonacina, *diſp. 2. de Reſtitut. quæſt. vlt. ſect. 1. punct. 3. num. 4.* cum Reginaldo, quem affert. Idem tenent Malderus, & Tannerus, quos affert, & ſequitur Diana, *par. 5. tract. 4. reſol. 37.*

Secunda ſent. affir. Vaſquez. De Lugo. Bonac. Reginald. Malder. Tanner. Diana.

3 Probatur: Licitum eſt *confugere, & Vim Inferre* Latroni fugienti, dùm aliud non ſuppetit remedium, nè notabilis rei iacturam facias: ergo poteris quietè poſſidenti rem

tuam, *Vim inferre*: hæc enim non eſt *vindicta*, ſed *tueri tuum Ius*, & te *defendere* à Violentia, quam actu pateris. Si enim licet propellere Iniuriam, qua quis actu rem tuam aufert, & eam in domum ſuam aſportat; cur id non licebit, quandò rem tuam recuperare contendis, & ille impedit? nàm licèt tunc non ſit *Inuaſor Perſonæ*, eſt adhùc *Inuaſor rei*, quam continuato adhùc peccato furti, violenter detinet; *Inuaſor* enim eſt quandiù Iniuriam infert: ergo, *vt Inuaſor* poteſt occidi.

Altera ratio.

4 Præterea confirmatur ex De Lugo *loc. cit.* Quia qui iniuſto Carcere detinetur, non tantùm *inuaditur* cùm *actu* vincitur, & ligatur, ſed quandiù *continuatur* Iniuſta illa Detentio, atque ideò poteſt, ſi id neceſſe fuerit, occidere eum, qui iniuſtè detinet, etiamſi non timeat mortem, ſed ſolùm captiuitatem iniuſtam: ergo ſi res tua in captiuitate Iniuſta detinetur, poteris, etiam cum occiſione Iniuſti poſſeſſoris, eam liberare, ſi aliud medium non ſuppetat.

Tertia ratio.

5 Tandem, quia ſi res tua ſit adhùc in poteſtate Furis; & ea inuẽta accurris ad eam recuperandam; Fur verò cum re fugiat, potes illum occidere fugientem, ſicut quandò primùm accepit: ergo etiam id poteris, quandò domi habet, cùm nulla appareat diuerſitas. Hæc Vaſquez, qui hoc dicit locum habere ſolùm, quandò res tua *in Specie extat*; non verò quandò perſona ipſa cogenda eſt, vt ſoluat quod debet: item tunc ſolùm, quandò *aliud remedium iuridicum* non ſuppetit: nàm ſi *iuridicè* recuperari poſſit, violentia à Priuato inferenda non eſt.

Leges eſſe prohibentes propria auctoritate, ac per vim rem auferre à poſſeſſore ex interpoſito tempore?

6 Contrà tamen hanc Sententiam obſtare videntur leges illæ, quibus in vniuerſum puniuntur, qui non *in continenti*, ſed *ex interuallo* rem ſuam à poſſeſſore *per Vim*, propria auctoritate auferunt.

Ad has tamen leges reſpondet benè idem Vaſquez, tacitè *num.* 45. dicens: Quandò Doctores communiter aſſerunt, quòd domi poſſidentem occidere non poſſum; ideò id dicere, quia communiter *aliud eſt remedium*; imò ſemper auctoritate Iudicis recuperari poteſt: ſed tamen, quandò omnia ſunt perturbata liceret occidere. Vndè addere poſſumus cum De Lugo *loc. cit.* Idcircò leges punire violentum illum rerum ſuarum recuperatorem, quia meritò præſumerent, Iudicem, implorato eius officio, facturum fuiſſe, *vt pacificè ſine cæde* rem ſuam recuperares: Si tamen conſtaret, Te res tuas apud Iniuſtum Poſſeſſorem in agro inueniſſe, qui iàm iàm extrà Regni terminos exire volebat, *ablata prorſus omni ſpe recuperandi*, & quòd ea de cauſa, quia violenter impediebaris ab accipienda re tua; eum occidiſti, *vt Vim Vi repelleres*, credo quòd nec etiam in Foro externo pœnam vllam ſubites, quia leges de illo caſu irregulari non loquuntur. Hæc breuiter hîc more noſtro attigiſſe ſufficiat; plura qui velit, præcitatos, alioſque adeat Doctores, huiuſmodi Argumenta fuſiſſimè tractantes.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm liceat Clericis pro Defenſione Rerum ſuarum Furem interficere?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio affirmatiua.*

2 *Cur in Capite ſuſcepimus damnatus fuerit Monachus, qui Fures occidit?*

3 *An ex occiſione Furis contrahatur Irregularitas?*

4 *Occiſio, priuata auctoritate facta, non*

in-

inducit irregularitatem ex defectu lenitatis, ſed ratione culpæ.

Reſponſio affirmat.

D.Anton.

1 RESPONDETVR Affirmatiuè. Ità expreſsè D. Antoninus, 3.*par.tit.4.cap.3.* §.2. vbi docet, omnibus conceſſam eſſe Defenſionem rerum, quibus conceſſa eſt Defenſio Vitæ. Idem tenent Couarruuias, Caietanus, Silueſter, Medina, Sotus, multique alij Doctores apud Leſſium, *de Iuſt.& Iur. lib.2.cap.9.dub.*11. & colligitur euidenter *ex cap. Olim 1.de Reſtitut.Spoliat.* & *Cap.Dilecto.6.de ſentent.Excommun. in 6.* Nàm ibi conceditur Epiſcopo, & Decano. Ratio eſt, quia *Iure Naturæ* id illis eſt conceſſum, neque *humano Iure* eſt illis ſub peccato prohibitum; ergo, &c. Vndè idem Ius extenditur ad Religioſos, ſecundùm prædictos Doctores, vt infrà videbimus.

Couarr. Silueſt. Medina. Sotus. Leſſius.

Ratio.

Obiectio ex cap.ſuſcep.

2 Contrà quod tamen obijci ſolet *ex Cap.Suſcepimus. de homicidio.* in quo Monachus quidam damnatur quòd duos Fures occiderit.

Solutio.

Reſpondetur autem facilè, eos occidiſſe *ſinè neceſſitate*; erant enim ligati, & Monachus, qui eos cuſtodiebat, dùm cæteri de Capitulo monebantur, videns quòd volebant ſeſe vinculis ſoluere, vtrumque interfecit, quod *nullo modo neceſſarium erat*; cùm poſſet ipſe interim fugere, ſi Vitæ ſuæ timebat, nec etiam timere prudenter poterat, quòd ſoluti vellent tunc remanere ad iterùm furandum, ſed potiùs fuga liberari. Ità communiter Doctores.

An contrahatur Irregularitas ex tali occiſione?

3 Addimus Clericum, vel Laicum, *non fore Irregularem*, ſi ob ſuarum Defenſionem Rerum, Furem occideret. De Laico iàm diximus, *Tract.3.ſect.21. Quæſito 15.* De Clerico verò idē quoq; probabile videtur, ſi tamen *debitò ſeruato Moderamine* Furē occideret, eum, inquam, fore ab Irregularitatis pœna immunem. Cur enim Irregularitatem contrahet, ob id, quod (vt habetur *cap.Dilecto.ſuprà*) omnes Leges, & omnia Iura permittunt?

Cur in hoc caſu non incurratur Irregularitas?

4 Præterea, Occiſio, priuata auctoritate facta, Irregularitatem non inducit *ex defectu lenitatis*, ſicut cùm publica auctoritate fit à Iudice eiuſque Miniſtris, ſed *ratione culpæ*: ergo cum in caſu poſito, Furis Occiſio, debito ſeruato Moderamine, *à culpa* cenſeatur *aliena*; *à pœna* quoque Irregularitatis cenſenda erit *Immunis*. Vide Sotum *lib.5. quæſt.1. art.8.* Couarruuiam, *Clem.ſi Furioſus. 3.par.§.vlt.* & Suarez *de Cenſuris*, qui hanc quoque tuetur ſententiam.

QVÆSITVM V.

Vtrùm Religioſis liceat interficere Furem pro Rerum Defenſione?

SVMMARIVM.

1 *Negatiuam ſententiam Quinàm tueantur?*

2 *Auctoris Reſponſio affirmatiua. Vnuſquiſque Ius habet defendendi non ſolùm quæ poſſidet propria, ſed etiam quæ in communi.*

3 *An Furem interficere liceat in caſu, quo res non poſſet aliter cuſtodiri, etiam ſi poſſet poſteà recuperari?*

Prima ſententia negatiua.

Binsfeld.

D.Anton.

1 NEGATIVE Reſpondet Petrus Binsfeldius, ex D.Antonino, *in Commentarijs, de Iniur. & dam.dat.cap.1.quæſt.5. concl.4.* Probat; Quia Religioſi habere non poſſunt proprium: ergo neque gaudere poſſunt Iure Defenſionis rerum externarum, vt Laici, & Clerici.

Reſponſio affirmat. Tanner.

2 Affirmatiuè tamen reſpondetur cum Tannero, *tom.3. diſp.4.*

quæſt.

Syluius. Leſſius. Malder. Becanus. Diana.

quæſt.8.dub.4.num.78. Syluio, *in 2. 2. D.Thomæ quæſt. 64. art.7. Quæritur 8.* Leſſio, *lib. 2. cap. 9. dub. 11. num. 72.* Maldero, *in 2. 2. D. Thomæ. tract. 3. cap.1. dub. 13.* Becano, *in 2.2. D.Thomæ, tom.2. quæſt.7. de homicidio. concl.2. num.5.* Diana, *par.5. tract.4. Reſol.17.* Non enim refert, quòd Religioſi nō habeant proprium; vnuſquiſque enim Ius habet defendendi non ſolùm ea, quæ poſſidet propria, ſed etiam ea, quæ poſſidet in communi, vel quorum vſus, aut cuſtodia, ipſi eſt commiſſa.

Strouerſd.

3 Quàmuis autem communiter aſſerant Doctores, quòd, vt aliquis interfici poſſit ad rem propriā defendendam, neceſſariò requiratur, vt aliter res illa recuperari nequeat, Henricus tamen Stronerſdorf *de Iuſt. & Iur. in 2.2. D.Thom. quæſt.64. art.7. concl.3.* apud Dianam, *loc. cit. in fine*; probabiliùs putat, aliquando ſufficere, quòd non poſſit aliter cuſtodiri, etiamſi poſſet poſteà recuperari; quia nemo videtur obligatus eſſe, pati rem ſibi eripi, propterea ſolùm, quòd poſteà recuperari poterit, quia non ſolùm habet Ius recuperandi, ſed cuſtodiendi, & retinendi quod ſuum eſt. Ità Ille.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm pro Defenſione alterius liceat occidere Inuaſorem?

SVMMARIVM.

1 *Pro Defenſione alterius licere Inuaſorem interficere, quandò id neceſſitas poſtulat; communis eſt DD. ſententia.*

2 *Vitam propriam, ac alienam, æquè Quis tueri poteſt.*

3 *Inuaſus defendi poteſt, vt Innocens. Quid ſi ipſe Inuaſus nolit defendi?*

4 *Pro Defenſione Pudicitiæ, Honoris, ac Fortunarum Proximi, an liceat occidere Inuaſorem?*

5 *Etiamſi Iuri ſuo cedat Inuaſus, adhuc interficere licet Inuaſorem.*

6 *Secus ſi Inuaſus seriò dicat ſe velle occidi potiùs, quàm occidatur Inuaſor in lethali culpa exiſtens.*

7 *Inuaſum in pudicitia, qui nolit defendi, an liceat cum morte Inuaſoris defendere?*

8 *Innocentem defendere licet etiam in eius abſentia.*

9 *Licita eſt talis Defenſio, etiamſi illam recuſet Inuaſus.*

10 *Quid ſi Inuaſus occaſionem dederit Inuaſori.*

Reſponſio affirmat.

1 RESPONDETVR *Primò* cum cōmunī Doctorum Sententia, licitum eſſe in Defenſionem alterius, Inuaſorem occidere, ſi ità neceſſitas poſtulauerit. Ità

Nauarr. Vaſquez. Molina. Filliuc. Malder. Azor. Pet. Nau. Turrian. Bonac. Leſſius. De Lugo.

Nauarrus *in cap. Non inferenda. 23. quæſt.3. à num.19.* & *in Manuali cap. 24. num.17.* Vaſquez, *de reſtit. cap.2. §. 1. dub. 11.* Molina, *tom. 4. tract.3. diſp.18.* Filliucius, *tom.2. tract.29. cap. 3. quæſt. 6. num. 54.* Malderus, *2. 2. tract.3. cap.1. dub.15.* Azorius, *tom.3. lib.2. cap.1. quæſt.21.* Petrus à Nauarra, *lib.2. de Reſtitut. cap.3. num. 419.* Turrianus, *diſp.27. dub.3. num. 15.* Bonacina, *de Reſtit. diſp.2. quæſt. vltim. punct.11. propoſ.1. num.1.* Leſsius, *de Iuſt. & Iur. lib.2. cap.9. dub.13. num.87.* De Lugo, *de Iuſt. & Iur. diſp.10. ſect.11. num. 201.*

Prima ratio.

2 Probatur *Primò*; Quia ſicut quiſque poteſt tueri *Vitam ſuam*, ità etiam *Proximi*, qui Charitatis, & Naturæ nexu, ipſi eſt coniunctus.

Altera ratio.

3 *Secundò*; Quia talis cenſetur *Innocens*, etſi fortè Inuaſioni *cauſam dederit*; nàm Iniuſtè inuaditur; atqui licitū eſt defendere cauſam *Innocentis*: imò Charitatis lex ad hoc obligat, quandò ſinè graui incommodo noſtro, vel alterius, id fieri poteſt. Idque verum eſt, etiamſi ille *nollet defendi*, ſed vellet ſe pati occidi; quia

cùm non ſit Dominus ſuæ Vitæ, non poteſt eam alteri donare, ac proindè non poteſt alijs Ius Defenſionis adimere.

Secunda reſponſio ad Quæſ.

4 Reſpondetur *Secundò:* Licitum quoque eſſe Inuaſorem occidere pro defendenda *Pudicitia, Honore, & Fortunis Proximi, ſi ſit Sanguine iunctus, vel opem noſtram flagitet:* vt docet D. Antoninus, 3. *par. tit.* 4. *cap.* 3. *§.* 2. & Alij paſſim: Iniuria enim, quæ fit Perſonæ Nobis coniunctæ, in Nos redundat. Vndè, Pater poteſt tueri Pudicitiam, Honoremque Filiæ; & Maritus Vxoris, ac proindè licitè iniuſtum occidere Inuaſorem; quia Iniuria in Ipſum redundat. Ità Leſſius, *lib* 2. *de Iuſt. & Iur. cap.* 9. *dub.* 13. *num.* 87.

D. Antoninus.

Inuaſorē an liceat interficere quandò Inuaſus Iuri ſuo cedit?

5 *Primò* Petes, quid ſi Inuaſus cedat Iuri ſuo?

Reſpondet Malderus, *in* 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 15. Tannerus, *to.* 3. *diſp.* 4. *quæſt.* 8. *dub.* 4. *num.* 80. Diana, *par.* 5. *tract.* 4. *reſol.* 19. *in fine:* Poſſe adhùc licitè Inuaſorem Proximi occidi; cùm enim non ſit Dominus Vitæ ſuæ, poſſum etiam eo inuito velle cuſtodire, tanquàm Mandatarius Domini, qui vnicuique mandauit de Proximo ſuo.

6 Limitant hanc Opinionem, niſi Inuaſus ſeriò dicat Se nolle defendi, ſed velle mori potiùs, quàm occidatur Inuaſor, in lethali culpa exiſtens; ſicuti etiam ipſemet poteſt propriæ Defenſioni cedere, & permittere Se occidi; vt ſuo loco dictum eſt.

Pro defenſione Inuaſi in pudicitia qui noluit defendi, an liceat Inuaſorem interficere.

7 *Secundò* Petes: Si Inuaſus in Pudicitia *nolit defendi,* poſſumne illum defendere cum Morte Inuaſoris?

Reſpondeo *Affirmatiuè,* quandò Inuaſus eſt Mihi *Sanguine coniunctus;* nàm ipſius iniuria redundat in me; conſequenter poſſum, ſeruato Moderamine, à me Infamiam illam auertere. Qua de cauſa, Pater poteſt tueri Pudicitiam Filiæ, & Maritus Vxoris cum Morte Inuaſoris, etiāſi Filia, vel Vxor nolit defendi. Ità Leſſius *loc. cit. num.* 88. Iulius Clarus, *§. Homicidium. verſic. Præterea.* Filliucius, *num.* 55. Bonacina, *vbi ſuprà,* & Alij.

Leſſius. *Clarus.* *Filliuc.*

In abſentia Innocentis, an liceat Inuaſorem occidere

8 Ampliatur tradita doctrina, vt id liceat *in præſentia* Innocentis, atq; etiam *in eius abſentia.* Ità Molina *vbi ſupra,* & De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom.* 1. *diſp.* 10. *Sect.* 11. *num.* 202. V. g. ſi eo abſente facultates eius iniuſtè diripiantur, vel ſi venenum ei præparetur; quod aliter impediri non poteſt, niſi occidendo Inuaſorem.

Quid ſi Innocens defendi nolit?

9 *Secundò* ampliatur, vt liceat eū abſentem defendere, etiamſi *defendi nolit.* Ità Leſſius *loc. cit. n.* 88. & De Lugo *loc. cit.* Licet Leſſij ratio id non ſatis probet: probari tamen poteſt, quia adhùc eius damnum, aliquo modo ad me pertinet, cùm ſit damnum eius, qui Charitatis nexu, & coniunctione Naturæ Mihi coniungitur.

Quid ſi Inuaſus occaſionem dederit per Iniuriam?

10 *Tertiò* ampliatur, vt licèt is *occaſionem dederit per Iniuriam.* v. g. quam prior intulit, ſi tamen iàm nunc iniuſtè læditur, quia non ampliùs inuadit, nec lædit, ſed pacem petit, *defendi poſſit* ab alijs, cum Occiſione Inuaſoris; vt cum Alijs notauit Bonacina, & De Lugo *vbi ſuprà:* quia licèt à principio non fuerit Innocens, iàm tamen Innocens eſt, & contrà Iuſtitiam inuaditur.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Priuatus teneatur defendere Vitam alterius Priuati, quandò non poteſt ſinè occiſione Inuaſoris?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio ad Quæſitum negatiua.*

2 *Vbi paria ſunt mala, nemo tenetur*

alte-

alterum inferre, vt excludat alterum.

Si Inuaſor ſit Parens, aut Princeps, nefas eſt illum interficere ob defenſionem alicuius.

3 Molina oppoſitam tuetur ſententiam: Eius ratio adducitur, ac ſoluitur.

4 In aliquibus caſibus reperiri poteſt obligatio interficiendi Inuaſorem, vt liberetur vita Innocentis.

Si Inuaſi vita ad commune, ac publicum bonum ſit neceſſaria, adeſt talis obligatio.

5 Quid ſi Inuaſus ſit Pater, Mater, Filius aut Coniux &c?

Quid ſi è contrà, Inuaſor eſſet Filius, Pater, aut aliqua perſona valde vtilis Republicæ?

6 Si Inuaſor tenetur ex Iuſtitia perdere vitam, ad liberandum Inuaſum à periculo, in quo eum poſuit; adeſt obligatio interficiendi Inuaſorem.

Reſponſio negatiua.

Leſſius.

De Lugo.

Caſtropal.

1 RESPONDETVR Negatiuè. Ità Leſſius, *de Iuſt. & Iur. lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 32.* De Lugo, *de Iuſt. & Iur. tom. 1. diſp. 10. Sect. 11. num.* 208. Caſtropalaus, *tom. 1. tract. 6. diſp. 1. punct. 10. nu. 16,* Bonacina, *diſp. 3. de primo Præcepto, quæſt. 4. punct. 5. num. 3.*

Ratio.

2 Ratio eſt; quia vbi mala ſunt *paria*, nemo tenetur alterum inferre, vt excludat alterum; præſertim cùm id fieri nequeat, niſi horrendo illo modo *Occiſionis Proximi*. Vndè etiam nemo tenetur tueri Vitam ſuam per Mortem alterius. Adde, ſi Inuaſor ſit *Parens* tuus, non potes illum occidere, vt defendas alterum: id enim repugnat pietati Filiorum in Parentes. Idem & potiori ratione, ſi *Princeps*; præſertim ſi aliàs in gubernatione Reipublicæ benè ſe gerat.

Molina.

3 Hæc Reſponſio eſt contrà Molinam, *de Iuſt. & Iur. to. 4. diſp. 18. num. 3. & ſeqq.* cuius ratio (vt optimè dicit De Lugo *loc. cit.*) non obſtat, quòd ſcilicet, *in pari damno*, melior debeat eſſe conditio Innocentis, quã Aggreſſoris Iniuſti: quàmuis enim ſit inter illos aliqua inæqualitas, ratione cuius magis diligendus videatur Innocens; hæc tamen inæqualitas non videtur inducere *grauem ſaltem obligationem*: nàm etiam homo Sanctus, & Iuſtus, magis diligendus eſt, quàm Peccator: & tamen quandò vtriuſque malum vitari non poteſt, poſſe Peccatorem præferri, præſertim propter periculum damnationis æternæ, quod habet.

In ſequentibus caſibus adeſt obligatio interficiendi Inuaſorem Innocentis &c.

4 In aliquibus tamen Caſibus reperiri poteſt *obligatio* interficiendi Inuaſorem, vt liberes Vitam Innocentis; quos adducit idem De Lugo *loc. cit. num.* 210. *& ſeq.*

Quid ſi Inuaſi vita ad commune bonum ſit neceſſaria?

Primus Caſus eſſe poteſt, *ſi Inuaſi Vita ad commune, & publicum bonum neceſſaria ſit*: tunc enim obligatio procurandi commune bonum, & impediendi damnum commune, poterit Te ad id adſtringere.

Quid ſi Inuaſus ſit aliqua perſona, quã quis tenetur defendere?

5 *Secundus Caſus* ſimilis eſſe poteſt, ſi Inuaſus ſit *Pater tuus, Mater, Filius, Coniux*, vel Perſona ità coniuncta, quam ſpeciali titulo defendere tenearis; è contrà verò, ſi Inuaſor eſſet filius tuus, duriſſimum eſſet te obligare ad occidendum eum pro Saluanda Vita Innocentis, immò ſi eſſet Pater tuus, Leſſius expreſsè negat, id fore licitum: quod etiam procedit, quandò Inuaſor eſſet talis, cuius Vita valdè vtilis eſſet ad commune bonum.

Quid, ſi Inuaſor teneatur ex Iuſtitia perdere vitam pro Inuaſo à

6 *Tertius Caſus* eſſe poteſt, quandò Inuaſor *teneretur ex Iuſtitia* perdere Vitam ad liberandum Inuaſum à periculo, in quo eum poſuit: qui Caſus, hoc, vel alio modo fingi poſſet; ſi v.g. Barbarus præcipiat Seruo, vel Famulo, vt apprehendat aliquẽ Viatorem, & afferat ſibi ad comedendum illum, aliòquin occiſuro ipſum Seruum, vt eum comedat; ſi Seruus id faciat, dùmque iàm ligatum offerre vult Domino, superueniat Alius, qui Miſerum illum libe-

rare poſſit,non aliter,quàm Seruum occidendo, teneretur fortaſſe ad hoc, quia Seruus ille ex Se debebat iàm in illis circumſtātijs cū periculo certiſſimæ mortis ſuæ, Innocentem ſoluere; quo ſoluto, ſuppono Seruū non poſſe Domini manus,& mortē effugere: ergo ſi ille Tertius, Seruū occidat, nihil ei aufert, quod in ijs circumſtantijs ipſemet Seruus ex Se non teneretur perdere: quia cum æquali damno ſuo, quilibet tenetur reſarcire,ſi poteſt,Iniuriam, quam Alteri intulit. Remanet ergo tota *obligatio Charitatis* reſpectu ſolius Innocentis, cui ſubuenire potes in eo caſu,ſinè damno nouo alterius Proximi: nàm mors, quam Seruo inſers, non eſt nouum malum, cùm iàm Ipſe, etiamſi Eum non occidas, teneatur ex ſe certiſſimæ Morti ſe obijcere, vt liberet illum Innocentem, quem Iniuſtè in eo periculo poſuit.

SECTIO XII.

DE SEXTA ET VLTIMA DVELLI SPECIE,

HOC EST,

De Duello propriæ Vitæ, Bonorum, ac Diuini Honoris Defenſiuo.

DIctum eſt hactenùs de Purgatiuo Duello, Virium Oſtentatiuo,Honoris cauſa, Criminalis, aut Ciuilis Litis Terminatiuo, & tandem de Duello Terminatiuo Belli. Sexta modò ſupereſt Duelli Species examinanda, ad quam propriæ Vitæ, Bonorum, Catholicæ Fidei, Diuinique Honoris Defenſionem reduximus. Scio in alias, & alias multiplicari Species potuiſſe Duellum, ſed Caietani veſtigia ſequenti Mihi, Sex conſtituere libuit Duellicas Species; ideòque ad hanc Sextam, & Vltimam, ſi quid prætereà ad Duellum pertinens, ac præſertìm de Duello ex Odio, & Inimicitia examinandum ſupereſt, reducam. Alij alias conſtituant Species, hoc enim facilè eis ceſſerit, ſiquidem huiuſmodi ſpecifica Duelli multiplicatio, ex multiplici Duellantium fine oritur. Quamobrē cùm variæ eſſe poſſint finales cauſſæ, quibus ad Duellandum trahantur Mortales, variæ quoque conſtitui poterunt, ac propemodùm infinitæ Duellicæ Species. Sed Nos in Sexta pedem figere volumus,mox ad Quintum, atque Vltimum Duelli Tractatum, totiuſque Operis finem properaturi.

QVÆSITVM I.

An liceat acceptare Duellum ad tuenda Bona temporalia, quandò periculum amittēdi Vitam, eſt magis, vel æquè certum, ac Spes recuperandi Bona?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio negatiua.*
Suſcipere Duellum in tali caſu, eſſet contrà propriam charitatem.
Quid ſi in aliqua occaſione, aut bona ſint amittenda, aut ſubeundum ſit vitæ diſcrimen?
2 *Milites bona publica cuſtodientes; Cuſtos ærarij & qui ex officio, aut ſti-*

pendio aliena bona cuſtodiunt, poſſunt cum diſcrimine vitæ, ſuo muneri ſatisfacere.
Idem dicendum ſi Quis propria tueatur bona, quæ futura ſunt magna vtilitati communi.
3 *In quo caſu præterea licita ſit talis bonorum Defenſio?*
4 *Ex Soto, licitum eſt pro defenſione proprij honoris, aut facultatum, vitam exponere. An id etiam licitum ſit pro bonis, & honore Amici?*

Reſponſio negatiua.

Tale Duellum eſſet cōtrà propriam charitatem.

1 RESPONDETVR Negatiuè. Et ratio eſt, nàm illud ſuſcipere Duellū, eſſet *contrà propriā Charitatē; Vita* enim pluris eſt facienda, quàm *Bona temporalia*. Idemque ſentiendum de quauis alia occaſione, in qua, aut *Bona* ſunt amittenda, aut ſubeundum *Vitæ diſcrimen*; licèt enim à Rapiente poſſim Ego Bona tueri, etiam per illius Necem, in caſu tamen poſito, Mihi non licet. Quod ſi effecero, nihil faciam *contrà Iuſtitiam, nec Charitatem Proximi*, ſed contrà *propriam*: peccatum enim non oritur ex Iure, vel damno Raptoris, ſed ex periculo, ac proprio damno.

Quibuſnā liceat vitæ diſcrimen ſubire pro defenſione bonorum?

2 Secùs autem dicendum eſt de *Milite*, Bona publica cuſtodiente, de *Cuſtode Aerarij*, & de omni eo, qui *ex officio, aut ſtipendio*, aliena Bona cuſtodiat; Hi enim omnes poſſunt *cum diſcrimine Vitæ* abſque culpa, ſuo muneri ſatisfacere. Idemque dicendum de eo, qui propria Bona tuetur, quæ futura ſunt *magno Bono communi*, vt ſi profutura ſint Reipublicæ in occaſione vrgenti, vel opitulandum ſit multis, grauiter egentibus.

3 Addendum etiam, Si quis habeat Liberos, Vxorem, aliaſue Perſonas coniunctas, in grauem miſeriam adducendas. Item ipſe ſit Vir Nobilis, cui Vita in egeſtate, futura ſit miſerrima, poteſt licitè ſubire *maius diſcrimen*: non eſt enim tanto labore digna Salus. Eſt igitur illicita hæc *Defenſio*, quandò ſinè Fortunis poteſt *Vita* degi, *non tam miſera*. Si verò non ſit æquale periculum Mortis, ſed minus, tametſi certum ſit aliquod periculum alicuius vulneris non lethalis, licitum eſt Bona defendere à Raptore. Hæc Hurtadus, *de Spe, & Char. vol.2. diſp.*170. *Sect.*8. §.68. Hurtad.

4 Confirmatur hæc Doctrina ex Soto, *de Iuſt. & Iur. lib.*5. *quæſt.*1. *art.*6. vbi docet, licitum eſſe *pro Defenſione proprij Honoris, aut Facultatum*, Vitam exponere. Ità etiam licitum eſſe *pro Bonis, & Honore Amici*, licèt oppoſitum ſentiat Lorca *in* 2.2. *Sect.* 3. *diſp.*28. *memb.*3. *nu.*60. dicens, non licere ſe obijcere Morti euidēti, pro Defenſione Honoris, aut Facultatis alterius, V.g. Si Fures alicuius domum furentur, & ſi illis occurras cum periculo Necis, interim impediri poterit Furtum, non exiſtimat honeſtam cauſam Mortem ſubeundi. Idem omninò cenſet de Vitæ periculo, pro proprio Honore, vel Facultatibus. Mihi tamen Doctrina Soti magis arridet. Ità Diana *par.*5. *tract.*4. *de Homicidio, reſol.*29.

Sotus. Lorca. Diana.

QVÆSITVM II.

Vtrùm Accuſatore Offerente Duellum, poſſit Innocens acceptare Certamen ad tuenda Bona temporalia?

SVMMARIVM.

1 *Non licet tale certamen acceptare, quandò ſupereſt alia ratio tuendi bona. In quo caſu præterea non liceat acceptare?*
2 *In quo caſu tale certamen cenſeatur*

medium vnicum ad defenſionem bonorum?

3 *Licita eſt talis acceptatio certaminis, quandò non eſt Duellum, ſed Defenſio.*

4 *Licitum eſt iniuſtum direptorem bonorum interficere, quandò alia ratione defendi nequeunt bona.*

5 *Quædam circà hanc Doctrinam aduertenda.*

Quid ſi Accuſator Iniuſtus bona fide procedat?

Accuſatorem præmonere oportet, vt reſipiſcat, ſi locus ſit præmonitionibus.

Hæc doctrina procedit quoad Accuſatores iuridicos, ac falſos teſtes: Quid de Duellatore dicendum?

Non licet acceptare, quandò quis aliter tueri poteſt bona.

1 SVPPONIMVS non eſſe licitum acceptare hoc Certamen, quandò ſupereſt *alia ratio* tuendi Bona: vt ſi quis poſſit illa, vel defendere, vel recuperare *iuridicè*; quia periculum Vitæ propriæ, aut alienæ, non eſt ſubeundum, quandò ſinè illo poſſunt comparari Bona, quæ illo quæruntur. Item ſi ego poſſum expectare, vt alius tentet Rapinam; & in ipſa Rapina ego poſſim Bona defendere, licitè acceptare non poſſum Certamen, quia eius acceptatio ſinè neceſſitate eſt formale Duellum, ac proindè prohibitum: tunc autem deſinit eſſe Duellum, quandò acceptatur medium vnicè neceſſarium ad Meam, Meorumque Defenſionem.

Sēſus Quęſiti.

2 Eſt igitur Quæſtio, quandò *Certamen eſt medium vnicum* ad defendendas meas Fortunas: E. g. Antonius me falſi Criminis accuſat, ob quod, ſi probetur ego à Iudice damnabor Spoliationis Bonorum. Si autem Certamen non accepto, Crimen cenſebitur eſſe probatum, & certè damnabor; quia ad tale Duellum Criminis probatio reuocatur.

Reſponſio ad Quæſ.

3 Reſpondetur ergo ad Quæſitū, licitum eſſe *acceptare* hoc Certamen, quæ *acceptatio* non eſt *Duellum*, ſed *iuſta Defenſio*. Ità Caietanus 2.2. *quæſt.*95. *art.*8. *ad* 3. & *in Summa verb. Duellum*. Bañes, *quæſt.*64. *art.*7. *dub.*4. qui non ſolùm loquuntur de acceptatione Certaminis, ſed etiam de prouocatione. Sanchez, *lib.*2. *cap.*39. *nu.*7. cum Emmanuele Rodriquez, Petro à Nauarra, & Alijs; quibus Hurtadus, *vol.*2. *de Spe, & Char. diſp.* 170. *Sect.* 8. *§.*70. addit Bonacinam, *de Cenſuris, diſp.*2. *quæſt.*6. *punct.*2. cum Nauarro, *cap.*11. *nu.*39.

Caiet. Bañes. Sanchez. Rodriq. Nauarra. Hurtad. Bonac.

Ratio.

4 Probatur, quia, vt etiam fatentur Auctores oppoſitæ Sententiæ, & ferè communiter, licitum eſt occidere Iniuſtum Direptorem Bonorum, quandò *alia ratione, ea tueri non poſſumus*: Sed in caſu poſito, acceptatio Certaminis eſt *medium vnicè neceſſarium* ad Defenſionem Bonorum ab Iniuſta Direptione: ergo licita eſt ea acceptatio.

Aliqua neceſſariò aduertenda.

5 Sedulò tamen aduertendum, ac inquirendum eſt, vtrùm Accuſator iniuſtè, An *bona fide* me accuſet? Eſtque opus illum ſeriò, & ſæpiùs permonere, vt reſipiſcat, ſi eſt locus præmonitionibus, vt frequenter eſt in Via iuridica. Videndum prætereà eſt, an ſuperſit *medium aliud minus aſperum*, neque laxanda ſunt lora timori præcipiti, ſed angenda, vt contingit multis in occaſionibus. Hoc, inquit Hurtadus *loc. cit.* dico de falſo Accuſatore Iuridico, & Teſtibus falſis: Duellator autem clariùs poteſt occidi, quia vbi permittitur Duellum Purgatiuum, alterum è duobus neceſſe eſt, aut perire, aut cauſa cadere.

QVÆSITVM III.

Vtrùm, dùm Petrus v.g. Paulum ad Singulare Certamen prouocat, illum occiſurus, vel Bonis ſpoliaturus, niſi Illud acceptet, poſſit licitè Paulus tale Certamen acceptare?

S V M M A R I V M.

1 *Licita eſt talis certaminis acceptatio.*
Id non eſſet duellare, ſed opportunitatem quærere ſe tuendi.
An locum oblatum liceat acceptare, quandò alia ratione Mors non poteſt effugi?
2 *Iuri Naturali, ac Eccleſiaſtico magis eſt conſentaneum, non expectare prouocationem ad certamen, ſed poſſe Iniuſtum Accuſatorem interfici domi, ſi ibi actu, & phyſicè mortem intentet.*

Reſponſio affirmat.

1 RESPONDETVR Affirmatiuè; quia *Ius* Paulus habet tuendi *propriam Vitam, ac cætera Bona*, eo tamen modo, quo alibi explicauimus: ergo poteſt tale Duellum acceptare. Ità Hurtadus, *vol.2. de Spe, & Char. diſp.* 170. *Sect.* 8. *§.*77. de hoc Caſu loquens: Poſſum, inquit, *Duellum acceptare*; hoc enim non eſt *Duellare*, ſed opportunitatem quærere, *iuſtè tuendi Me*, & Mea ab iniuſta Vi; Mihi enim *Ius eſt Me tuendi* etiam per Necem Inimici; quod ſi hoc in loco poſſum, cur non potero locum alium quærere? certè non video, vel probabile veſtigium ad dubitandum; nàm ſi *Domi* ille me compelleret, vt cum illo pugnarem, aliòquin periturus, poſſem pugnare: ergo etiam poſſum *acceptare locum*, quem ille mihi offert, quandò alia ratione non poſſum necem effugere.

Hurtad.

Verum eſt tamen, quòd magis conſentaneum eſt Naturali, & Eccleſiaſtico Iuri, quòd ſi Petrus v.g. vult me *domi* occidere, & actu mihi phyſicè Mortem intentat, poſſum talem Aggreſſorem Iniuſtum interficere etiam *domi*, vbi mortem intentat; nec expectanda eſt *prouocatio ad Certamen*. Ità Hurtadus *loc.cit.*

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Innocens poſſit Criminatori offerre Singulare Certamen, quandò alia ratione non poteſt Se, Suaque tueri?

S V M M A R I V M.

1 *Reſponſio ad Quæſitum negatiua.*
Iniuſtè accuſato ad mortem, cur liceat purgatiuum Duellum acceptare, non autem Innocenti illud offerre?
2 *Probatio delicti, quæ ad Duellum reuocatur, non ſpectat ad Accuſatum, ſed ad Accuſatorem.*
3 *Prouocatio ad certamen, tunc ſolùm licita eſt, quandò prouocato præſupponitur antecedenter imminere periculum, quod aliter euitari non poteſt.*

1 RESPONDETVR Negatiuè cũ Hurtado *de Spe, & Char. diſp.* 170. *Sect.* 9. *§.* 79. Probatur; Ideò *Iniuſtè accuſatus ad Mortẽ*, poteſt Duellũ Purgatiuũ acceptare; quia ſemel illi oblato Certamine, iàm Vitæ diſcrimen imminet, vel certè pereundi, ſi non acceptat, vel ſub dubio, ſi acceptat, in Certamine pugnando; hoc enim eſt proprium *Duelli Purgatiui*,

Reſponſio negatiua.

Ratio.

tiui, vbi Certamen habet *locum probationis*; & qui Illud non acceptat, iàm habetur tanquàm conuictus, atque morti certè addictus: ſed hæc ratio non militat *in Innocente offerente Certamen* Accuſatori: ergo &c.

2 Maior per ſe patet, Minor probatur: Innocens accuſatus, non poterit condemnari, niſi Delictum illi obiectum probetur: ſed cùm *probatio delicti* ad Duellum eſt reuocanda, talis *probatio* non ſpectat ad *Accuſatum*, ſed ad *Accuſatorem*, qui loco probationis, Duellum offert: ergo, &c.

Prouocare ad certamen, in quo caſu liceat.

3 Confirmatur: Tunc ſolùm *prouocatio ad Certamen* eſt licita, quandò Prouocato iàm præſupponitur antecedenter *imminere periculum*, quod alia ratione omninò declinare non poteſt; ſed in hoc Duello Purgatiuo *periculum non imminet*, donec ipſe Accuſator, loco probationis, Duellum offerat: ergo Innocenti non licet *Duellum offerre*, ac proindè opus eſt, vt occaſionem periculi expectet, quæ per ſe nunquàm eſt, niſi oblatò iàm Certamine ab Accuſatore.

QVÆSITVM V.

An liceat ad Duellum prouocare Eum, qui Tibi Innocenti iniuſtàm Mortem molitur?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio affirmatiua, ac maior Quæſiti explicatio.*

2 *Accuſator, qui mortem molitur, &c. infert Innocenti vim.*

3 *Prouocatio in caſu poſito, eſt medium vnicum ad iniuſtam mortem euadendam.*

4 *Altera ratio pro affirmatiua Reſponſione.*

5 *Per alios vim inferre, moraliter cenſetur perindè eſſe, ac per ſeipſum illam inferre. Eadem eſt ratio de acceptando, ac offerendo certamine, quando vtrumque eſt ſimpliciter neceſſarium ad effugiendam mortem iniuſtam.*

6 *Ratio, quæ pro diſparitate adduci poſſet, confutatur.*

7 *Quæ de acceptando, aut offerendo certamine cum Accuſatore falſo, dicuntur, intelligenda pariter ſunt, cum quouis iniuſto bellatore.*

Hæc doctrina plurium DD. auctoritate firmatur.

Ex Petro à Nauarra, melius eſt, Accuſatorem occultè interficere, vt euitetur peccatum ipſius offerentis, aut acceptantis certamen.

1 RESPONDETVR Affirmatiuè. Explicatur: Accuſator obiecit Innocenti falſum Crimen, nec Innocens probabilem habet ſpem, illum à cæteris diligentijs deſtiturum, ſed potiùs timorem moraliter certum, illas ab Accuſatore adhibendas. Item periculoſius eſt Innocenti expectare, vt Illum Accuſator prouocet, nec aliter poteſt *certam mortem effugere*; in hoc inquam caſu dici poteſt, quòd *licita ſit Innocentis Prouocatio*. Reſponſio affirmat. Senſus Quæſiti explicatur

2 *Primò* Probatur; Quia Accuſator infert Innocenti *Vim*, in qua actu eſt: ergo licet Innocenti *Vim illam*, oblatione Duelli repellere. Prima ratio.

3 *Secundò* Probatur: Prouocatio illa ad Certamen, eſt *Vnicum medium* ad Mortem iniuſtam effugiendam: ergo Prouocatio illa rationem habet *Inculpatæ Tutelæ*. Secunda ratio.

4 Confirmatur: Si quis Me vellet domi occidere, in qua Ego nō Me poſſem *commodè tueri*, poſſem tamen alio in loco, poſſē Ego licitè Illi dicere, nè Me peteret domi, ſed vt egrederetur in locum ampliorem, vbi vtriuſq; vires eſſent apertiores. In hoc enim nulla cernitur ratio peccati; quia, ſi Ego poſſum Alium Confirmatio à ſimili

im-

impetere gladio ad tuendam Vitam, cur non potero *eligere alium locum* Mihi neceſſarium ad eandem Defenſionem? Sed eadem ratio eſt in noſtro caſu: ergo.

Vim per alium inferre, perindè eſt, ac per ſe ipſum illã inferre.

5 Minor probatur; quia, qui Mihi Vim iniuſtam infert *per Alios*, in prudenti æſtimatione, & moraliter, perindè eſt, ac ſi *per Seipſum* illam inferret; quia *per Seipſum* multa fecit iniuſtè, propter quæ Ego occidar iniuſtè. Quid igitur intereſt, Me ab Illo peti *proprio ipſius gladio*, *an gladio Iudicis*, *aut Serui*, quibus Ipſe præcipit, aut conſulit, vt Me occidant? Aut Ille, quod habet Ius, nè Ego Illi linguam præcidam, qua me occidit, potiùs, quàm nè illi manum ſecem, qua & cædit. Eſt igitur eadem ratio in acceptando, & offerendo Certamine; quandò vtrũque eſt *ſimpliciter neceſſarium*, ad effugiendam Mortem iniuſtam.

Obiectio.

6 Dices: Diſparem eſſe rationem; quia, qui Duellum *acceptat* non eſt *cauſa*, vt Inimicus peccet; quia iàm ſupponitur peccaſſe, oblatione Duelli. At verò, qui *prouocat* Accuſatorem iniuſtum, eſt *cauſa*, vt Accuſator peccet acceptatione Duelli.

Solutio.

Reſpondeo, hanc Difficultatem eſſe communem omni Militi iuſtè prælianti: cui non liceret, Hoſti Prælium *offerre*; quod nullus dicet. Vtriuſque ratio eſt: quia, qui Iuſtam cauſam defendit, ſupponit Inimicum eſſe in actuali peccato Homicidij, neque Illum *inuitat* ad amandum de nouo aliquod obiectum malum. Item Illum *non inuitat ſimpliciter* ad Pugnam, ſed *ſub conditione*: ideſt, ſi adhùc perſeueras in voluntate Me occidendi, Te prouóco; ſi verò deſiſtere vis ab homicidio, ego quoque à Certamine deſiſto.

7 Quæ dicta ſunt de Certamine offerendo, & acceptando cum *Accuſatore falſo*; idem dicendum de quouis *Iniuſto Bellatore*: ideſt cum aliquo Pugile, quem Accuſator ſubrogat pro ſe: quia Ille per ſe, & phyſicè mihi molitur Mortem iniuſtam. Ità Caietanus, 2.2. *quæſt.* 64. Bañes, *de Iuſt. & Iur. quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. *concl.* 2. Thomas Sanchez, *in Decalogum, lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 7. cum Petro à Nauarra, aſſerente, melius eſſe, Accuſatorem occidi occultè; quia vitabitur peccatum ipſius Accuſatoris offerentis, aut acceptantis Certamen: Sentit ergo Nauarra, licitam eſſe oblationem Duelli, conſentit Becanus, 2. *par. cap.* 26. *quæſt.* 6. *nu.* 4. & meritò pro ſe affert Valentiam, *diſp.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 1. *verſ. Eſt autem aſſertio. & ſeqq.* affertque Nauarrum, Vaſquez, *tom.* 1. *de Reſtitut. num.* 34. Nec diſſentit Bonacina, *diſp.* 2. *de Cenſuris. quæſt.* 8. *par.* 2. *num.* 11. *& diſt.* 2. *de Contract. quæſt. vlt. par.* 8. *num.* 5. admittit enim acceptationem, quæ hac in parte, parùm differt ab oblatione: item poſſe præueniri Hoſtem iàm molientem Mortem Iniuſtam: conſentit Filliucius, *tom.* 1. *tract.* 15. *n.* 17. *& tom.* 2. *tract.* 29. *n.* 143. *&* 144. citatus ab Hurtado, *§.* 82. *diſp.* 170. *ſect.* 9.

Bañes. Sanchez. Per. Nau. Becanus. Valent. Vaſquez. Bonac. Filliuc.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm quandò ob Defenſionem Vitæ, vel Bonorum ab aliquo Innocente, cum Iniuſto Duellatore Duellum committitur, poſſit conditio illa apponi, vt nullus ex circumſtantibus alterutri opem ferat?

SVMMARIVM.

1 *Talis conditio non ferendi opem, &c. iniuſta eſt, ac illicita, non ſecùs ac ip-*

ſum

ſum Duellum ab iniuſto Duellatore oblatum.

Tenentur Adſtantes Innocenti opem ferre.

2 *Non obſtat Iniuſtum Aggreſſorem, in æternùm periturum occumbere.*

3 *Adſtantes tenerentur Iniuſto Aggreſſori victo opitulari, ſi Ei vellet Innocens necem inferre, cum abſque ſuo graui incommodo, poſſet ei vitam condonare.*

Victor in tali caſu non eſſet ampliùs Innocens, ſed Iniuſtus Aggreſſor.

An liceat Innocenti, Victum Aggreſſorem vulnerare, ſi opus eſſet, vt ſe incolumem ſeruaret à certamine?

4 *An licitum ſit Iniuſtum Aggreſſorem in tali caſu interficere, ſi experimento comprobatum ſit, eius vitam in Innocentis perniciem redundare? Et an Adſtantes poſſint in tali caſu Innocentem à tali cæde remouere?*

5 *Teneretur aliquis Adſtantium, periclitanti Aggreſſori opem ferre, ſi aliàs, ità poſſet Duellum componere, vt ſeruato incolumi iniuſto Aggreſſore, nulla eſſent mala in Innocentem redundatura. An Innocens in hoc caſu teneretur ab incœpta pugna deſiſtere?*

Reſponſio negatiua

Nauarr.

Sanchez.

Filliuc.

1 NEGATIVE' Reſpondeo, cum Petro Nauarra *lib. 2. de Reſtitut. cap. 3. num. 298.* Sanchez *lib. 2. cap. 39. num. 17.* Filliucio *tom. 2. tract. 29. cap. 8. num. 156.* Nàm talis conditio, tàm ex parte Inuadentis, quàm ex parte Inuaſi, *iniuſta, & illicita eſt*, non minùs, quàm ipſummet Duellum ab iniuſto Duellatore oblatum, violentum, iniuſtum, & illicitum eſt; ac proindè cenſeo teneri Adſtantes innocenti Duellatori opitulari, quàmuis cũ altero Duellatore conuentum eſſet, in Duello auxilium omne non admittere. Prætereà ſi conſtet Innocentem in Duellica cauſa eſſe aliſidè in peccato mortali, tunc vrgente Charitatis lege, tenerentur Adſtantes, imminens mortis diſcrimen ab Innocente auertere: agitur enim de æterna Salute, vel morte, quam abſque graui, ac proportionato detrimento cùm poſſumus, vel impedire, vel promouere, tenemur.

Adſtantes an teneantur Innocenti opẽ ferre?

2 At ſi in Defenſione iniuſtus Aggreſſor in æternùm periturus occumberet, non *Adiuuantium*, ſed *ſuo vitio* adſcribendum eſſet: Illi enim *iuſtam Charitatis legem* fouentes, pro Innocente pugnant; Ipſe verò *iniuſte* oppugnat.

3 Eſt prætereà difficultas, ſi è contrà iniuſtus Aggreſſor ab Innocente vinceretur, qui tamen cum *abſque graui incommodo*, victo condonare poſſet vitam, necem tamen inferre vellet. In tali Caſu cenſeo, etiam *teneri Adſtantes* noxio victo *opitulari*, eumque è manibus Innocentis victoris eripere: tunc enim non ampliùs *Innocens*, ſed *Iniuſtus* eſſet *Aggreſſor*. Poteſt tamen Innocens iniuſto Aggreſſori *vulnera* inferre, ſi opus ſit ad ſeipſum, è tali Certamine *incolumem* ſeruandum: nec vltrà ei progredi licet, nè Inculpatæ Tutelæ præſcriptos fimites, ac moderamen excedat.

Iniuſto Aggreſſori victo, in quo caſu teneantur adſtantes opitulari?

4 Verùm ſi experimento comprobatum ſit, iniuſti Aggreſſoris vitam in Innocentis *perniciem* redundare, licitè tunc iniuſtus Aggreſſor occidi poſſet. Nec fas eſſet Adſtantibus Innocentem à tali cæde remouere, niſi fortè ex Adſtantibus aliquis interſit Conſanguineus, vel Neceſſarius, qui illi opem ferre teneatur. Cauendum tamen eſt, nè nocenti adiuto, Innocens in graue adducatur diſcrimen; qui alioquin nec illum adiuuare licitè poſſet.

Quid ſi Iniuſti Aggreſſoris vita in Innocentis perniciem redundet?

5 Quòd ſi ab aliquo adſtantium ità totius Duelli ſumma *componi poſſet*, vt ſeruato incolumi iniuſto Aggreſſore, nulla in Innocentem eſſent mala redundatura, cenſeo in tali caſu, & periclitãti aggreſſori *Eum opem ferre teneri*; & Innocenti ab incerta Pugna *deſiſtendum eſſe*, dùm *abſque vllo diſcrimine*, rem componendam fore

Quid ſi aliquis Adſtantium abſq; vllo diſcrimine totum Duellum; poſſet cõponere?

ad-

aduertit, Si tamen hoc ſibi Innocens prudenter non perſuaderet; ac proindè, vt iuſtè operans ad cõſummandam Inimici necem tenderet, non liceret eum vulneribus ab incœpto auertere, quia tunc iuſtè operatur: ſecùs verò dicendum, ſi *ex craſſa ignorantia*, aut *ex malitia* cruentam Pugnam, donec hoſtis expiret, perficere velit: tunc enim cum ipſo tanquàm cum *iniuſto Aggreſſore*, vt ſuprà diximus, eſſet agendum.

QVÆSITVM VII.

An offerre liceat Duellum ex Odio, & Inimicitia?

SVMMARIVM.

1 *Licitum non eſt, Duellum offerre ex Odio, aut Inimicitia.*
Priuata auctoritate non licet iniuriam vindicare.
2 *Inuaſorem iniuriam inferentem nunquàm licet ex odio repercutere, vulnerare, aut interficere.*
3. & 4 *Duellum offerre in poſito caſu, cur non habeat rationem inculpatæ tutelæ?*
5 *Quid ſit Duellum offerre materialiter, ac formaliter, & an aliquo pacto liceat illud offerre?*
6 *Aliæ rationes ex Hurtado, cur talis prouocatio ad pugnam, non ſit medium per ſe ad abigenda mala illata.*

Reſponſio negatiua. 1 RESPONDETVR *Negatiuè*. Probatur *Primò*, quia nemini licet *priuata auctoritate iniuriam vindicare*: ſed tale Duellum Inimico offerretur ad Iniuriam vlciſcendam: ergo tale Duellum offerre eſt illicitum, cùm ad vindictam ſit Inſtitutum. — Ratio.

2 Dices Primò: Licitum eſt *repercutere* Inuaſorem, immò & *occidere* ad Iniuriam propulſandam, cùm Vim Vi repellere, Iura permittant: ergo etiam ad Iniuriam propulſandam, atque ad Vim repellendam, licebit *Duello Certare*. — Primum argum. Inuaſoré an liceat repercutere ex odio &c.

Reſpondetur: Nunquàm licere Inuaſorem Iniuriam inferentem, nec interficere, nec vulnerare, nec vllo pacto *ex odio* repercutere, proindè neque licere *ex Odio, & Inimicitia* Duellum Inimico offerre, cùm *priuata vindicta* ſit intrinſecè mala, & tantùm Deo, atque Dei Miniſtris reſeruata. — Reſpõſio.

3 Inſtabis: Sicuti non *ad vindictam*, ſed *ad Inculpatæ Tutelæ Defenſionem*, tàm pro Vita, quàm pro Bonis in magna quantitate, & multò magis pro honore, licitum eſt Inuaſorem repercutere, vulnerare, & occidere *in continenti* tamen: ità ergo etiam licebit pro Vita tuenda pro Bonis in magna quantitate, & multò magis pro Honore, tale Duellum *in continenti* offerre, quia etiam rationem habebit Inculpatæ Tutelæ. — Inſtantia.

Reſpondetur: Poſſe quidem contingere repercuſſionem, &c. *in continenti*, non tamen hoc Duellum, quod de ſui ratione *moram* petit, cùm ex præuia conuentione de deſignatione loci, & temporis committatur: proindè nequit *in continenti* Duellum committi, ſicque diſpar eſt ratio. — Solutio. Cur tale Duellum nõ habeat rationem inculpatæ tutelæ?

4 Præterea hìc non diſputamus de quocumque Duello, ſed tantùm de hac Duelli Specie *ex Odio, & Inimicitia*, quod vel ipſomet nomine pugnat cum *Defenſione Inculpatæ Tutelæ*. An autem Duellum poſſit committi pro Bonis in magna quantitate, pro Vita, & Honore tuendis, iàm ſuis locis dictum eſt.

5 Adhùc inſtabis: Aliud eſt Duellum *committere*, aliud *offerre*: Licèt autem, vt *committatur* Duellum mora requiratur; vt verò *offeratur*, cur non poteſt in continenti acci- — Altera inſtantia.

dere?

dere? ergo par ratio de *repercuſſione*, ac de *Duello*.

Solutio. Quid ſit offerre Duellum materialiter, vel formaliter?

Reſpondetur: Tranſeat, quòd in continenti poſt illatã Iniuriã poſſit materialiter Duellũ offerri, non verò *formaliter*. Explicatur: Poteſt quidem Duellum offerri, non tamen *cum animo verè Pugnandi*, & hoc eſt *materialiter Duellum offerre*: Si verò animus eſſet, reuera Pugnandi, quod eſt *formaliter offerre Duellum*, hoc quidem non liceret, non ſolùm non committere, verùm neque offerre: nàm ſicutì vera Pugna eſſet peccaminoſa, ratione Vindictæ, cùm ex temporis interuallo Duellum committeretur: Sic etiam prouocatio ad tale Duellum eſſet peccaminoſa, & Vindictam ſaperet, ratione finis, à quo Omnis actio ſpeciem ſortitur, ac proindè neque licet ad tale Duellum prouocare, quàmuis prouocatio in continenti contingeret.

Aliæ rationes ex Hurtado.

6 PROBATVR *Secundò* principaliter, ex Hurtado, *de Spe, & Charit. vol. 2. diſp. 170, Sect. 10. Subſect. 1. §. 80.* tali pacto: Duellum non eſt medium per ſe ad abigendã ea mala, (ſcilicet alapam, aut vulnus, vt ipſe ait) Vulnus enim non curatur alio vulnere accepto, aut inflictò, ſed medicina: alapa autem non curatur, niſì vibicem relinquat, vibex autem lenimentis curatur, non vulneribus. Supereſt *Oſtenſio Virium, & fortitudinis*, ad quam prouocatio ad Pugnã, eſt vtilis per ſe. Benè: Sed illa *oſtenſio*, non poteſt per ſe vtilis eſſe ad depellendam Iniuriam, ſiuè enim Franciſcus ſit fortis, ſiuè timidus; idque ſibi cæteri perſuadeant, non propterea ſibi perſuadebunt cæteri, illum eſſe, aut non eſſe, mentitum v.g. Nobilem, aut Ignobilem: hæc enim æquè cadunt in vtroſque: Multi enim Viri fortes ſunt Ignobiles, Infames, Mendaces: multi item Timidi his omnibus carent. Si autem velit Franciſcus ſuam fortitudinem oſtentare, eſt finis vanus, & indignus, qui procuretur per media prohibita Lege Dei. Stet ergo, prouocationem ad Pugnam eſſe illicitam, quia (vt omittam iàm probatã) eſt per ſe inutilis ad depellendam Iniuriam.

Oſtenſio virium, nõ poteſt per ſe eſſe vtilis ad depellendã iniuriam.

Et paulò ante *eodem §. 89.* idem Hurtadus ait: Quòd ſi Antonius dicat Franciſco, Tu es Ignobilis, & Infamis, depellenda eſt hæc iniuria, oſtendendo Franciſcum, neque eſſe Ignobilem, neque Infamem, quod ſit *aliorum Teſtimonijs, aut Scriptis*, quæ perſuadent rerum geſtarum veritatem, quæ *Armis* perſuaderi non poteſt. Hæc Hurtadus. Iniuria illata, quomodo depellenda ſit?

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm acceptare liceat Duellum ex Odio, & Inimicitia oblatum?

SVMMARIVM.

1 *Illicitum eſt tale Duellum acceptare, ſicut illicitum eſt offerre.*
2 *Ea acceptatio non poteſt titulo Defenſionis honoris cohoneſtari.*
Non acceptare, non eſt idem, ac fugere, nec honori maculam infert.
3 *Quidnam ſenſerit Andreas Alciatus?*
4 *Quomodo intelligenda ſit Conſtitutio Religionis militaris S. Iacobi, qua indignus cenſetur illius ordinis habitu, qui prouocatus certamen detrectat?*

1 RESPONDETVR, pariter illicitum eſſe tale Duellum *acceptare*, ſicuti & illicitum eſſe diximus *offerre*. Probatur, quia talis *acceptatio* Certaminis, eſt abſoluta voluntas mutuarum cædium; Vt enim Prouocator vult abſolutè Pugnare, ità & Acceptator; acceptat enim abſolutè, & quantùm eſt ſe id, quod Pro- Reſponſio negatiua. Ratio.

uocator offert abſolutè; & quòad eſt in ſe. Sed hic offert abſolutè mutuas cædes: ergo hic abſolutè eas acceptat. Non ſecùs acſi Ego dicerem Antonio, vende Mihi tuum Equum, quem Ego volo emere, & Antonius mihi reſpondeat, volo Eum tibi vendere: An dubitabit aliquis, Antonium tàm abſolutè, & quantùm eſt ex ſe, velle Equum vendere, quàm me emere? Ità Prouocator dicit, egredere in Agrum, quia volo tecum Pugnare: Prouocatus autem dicit, Ego egrediar ad Pugnandum tecum: vtriuſque voluntas eſt abſoluta. Ità Hurtadus *vol. 2. de ſpe, & Charit. diſp. 170. ſect. 10. ſubſect. 2. §. 90.*

Primum argumen.

2 *Primò* Dices: Quàmuis *Prouocatio* ad tale Certamen ſit illicita, non tamen illicita erit *Acceptatio*, quia rationem habet *Defenſionis Honoris*: nàm *non acceptare, eſſet fugere* ad quod nullus Nobilis tenetur.

Solutio.

Non acceptare Duellum, non eſt fugere.

Reſpondetur: Tàm *Prouocationem*, quàm *Acceptationem* eſſe illicitam: & falſum eſſe, quòd *nō acceptare ſit fugere*: nàm *fugere* eſt locum deſerere, in quo aliquis eſt, & terga vertere, pedibus ſe dando: at poteſt aliquis locū nō deſerere, vbi manet, & non exire ad locum Certaminis. Sicque patet, quòd *non acceptare Certamen*, non eſt idem ac *fugere*, neque honori maculam inferre, non acceptando; quia nullus poteſt Honor amitti ex obedientia Diuinæ, & Eccleſiaſticæ Legis, dummodò tamen, quis Certamen detrectet, non ex animi vilitate, nec ex Prouocantis timore, ſed Cenſurarum, Duella prohibentium, Deique timore.

Non acceptans, non infert honori maculam.

Secundū argum.

Alciatus.

3 *Secundo* Dices: Andream Alciatum, *de Singulari Certamine, cap. 3. n. 2.* cēſuiſſe, Militi ſtrenuo, & Nobili licere impunè acceptare Certamen.

Solutio.

Reſpondetur, Alciatum loquutum eſſe de *Impunitate Ciuili*, non verò de *Impunitate à peccato, & Eccleſiaſticis Legibus*: vt conſtat ex eodem loco; & ipſemet Alciatus pluries teſtatur, Duellum eſſe contrà Diuinas, ac Pontificias Leges.

Tertium argum.

4 *Tertiò* Dices: In Religione Militari S. Iacobi, Indignum cenſeri illius Ordinis Habitu (Spada rubra, vt dicunt) qui Prouocatus, Certamen detrectauerit.

Reſpōſio.

Reſpondetur: Conſtitutionem illam intelligendam eſſe de eo, qui *ex timore, animique vilitate*, Certamen ſibi oblatum reſpuit: idcircò eo Ordine Indignus cenſetur: cùm enim Ordo ille ſit ad Bellum inſtitutus, qui animo eſt *pauido*, ineptus ad tale munus cenſetur. Si verò Certamen recuſauerit propter Dei timorem, vel aliam prudentem cauſam, eo Habitu Indignus non habetur.

QVÆSITVM VLT.

Vtrùm Si quis ab Infideli prouocaretur ad Duellum ob Defenſionem Honoris Dei, vel ob cauſam Fidei, vel veræ Sectæ cognoſcendæ, liceret ei Duellum acceptare?

SVMMARIVM.

1 *Negatiua Sententia, eiuſque ratio.*

Reſponſio negatiua.

Ratio.

1 BREVITER Reſpondetur: Abſque ſpeciali reuelatione Diuina illicitum eſſe tale Duellum acceptare; quia vel Duellator niteretur proprijs viribus, & Duellandi peritia, & tunc pro teſtimonio Fidei infallibilis, aſſumeret *Medium* ſuapte natura *fallax, & perniciosū*: Vel expectaret Miraculum à Deo, & ità *tentaret Deum*, cùm alijs modis reſpondere poſſet ad ea, quæ obijciuntur contrà Fidem. Et hic Quarti Tractatus Finis eſto.

TRACTATVS QVINTVS,

ET VLTIMVS

DE EXCVSATIONE, ET ABSOLVTIONE A DVELLI CENSVRIS.

SECTIO PRIMA

DE IGNORANTIA, ET METV EXCVSANTIBVS A CENSVRIS DVELLI.

DIVINA, ac Pontificia Iura in Eccleſiaſtici Orbis Cælo, duo veluti clariſſima Mundi Lumina, quàmuis perpetuo fulgore ſplendeſcant; ſæpè tamen recurrentibus Ignorantiæ Nubibus, Metumque incutientibus tenebris repentè obortis, humanæ mentis oculos latere, experimento docemur. Hinc fit, vt Mortalium nonnulli in huius Mundi Pelago nauigantes, ad beatum Cæleſtis Patriæ Portum velificaturi; modò in latentes irruant Scopulos; modò in rapidos Criminum Vortices mergantur; modò incauti in metuendam Cenſurarum Charybdim præcipites labantur; nunc Tartareis in Prædam cedant Piratis; nunc in Diuini Nominis Hoſtium Poteſtatem redigantur; & modò tandem aduerſis ſpirantibus auris, in Mari medio, vndarum facti Ludibrium, iactentur. Hoc tamen Miſeri infelicem ſuſceptæ ſolantur nauigationis euentum, quòd ea omnia, quæ Ignorantes, quæque Metuentes, ac proindè Ignari, ac Inuiti patiuntur, Supremum apud Iudicem, qui humana

altiùs intuetur corda, non ad Culpam, neque ad Pœnam adſcribantur, licèt quandoque hominum ante oculos, in faciem iudicantium, ipſi deliquiſſe putentur. Diuini igitur, Pontificijque Iuris Ignorantiâ, ac Metu, Inuoluntariæ redditæ hominum Actiones, eas non merentur Pœnas, quas ſcienter, ac ſpontè tranſgredientibus, Diuina, ac Pontificia Iura impoſuere. Verùm, cùm non omnis, qualiſcumque illa ſit Ignorantia, nec Metus omnis ab Eccleſiaſticis excuſet Cenſuris, videndum proindè erit, cùm iàm de Duellatorum Pœnis, ſatis ſuperque egerimus, quandonàm ob Ignorantiam, Metumque, ſint à Duellicis Cenſuris excuſandi Duellatores.

QVÆSITVM I.

An inuincibiliter Ignorans ſub Cenſuris prohiberi Duella, Excommunicationem contraheret, ſi Duellum iniret?

S V M M A R I V M.

1 *Quandò dicatur quis, inuincibiliter, aut probabiliter aliquid ignorare?*

2 *Qui Inuincibiliter ignoraret ſub cenſuris prohibita eſſe Duella, Excommunicationem non contraheret, ſi Duellum iniret,*

3 *Quæ requiruntur ad contrahendam cenſuram. non reperiuntur in eo, qui inuincibiliter ignorat, &c.*

1 DICITVR aliquis *inuincibiliter, ſeù probabiliter*, ignorare aliquid eſſe prohibitum quandò Ignorantiam talis prohibitionis *vincere nō potuit*: Vndè qui nihil vnquàm de Duellicis audiuit Cenſuris, vel nihil vnquàm dubitauit, aut cogitauit, dicitur habere *Ignorantiam inuincibilem*, ſeù probabilem Duellicæ Cenſuræ; quia enim poteſt eius rei Ignorantiam vincere, cuius nihil menti occurrit, per quod poſſet illam vincere, acquirendo ſcientiam oppoſitam. — Quidnam ſit, inuincibiliter aliquid ignorare?

Dicitur prætereà aliquis *probabili, & inuincibili laborare Ignorantia*, quandò *ignorat* ea, quæ ſcire tenetur, & poſito dubio debitam adhibuit diligentiam ad ea cognoſcenda, ſed nondùm cognouit, V. g. Vir aliquis Nobilis dubitare incœpit, nùm contrà Duellatores latæ ſint Pontificiæ Cenſuræ: Is dicitur probabilem habere Duellicæ Cenſuræ Ignorantiam, ſi Alijs ſe peritionibus conſultis rei veritatem non inuenit. Hoc poſito,

2 Reſpondetur ad Quæſitum Negatiuè. Ità Siluêſter, *verb. Excommunicatio 2. notab. 3.* Nauarrus, *cap. 27. num. 16. & cap. 23. num. 47.* Couarruuias, *cap. Alma mater. 1. par. §. 10. num. 6.* Henriquez, *lib. 13. cap. 23.* Sanchez, *in Summa, lib. 1. cap. 16. num. 18.* Vgolinus, *tabul. 1. cap. 9. §. 8.* Molina, *tract. 5. diſp. 71. num. 8.* Suarez, *diſp. 4. ſect. 8. num. 6.* Filliucius, *Quæſito 10. num. 250.* Reginaldus, *lib. 9. num. 200.* Sayrus, *lib. 1. cap. 18.* Bonacina, *de Cenſuris, diſp. 1. quæſt. 2. punct. 1. num. 7.* & Alij apud Valentiam, *tom. 4. diſp. 17. qu. 17. punct. 7.* & apud — Reſponſio ad Quæſ. Siluester. Nauarr. Couarru. Henriq. Sanchez. Vgolin. Molina. Suarez. Filliuc. Reginald. Sayrus. Bonacin. Valentia.

Al-

Alterius.
Salas.

Alterium *lib.3. diſp.2. cap.3.* necnon apud Salas, *de Legibus, diſp.15. Sect. 11.* qui omnes aſſerunt, *Ignorantiam probabilem*, tàm Iuriscõmunis, quàm particularis, à contrahendis Cenſuris excuſare; ex quo valet inferri in caſu poſito, eum, qui Duellum committeret, Duelli prohibitionem *probabiliter ignorans*, à Duellicis Cenſuris immunem eſſe.

Ratio.

3 Ratio autem à priori eſt, quia ad contrahendam Cenſuram requiritur *contumacia*; ſed qui *probabiliter ignorat*, non eſt *Contumax*: ergo nec Cenſuras contrahere debet. Prætereà ad incurrendam Cenſuram requiritur aliqua *monitio*: ſed Ignorans latam eſſe Cenſuram, non cenſetur *admonitus*; aliòquin non ignoraret: ergo non incurrit Cenſuram. Adde, Cenſuram *pœnam eſſe medicinalem*: Sed ſi per Ignorantiam contraheretur, *obeſſet* potiùs tanquàm Venenum, quàm velutì Medicina *prodeſſet* ergo &c. Ità tandem patet *ex cap.2. de Conſtitutionibus, in 6.*

QVÆSITVM II.

An Duellatores Scientes Duella prohibita quidem eſſe Diuino Iure, at inuincibiliter Ignorantes, ea ſub Cenſuris ab Eccleſia prohiberi, Duellum ineuntes ſint Excommunicati?

SVMMARIVM.

1 *Duellicas cenſuras non contrahunt Duellatores in caſu poſito.*

2 *Prædicti Duellatores licèt contrà diuinum ius peccent, non peccant tamen contrà præceptum Eccleſiæ, nec contrà Eccleſiam contumaces dicuntur.*

3 *Quomodò intelligendum ſit, quòd (ſcire, & debere ſcire paria ſint) Nemo tenetur ſcire id, de quo inuincibili laborat Ignorantia.*

Illud Axioma non eſt vniuerſaliter verum.

Reſponſio negatiua. Nauarrus. Siluester. Vaſquez. Bonacina. Auila. Couarru.

1 BREVITER Reſpondetur cum Nauarro, *cap.27. num.272.* Silueſtro, *verb. Excommunicatio. vltim. Quæſit.3.* Soto, *diſtinct. 28. quæſt. vnica. art.2.* Vaſquez *dub.16. num.6.* Filliucio, *cap.8. Quæſit.10. nu. 253.* Suarez, *diſp.4. Sect.8. nu.20:* Bonacina, *de Cenſuris diſp.2. qu.2. punct. 1 propoſ.1. num.7.* & alijs Doctoribus contrà Auilam, *2. par. cap.5. diſp.15. dub.10. concl.2.* Couarruuiam, *cap. Alma Mater. 1. par. cap.10. num.12.* & Alios: In caſu poſito, dictos Duellatores nullo pacto contrahere Duellicas Cenſuras, à Summis Pontificibus, ac Tridentino Concilio, Duellum committentibus impoſitas.

Ratio.

2 Probatur; Quia licèt huiuſmodi Duellatores *Contrà Diuinum Ius* peccent, Monomachiam Diuino Iure prohibitam ineundo, non tamen peccant *contrà Præceptum Eccleſiæ*, nec *contrà Eccleſiam Contumaces* dicuntur, cùm Eccleſiaſtici Iuris Duellum prohibentis (vt ſupponimus) *inuincibilem habeant Ignorantiam*, cum qua non adeſt *contemptus*, nec *contumacia*.

Argum.

3 Sed Obijcies: Scire, & debere ſcire, paria ſunt; Sed qui committit Duellum, ſciens prohibitum eſſe ſub Cenſura, Duellicas incurrit Cẽſuras: ergo illas etiam incurrit, qui Duellum committit ignorans, illud ſub Cenſuris eſſe prohibitum.

Solutio.

Reſpondetur *Primò*: Tranſeat, Scire, & debere ſcire paria eſſe; neminẽ autem teneri ſcire id, cuius nullam habuit cognitionem, ſeu de quo *Inuincibili laborat Ignorantia*. *Secundò*: Non eſſe vniuerſaliter verum, ſcire, & debere ſcire, paria eſſe, vt pa-

tet

tet in Cenſuris, impoſitis contrà præſumentes aliquod delictum perpetrare; quas conſtat non incurri ab ijs, qui vincibili Ignorantia laborant. Cùm ergò in caſu poſito, Duellatores, nullam, vt ſupponimus, Duellicæ Cenſuræ cognitionem habuerint, non poteſt inferri, eos teneri illas ſcire, ac proindè neque quòad ipſos ſcire, & debere ſcire in hoc caſu paria eſſe. Ex quo ſequitur, quod quàmuis Duellatores ſcienter Duellum ineuntes, ſint excommunicati; non tamen Excommunicationem contrahent, qui inuincibili Ignorantia laborantes, Duellum inirent.

QVÆSITVM III.

An Duellatores Vincibili, Craſſa, & Affectata Ignorantia laborantes, Duellum ineundo, ſint Excommunicati?

SVMMARIVM.

1 *Quænam ſit vincibilis ignorantia?*

2 *An ignorantia ſimpliciter vincibilis diſtinguatur à craſſa, & ſupina?*

3 *Quænam ſit ignorantia ſimpliciter vincibilis; Quæue craſſa, & ſupina?*

4 *Ignorantia affectata quæ ſit?*

Hæ tres ignorantiæ non æqualem continent malitiam, ſed minorem inuoluit vincibilis; maiorem craſſa, & ſupina; maximam autem affectata.

5 *Probabile eſt ignorantiam vincibilem moraliter, quæ non ſit craſſa, & ſupina, excuſare à Duellicis cenſuris.*

6 *Ignorantia craſſa, quæ non excuſat à peccato mortali, nec etiam excuſat à contrahendis Duellicis cenſuris.*

7 *Ex Cap. Vt animarum, de conſtitut. &c. quænam ignorantia excuſet à ſententijs quorumcumque Ordinariorum?*

8 *In Duello inito ex tali ignorantia craſſa, & ſupina, quæ non excuſat à peccato mortali, adeſt contemptus, & contumacia, ob quam infliguntur poenæ cenſurarum.*

9 *Ignorantia affectata, nullo pacto excuſat à contrahendis Duellicis cenſuris.*

10 *An Duellatores, affectatè Duellicas cenſuras ignorantes, eas contraherent, ſi in ſententia cenſurarum contrà Duellatores, apponeretur ea conditio, vt dictas cenſuras contraherent, qui ſcienter, temerè, vel conſultò tranſgreſſores extiterint, & his ſimilia?*

11 *Ad incurrendas dictas cenſuras, quænam temeritas requiratur?*

12 *Verba legis pœnalis non ſunt extendenda vltrà proprium ſignificatum; ſed potiùs ſunt reſtringenda.*

13 *Peccatum ex ignorantia affectata commiſſum; an ſit grauius, quàm ſi ex certa ſcientia committeretur: & cur tale peccatum non puniatur poena excommunicationis, in qua ſupradictæ clauſulæ, temerè, ſcienter, &c. apponuntur?*

1 IGNORANTIAM Vincibilem cum cõmuni Theologorum appello eam, quæ *vinci potuit*; Sed Ignorans non adhibuit ſufficientem diligentiam, iuxtà qualitatem negotij ad illam vincẽdam: vt ſi habens aliquod officium, diligentiam non adhibuit ad cognoſcendum ea, quæ pertinent ad proprium officium, *Inſtit. de leg. Aquil. §. Prætereà.* vbi habetur: Imperitiam in re ad proprium officium pertinente, non excuſare, videlicet, quòad præſumptionem Fori Externi; vel etiam in Foro Conſcientiæ, dummodò Ignorans, aduertentiam aliquam ſuæ Ignorantiæ, vel obligationis habuerit, & negligens in veritate quærenda fuerit: Verum ta- Ignorantia vincibilis quænam ſit?

men

men eſt, Ignorantiam Vincibilem, aliam eſſe, in qua grauis negligentia intercedit, aliam; in qua leuis negligentia concurrit, non ſufficiens ad mortale, ſed tantùm ad veniale peccatum.

Auila. Sotus. Sanchez. Henriq. Bonacina.

2 Hæc autem *Vincibilis Ignorantia*; alia eſt *ſimpliciter Vincibilis*, diſtincta à *Craſſa, & Supina*. Ità Auila, 2. *par. cap.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 8. Sotus, *diſp.* 28. *quæſt. vnica, art.* 2. Sanchez, *lib.* 9. *de Matrim. diſp.* 32. *num.* 33. Henriquez, *lib.* 13. *cap.* 23. *num* 2. Bonacina, *de Cenſuris, diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 4. & Alij. Quod Mihi quoque ſic probabiliùs dicendum videtur; quandoquidem omnis Ignorantia Craſſa, & Supina, eſt Vincibilis; ſed non omnis Ignorãtia Vincibilis eſt Craſſa, & Supina.

Quid ſit ignorantia ſimpliciter vincibilis?

3 Ignorantia igitur *Simpliciter Vincibilis*, ſeu quatenùs diſtincta à *Craſſa, & Supina*, contingit quandò quis non adhibuit mediocrem diligentiam, morali, & humano modo ad ſciendum id, quod ſcire tenetur.

Quid craſſa & ſupina?

Ignorantia verò *Craſſa, & Supina* dicitur illa, quæ procedit ex lata culpa Ignorantis, ſeu ex ſumma negligentia, vt accidit quandò quis nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam ad cognoſcendum id, quod ſcire tenetur, poſtquàm de illo cognitionem aliquam, aut dubium habuit.

Quænam ſit affectata ignorantia?

4 Ignorantia tandem *Affectata* contingit, quandò quis eligit neſcire præceptum, vt liberiùs peccet. Vndè, ſi Vir Nobilis v.g. poſitiuè eligat nolle ſcire contrà Duellatores latas eſſe Cenſuras, vt Duella liberiùs committere poſſit, dicitur habere Ignorantiam Affectatam. Tres igitur Ignorantiæ, nimirùm *Vincibilis, Craſſa ſeu Supina, & Affectata* comparari poſſunt inuicẽ, tanquàm quid *minus, maius, & maximum*, ità ut *Minorem Malitiam* inuoluat Ignorantia Vincibilis, *Maiorem* Craſſa, & Supina, *Maximam* verò Affectata. His poſitis.

Prima reſponſ. ad Quæſitũ.

Ignorantia vincibilis moraliter an excuſet?

Bonacina.

5 RESPONDETVR *Primò* ad Quęſitum, probabile eſſe *Ignorantiam Vincibilem* moraliter, quæ non ſit *Craſſa, & Supina*, excuſare à Duellicis Cenſuris. Ità cum Sanchez, & Nauarro non improbabiliter defendi poſſe, aſſerũt Bonacina *loc. cit. n.* 10. & alij. & patet *ex c.* 2. *Vt animarũ. de Conſtitutionib. in* 6. vbi generaliter aſſeritur, Ignorantiam, quę non eſt Craſſa, vel Supina excuſare ab omnibus Sententijs quorumcumque Ordinariorum: Nomine autem Sententiæ intelligitur Excommunicatio, & cæteræ Cenſuræ; ergo, qui non craſsè, & ſupinè, ſed ſolummodò vincibiliter ignorat Duellicas Cenſuras, erit Immunis ab Excommunicationis Sententia, contrà Duellatores latæ.

Secunda reſp ad Quæſ.

Quid ſi adſit ign. craſſa?

Molina. Sanchez. Auila. Salas. Suarez. Coninch. Filliucius. Reginald. Alterius. Bonacina.

6 RESPONDETVR *Secundò* cum Molina *tom.* 4. *diſp.* 53. *num.* 4. Sanchez *loc. cit. num.* 31. Auila *loc. cit. dub.* 10. *concl.* 2. Salas, *de legibus, diſp.* 15. *Sect.* 9. *num.* 111. Suarez, *tom.* 5. *diſp.* 4. *Sect.* 10. *nu.* 10. Coninch, *diſp.* 13. *dub.* 11. *num.* 94. & 95. Filliucio, *cap.* 8. *quæſit.* 12. Reginaldo, *lib.* 9. *num.* 198. Alterio, *lib.* 3. *diſp.* 2. *cap.* 3. *colum.* 8. *verſic. Dico tertiò.* & Bonacina *loc. cit. num.* 10. Duellatores vincibiliter, & culpabiliter Duellicas Cẽſuras ignorantes, ea inquam Ignorantia laborantes, quæ *Craſſa* eſt, & non excuſat à *culpa mortali*, excuſatos non fore à Duellicis Cenſuris, ſi Duellum inierint. Ità præcitati Doctores generaliter aſſerunt de Craſſa Ignorantia, reſpectu cuiuſcumque Cenſuræ; vndè idem conſequenter aſſererent de Ignorantia Craſſa reſpectu Duellicæ Cenſuræ, cùm eadem in materia Duelli ratio, eademque Ignorantia militare poſſit.

Prima ratio.

7 Probatur *Primò*: Quia in *cap.* 2. *Vt animarum. de Conſtitutionibus in* 6. generaliter aſſeritur, Ignorantiam, quæ non ſit *Craſſa, nec Supina*, excuſare ab omnibus Sententijs quorumcunque Ordinariorum, vt ſuperiùs diximus: ergo à contrario

valet arguere, Ignorantiam, quæ ità eſt Craſſa, & Supina, vt non excuſet à culpa mortali, non excuſare ab incurrendis Duelli Cenſuris.

Altera ratio.

8 Probatur *Secundo:* Quia Duellicæ Cenſuræ dicuntur pœnæ *Contemptus, & Contumaciæ* contrà Eccleſiam, Duella prohibentem: Sed in Duello inito ex Ignorantia adeò Craſſa, vel Supina, vt non excuſet à mortali peccato, videtur ſufficienter adeſſe *contemptus, & contumacia:* ergo etiam Cenſuræ in dictæ contumaciæ pœnam: Quandò verò Ignorantia ità leuis eſt, vt excuſet à culpa mortali, excuſet etiam à Cenſuris; cum Cenſura grauis non incurratur ob veniale peccatum.

Tertia Reſp.

Affectatè ignorantes non excuſantur.

9 RESPONDETVR *Tertio:* Duellatores *Affectatè* Duellicas Cenſuras *ignorantes*, nullo pacto immunes fore ab iiſdem Duelli Cenſuris contrahendis. Sequitur à fortiori ex dictis; Si enim *Craſſè, & Supinè Ignorantes* à dictis Cenſuris non excuſantur, multò minùs *affectatè ignorantes*. Præterea, quia cum huiuſmodi Ignorātia reperitur maxima *præſumptio, & cōtumacia* ergo &c.: Et tandē quia Ignorantia Affectata nō minuit culpam, ſed auget, cùm delinquens eligat illam Ignorantiam, vt liberiùs peccet. Ità Gloſſa *Clement.* 1. *verb. Scienter, de Conſang.* Francus, *cap. 2. num. 4. de Conſtitut. in* 6. D. Antoninus, 3. *par. tit. 24. cap. 24. ſtatim in principio.* Roſella, *verb. Excommunicatio. 1. caſu 43. num* 2. Silueſter, *verb. Excommunicatio. 9. caſu 41. num. 76. in fine,* Tabiena, *verb. Excommunicatio 5. caſu 49. nu. 3. notab. 2.* Graffius, 1. *par. Deciſ.* Henriquez, *lib. 13. de Excommunic. cap. 23. num.* 3. Petrus de Ledeſma, *num. 36. in fine.* Suarez, *tom. 6. in 3. par. diſp. 4. Sect. 10. num.* 1. Sanchez, *de Matrim. tom. 2. diſp. 32. num. 40.* Bonacina *loc. cit.* & Alij.

Francus. D. Anton. Roſella. Silueſter. Tabiena. Graffius. Henriq. Ledeſma. Suarez. Sanchez. Bonacina.

Quarta reſponſio ad Quæſ.

10 RESPONDETVR *Quartò:* Si in Sententia Cenſurarum, quæ hactenùs contrà Duellantes latæ ſunt, vel in poſterùm ferendæ eſſent, apponeretur conditio illa, ſeù clauſula, vt nimirùm dictas contraherent Cenſuras, qui *Scienter, temerè, vel conſultò Transgreſſores extiterint,* & his ſimilia; in tali inquam euentu, Duellatores etiam *affectatè* Duellicas Cēſuras *ignorantes*, eas non contraherent. Hanc Sententiam contrà prægitatos Doctores docent, ac tuentur Sanchez, tacitè ſe retractans, *lib. 2. Moral. cap. 10. nu. 38.* Anguianus *de Legibus, tom. 1. lib. 4. controuer. 4. num. 18.* Bonacina, *de Cenſuris, diſp. 1. quæſt. 2. punct. 1. propoſ. 2. num. 11.* & *diſp. 2. quæſt. 5. punct. 4. num. 9.* & *in Bulla Cœnæ, to. 3. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 4. nu. 9.* Filliucius, *tom. 2. tract. 2. cap. 7. num. 205.* & ex Noſtris, Duardus, *in Bulla Cœnæ lib. 2. quæſt. 36. num. 3.* Paſqualigus, *in Deciſionib. Moralib. deciſ. 376. num. 4.* & Thomas Del-Bene, *de Parlamentis dubitat. 4. Subſect. 31. corollar. 2. num. 2.* & Alij, qui omnes aſſerunt, quandò in Sententia Cenſuræ continerentur hæc verba: Qui ſcienter hoc fecerit, vel temerè, vel conſultò, vel qui præſumpſerit, vel qui contempſerit, vel qui temerarius Violator extiterit, ſit Excommunicatus, Suſpenſus, &c. tunc non fore Excommunicatos, qui contrà facerent, etiam ex Ignorantia Affectata, talis pœnæ.

Sanchez. Anguian. Bonacina. Filliucius. Duardus. Paſqualig. Thom. Del-Bene

Prima ratio.

11 Et Ratio eſt: Nàm Superior illo modo loquendi non videtur requirere quamlibet *temeritatem, præſumptionem,* vel *contemptum*, ſed eam videtur exigere temeritatem, ac præſumptionem, quæ *ex certa* proueniret *Scientia*, aut ſaltem coniuncta cum *ingenti temeritate* eſſet.

Altera ratio.

12 Præterea, verba legis pœnalis non ſunt vltrà proprium ſignificatum *extendenda*, ſed potiùs ſunt *reſtringenda, iuxtà Regulam, Odia, de regul. Iuris in 6.* Sed qui ex Ignorantia Affectata aliquid contrà legem facit, verè non facit ſcienter contrà legem: ergo non incurrit in pœnam contrà facientes ſcienter, latam à lege.

Sed

Argum. 13 Sed Dices: Peccatum *ex Ignorantia Affectata* commiſſum, grauius eſt, quàm ſi *ex certa Scientia* committeretur, ex eo, quia, qui eligit neſcire, vt liberiùs delinquat, videtur grauiùs contemnere legem, vt habetur 1.2.*quæſt*.6. *ar*.8. Sed qui ex certa Scientia delinquit contrà leges, Cenſuram inuoluentes, eſt Excommuuicatus: ergo etiam Excommunicationem contrahet, qui ex Affectata Ignorantia contrà dictas leges delinquet.

Solutio. Reſpondetur: Peccatum ex Ignorantia Affectata commiſſum, dici *grauius* per relationem tantùm ad actum internum voluntatis, quo voluit quis ex propoſito ignorare, vt liberiùs legem violaret; eo enim actu videtur magis legem contemnere: at verò *ſecundùm ſe*, *& abſolutè* conſideratum, eſt minùs graue, cùm ſit minùs voluntarium, quàm ſi ex certa ſcientia committeretur: Et Ratio eſt, quia quod *ſcienter* fit, eſt voluntarium *in ſe*, *ac directè*; quod autem fit *per Ignorantiam Affectatam*, eſt voluntarium tantùm *in cauſa*, *& indirectè*, ſcilicet in ipſa Ignorantia.

Cùm igitur Excõmunicatio non puniat principaliter actum internũ, ſed actum externũ, ſi talis actùs externus eſſet, vt ſupponimus, affectatè ignoranter factus, non eſſet punibilis pœna Cenſuræ, debitæ actui *ſcienter* facto. Ex quo in hac Duelli materia ſequetur, quòd ſi tales Cenſuræ latæ eſſent, vel ferrentur deinceps cum talibus clauſulis ſuperiùs enumeratis, Duellatores tũc affectatè ignorãtes, Duellum ineũtes, dictas non contraherent Cenſuras. Alia Argumenta circà hanc Sententiam de Affectata Ignorantia, à dictis Cẽſuris excuſante, videri poſſunt apud Thomam Del-Bene, *loc. cit.* qui acutiſſimè, & ſolidè Negatiuam Sententiam mordicùs tuetur. Nos ea breuitatis ergo omittimus, præſertìm cùm Duellicæ Cenſuræ, ſiuè à Summis Pontificibus, ſiue à Tridentini Concilij Patribus hactenùs latæ, non inuoluant verba illa ſuperiùs poſita, ſed ſimpliciter requirant tantummodò, Duellum *Ex condicto* initum eſſe.

QVÆSITVM IV.

An ſi quis ſciret ab Eccleſia prohiberi Duella, ignoraret tamen Ea ſub Excommunicatione prohiberi, Duellum committens, foret Excommunicatus?

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia pœnæ. quæ ſit, & quomodò contingere poſſit?*

2 *Duellatores inuincibiliter ignorantes pœnam Duello debitam, non contrahunt excommunicationem.*

2 *Hac ſententia de ignorantia pœnæ à cenſuris excuſante, an extendatur, non ſolùm ad cenſuras, ſed etiam ad alias quaſcumque pœnas exorbitantes, & extraordinarias?*

4 *An extendatur etiam ad pœnas mediocres, & ordinarias, ac iuxtà prudentis Viri iudicium accomodatas delicto?*

1 APPELLATVR hæc à Doctoribus *Ignorantia Pœnæ*, contradiſtincta ab *Ignorantia Iuris*: cõtingit autem, quandò neſcitur, latam eſſe talem *pœnam* contrà Delinquentes. Exemplum commune eſt de Percutiente Clericum, qui ſciet prohibitum eſſe ab Eccleſia percutere Clericum, & ſciret hunc quem percutit, eſſe Clericum, ſed ignoraret prohibitum eſſe ſub Cenſura percutere Clericum: Sic quoque ad rem noſtram, ſcit aliquis, Ec-

Ignorantia pœnæ contradiſtincta a ignorantia iuris, quomodò contingat?

cleſiam prohibuiſſe Duella; certus eſt quoque hoc Certamen in quo pugnat,eſſe formale Duellum;ignorat autem *pœnam Cenſuræ contrà Duellatores latæ*, hic dicitur habere Ignorantiam, non quidem Iuris, nec Facti, ſed *Pœnæ*, à Iure tali facto impoſitæ. His ſtantibus

Inuincibiliter ignorantes pœnã Duello debitam, non incurrunt in excomm.

2 Reſpondetur ad Quæſitum, Duellatores *Pœnam Duello debitam, inuincibiliter ignorantes*, nõ fore Excommunicatos. Ratio eſt,quia ad hoc, vt Delinquens incurrat in *pœnam* Iuris poſitiui ex delicto, nõ ſufficit, vt ſciat,cognoſcat,& aduertat actu, *opus eſſe peccaminoſum*, nec ſufficit, vt ſciat, cognoſcat, & aduertat actu *eſſe prohibitũ* à Iure poſitiuo: ſed requiritur, vt ſciat, cognoſcat, & aduertat actu *opus eſſe prohibitum*, & prætereà *ſub tali pœna*, id eſt cognoſcat, & aduertat actu, *& prohibitionem, & pœnam* Iuris poſitiui. Cùm ergo Duellatores in caſu poſito, nec ſcirent, nec cognoſcerent talem *pœnam* Duello impoſitam, ſequitur, quòd Duellum ineundo, Excommunicationem non contraherent, excuſante eos *Ignorantia Pœnæ*. Idque prætereà patet ijſdem rationibus in I. Quæſito adductis. Ità de quibuſcumque Cenſuris in communi loquentes, aſſerunt Na-

Nauarr. Lopez. Sanchez. Coninch. Carol.Maciga. Suarez. Filliuc. Bonac.

uarrus, *cap.*27. *num.*274. Lopez, & Alij apud Sanchez, *de Matrim.lib.*9. *num.*13. apud Coninch, *tom.*2. *diſp.* 13.*dub.*10.*num.*90. & apud Carolum Macignum, *de Horis Canonic. cap.*28. *num.*32. eoſque ſequitur Suarez, *diſp.* 4.*Sect.*9. *num.*19. Filliucius, *tract.*11. *cap.*8.*quæſit.*11.*nu.*257. Bonacina, *de cenſuris*, *diſp.*1. *qu.*2.*punct.*2.*propoſ.*3. *num.*13.

A' quibuſnam pœnis excuſari poteſt, qui inuincibiliter eas ignorat?

3 Aduertit autem Bonacina, Sententiam hanc de *Ignorantia Pœnæ* à Cenſuris excuſante, extendi à Nauarro *cap.*27. *num.*274. non ſolùm ad *Cenſuras*, ſed etiam ad *alias quaſcumque pœnas exorbitantes, & extraordinarias*; nàm pœna debet proportionari delicto: minùs autem delinquit, qui neſcit pœnam appoſitam eſſe tali Delicto, quàm qui illam nouit: ergo qui neſcit pœnam appoſitam eſſe tali Delicto, non incurrit eandem pœnam, quam incurrit ſciens talem pœnam appoſitam eſſe.

4 Hæc tamen Doctrina non eſt extendenda, inquit Nauarrus, ad *pœnas mediocres, & ordinarias*, atque iuxtà prudentis Viri iudicium *accomodatas Delicto*: nàm delinquens, aut nouit *pœnam mediocrem*, aut ſcire debuit, & potuit, ſaltem lumine Naturæ dictante, Delicta mediocriter punienda eſſe. *l. Ità vulneratus ff. Ad leg. Aquil.* Quarè ignorans pœnam Delicto appoſitam, non excuſatur à *mediocri, & ordinaria pœna*: excuſari verò poteſt ab *extraordinaria*, qualis eſt *Cenſura*, vel *Irregularitas ex Delicto*, Ità Nauarrus *loc. cit.* cuius Sententiam probabilem exiſtimant Sanchez, Suarez, quos refert, & ſequitur Bonacina *loc. cit.*

QVÆSITVM V.

An excuſandus eſſet à Duellicis Cenſuris, qui ignorans Duella eſſe prohibita, Duellum committeret; ſed ità tamen eſſet animo paratus, vt etiamſi ſciret Duellicam Prohibitionem, Duellare vellet?

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia Cõcomitans, quanàm ſit, & quibus modis contingere poſſit, præcipuè ineundo Duellum?*

2 *Talis ignorantia excuſat ab incurrendis cenſuris, & Irregularitate prouenientе ex delicto.*

3 *Cenſura incurritur ſolùm ob pecca-*

tum

tum externum prohibitum ſub cenſura.

4 *Prauus affectus, & actuale deſiderium duellandi, licet ſit peccatum, actus tamen externus Duelli, in tali caſu non imputatur in foro interno ad culpam cenſuræ annexam.*

5 *Qui Duellum init cum tali ignorantia Concomitante, an contrahat Cenſuras, ex eo quòd det operam rei illicitæ ſub cenſuris prohibitæ?*

Quænam ſit ignorantia cõcomitans? 1 THEOLOGI communiter Ignorantiam hanc *Concomitãtem* appellant; quia comitatur actum, & ſi ea non adeſſet, actus nihilominùs fieret; vt ſi aliquis Inimicum percuteret, credens eſſe feram, ſed nihilominùs illum percuſſiſſet, ſi ſuum Inimicum eſſe animaduertiſſet, hic diceretur habere Ignorantiam *Cõcomitantẽ*. Sic etiam in Caſu noſtro, poſſet hoc dupliciter contingere. *Primò modo*; Si quis ignoraret Certamen hoc, quod aggredi vult, eſſe formale Duellum prohibitum ab Eccleſia; ità tamen eſſet animo paratus, vt etiãſi ſciret, ac aduerteret eſſe formale Duellum, adhùc illud committeret. *Altero modo*; vt in Quæſiti titulo propoſuimus; quomodocumque autem id contingeret. (Dupliciter contingere poteſt talis ignorantia committẽdo Duellum)

Reſponſio ad Quæſ. 2 Reſpondetur ad Quæſitum Affirmatiuè. Ità Vaſquez 1.2.*quæſt.* 76.*art.*3. *diſp.*126. *à num.*4. & *de Excommunicatione dub.* 14. *num.*4. Sanchez, *de Matrim.lib.*9. quem refert, & ſequitur Bonacina, *de Cenſuris, diſp.* 1.*quæſt.*2.*punct.*2.*propoſ.*4.*num.*4. Molina, *diſp.*53. *num.*2. *tom.*4. & *tom.*6. *tract.*5.*diſp.*71. *nu.*8. Filliucius, *cap.*8. *quæſit.*9. Suarez, *diſp.*4. *Sect.*8. *nu.*8. & Alij, aſſerentes, Ignorantiam Concomitantẽ excuſare ab incurrẽdis Cenſuris, & Irregularitate prouenìente ex Delicto; qui idem quoque aſſererent de Duellicis Cenſuris, de quibus Ignorantia Concomitans adhùc haberi poteſt. (Vaſq. Sanch. Bonac. Molina. Filliuc. Suarez.)

Ratio. 3 Ratio autem eſt; quia Cenſuræ incurruntur ob peccatum *externum*, ſub Cenſura prohibitum; Sed Duellum initum ab *Ignorãte hìc, & nunc; Duellum eſſe prohibitum*, vel *hoc Certamen eſſe formale Duellum*, non inuoluit *peccatum externum* ſub Cenſura prohibitum: ergo nec pœnam Excommunicationis.

4 Et quàmuis prauus ille affectus, & actuale deſiderium Duellandi, ſit *peccatum*; nihilominùs actus ille externus Duelli non imputatur in foro interno ad culpam, Cenſuræ annexam; actus enim externus ſub Cenſura punibilis, habere debet malitiam, vt dixi, prohibitam ſub Cenſura, qualem nòn habet actus factus cum Ignorantia Concomitante.

Dubium. 5 Sed Dices: Qui Duellum init cũ Ignorantia Cõcomitante, ſeù *Prohibitionis*; ſeu *Duellicæ formalitatis*, dat operam *rei illicitæ*: ergo contrahit Cenſuras talem rem illicitam exercentibus impoſitas.

Solutio. Reſpondetur Negando Conſequentiam; non enim qui dat operam *rei illicitæ*, cuì annexa eſt Cenſura, Cenſuram incurrit, quandò laborat Ignorantia probabili alicuius circumſtantiæ, ſeù qualitatis facti, propter quam impoſita eſt Cenſura. Sic *in cap.Si verò.de Sent.Excommunic.* Deciditur, Eum, qui percuſſit Clericum non ligari Excommunicatione; & tamen conſtat hunc dediſſe operam rei illicitæ. Ità Vaſquez, quem ſequitur Bonacina *loc. cit.* Ergo, quàmuis talis Duellator rei illicitæ det operam, ſi tamen ignoret probabiliter hìc, & nunc, hoc eſſe formale Duellum, vel Duellum eſſe ſub Cenſura prohibitum, erit ab Excommunicatione excuſandus.

QVÆSITVM VI.

An Pugnans in Rixa, quam ex errore putet eſſe formale Duellum ſub Cenſuris prohibitum, ſit à dictis Cenſuris excuſandus?

SVMMARIVM.

1 *Excuſatur à cenſuris, qui pugnat in Rixa, quam ex errore putat eſſe formale Duellum ſub cenſuris prohibitum.*

2 *Cenſura non contrahitur, niſi exprimatur in Iure.*

3 *Cur peccet, qui aliquid committit, quod ex conſcientia erronea putat eſſe peccatum, cum reuera non ſit; non autem Excommunicationem contrahat, qui rixatur, putans illam rixam eſſe ſub Excommunicatione prohibitam, tanquàm Duellum?*

Sanchez. Suarez. Vaſquez. Bonacin.

1 RESPONDEO Affirmatiuè cum Sanchez, *lib. 9. de Matrim. diſp.* 32. *num.* 28. *&* 48. Suarez, *diſp.* 22. *ſect.* 1. *num.* 53. Vaſquez, 1.2. *quæſt.* 76. *art.* 3. *diſp.* 126. *& de Excommunicatione dub.* 14. *num.* 3. Bonacina, *de Cenſuris, diſp.* 1. *qu.* 2 *punct.* 1. *propoſ.* 4. *n.* 22. & Alijs communiter in ſimili aſſerentibus, Percutientem Laicum, qui crederet ex percuſſione Laici incurri Excommunicationem, non fore Excommunicatum.

Ratio.

2 Ratio autem eſt, quia Cenſuræ non contrahuntur, niſi ſint in Iure *expreſſa*: ſed in Iure *non exprimuntur* Cenſuræ contrà *Rixantes*, ſed contrà *formaliter Duellantes*: ergo Pugnans in Rixa, quam putat eſſe formale Duellum, Duelli Cenſuras non contrahit. Nec *erronea Conſcientia*, cum qua pugnat, inducere poteſt Excommunicationem; ſed legitima Superioris ſententia, quæ in hoc Caſu cùm non adſit, nec adeſſe poteſt Excommunicationis pœna.

Argum.

3 Sed Dices: Si aliquis *ex Conſcientia erronea* putat aliquid, quod non eſt peccatum, eſſe peccatum, illud committat, peccat; ſicur è contrà, ſi apprehendat aliquid eſſe bonum, & illud agat, quàmuis bonum non ſit, non peccat, cùm obiectum voluntatis ſit bonum, ac malum, non quomodocumque, ſed prout eſt in apprehenſione rationis; Ideò ſi ratio apprehendat aliquid, ac voluntati proponat tanquàm bonum morale neceſſarium, ac præceptum: eſto reipſa bonum non ſit, ſed malum; voluntas illud reſpuendo, conſentit in tràſgreſſionem Legis. Iterùm ſi ratio apprehendat aliquid, & voluntati proponat tanquàm moraliter malum, ac prohibitum; eſto reipſa malum non ſit, ſed bonum, ac honeſtum; voluntas illud amplectendo conſentit in obiectum malum, & prohibitum, adeòque peccat, vt benè docet D. Thomas, 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. & Richardus, *in* 4. *diſtinct.* 39. *art.* 2. *quæſt.* 3. Io: Gerſon, *par.* 2. *Operum, de natura, & qualitate Conſcientiæ*. Laymann. *tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Ergo pariter, ſi quis putet eſſe, tanquàm Duellum, ſub Excommunicatione prohibitam Rixam, & rixetur; Excommunicationem contrahet.

D. Thom. Richar. Gerſon. Layman.

Reſponſio ad argum.

Reſpondetur, negando Conſequentiam, & inter *committendum peccatum, & contrahendam Cenſuram*, aſſignatur diſparitas; ad hoc enim, vt aliquis *peccaſſe* dicatur, ſatis eſt ſi habuerit voluntatem tranſgrediendi Diuinam Legem, ſiuè ea voluntas proceſſerit *ex recta*, ſiue *ex falſa apprehenſione* peccati; vt benè in Argumento propoſito probatum eſt: At verò ad contrahendam Cenſuram non ſatis eſt *iniqua voluntas* Eccleſiaſticas tranſgrediendi Leges, ſed inſuper requiritur, vt reuera talis tràſgreſſio *annexam habeat Cenſuram*. Cùm igitur nulla ſit Rixæ; etiam, vt for-

ma-

male Duellum putatæ, *annexa Cenſuræ*; proindè aſſerendum eſt, Eum, qui in Rixa, tanquàm in Duello, ex errore, ſe Pugnare putet, eſſe à Duelli Cenſuris excuſandum.

QVÆSITVM VII.

Quidam Vir Nobilis in condicto Duelli loco, Inimicum, quocum Pugnare condixerat, expectans; Pugnauit interim cum altero Inimico, caſu illàc tranſeunte, quæritur an ſit à Duelli Cenſuris excuſandus?

SVMMARIVM.

1 *Cenſuræ Duelli contrà committentes Monomachiam lata, non contrahuntur à Duellatoribus, etiamſi ad Duelli locum acceſſerint, niſi actu Monomachiam commiſerint, vel per ipſos non ſteterit, quin ea committeretur.*

Excommunicatio ob delictum impoſita, non contrahitur, niſi delicto conſummato, niſi aliter exprimatur à Legiſlatore.

2 *Vir Nobilis pugnans in caſu poſito; excuſandus eſt à Duelli cenſuris.*

1 SVPPONIMVS Duelli Cenſuras, contrà Monomachiam Cõmittentes, iàm latas, non contrahi à Duellatoribus, etiamſi ad Duelli locum acceſſerint, niſi actu Monomachiam commiſerint; vel per ipſos non ſteterit, quin ea committeretur; vt fuſiùs dictum eſt in *Tract.* 2. *ſect.* 3. *Quæſito* 53. *&* *Quæſ.* 21. cùm Excommunicatio ob delictum impoſita, non contrahatur niſi *delicto conſummato*, dummodò aliter non exprimeretur à Legiſlatore: Sic, qui extendit manum, vel gladium euaginat ad percutiendum, vel vulnerandum Clericum, ſi reuera non percutiat, reuera non contrahit Excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente*. vt ibi diximus. Hoc poſito. *(Aliqua ſupponuntur.)*

2 Reſpondetur ad Quæſitum, prædictum Virum Nobilem in Caſu poſito, eſſe à Duelli Cenſuris excuſandum. Ratio eſt, quia Duelli Cenſuras ex vno capite non contraxit per ſolum acceſſum ad condictum locum, vt ſupponimus ex iàm dictis, poſita ſententia aſſerentium, Duelli Cenſuras, neque in Terminis Clementinæ Conſtitutionis, contrahi quòad principales, niſi pugna ſequatur, vel per ipſos non ſteterit, quin ſequeretur. *(Reſponſio ad Quæſ.)*

Nec ex altero capite, Duelli Cenſuras contraxit Pugnando cum altero Inimico, caſu illàc tranſeunte; quia reſpectu illius Inimici, talis Pugna non fuit formale Duellum; non enim erat condicta cum Illo, nec loci, & temporis aſſignatio ad Duellum requiſita præceſſerat: ergo ex nullo capite Excommunicationem contrahit. Ex quo ſequitur, poſſe in Foro interno à quocumque Confeſſario abſolui; dummodò reuera deindè cum priori Inimico, cum quo Duellum condixerat, non Duellaſſet. Hunc Caſum in terminis apud Doctores non reperio; Omnes tamen, qui ad eſſentiam Duelli, loci, ac temporis aſſignationem neceſſariò requiri aſſerunt, aſſererent conſequenter, Pugnam hanc caſu oblatam, & initam, non eſſe formale Duellum, ac proindè à Duellica eſſe Excommunicatione excuſandam. Vide, ſi placet, quæ in Secundo dicta ſunt Tractatu.

QVÆSITVM VIII.

Miles quidam cum Inimico Commilitone ſuo galeatus Duellare condixerat; ſed ad Duelli locum accedens, cum alio Milite galeato ibi inuento Pugnauit, ex errore putans ſuum eſſe Inimicum, quæritur an ſit ab Excommunicatione excuſandus?

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi.*

2 *Excuſatur in tali caſu Miles galeatus ab Excommunicatione.*

Talis pugna, non eſſet formaliter Duellum.

3 *Cur Excõmunicationis pœnam incurrat, qui ad loquẽdum accedens cum vna Moniali, ex errore colloquitur cum alia, non tamen ſi quis accedens ad Duellandum cum vno, ex errore Duellet cum alio?*

4 *Loquens cum Abbatiſſa, aut cum Nouitia, putans loqui cum aliqua alia Moniali; an contrahat Excommunicationem?*

5 *Qui decreuit legere librum hæreticum, & ex errore, putans legere librum hæreticum, legat librum canonicum, non contrahit Excommunicationem.*

6 *An Excommunicationem contrahat, qui decernens percutere vnum Clericum, ex errore percutiat alterum?*

7 *Nonnulli Theologi negant, talem percuſſorem incurrere Excommunicationem.*

8 *Etiamſi Excommunicationem incurreret talis percuſſor Clerici; aſſignatur diſparitas inter ipſum, ac Militem pugnantem in caſu poſito in præſenti Quæſito.*

1 NVLLI dubium eſt, quin ille alius Miles Excommunicationẽ non contraxerit Pugnando; Ipſe enim ab Alio ſe inuadi videns, vſus eſt Iure ſuo *Vim Vi repellendi*, quod omni Iure licitum eſt. Reſpectu tamen Militis *Inuadentis*, contracta videtur Duellica Excommunicatio, cùm reuera *Duellandi animum* habuerit, ad Duelli *locum* acceſſerit, & de facto Duellauerit. Quòd autem cum hoc vel cum illo Duellicam Pugnã inierit, hoc *materialiter* ſe habere videtur, ac proindè non ſufficere ad excuſandum Eum à Duellicis Cenſuris. Hoc tamen non obſtante Dubitãdi ratio.

2 Reſpondeo ad Quæſitum *Affirmatiuè*. Ratio eſt, quia talis Pugna non fuit *formale Duellum*; Duellum enim eſt Pugna Duorum, vel Plurium *ex condicto*, hoc eſt, ex mutua Conuentione, vtrinque deliberata, cum aſſignatione loci, & temporis; Sed hæc Pugna in Caſu poſito non fuit *ex mutua conuentione vtrinque* deliberata; *non enim iſti duo determinati Milites, Petrus*, ſcilicet *& Paulus* inuicem Pugnare condixerant; nec locum, tempuſque tali Pugnæ deſtinauerant, ſed *caſu, & ex errore* Singulare Certamen inierunt: ergo non *formaliter* Duellarunt, ſed tantummodò *materialiter*: ergo nec *formalis* Duelli pœnas contraxerunt. Reſponſio ad Quæſ.

3 Sed Dices *Primò*: Si quis acceſſerit ad colloquendum cum Monialibus, & loqui volens cum vna Moniali, *ex errore* colloquatur cum alia, contrahet Cenſuras Latas contrà colloquentes cum Monialibus: ergo ſimiliter, ſi aliquis acceſſerit ad Duellandum cum vno, & *ex errore* Duellauerit cum Alio, contrahet Cenſuras Duellatoribus impoſitas. Primum argum.

Reſpondetur negando Conſequentiam; & diſparitas eſt, quia in primo Caſu, Cenſuræ ſunt ſimpliciter impoſitæ *colloquentibus cum Monialibus*; vbi igitur conſummatur ta- Reſponſio ad arg.

lis actus colloquutionis, ſiue cum hac, ſiue cum illa, ſemper tamen eſt *formalis colloquutio cum Moniali*, ac proindè Excommunicationis pœnę obnoxia: in Caſu autem noſtro, Cenſuræ impoſitæ ſunt Duellatoribus, non quomodocumque, ſed *ex condicto*, vt patet ex Pontificijs Conſtitutionibus, *ibi: Excõmunicamus* &c. *ex condicto Monomachiam ineuntes:* Sed hic, & nunc, talis Pugna condicta cum Vno, & ex errore inita cum Alio, non eſt in rigore *Monomachia ex condicto:* ergo neque eſt Monomachiæ pœnis, ac Cenſuris punienda.

Putans loqui cum alia Moniali, & ex errore loquens cũ Abbatiſſa, vel Nouitia an contrahat Excom.

4 Vndè in paritate poſita de *Loquente cum Monialibus*, ſi quis v. g. putaret loqui cum alia Moniali, & ex errore loqueretur cum *Abbatiſſa* Monaſterij, vel aliqua *Nouitia*, iuxtà ſententiam aſſerentium, nec *Abbatiſſas*, nec *Nouitias* tali Excommunicationi ſubeſſe, eùm in pœnalibus ſtricta interpretatio ſit facienda, & nomine Monialium non veniat Abbatiſſa (de quo videri poſſunt Graſſius *tom.1.conſ.22.num.26.* & Diana *par.3.tract.2.reſol.48.*) Is inquam ſic loquens cum Abbatiſſa, vel Nouitia, non foret Excommunicatus; non alia ratione, niſi quia talis loquutio hic, & nunc non eſſet prohibita: ergo nec in Caſu poſito contraheretur Excommunicatio, eùm talis Monomachia materialis, non ſit ſub Excommunicatione prohibita.

Graſſius. Diana.

Alterum exẽplũ a pari.

5 Sic etiam, ſi quis decreuiſſet Hæreticorum librum legere, & *ex errore* putans legere librum Hæreticum, legeret librum Canonicum, non contraheret Excommunicationem, legentibus librum Hæreticorum impoſitam; talis enim lectio libri Canonici, etiam putati, vt Hæretici, non eſt ſub Cenſuris prohibita: ergo pariter dicendum de Pugna inita cum alio Inimico, cum quo non ſit condictum Duellum. Et Ratio à priori eſt, quia Eccleſia non punit ſub Cenſuris prauum illum internum affectum Duellandi, ſed actum externum Duelli *ex condicto* conſummati, qui actus externus in Caſu poſito, nullo pacto formaliter reperitur.

Secundũ argum. Qui decreuit percutere vnũ Clericum & ex errore percutiat alterũ an contrahat Excõ.

6 Dices *Secundò:* Si quis decreuerit percutere, aut vulnerare Caium Clericum v. g. & *ex errore* percutiat Titium Clericum, contrahet Excommunicationem Canonis, *Si quis ſuadente:* ergo pariter, ſi quis cõdixerit Duellare cum Caio Inimico, & *ex errore* Duellet cum Titio, contrahet Excommunicationem Duellatoribus impoſitam.

Prima reſponſio argum.

7 Reſpondetur *Primò:* Non deeſſe aliquos Theologos, qui negent, in Caſu poſito contrahi Excõmunicationẽ ab eo, qui *ex errore* aliũ percutit Clericum, ac illum, quem percutere intendebat, eùm talis percuſſio Clerici debeat eſſe volũtaria, & *in indiuiduo determinata* ad talẽ Clericũ, ad hoc, vt ſub Cẽſuris prohibita dicatur. Quicquid tamen ſit de hoc

Secunda reſponſio.

8 Reſpondetur *Secundò*, dando diſparitatem; quia in primo caſu, tàm intentio, quàm opus externũ eſt *iniurioſum Statui Clericali*, propter cuius *reuerentiam* impoſita fuit Excommunicatio, quia ergo talis percuſſio, ſiue Caij, ſiue Titij Clerici, ſemper tamen inuoluit *formalem iniuriam contrà Statum Clericalem, & contumaciam* contrà Eccleſiam; ideircò meritò eſt Excommunicationi obnoxia. Verùm Monomachia *ex errore* inita cum alio, & non cum eo, quocum indicta erat, non inuoluit talem *contumaciam in effectu*, licèt eam inuoluat *in affectu*, immò neque *in affectu*; poſſet enim contingere, immò probabiliter contigiſſet, quòd ſi Duellator animaduertiſſet illum reuera nõ eſſe ſuum Inimicum, Duellum non inijſſet cum illo. Dicendum eſt igitur, nullo pacto talem Pugnam poſſe dici *formale Duellum*, neque Excommunicationi ſubiectam, ac proindè talem Militem, vt in Quæſiti titulo propoſitum eſt, eſſe à Duellicis Cenſuris exeuſandum.

QVÆ-

QVÆSITVM IX.

Vtrùm metus grauis, ſeù cadens in conſtantem Virum, excuſet ab incurrendis Duelli Cenſuris?

SVMMARIVM.

1 *Metus grauis, ſeù cadens in conſtantem Virum excuſat ab incurrendis Cenſuris.*

2 *Metus grauis excuſat à tranſgreſſione, & contumacia contrà legem Eccleſiaſticam.*

3 *Quenàm licita ſint ex metu graui cadente in conſtantem Virum?*

4 *Metus grauis, an excuſet, quandò res eſſet intrinſecè mala?*

5 *Ex graui Metu Delinquentes, à peccato non excuſantur, ſi tale Delictum ſit intrinſecè malum. An verò ſint etiam à Cenſuris excuſandi?*

6 *Chriſtiani in Turcarum Triremibus contrà Catholicos ex graui metu remigantes, an ſint à peccatis, & Cenſuris immunes?*

7 *Turpiter loquens cum Monialibus x graui metu, peccat, ſed non eſt Excommunicatus.*

8 *Intrinſeca malitia Duelli, an induceret Excommunicationem, ſi ex graui metu Duellum iniretur?*

9 *Grauis metus incuſſus in contemptum Eccleſiæ, vel Fidei, &c. nec à peccatis, nec à Cenſuris excuſat.*

Prima Reſponſio ad Quæſitū.

1 RESPONDETVR *Primò* cum Nauarro, *cap.27. num.63. &* *num.* 130. Suarez, *diſp.4. Sect.3. nu.* 13. Auila, 2.*par.diſp.*8. *dub.*5. Salas, *de Legibus diſp.*11. *Sect.*1. Coninch, *diſp.* 13. *dub.*12. Filliucio, *tract.*11. *cap.*6. *quæſito* 4. *ad finem, num.*171. *& cap.*8. *quæſit.* 14. Duardo, *in Bull.Cœnę lib.*1. *cap.*1. *quæſit.*3. *num.*49. *& cap.*2. *qu.*2. *num.*19. Bonacina, *de Cenſuris tom.*1. *diſp.*1. *qu.*2. *punct.*3. *prepoſ.* 2. *num.* 2 Laymann *lib.*1. *tract.*5. *par.*1. *cap.*5. *num.*9. Thoma Del-Bene *de Parlamentis, dub.*4. *Subſect.*31. *coroll.*5. & Alijs, generaliter aſſerentibus *Metum grauem, ſeu cadentem in conſtantem Virum* excuſare ab incurrendis Cēſuris; nomine autem *Cenſurarum* hos Doctores *Duellicas* quoque *Cenſuras* intellexiſſe nō eſt dubium, aliòquin eas excepiſſent, ſi aliqua peculiaris ratio militaſſet in Cenſuris Duellicis, propter quam *metus grauis*, ab illis incurrendis non excuſaret.

Nauarrus. Suarez. Auila. Salas. Coninch. Filliucius. Duardus. Bonacina. Laymann. Thomas Del Bene

Ratio.

2 Et Ratio eſt; Quia *metus grauis* excuſat à *tranſgreſſione, & contumacia* contrà legem Eccleſiaſticam, cùm præcepta Eccleſiæ benignè ſint accipienda, nec credibile ſit, Eccleſiam velle obligare cum tanto rigore: ergo *metus grauis* excuſat etiam ab *incurrendis Cenſuris*, cùm Cenſuræ incurrantur ob *tranſgreſſionem, & contumaciam* contrà legem Eccleſiaſticam: ergo etiam à *Cenſuris Duelli*; vel detur diſparitas.

Cónfirm.

3 Confirmatur; Quia ex *metu graui cadente in conſtantem Virum* licitum eſt.

Quid ex Metu graui agere liceat impunè.

I. Celebrare Miſſam ſinè Altari, ſinè Veſtibus Sacris, vel lumine, vt docet Azorius, *tom.*1 *lib.* 1. *cap.*11. *quæſt.*11. contrà Caietanum, 1.2. *quæſt.*96. *art.*4.

Azorius. Caiet.

II. Celebrare licet cum aliqua cenſura, & poſt cibum, vt docet Ochagauia, *de Sacram. tract.*3. *qu.*12. *nu.*15. & ſinè mixtione aquæ, vt docet Becanus, *tom.*2. *tract.*2. *cap.*6. *qu.*4. *num.*8.

Ochagau. Becanus.

III. Sacramenta conficere in materia dubia, vt docet Henriquez, *lib.*1. *cap.*9. *num.*7. *in Gloſſa lit. B.*

Henriq.

IV. Miniſtrare Euchariſtiam peccatori occulto, vt docet Nugnus, *in* 3.*par.tom.*1 *quæſt.*80. *art.*6. *difficul.*4. & ſecundùm Sancium, *diſp.* 35. *num.*6. proferre ſinè intentione abſolutionem in Indiſpoſitum, vel in ſcrupuloſum nō habentē materiā.

Nugnus. Sanchez.

Vaſquez. Nauarr.

V. Licet *ex metu graui* inire Matrimonium Inualidum, propter impedimentum dirimens, cum intentione non conſummandi, vt docet Vaſquez, *in* 2.*diſp.*161.*cap.*3.*num.*17. contrà Nauarrum, *cap.*27.*nu.*141.

Suarez. Caietan. Diana.

VI. Communicare cum Excommunicato non tolerato, vt docet Suarez, *de Cenſuris, lib.*6. *Sect.*3. *num.*10. contrà Caietanum. 1.2. *qu.* 125. *art.*3. & alia ſimilia, ratione *metus in conſtantem Virum cadentis*, impunè agere licet, vt videre eſt in multis Caſibus, quos ſparſim inter tot millia caſuum, breui, qua ſolet, ſed clara; facili, ſed docta; prompta, ſed prudenti methodo ponit, ac ſoluit Diana in ſuis Moralibus reſolutioni bus: ergo pariter, ratione talis metus à *Duelli Cenſuris* excuſari poterit aliquis Duellator, graui metu adactus ad Duellum ineundum.

Obiectio.

4 Sed dices: *Metus grauis* excuſat, quandò res prohibita, non eſſet aliòqui *intrinſecè mala*; vt ſi quis v.g. graui metu adigeretur ad colloquēdum cum Monialibus, non peccaret, nec Excommunicationem contraheret: at ſi adigeretur ad Furandum, vel Adulterandum, peccaret quidem; quia Furtum, vel Adulterium ſunt *intrinſecè mala*, & inſuper contraheret Excommunicationem, ſi Furanti, vel Adulteranti impoſita eſſet Excommunicatio: Sed Duellum eſt *intrinſecè malum*: ergo ſi quis graui metu eſſet adactus ad Duellandum, & peccaret, & foret Excommunicatus.

Solutio.

5 Sed contrà; Quia rem eſſe *intrinſecè malam*, non obſtat, quin à Cenſuris Tranſgreſſorem excuſet, quàmuis committatur peccatum; *Peccatum* enim, & *Cēſura* ſunt *ſeparabilia*: poteſt ergo contingere, quòd ille Tranſgreſſor *peccet*, rem illam *intrinſecè malam*, etiam ex graui metu agendo, & non ſit Excommunicatus, cùm ſufficiat *metus grauis* ad excuſandum à *Cenſuris*, non verò à *Peccato*: Ità apertè docent nonnulli Doctores, & præſertìm Suarez, *loc. cit. num.*14. vbi ait: Oportet aduertere, aliquandò per legem Eccleſiaſticā ſub Cenſura prohiberi id, quod Iure Naturæ prohibitum eſt, vt v.g. Inceſtum cum Conſanguinea: contingere ergo poteſt, vt *metus* excuſet illum actum, vt prohibitum ab Eccleſia, etiamſi non excuſet libidinoſum acceſſum, qui *intrinſecè malus* eſt; & tunc quàmuis non omni culpa excuſetur, ratione *metus*, excuſabitur Cenſura; quia illa non contrahitur, niſi ob violationem præcepti Eccleſiaſtici, vt ſic.

Suarez.

Corollarium ex præcedenti Reſpōſione.

6 Ex quo, idem Suarez infert, excuſari poſſe à *Cenſura* (ſi lata ſit cōtrà adiuuantes Turcas, aduersùs Catholicos dimicantes) Chriſtianos illos, qui metu mortis remigant, etiam quandò Turcæ Chriſtianos perſequuntur, quamquàm fortè nō excuſentur à *peccato* contrà Naturalem legem; quia cooperantur poſitiuè ad actionem *intrinſecè malam*. Id quod, præter Suarez, alioſque præcitatos Doctores, docent Alij, vt videre eſt apud Sanchez *de Matrimonio diſp.*31.*num.*6. apud Auilam, Bonacinam, & Alios contrà Molinam, *tom.*1.*de Iuſt.diſp.*105.

Sanchez. Auila. Bonacina. Molina. Diana.

7 Sic etiam, vt tenet Diana, *par.*3.*tract.*2.*reſol.*48. Si Seruus, impellente ad id efficacibus minis Domino, ad Moniales accederet, & turpiter loqueretur, *peccaret* quidem, quia turpis loquutio eſt actio *intrinſecè mala*, ſed *non incurreret Excommunicationem*: nàm leges Eccleſiaſticæ non obligant cum tanto incommodo.

Reſponſio ad Minorē principalis Argumenti.

Patet igitur, Maiorem illam in Argumento poſitam, non eſſe veram, cùm ſtare poſſit, quòd aliquis peccet, rem *intrinſecè malam* agendo, & non ſit Excommunicatus.

8 Ad Minorem: Tranſeat Duellum vt ſic, eſſe *intrinſecè malum*; nonnulli enim Doctores id negant, vt diximus *Tract.*3. *Sect.*1. *Quæſit.*3.

num. 3. Sed dato etiam hoc, non ſequitur aliud ex vi argumenti, niſi Duellatorem graui metu adactum ad Duellandum, *peccare* quidem, non verò fore *Excommunicatum*; vt patet ex antedictis, cum multorum Sententia Doctorum, id in cæteris Cenſuris aſſerentium. Vel ſi eſt aliqua peculiaris ratio in *Cenſura Duelli*, aſſignetur diſparitas. Hæc autem Diſputationis gratia dicta ſint; Peritiorum enim Iudicio Theologorum Me libenter ſubmitto.

Secunda Reſponſio ad Quæſ.

9 RESPONDETVR *Secundò: Metum grauem*, qui cadat in conſtantem Virum, nullo pacto excuſare, neque à *Peccatis*, neque à *Cenſuris*, ſi incuteretur *in contemptum* Religionis, ſeù Fidei, ſeù Eccleſiaſticæ Poteſtatis; ità communiter præcitati Doctores. Quòd autem non excuſet, patet; quia agitur de vitando contemptu Religionis, & agitur de eius graui bono: quilibet autem tenetur vitare contemptum Religionis, & bonum commune præferre propriæ Vitæ; proindè mirum non eſt, Eccleſiam obligare ſub Cenſura, cum tanto incommodo, & rigore ad conſeruandam, tuendamque Religionem, & commune bonum.

Quarè ſi Eccleſia præciperet *Ieiunium*, & mihi (inquit Bonacina) metus Mortis incuteretur ad frangendum Ieiunium, non peccarem frangendo Ieiunium, eòquòd Eccleſia non obliget cum tanto incommodo: Si verò metus incuteretur ad frangendum Ieiunium *in contemptum Religionis*, & Eccleſiaſticæ poteſtatis, peccarem frangendo Ieiunium; teneor enim potiùs mortem obire, ob ſeruandum bonum commune Religionis, quàm frangere Ieiunium; conſequenter non euaderem Cenſuram, ſi frangenti Ieiunium conſtituta eſſet pœna Cenſuræ. Vide Bonacinam *loc. cit.* vbi etiam citat Coninch, *tom.* 1. *diſp.* 13. *dub.* 12. *concl.* 1. & 3. Suarez, *tom.* 5. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *num.* 3. *& ſeqq.* & Filliucium, *tract.* 11. *cap.* 8. *quæſito* 14. contrà Salas, *de legibus, diſp.* 11. *ſect.* 1. *num.* 5. *verſic. Ex hac concluſione*. Vndè in hac Duelli materia à fortiori valet arguere, quòd ſi alicui grauis metus incuteretur ad *Duellandum*, in contemptum Religionis, & Eccleſiæ; quatenùs inquam, parnipenderentur Cenſuræ contrà Duellatores latæ, in hoc Caſu, Duellator nullo pacto poſſet à *Duelli Cenſuris* excuſari.

Bonacina. Coninch. Suarez. Filliucius. Salas.

QVÆSITVM X.

Duo Impuberes condicto loco, & tempore, ſtrictis pugionibus Duellum inierunt; Quæſitum eſt, an Duellicas incidiſſent in Cenſuras? Erant enim Doli capaces.

SVMMARIVM.

1 *Cenſuræ aliæ à Iure aliæ ab Homine.*
2 *Pueri non contrahunt Cenſuras ab homine latas, ante Pubertatis annos.*
3 *Limitatio præcedentis ſententiæ.*
4 *Probabilis Reſp. Negatiua ad Quæſit.*
5 *Quinam Doctores Eam tueantur, & quali nitatur Fundamento?*

Præmittitur quædā pro Quæſiti Solutio.

1 PRO ſolutione ſupponimus *Primò*, Cenſuras, alias eſſe à *Iure*, alias ab *Homine*: nàm quàmuis omnis Cenſura proximè fundetur in alicuius hominis Voluntate, ac Poteſtate; quo ſenſu omnis Cenſura poſſet dici lata ab homine, vt inquit Suarez, *de Cenſuris, diſp.* 3. *ſect.* 1. quia tamen duobus modis poteſt homo ferre Cenſuram: Vno modo ferendo legem ſtabilem, ac permanentem, obligantem ſub hac pœna, quam ipſo facto incurrant eius Tranſgreſſores. Alio modo

po-

poteſt homo ferre Cenſuram proferendo ſententiam, aut præcipiendo aliquid in ſingulari actione, vel negotio, in quo non ſtabilitur Ius, aut Statutum permanens, ſed tranſitorium Mandatum. *Quando* ergo *Cenſura* fertur primo modo, dicitur eſſe à *Iure*; quia licèt Ius ab Homine proceſſerit; iàm verò talis Cenſura in ipſo Iure continetur. *Quandò* verò Cenſura fertur poſteriori modo, retinet veluti commune Nomen, & quaſi per Antonomaſiam, vel accomodationem, vocatur *Cenſura ab Homine*.

Excõmunicatio ab homine an contrahatur à Pueris?

2 Supponimus *Secundò*: Si loquamur de Excommunicatione ab Homine, nullo pacto Impuberes Eam contrahere, ſicut nec alias Pœnas latas ab homine; & ſic cùm in aliqua Diœceſi Excommunicantur, qui non ſunt Confeſſi, non comprehenduntur Pueri, ante annos Pubertatis, ideſt, ante *quatuordecim annos* completos, ſicuti *ex cap. 1. & cap. Referente, de delict. pueror.* docent Nugnus, *in addit. ad 3. par. quæſt. 6. art. 5. dub. 1.* Filliucius, *tom. 1. tract. 7. cap. 3. num. 72.* Vaſquez, *in 3. par. tom. 4. quæſt. 90. art. 2. dub. 4. num. 3.* Corduba, *in Summa, quæſt. 66. dict. 4.* Sanchez, *lib. 1. Moral. c. 12. n. 7.* & Sancius, *in Select. diſp. 26. n. 18.* Et Ratio eſt, Quia huiuſmodi ætas non cenſetur ſufficiens ad intelligendum ordinem iudiciarium. Propter quod, nec de Iure citari poteſt, nec ad agendum, vel defendendum Se in Iudicio admittitur *iuxtà cap. vlt. de Iudicijs in 6.* Et quanquàm in alijs Cauſis poſſit per Procuratorem, vel Tutorem agere: tamen in huiuſmodi cauſa, quæ valdè ad animum ſpectat, non poteſt ad hoc obligari. Ità docet ex Abbate, Socino, & Alijs, Vgolinus *tabul. 1. de Cenſuris, cap. 17. §. 3. num. 5.* & Suarez, *de Cenſuris, diſput. 5. ſect. 1. num. 19.*

Nugnus. Filliuc. Vaſquez. Corduba. Sanchez. Sancius.

Abbas. Socinus. Vgolinus. Suarez.

Quomodo præcedens Doctrina ex Suarez limitetur.

3 Quam quidem Sententiam, quoad hanc vltimam partem, ità accipiẽdam cenſet Suarez, vt ad ferendã iuſtè, & ſecundùm debitum Ordinem, Cenſuram, illa circumſtantia ætatis puberis requiratur; Non tamen, inquit, inuenio Ius, quo reddatur nulla Sententia Cenſuræ, lata in Impuberem: Et ideò, ſi aliòqui in re intercedat *vera contumacia*, & reliqua neceſſaria ad valorem Cenſuræ, & ex hac parte non cenſeo eſſe nullam: & ità illa ætas per ſe conſiderata, non pertinet ad capacitatem Cenſuræ, de qua nunc agimus. Quòd maximè verum habet, & in praxi ſæpè habet locum, etiam abſq; Iniuſtitia, vel Innocentia, in *Cenſura Interdicti*: nàm ſi Populus *Interdicitur*, ſinè dubio comprehenduntur etiam *Impuberes*, ſi iàm ſint *Doli Capaces*, quatenùs iàm poſſunt, vel etiã tenentur Sacris intereſſe, vel ea percipere, humano, & rationali modo illis rebus vtẽdo. Sic Ille. His poſitis.

Interdicta Ciuitate, an Interdicti cenſeantur Pueri?

4 RESPONDETVR ad Quæſitum: Probabile eſſe, dictos Pueros, etſi Doli capaces, quia tamen Impuberes, non incidiſſe in Duellicas Cenſuras. Hanc ſententiam conſequenter probabilẽ aſſerunt nonnulli Doctores, qui tenent Impuberes nõ ſubijci Cenſuris, Pœniſque latis à Iure (inter quas hæ Duellicæ Cenſuræ connumerantur) excepta Cenſura Canonis, *Si quis ſuadente Diabolo*. Ità contrà Vgolinum, *de Cenſuris, cap. 17. §. 3. num. 5.* Suarez, *in 3. par. tom. 5. diſp. 5. ſect. 1. num. 19.* Azorium, *tom. 1. lib. 7. cap. 41. quæſt. 10.* Henriquez, *lib. 8. cap. 42. num. 8.* & vtrumque Sanchez, *locò ſuprà citatò*, docet Caſtrus Palaus, *tom. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 24. §. 2. num. 9.* Thomàs Del-Bene, *De Parlamentis, dub. 4. ſubſect. 31. coroll. 4. num. 3.* Diana, *par. 5. tract. 9. reſol. 46. §. Sed contraria ſententia*: vbi citat etiam Cæleſtinum, *in Compend. Theol. Moral. tract. 3. cap. 6. num. 9.* Qui ait: Quòd vi Monitorij non tenentur *Impuberes* reuelare, quia Illi excuſantur à Cenſuris, ante Pubertatis annos. Idque eſt intelligendum, tàm de Cenſuris à Iure Latis, quàm ab homine. Sic Ille, & Emmanuel Sà

Reſponſio ad Quæſ.

Vgolinus. Suarez. Azorius. Henriq. Sanchez. Caſt. Pal. Tho. del-Bene. Diana. Cæleſtin.

Sà.

Layman. correctus, *verb. Cenſura num.* 2. citatus à Laymann, *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 10. probabiliter dicit, Cenſuram nunquàm incurri ante *annum* ætatis *decimum*, cùm Impubes, Pubertati proximus eſſe incipit.

Ratio. Quid de Irregularitate ſentiendum? 5 Ratio autem eſt: Quia ità in ſupradictis Textibus habetur, & ſequenda eſt communis deciſio Illorum, cùm Odia ſint reſtringenda. Vndè cum Auila, *de Cenſuris*, *par.* 7. *diſp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 13. & alijs Doctoribus contrà Laymann, *loc. cit. num.* 6. & Sanchez, *vbi ſuprà* tenet Thomas Del-Bene *loc. cit.* quòd Impuber, ſi occidat, vel mutilet, non contrahit Irregularitatem. (Auila. Layman. Sanchez. Tho. del-bene.)

Ex quibus omnibus patet in Caſu noſtro, probabile eſſe, vt diximus, tales Pueros, *etſi doli capaces*; quia tamen *Impuberes*, non contraxiſſe Duellicas Cenſuras. Dato autem, iuxtà Oppoſitam ſententiam, dictos Pueros contraxiſſe Cenſuras, poſſent tamen abſolui ab *Epiſcopo*, vel ab Alijs Facultatem habentibus, à ſimilibus Caſibus abſoluendi; Minor enim ætas excuſat Eos ab obligatione adeundi Summum Pontificem; vt latiùs *infrà* dicetur *Sectione ſequenti*.

SECTIO II.

DE ABSOLVTIONE A' DVELLI CENSVRIS.

CVM Abſolutione Opus abſoluo, licèt non omnibus numeris, vt animo volebam, & rei dignitas poſtulabat, abſolutum: ſed id temporis inopiæ, alijſque adſcribendum eſt negotijs, quæ calamum vlteriùs protrahere vetant, manuſque non ſcribendis, ſed agendis rebus dare operam iubent. Parebo, vel inuitus; nonnulla tamen, quæ neceſſariò ſunt hîc explananda, tacitus non præteribo: reliqua verò, quæ cum cæteris communia ſunt Cenſuris, quæque paſſim in tanta Scriptorum multitudine, obuia ſunt, libenter omittam; Et licèt Duellicæ Cenſuræ Abſolutionem, Apoſtolicæ Sedi Summi Pontifices, ac Tridentini Senatus Patres reſeruauerint, vt impetrandæ veniæ difficultas à patrando ſcelere, procliues in malum retardaret Mortales; ſæpè tamen contingere poſſet, vt Alijs hęc abſoluendi Facultas conceſſa cenſeatur; ideòq; breuiter explanabo, quandò à Duelli Cenſuris abſoluere poterunt Epiſcopi, quandò Regulares, quandò Cæteri Conſcientiæ Moderatores, & num in Mortis Articulo, etiam Clerici, vel Laici.

QVÆSITVM I.

An quandò Duellum eſt occultum, poſſit Epiſcopus à Pontificijs Cenſuris abſoluere Duellatores?

SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentinum conceſſit Epiſcopis tale Priuilegium abſoluendi, &c.*
Decretum Concilij Trid. non videtur reuocatum per Bullam Clementis VIII.
2 *Epiſcopus abſoluere poteſt Duellatores à Duelli cenſuris, quandò Duellicum delictum eſt occultum, vel nondùm deductum ad forum contentioſum.*
3 *Delictum vt cenſeatur publicum, & notorium, quidnàm requirat?*
4 *An, & in quo caſu poſſit Epiſcopus abſoluere à delictis occultis, annexam habentibus cenſuram Papæ reſeruatam?*

Quæ

Quenàm delicta dicantur occulta, quæ-ue publica?

5 *Prædicti Duellatores, ab Epiſcopo abſoluti, non tenentur poſteà adire Papam, aut Legatum.*

6 *Epiſcopus an poſſit talem facultatem abſoluendi, &c. alteri delegare?*

Reſponſio affirmat.

Cōc. Trid.

1 RESPONDETVR Affirmatiuè; vt patet ex Priuilegio conceſſo Epiſcopis in Tridentino, *ſeſſ.* 24. *cap.*6. quod non videtur abrogatum per Bullam Clementis VIII. cùm in Ea nulla fiat mentio facultatis Epiſcoporum, aut illius Concilij, quæ mentio neceſſaria videtur, vt illud Decretum cenſeatur reuocatum, ex Rodriquez, *tom.*1. *QQ. Regular. quæſt.* 8. *art.* 10. Sanchez, *lib.*3. *de Matrim. diſp.*26. *num.*7. *&* *lib.*8. *diſp.*35. *num.*17. Henriquez, *lib.*7. *cap.* 26. *num.* 3. & Alijs quampluribus apud Sanchez, *loc. cit. num.*27: Suarez, *de Pœnitentia, quæſt.*30. *ſect.*2. *num.*14. Peregrino, *de Duello quæſt.* 37. *num.*3. vbi citat Couarruuiam; & Alijs relatis à Bonacina, *in tractat. de Legib. diſp.*1. *quæſt.*3. *punct.*8. *§.*3. *nu.*13. contrà Graffium, *lib.*1. *cap.*7. *num.*20. & Alios. Immò clauſula generalis reuocatoria Priuilegiorum, non extenditur ad Priuilegia inſerta in corpore Iuris; vt ait *Gloſſa in l.*2. *§. Legati. ff. de rei vendicat.*

Rodriq. Sanchez. Henriq. Suarez. Peregrin. Couarr. Bonacina. Graffius.

2 Poteſt igitur Epiſcopus, iuxtà horum ſententiam Doctorum, abſoluere Duellatores à Duelli Cenſuris, quandò Duellicum Delictum *eſt occultum*, vel *nondùm eſt deductum ad forum contentioſum*; vt patet ex Tridentino *loc. cit.* Et præterea ità expreſsè ſentit Bonacina, *tom.* 1. *de Excommunicatione, diſp.*2. *quæſt.*6. *punct.*1. *propoſ.* 5. *de Excommunicatione ob Duellum contracta.*

Bonacina.

Duellum quandonā cenſeatur occultū?

3 Sed Petes: Quandonàm Duellum initum cenſeri poſſit, fuiſſe *occultum*: quandò verò *publicum, & notorium*?

Reſpondetur; De hoc Doctores nihil peculiariter aſſeruiſſe, poſſe tamen colligi à ſimili, ex eo, quod dicunt Doctores de *notorio Delicto*, ſeù *notoria percuſſione Clerici*, nimirùm illam eſſe *notoriam*, quæ patuerit Quinque hominibus; vt ait Aragonius, *in* 2.2. *quæſt.*102. *art.*9. vel Septem, vt vult Maſcardus, *de Probationib. tom.*2. *concl.* 1101. *num.*18. vel vt tenet Auila, *par.* 2. *cap.* 6. *diſp.* 2. *dub.*4. in Oppido Decem, aut Duodecim, in magna Ciuitate pluribus; Communis verò Doctorum ſententia id remittit iudicio Viri Prudentis, qui id ex Circumſtantijs actus, loci, & temporis diſcernat, pro quo videri poteſt Diana, *par.*2. *tract.*16. *reſol.* 22.

Aragon. Maſcard. Auila. Diana.

4 Addunt Alij, poſſe Epiſcopum abſoluere à delictis habentibus annexam Cenſuram Papæ reſeruatam, quādò ſunt *occulta*, vt diximus, quàmuis probari poſſint Teſtibus, modò nō ſint *publica, aut notoria in ratione Delicti*. Ità Henriquez, *lib.*4. *cap.*22. *n.*4. Auila, 2. *par. cap.*2. *diſp.* 1. *dub.* 11. *concl.* 1. Sanchez, *lib.*8. *de Matrim. diſp.*34. *num.* 55. *& in Summa*, *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 19. Suarez, *tom.*4. *diſp.* 30. *ſect.*2. *num.* 2. Alterius, *tom.* 2. *diſp.* 8. *cap.*3. *col.* 11. Reginaldus, *lib.* 1. *num.* 135. Azorius, 1. *par. lib.*8. *cap.* 19. Bonacina, *loc. cit. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. addens Delicta dici publica, quandò ſciuntur in maiori parte Viciniæ, vel Collegij, vel Parœciæ, vel Monaſterij, contrà Graffium *lib.*1. *Deciſionum*, *cap.*13. *num.*45. & Alios apud Auguſtinum Barboſam, & apud Garziam, *num.* 142. dicentes, illud dici occultum, quod non poteſt probari.

Henriq. Auila. Sanchez. Suarez. Alterius. Reginald. Azorius. Bonacina. Graffius. Barboſa. Garzia.

Prædicti Duellatores, abſoluti, non teneātur adire Papā, aut Legatum.

5 Ex dictis ſequitur *Primò*: Prædictum Duellatorem Excommunicatum, ab Epiſcopo abſolutum, non teneri poſteà adire Papam, vel Legatum: nàm *ſimpliciter fuit abſolutus* ex Priuilegio Tridentini. Ità in ſimili de Percutiente Clericum *occultè* docet Bonacina, *loc. cit. quæſt.*4. *punct.* 5. *num.*20.

Bonacina.

Epiſcopus an poſſit talem facultatem delegare?

6 Sequitur *Secundò*: Epiſcopum non ſolùm poſſe *per Seipſum* à tali Excommunicatione occultè delinquentes abſoluere, verùm etiam poſſe Alteri hanc facultatem non ſolùm in Caſu *particulari*, vt voluit Henriquez, *lib.*14.*cap.*19.*in fine*. ſed etiam *generaliter delegare* alicui Vicario ad id ſpecialiter deputato; nàm iſtà facultas competit Epiſcopo *Iure Ordinario*, cùm non ſit electa *induſtria perſonæ*: nàm quandò aliquid conceditur Prælatis præſentibus, & futuris, non dicitur eligi *induſtria perſonæ*, vt benè Sanchez, *de Matrim. lib.*2. *diſp.*40.*num.*17.*& lib.*3.*diſp.*7.*num.*20. vbi plures Alios refert. Reginaldus, *num.*258. & Alij, quos ſuprà retuli; facultas autem, quæ competit alicui, *Iure Ordinario*, poteſt ab eo *delegari*, vt eſt communis Doctorum Sententia. Hæc eadem ratio militat in Vicario Generali.

Henriq.

Sanchez

Reginald.

QVÆSITVM II.

Vtrùm quandò Epiſcopus occultum Duellatorem abſoluere poteſt, poſſit etiam Illum extrà ſuam Diœceſim exiſtentem abſoluere à Cēſuris Duelli, occultè initi in ſua Diœceſi?

SVMMARIVM.

1 *Abſens localiter, validè abſolui poteſt à Cenſuris.*

2 *Quandonàm ſortiatur ſuum effectum abſolutio abſenti collata?*

3 *Epiſcopus poteſt à dictis cenſuris, dum exiſtit in Diœceſi abſoluere ſuum ſubditum exiſtentem extrà propriam diœceſim, à talibus cenſuris ex occulto delicto contractis.*

4 *Tridentinum concedens Epiſcopis talem facultatem abſoluendi, non requirit abſolutionem Sacramentalem.*

5 *Abſolutio ab excommunicatione, conferri poteſt abſenti, nec requiritur ex Trident. vt Subditus ſit præſens, vel vt exiſtat in Diœceſi.*

1 PRÆMITTIMVS, Abſentem localiter validè abſolui poſſe à Cēſuris, vt ferè communitet ſentiunt Doctores, ac præſertim Suarez, *dub.*7.*Sect.*7.*num.*4. Filliucius, *tractat.*11.*cap.*10.*quæſito* 6. *num.*324. Reginaldus, *lib.*9. *num.*39. Auila, 2.*par. cap.*7. *diſp.*2. *dub.*1. Nauarrus, *cap.*26. *dub.*18. Rodriquez, *cap.*83.*num.*13. Alterius, *lib.*4. *diſp.*6. *cap.*1. & *tom.*2. *diſp.*8. *cap.*4. Bonacina, *de Cenſuris, quæſt.*3. *punct.*4. *propoſ.* 4. *num.*4. & Alij. Et Ratio eſt, quia ſicut Abſens *ligari* poteſt Cenſuris, ità & *abſolui* cùm fauores ſint ampliandi.

Suarez.

Filliucius

Reginald.

Auila.

Nauarrus

Rodriq.

Alterius.

Bonacina.

Abſolutio à cenſuris abſenti collata quandonà ſortiatur ſuum effectum?

2 Quandò autem talis Abſolutio Abſenti collata, ſuum ſortiatur effectum, an *ſtatim* ac forma Abſolutionis *pronunciata fuerit*, etiam ſi Nūtius, vel Epiſtola nondùm peruenerit ad Illum, cui confertur Abſolutio, an verò *ſtatim ac peruenerit*, fusè diſputant Doctores.

Sed hìc obiter Reſponderi breuiter poteſt, cū Bonacina *loc. cit.* Statìm operari effectū, ſi Abſolutio *abſolutè, & ſine conditione de futuro*, collata fuit, etiamſi ad aures Excommunicati nondùm peruenerit. Ratio eſt, quia Abſolutio Vim habet ex mente abſoluentis; & ſicut Excommunicatio ſtatìm ſuum operatur effectum, ità etiam Abſolutio; vt benè Alterius, *lib.*4. *diſp.*6. *cap.*1. *colum.*5. *verſic. Quarè. & tom.*2.*diſp.*8.*cap.*4.*contrà Gloſſam in cap. Quanto.*2.*quæſt.*5.*in verbo, Epiſtolam.* His poſitis.

Bonacina.

Alterius.

Reſponſio ad Quæſ.

3 Reſpondetur ad Quæſitum, poſſe Epiſcopum, dùm exiſtit in Diœceſi, abſoluere ſuum Subditum à talibus Cenſuris

ex occulto Delicto contractis, exiſtentem extrà propriam Diœceſim. Ratio eſt, quia Tridentinum, talem facultatem abſoluendi concedens Epiſcopis, non requirit *Abſolutionem Sacramentalem*, quæ impendenda eſt *Præſenti*. Et ex Altero Capite, vt ſupponimus, Abſolutio *ab Excommunicatione* conferri poteſt *Abſenti*, nec Tridentinũ requirit *Præſentiam* Subditi, vel vt Subditus *exiſtat in Diœceſi*. ergo
Sanchez. &c. Ità Sanchez, *in Summa lib.2.c.11.*
Coninch. *num.* 17. Coninch, *diſp.* 14. *dub.* 16.
Bonacina. *num.*242. Bonacina, *diſp.*1. *quæſt.*3.
*punct.*2. *propoſ.*1.*num.*1. *in fine* contrà
Suarez. Suarez, *diſp.*41.*Sect.*2.*nu.*10. & Alios, quorum opinio valdè probabilis eſt, præſertim ob declarationem Eminentiſſimorum Cardinalium,
Garzias. quam refert Garzias, *de Beneficijs.*11. *par.cap.*10.*nu.*139.

QVÆSITVM III.

An poſſit Epiſcopus abſoluere Publicos Duellatores, quandò adire non poſſunt Sedem Apoſtolicam pro Abſolutione?

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio ad Quæſitum affirmatiua.*

2 *Epiſcopus abſoluere poteſt ab excommunicatione ob Clerici percuſſionem, eos, qui Sedem Apoſtolicam adire nequeunt.*

3 *Pœnitentes, qui non poſſunt Sedem Apoſtolicam adire, remanerent remedio deſtituti, niſi permitteretur Epiſcopis in tali caſu, ſuos ſubditos abſoluere.*

4 *Ex Sacris Canonibus, facultas abſoluendi in caſu iuſti impedimenti, conceditur ſimpliciter Epiſcopis.*

5 *Ex Cap. Eos, de ſentent.excomm. colligitur, generaliter conceſſum eſſe Excommunicatis, vt poſſint ab alio abſolui, quãdò ità impediuntur, vt nõ poſſint abſolui à quo de iure abſoluendi erant.*

6 *Plura enumerantur impedimenta, ratione quorum excuſari poſſunt Excommunicati à recurſu ad Sedem Apoſtolicam.*

7 *Excommunicatus abſolui non poteſt ab Epiſcopo, ſi pro certo habeatur, vel probabiliter exiſtimetur eſſe breuis temporis impedimentum.*
Secùs ſi ignoraretur quamdiù duraturum eſſet impedimentum, vel diuturnum fore, pro certo, aut probabiliter haberetur.

RESPONDETVR Affirmatiuè. Ità docet Na- Affirmatiua Opinio
uarrus, *in Manuali*, Nauarr.
*cap.*27. *num.* 89. *verſic.* Siluester.
Ad primam. Siluester, *in* Tabiena.
*verb. Abſolutio.*4. *num.*7. *verſic. Quartò &c.* Tabiena, *in verb. Abſolutio.*2. Sanchez.
*num.*8. *in fine*. Sanchez, *de Matrim.* Felinus.
*tom.*1. *lib.*2.*diſp.*40.*num.*3, *propè finem.* Panorm.
Felinus, *in cap. Quamuis de Sentent.Ex-* Ancharan.
communicat. Panormitanus, *in cap. De* Geminian.
*cætero. num.*1.*verſic. Et circà de Sentent.* Vgolin.
Excommun. Ancharanus, *in cap. Eos.* Peregr.
*num.*1.*verſic. Tertiò not.* ibi. *Sed hic quæritur.* & Geminianus, *ibidem num.*5.*de Sentent. Excommunic.* quos refert, & ſequitur Vgolinus, *de Cenſuris in genere tabul.*1.*cap.*4.*§.*5.*nu.*13. & Peregrinus, *de Duello, quæſt.*37.*nu.*7.

2 Et probari poteſt *Primò* quia nulla ratio apparet, cur poſſit Epiſcopus abſoluere ab Excommunicatione *ob Clerici percuſſionem*, Impotentes Apoſtolicam Sedem adire, & nõ ab Excommunicatione *Duelli*: ergo &c. cùm eadem ratio ſit in iſta, ac in illa; *Argũ.cap. Cùm dilecta. de Confirm. vtil. vel inutil.* Præterea, ſi in tàm graui euentu, in quo ob Percuſſionem ſuadente Diabolo factam, Dei Miniſtri ab Alijs offenduntur, permiſſum eſt, vt Epiſcopus abſoluat: ergò multò magis in alijs Caſibus id permiſſum eſſe debet. Prima ratio.

Altera ratio.

3 *Secundò:* Tales Duellatores pœnitentes, dùm *iuſtè impediti* pro Abſolutione impetranda Apoſtolicam nequeunt Sedem adire, remanere non debent *remedio deſtituti:* Et reſeruatio hęc, cùm ob Charitatem, bonumque Chriſtianæ Reipublicæ Regimen fiat, veriſimile non eſt, quòd in tali euentu non permittatur Epiſcopis, vt ſuos abſoluere poſſint Subditos, vt benè noſter ait Peregrinus.

Tertia Ratio.

4 *Tertiò:* In *cap. Ea noſcitur. extrà, de Sentent. Excommunicat.* talis abſoluendi Facultas, in Caſu iuſti Impedimenti, *ſimpliciter* Epiſcopis conceditur, nullaque fit mentio de Excommunicatione lata ob Percuſſionem Clerici, nec ob aliam Cauſam.

Quarta ratio.

5 *Quartò:* Probatur per Textum *in cap. Eos de Sentent. Excommunicat. in 6.* Ex quo colligunt Doctores, *generaliter* hoc conceſſum eſſe, vt Excommunicatus, ab Alio abſoluatur, vbi *impeditur*, quòminus abſolui poſſit, à quo *de Iure* abſoluendus erat; ſiuè Sententia ſit *à Iure* lata, ſiuè *ab Homine:* Vndè cùm Textus generaliter loquatur, debet generaliter intelligi, *iuxtà Textum, in l. 1. §. Generaliter. ff. de legat. præſtan.* Ex quibus omnibus ſequitur, poſſe proprium Epiſcopum abſoluere Duellatores à Duelli Cenſuris, quandò *iuſto detinentur impedimento*, quòminus Apoſtolicam Sedem adeant. Idque intelligendum eſt de Duelli Cenſuris, tàm in terminis Clementinæ, quàm Gregorianæ Conſtitutionis propter eaſdem rationes.

Quænam impedimẽta excuſare poſſint à recurſu ad Sedem Apoſtolicam?

6 Sed Petes, quænàm ſint *Impedimenta*, quæ excuſare poſſunt Excommunicatum à *recurſu ad Papam.*

Reſpondetur, multa eſſe, quæ à Doctoribus enumerantur.

I. Periculum Mortis in Itinere; *cap. Si quis Suadente.* & alijs, *de Sentent. Excommunicat.*

II. Infirmitas longa, etiam non periculoſa; *ex cap. Quod de his. de Sentent. Excommunicat.*

III. Paupertas; nàm niſi mendicare ſoleat, non tenetur Romam ire mendicando, & ità intelligendum eſt *cap. Ea noſcitur. eodem titulo.*

IV. Ætas, ſiuè Senilis; *ex dicto cap. Ea noſcitur.* ſiuè Impubeſcens, *cap. Quàmuis eodem tit.*

V. Sexus Fæminilis; *cap. Mulieres. eod. tit.*

VI. Subiectio Filijfamilias ad Patrem, & Serui ad Dominum, quandò ſinè illorum graui præiudicio Papam adire non poſſunt; *cap. Relatum. eod. tit.*

VII. Cura Animarum, vel temporale Dominium, quandò ſubiectorum detrimentum timetur; *cap. Nè pro dilatione. de pœnitent. & Remiſſione.*

VIII. Debilitas in Viris Delicatis, qui labores itineris ſubſtinere non poſſunt; *cap. Quàmuis.* vt etiam debilitas in membris in Cæco, & Claudo; *cap. Ea noſcitur.*

Vltimò, quodlibet aliud, quod arbitrio Prudentis cẽſetur Impedimentum graue, & legitimum. Vide Bonacinã, *de Excomm. diſp. 2. q. 4. punct. 5. nu. 9.* Corneio, *in 3. par. tract. 5. diſp. 11. dub. 2.* Peregrinum, *loc. cit. nu. 12.* alioſque Doctores, fuſiùs prædicta Impedimenta explicantes. Bonac. Corneio. Peregr.

Quid ſi breuis temporis eſſet impedimẽtum?

7 In his igitur Impedimentis, poteſt Epiſcopus abſolutionis beneficium Excommunicatis impertiri. Quòd ſi pro certo haberetur, vel probabiliter exiſtimaretur, eſſe *breuis temporis impedimentum*, tunc nõ poſſet ab Epiſcopo abſolui Excommunicatus: nàm pauci temporis ratio haberi non debet. Ità docent Vgolinus, *de Cenſuris Eccleſiaſticis in genere tabul. 1. cap. 4. §. 5. nu. 16.* & Peregrinus *loc. cit.* Si verò ignoraretur quandiù duraturum eſſet impedimentum, vel *diuturnum fore* pro certo, aut probabiliter haberetur, tunc ſic impeditum abſoluere poſſet Epi-

ſco-

ſcopus ab Excommunicatione. Ità præcitati Doctores.

QVÆSITVM IV.

An poſſit Epiſcopus abſoluere Duellatorem iuſtè impeditum, etiamſi poſſit Sedem Apoſtolicam per Procuratorem adire? Et an poſſit Alteri in tali Caſu abſoluendi Facultatem committere?

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Epiſcopus abſoluere Duellatorem iuſtè impeditum, etiamſi poſſet per Procuratorem Sedem Apoſtolicam adire.*

Ius non cogit ad alium mittendum ad Sedem Apoſtolicam, ſed ad adeundam per ſeipſum.

2 *Epiſcopus diœceſanus committere poteſt Confeſſario nudum miniſterium abſoluendi, in aliquo caſu particulari.*

3 *Abſoluere poteſt Epiſcopus à cenſuris eum, qui licèt non poſſit Summum Pontificem adire, poſſet tamen recurrere ad Nuncium, vel ad alium habentem Priuilegium abſoluendi.*

Reſeruatio, vtpotè odioſa, ſtrictè explicanda eſt, nempè de recurſu ad ſolum Summum Pontificem.

Abſolutus ab Epiſcopo in tali caſu, an, & ſub qua pœna teneatur ſe præſentare Pontifici poſt impedimentum, & an Epiſcopus teneatur illi talem obligationem iniungere?

4 *Quid in caſu, quo pro impetranda abſolutione à cenſuris Papæ reſeruatis, Nec ipſum ſummum Pontificem, nec Legatum, nec Epiſcopum, nec alium facultatem habentem poſſet quis adire?*

1 AD PRIMVM, Reſpondetur *Affirmatiuè*; Quia Ius non cogit ad *Aliū* mittendum; ſed ad adeundam *per Seipſum* Apoſtolicam Sedem. Ità Nauarrus, *in Manuali, cap.27. nu.90. verſic. Ad Quintum, &c.* Vgolinus, *de Cenſuris in genere, tabul. 1. cap.4. §.5. nu.13. in fine*. Peregrinus, *quæſt.37 de Duello, num.9.* Reginaldus, *lib.1. num.256.* Sayrus, Suarez, Sanchez, Auila, Henriquez relati à Bonacina *tom.1. de Excommunicat. diſput. 2. quæſt.4. punct.5. num.11.* Hurtadus, *de Excommunicatione, diſput.15. difficult. 3. num.10.* Diana, *par.4. reſol.58.* & Alij. — *Reſponſio affirmat quoad primam partem. Nauar. Vgolin. Peregr. Reginald. Sayrus. Suar. Sanch. Auila. Bonac.*

2 AD SECVNDVM Reſpondetur: Epiſcopum Diœceſanum non ſolùm *per Seipſum* abſoluere poſſe dictum Excommunicatum, ſed etiam poſſe committere nudum Miniſterium abſoluendi in aliquo caſu particulari, *Confeſſario*. Ità habetur *ex Textu in cap. vltim. de Officio Ordinarij*, & docet *Gloſſa in cap. De cætero, in verb. Licet Diœceſano, de Sentent. Excommun.* Nauarrus, *in Manuali cap.27. num.45.* & *conſil.15. de Sentent. Excommun.* Silueſter, *in verb. Abſolutio. 4. num.6.* Sanchez, *de Matrimon. to.1. lib.2. diſp.40. à num.13. vſque ad finem*, Peregrinus, *loc. cit.* & Alij. Et Ratio eſt, quia Epiſcopus in dicto Caſu abſoluit, *virtute Iuriſdictionis Delegatæ* à Papa, vel ſibi conceſſę in *Priuilegium perpetuum*, ratione dignitatis, vel Virtute ordinarię Poteſtatis; vt docent Sanchez *citat. num.3.* & Peregrinus *loc. cit.* In quibus Caſibus poteſt concedere Alijs ſimplex Miniſterium abſoluendi. — *Reſponſio quoad ſecundam partem.*

3 Addendum prætereà eſt, poſſe etiam Epiſcopum abſoluere à Cęſuris eum, qui licèt non poſſit *Summum Pontificem adire*, poſſet tamen recurrere *ad Nuncium* Summi Pontificis, vel ad Alium habentem Priuilegium abſoluendi; quia exiſtente impedimento recurrendi ad Papam, reſtituitur Epiſcopo *ordinaria* — *An Epiſcopus abſoluere poſſit à cenſuris eum, qui licet nō poſſit adire ſummū Pōtificem poſſet tamen Nun cū adire?*

Poteſtas, quam per reſeruationem amiſerat: ergo non eſt, cur non poſſit abſoluere, nec cur Pœnitens Excommunicatus, ad Legatũ Apoſtolicum recurrere teneatur. Adde reſeruationem eſſe *odioſam*, *& ſtrictè interpretandam*. Vndè explicari debet de recurſu *ad ſolum Papam*; Ità Hurtadus, *de Excommunicatione, diſp.* 15. *difficul.* 3. *num.* 10. contrà Bonacinam, Peregrinum. & Alios; Qui tamen Hurtadus obſeruat, Excommunicatum ſic abſolutum ab Epiſcopo, teneri poſt impedimentum Se præſentare Pontifici, ſaltem per Procuratorem ſub pœna reicidentiæ, quam obligationem tenetur illi iniungere Epiſcopus, ſi non ſit Impuber.

4 In Caſu autem, quo nec Pontifex, nec Legatus, nec Epiſcopus, nec Alius Facultatem habens, adiri poſſet pro impetranda abſolutione à Cenſuris, Papæ reſeruatis, ſtante inquam, tali impedimento, docet Tannerus, *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 10. *dub.* 6. *num.* 122. poſſe talem Excommunicatum abſolui *à Parocho*, eoq; deficiente, *à quolibet Confeſſario approbato*. Vide Dianam, *par.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 6. *§ Non deſinam*. Tanner. Diana.

QVÆSITVM V.

Vtrùm poſſint Regulares Priuilegiati abſoluere ab Excommunicatione ex Duello contracta?

SVMMARIVM.

1 *Regulares poſſent ſimpliciter loquendo, abſoluere Duellatores virtute ſuorum Priuilegiorum, niſi reuocata fuiſſent.*

2 *Stante Decreto reuocante dicta Priuilegia, non poſſunt ampliùs Regulares abſoluere à Duelli cenſuris in Italia, poſſunt tamen extrà Italiam, & Romæ.*

3 *Poſſunt tamen Regulares Priuilegiati, etiam intrà Italiam abſoluere à Duelli cenſuris, in terminis Clementinæ conſtitutionis, non autem in terminis Gregorij XIII. & Concilij Tridentini.*

4 *An Eum, qui ad Duellum prouocaret, vel illud oblatum acceptaret, & ad condictum locum, animo duellandi accederet, poſſent Regulares à cenſura abſoluere?*

1 RESPONDETVR *Primò: Simpliciter loquendo*, potuiſſe Regulares, virtute ſuorum Priuilegiorum, abſoluere huiuſmodi Duellatores, nisi eorum, quòad hoc reuocata eſſent Priuilegia, vt de facto reuocata fuerunt per Decretum Sacræ Cõgregationis, quod incipit: *Sacra Congregatio*, quòad Prouocantes, aut Pugnantes in Duello, iuxtà Decretum, & formã Tridentini, & Gregorij XIII. factum ex mandato Clementis VIII. *die* 9. *Menſis Ianuarij* 1601. In quo Decreto ſpecialiter reuocantur Priuilegia, Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus conceſſa; Ideòque Prima Reſponſ. ad Quæſ. Concil. Trid. Greg. XIII Clẽ. VIII.

2 RESPONDEDVR *Secundò:* Stante tali Decreto, non poſſe modò Regulares abſoluere à Duelli Cẽſuris *in Italia*, poſſe tamen *extrà Italiam*, *& Romæ*. Ità liquidò conſtat ex tali Decreto, & in hoc nulla eſt difficultas. Secunda Reſp. Regulares abſoluere nõ poſſunt &c. intrà Italiam.

3 RESPONDETVR *Tertiò:* Poſſe etiam *intrà Italiam* Regulares PRIVILEGIATOS abſoluere à Duelli Cẽſuris, in terminis Clementinæ Conſtitutionis, nõ verò in terminis Gregorij XIII. & Concilij Tridentini. Tertia Reſp. In terminis Clemẽtinæ conſt. poſſũt abſoluere.

Probatur; Quia *Priuilegiati* Regulares, ex Priuilegio Sedis Apoſtolicę, Suis Religionibus conceſſo, Poteſtatẽ, habent abſoluendi à quibuſcumq; *Peccatis, & Cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſeruatis* (exceptis illis, quæ in Bulla Ratio.

Cœnæ Domini continentur.) Et ex altero Capite per Clauſulam derogatoriam generalem, quæ eſt in Clementina Conſtitutione, non cenſentur reuocata Priuilegia Regularibus conceſſa; cùm enim Ea propter merita concedantur, facta generali reuocatione Priuilegiorũ, non cenſentur, vt dixi, reuocata, niſi fiat expreſſa mentio, vt cõmuniter ſentiũt Doctores. *Gloſſa in l. 2. §. Legatis. verb. Non cõpelluntur. ff. De re Iudicata. & in Authen. Qua in Prouincia. verb. Illicò omni priuilegio*.

Felinus.
Felinus, *in cap. 2. num. 12. & in cap. Nonnulli, num. 9. & 26. de reſcript. in 6.*

Ruinus.
Ruinus, *conſ. 228. num. 13. vol. 1.*

Iaſon.
Iaſon, *cap. 1. num. 16. de Conſtit.*

Lotterius.
Lotterius, *lib. 1. de re benefic. quæſt. 7. num. 23.*

Suarez.
Suarez, *lib. 8. de Legibus, cap. 38. num. 12.*

Miranda.
Miranda, *tom. 1. Manual. quæſt. 25. art. 6.*

Palaus.
Palaus, *par. 1. Oper. Moral. tract. 3. diſp. 4. De priuileg. punct. 2. §. 4. num. 5.* & habetur, ex l. *Eius militiæ. §. Militia miſſus, de teſtam. milit.* vt docet

Mandoſ.
Mandoſius, *in Regul. Cancell. 11. de reuocat. quæſt. 13. num. 6. & ſeq.* &

Burſatius.
Burſatius, *tom. 2. Conſilior. conſil. 138. num. 77.* quos refert, & ſequitur

Em. Rod.
Emanuel Rodriquez *in ſuis QQ. Regular. tom. 1. quæſt. 9. art. 6. in fin.*

Peregr.
Peregrinus, *De Duello, quæſt. 37. nu. 14.*

Et præterea ex præfato Decreto Sacræ Congregationis, nõ eſt ablata *Priuilegiatis* Religioſis talis Facultas abſoluendi in terminis Clementinæ Conſtitutionis, cùm ſit ſolùm ablata, *iuxtà Decretum, & Formam Tridentini, & Gregorij XIII.* vt benè

Filliucius.
Filliucius, *tract. 29. cap. 8. quæſit. 14. n. 167.*

Bonacin.
Bonacina, *tom. 1 de Excomm. diſp. 2. quæſt. 6. punct. 1. propoſ. 5. num. 40.* & Alij, ergo &c.

4 Ex quo ſequitur, quòd ſi Aliquis *prouocaret* ad Duellum, vel oblatum *acceptaret* Duellum, immò, & ad Condictum Locum, animo Duellandi *accederet*: (poſita Sententia Eorum, qui dicunt contrahi Cenſuras, ſtatim ac offertur, vel acceptatur Duellum, etiamſi non ſequatur Pugna) in tali inquam Caſu, poſſe Regulares à tali Cenſura abſoluere. Quòd ſi iuxtà oppoſitam ſententiã, neque contraheretur Excommunicatio per *ſolam prouocationem, vel acceptationem* Duelli, ſequitur à fortiori, poſſe Regulares abſoluere, immò idem poſſet quicumque alius approbatus Confeſſarius, cùm in tali Caſu ſolummodò nudum eſſet Peccatum, abſque Cenſura. Vide, quæ diximus *in Tract. 2. de Probibitione Duelli, ſect. 3. Quæſit. 53.* & multa alia, quæ *ibi* ſunt explicata, ex quibus multorum ſolutio Caſuum, ad hanc rem pertinentium, facilè colligi poterit.

QVÆSITVM. VI.

Vtrùm poſſint Priuilegiati Regulares abſoluere à Duelli Cenſuris, quandò Delictum eſſet occultum?

SVMMARIVM.

1 *Quædam præmittuntur, pro Quæſiti intelligentia.*

2 *Poſſunt Priuilegiati Regulares à dictis Cenſuris, alijſque caſibus Papalibus occultis, exceptis Bullaribus abſoluere, ſi Epiſcopi nullam ſibi facerent ſpecialem reſeruationem.*

In Decreto Sacræ Congregationis, remouentis facultatem Regularibus, abſoluendi à Cenſuris Duelli, non fit mentio de Cenſuris ex occulto Duello contractis.

3 *An cenſeatur electa induſtria Perſonæ in conceſſione facultatis abſoluendi, facta Epiſcopis?*

4 *A' quibuſnàm Cenſuris, & Caſibus reſeruatis prohibeantur Regulares abſoluere, ex vi Decreti Clementis VIII.*

1 ADVERTAT *in primis* Lector, Me hìc non loqui de Abſolutione à Cenſuris Duelli, in euentu, quo tale Duellum eſt

Primum ſuppoſitũ pro Quæſiti ſolutione.

Caſus Papalis, ſed loqui, quandò deſinit eſſe Papalis,& fit *Epiſcopalis*,quia eſt occultus. Nec Me loqui in euentu, quo Epiſcopus ſibi talem Caſum *reſeruaſſet*; tunc enim iuxtà Decretum Sacræ Congregationis, Regulares omnes, ad Apoſtolicæ Sedis nutus, nedùm præcepta exequēda ſemper parati, in alienam meſſem,manum extendere non audent; quinimmò erga Locorum Antiſtites deuoto adſtricti obſequio, & in his, & in cæteris omnibus, quæ ad Chriſtiani Gregis vtilitatem pertinent, ab Illorum ore libenter dependent.

Secundò ſuppoſitũ. Aduertat *Secundò*: Neque Me hìc loqui de validitate Priuilegiorum, quæ habent Regulares, ſed loqui ex ſuppoſitione; poſito nimirùm, quòd in Italia ſint Regulares Priuilegia habentes Abſoluendi à Caſibus, qui deſinant eſſe *Papales*, & ab Epiſcopo *non ſint reſeruati*. An autem in præſenti ſint, vel non ſint talia Priuilegia penès Regulares, in Italia degentes, meum non eſt hìc examinare; non dubito tamen,quin ſi aliquot ſint Regulares,ijs gaudentes Priuilegijs, cautè & prudenter vtantur.

A quibuſnam cenſuris abſoluere poſſint Regulares, ſi Epiſcopi ſibi non reſeruent? 2 RESPONDETVR ad Quæſitũ: Remota ſpeciali reſeruatione, quam ſibi facerent Epiſcopi, poſſe Priuilegiatos Regulares à dictis Cenſuris, alijſq;Caſibus Papalibus occultis(exceptis Bullaribus) abſoluere. Ratio eſt,quia huiuſmodi Caſus,poſt Concilium Tridentinum ſunt *Epiſcopales*: ergo poſſunt Regulares Priuilegiati, ab ijs abſoluere. Neque in Decreto Sacræ Congregationis,remouētis facultatem dictis Regularibus abſoluendi à Cenſuris Duelli, fit mentio de Cenſuris *ex occulto Duello* contractis: ergo integra remanet penès Regulares, quoad hoc Facultas ſuorum Priuilegiorum. Atque ità de quibuſcumque Caſibus Papalibus occultis loquentes,docent, Sanchez. Sanchez, *tom.*1.*Moral.lib.*4.*cap.* 54. *nu.*27. Metolla. Metolla, *tom.*1.*diſput.*1.*cap.*2.*nu.*540. Tho.Del-Bene. Thomas Del-Bene, *de Parlamentis*, *dubit.*4. *ſubſect.*31. *corollar.*4. Diana. Diana, *par.*3.*tract.*2.*reſol.*13.*verſ.Nota quartò*, & Alij.

Obiectio. 3 Sed dices: In conceſſione talis Facultatis facta Epiſcopis, cenſetur *electa induſtria Perſonæ*: ergo non valet inferri ex eo,quòd poſſint *Epiſcopi* abſoluere, poſſe etiã *Priuilegiatos Regulares*. Ità arguunt,qui oppoſitam tuentur Sententiã Suarez. Suarez, 3.*par.tom.*5.*de Cenſuris*, *diſp.*25. *ſect.*5.*n.*27. Henriq. Henriquez, *lib.*6. *de Pœnitentia*,*cap.*14.*nu.*7. Bañes. Bañes, 2.2.*queſt.*64.*art. vlt. in fine*. Bonacin. Bonacina, *diſp.*1. *de Cenſuris in communi*,*queſt.*3.*punct.*2. *num.*4. *verſic. Addit denique*.

Sed Reſpondetur: In reſeruatis à *Iure* ipſis Epiſcopis, non poſſe cenſeri *electam induſtriã Perſonæ*, tunc enim ſolùm locum habere poteſt *electio induſtriæ Perſonæ*, quandò Delegatio,aut conditio fit *ab Homine*,non autem quandò fit à *Lege*; quandò enim à *Lege* fit, eſt perpetua, & *Gradum, ſeù Dignitatem,non autem Perſonam* reſpicit. Immò cùm Perſonæ ſint ignotæ Legiſlatori, quæ tale munus ſubituræ ſunt, non poteſt earũndem Induſtriam eligere; vt docent Barthol. Bartholus, *l. Ambitioſa*, *num.* 34. *ff. de Decretis ab Ordinario factis*. Baldus. Baldus, *cap. Finali. nu.vnico.de offic.Ordinar.* Imola. Imola, *ibidem in fine*. Io: Andr. Io:Andreas, *in Addit. ad Specul. tit. de Legato*. *ver. Legatus eſt*. Couarr. Couarruuias, 3.*Variar.cap.*20.*num.*6. 9. & 10. Iaſon. Iaſon, *l.More.num.*65. *ff.de Iuriſdict. om.iud.* Siluester. Silueſter, *verb. Delegatus*, *queſt.*8.*dicto* 1. Sanchez. Sanchez, *lib.*2.*de Matrim. diſp.*40. *num.* 14. Angelus. Angelus, *verb.Excommunicatio* 1.*num.*39.Compendium *Priuileg.Mendicant. verb.Abſolutio ordinaria quoad Fratres. in fine* §.1. *dub.* 2. Paſſarel. Paſſarellus, *in Compendio Priuileg. Minimor. cap.*15. Henriq. Henriquez, *lib.*15.*Summ. cap.*24.*num.*2.

Altera obiectio. 4 Dices Secundò: Ex Decreto Clementis VIII. ſub die 9. Ianuarij 1601. circà Caſus reſeruatos, habetur expreſsè, non poſſe Regulares

virtute Priuilegiorum, abſoluere à reſeruatis Epiſcopo, & contentis in Bulla Cœnæ, & reſeruatis Summo Pontifici, etiam in Caſu neceſsitatis, & impedimenti, ſed ſolùm in Mortis Articulo.

Solutio. Reſpondetur: Ex Vi talis Declarationis haberi tantummodò, nō poſſe Priuilegiatos Regulares abſoluere à Caſibus Papalibus, quandiù remanēt Papales, non autē quandò amittunt conditionem reſeruationis Papalis, & fiunt Epiſcopales. Et rursùs, nec poſſe abſoluere ab Epiſcopalibus, quos Epiſcopi ſibi *ſpeciatim reſeruent*, non verò ab ijs, qui à *Iure* ſunt ſolummodò Epiſcopo reſeruati. Idque virtute Priuilegiorum, vt videre eſt apud Rodriquez, *tom. 1. QQ. Regular. quaeſt. 61. art. 5.* & Mirandam, *tom. 1. Manual. quaeſt. 46. art. 5.* quæ Priuilegia cùm in ſuo robore maneant iuxtà moderationem ſupradicti Decreti Clementis VIII. exceptis Caſibus Bullæ Cœnæ, & quinque illis Papalibus, in dicta Moderatione enumeratis, & ijs, quos Epiſcopi ſibi reſeruant; vt patet ibi: *Ac prætereà declarat, eos quidem Sacerdotes, tàm Seculares, quàm Regulares, qui aliquo ex Priuilegijs, Indultis, & Facultatibus in ſupradicto Decreto ſuffulti fuerint, poſſe, iuxtà eorum Priuilegia, Indulta, & Facultates, antè idem Decretum receptas, & quæ ſub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantùm, & non aliàs, abſoluere à Caſibus in præſenti Declaratione non comprehenſis.* Vt apud Quarantam, *in Summa Bullarij. verb. Caſus reſeruati. §. Sacra Congreg.* Vndè cùm in dicta Declaratione non comprehendantur Caſus, Epiſcopis à Iure reſeruati; & Regulares Priuilegiati potuerint ab ijs abſoluere ante dictum Decretum Clementis VIII. poterunt etiam modò abſoluere. Vide Quarantam, Rodriquez, Mirandam, Sanchez, Merollam, & Alios, *locis ſuprà citatis*.

Rodriq. Miranda. Clem. VIII. Quaranta. Rodriq. Sanchez. Merolla.

QVÆSITVM VII.

An poſſint Regulares Priuilegiati abſoluere à Cenſuris ex Duello, ſiuè occulto, ſiuè publico cōtractis; quandò tamen Duellatores adire non poſſent Sedem Apoſtolicam?

SVMMARIVM.

1 *Quinàm cenſeantur impediti, itàut non teneantur Apoſtolicam Sedem adire, pro abſolutione impetranda à caſibus, ac cenſuris in Iure latis?*

2 *Remota ſpeciali reſeruatione Epiſcoporum, poſſunt Regulares Priuilegiati abſoluere à talibus cenſuris, dictos impotentes Sedem Apoſtolicam adire.*

1 SVPPONIMVS, *ob iuſta impedimenta* non teneri Excōmunicatos omnes Apoſtolicam Sedem adire, pro Abſolutione impetranda à Caſibus, & Cenſuris in Iure latis; quales ſunt (vt fuſiùs ſuprà diximus) Senes, Impuberes, Mulieres, Membris deſtituti, Valetudinarij, Delicioſi, ac Nobiles, Habentes curàm Aliorum, Filij ſub Patris poteſtate, Serui, Habentes capitales inimicitias, Pauperes, Qui nonniſi mendicando (præter ſolitos) ire poſſunt Romam, & Alij, de quibus in *tit. de ſentent. Excommunicat.* Hoc poſito: Quinam cēſeantur impediti, itaut non teneantur Summum Pontificē adire?

2 Reſpondetur ad Quæſitū: Poſſe Priuilegiatos Regulares abſoluere à talibus Cenſuris, dictos Impotentes Sedem Apoſtolicā adire, dummodò Epiſcopi nō ſibi ſpecialiter tales Caſus reſeruarent. Quod patet, quia huiuſmodi Caſus in tali euentu Impotentiæ, fiunt *Epiſcopales*: ergo *Priuilegiati Regulares* poſſunt ab ijs abſoluere. Et prætereà, quia mens Sum- Reſponſ. ad Quæſ.

morum Pontificum in ſuis Decretis derogatorijs, fuit tantùm derogare Priuilegijs in Caſibus, in quibus *adeunda eſſet Sedes Apoſtolica*, quæ in prędictis Caſibus adeunda non eſt: ergo, &c. Ità Thomas Del-Bene, *de Parlamentis, dubit.4. ſubſect.3 1. corollar.4.* vbi etiam citat Sanchez, *tom.1. Moral.lib.4.cap.54.num.27.* & Merollam, *tom.1 diſp.1.cap.2.num.540.* Vide quæ in ſuperiori Quæſito dicta ſunt.

Del-Bene. Sanchez. Meroll.

QVÆSITVM VIII.

An Milites intrà Italiam abſolui poſſint à Duelli Cenſuris, abſque obligatione Apoſtolicam Sedem adeundi?

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua Reſponſio.*
Impediti Sedem Apoſtolicam adire, abſolui poſſunt ab Epiſcopo, vel ab Alijs facultatem habentibus.
2 *Militiæ impedimentum eſt legitimum, ac ſufficiens ad excuſandos Milites, itàut non teneantur Romam adire.*
3 *Quandò dicti Milites abſoluuntur, imponenda eſt eis obligatio, vt temporali elapſo impedimento, coràm Summo Pontifice, aut eius Poenitentiario compareant.*

DVBIVM non eſt, quin extrà Italiam abſolui poſſent ab Ijs, qui Facultatem habent à Papalibus Caſibus abſoluendi, nàm reſeruatio in cauſa Duelli, ſicut & in alijs quinque, in Sacræ Congregationis Decreto enumeratis, intelligitur intrà Italiam, non verò Romę, nec extrà Italiam. Hoc poſito

1 RESPONDETVR *Primò* ad Quæſitum Affirmatiuè. Et ratio eſt; Quia ex Vno capite, impediti Apoſtolicam Sedem adire, abſolui poſſunt ab Epiſcopo, vel ab Alijs Facultatem habentibus, vt patet *ex cap. Ea noſcitur. de ſentent. Excommunic.* & *cap. Eos, qui de ſentent. Excommunic. in 6.* & eſt communis Sententia Doctorum, de Abſolutione à Cenſuris reſeruatis agentium; vt videre eſt apud Silueſtrum, *verb. Abſolutio. 4. num.7.* Vgolinum, *de Cenſuris in genere, tabul.1 cap.4. num.14.* Sanchez, *lib. 2. de Matrim. diſp. 40. num. 3. verſic. Tertia. quia, & lib. 2. in Decal. cap.13. num.36.* Nauarrum, *cap.27. Manual. num.90.* Henriquez, *lib.6. cap.9. num. 7.* Auilam, *de Cenſuris, par. 2. cap. 7. diſp.14. dub.16. num.240.* Guttierez; *lib.1. QQ. Canonic. cap.3.* Vaſquez, *3. par. quæſt. 91. art. 3. dub. 8.* Coninch; *diſp. 8. de Poenit. dub.12. num.88. & de Cenſuris; diſp. 14. dub. 16. num. 240.* Duardum, *lib.3. in Bullam Coenæ, §.2. quæſt. 8. num. 21.* Reginaldum, *lib.1. Praxis Fori Poenit. num. 145.* Suarez, *3. par. tom.5. de Cenſuris, diſp.25. ſect.5. num. 27.* Bonacinam, *diſp. 1. de Cenſuris in communi, quæſt.3. punct.2. num.4.* Tabienam, *verb. Abſolutio. 2. num. 8.* Felinum, *in cap. Quàmuis, de ſentent. Excommunicat.* Panormitanum, *in cap. De cætero, num. 1. verſic. Et circà. de ſentent. Excommunicat.* Geminianum, *in cap. Eos, qui num.5. de ſentent. Excommunicat. in 6.* Ancharanum, *num. 1. verſic. Tertiò nota.* Et in terminis de Duellantibus Peregrinum, *de Duello, quæſt.37. num.6.*

Reſponſio ad Quæſ. affirmat. Silueſter. Vgolin. Sanch. Nauarr. Henriq. Auila. Gutier. Vaſq. Coninch. Duard. Reginald. Sanchez. Bonac. Tabiena. Felin. Panorm. Gemin. Anchar. Peregrin.

2 Ex Altero Capite, Impedimentum Militiæ eſt ſufficiens, & legitimum impedimentum, quòminus teneantur Milites Vrbem adire; ſi enim Ipſi Signa dererent, tanquàm Militiæ Deſertores, ac Periuri grauiſſimè punirentur; ſunt enim ſub Poteſtate Alterius, nempè Ducis, vel Principis: & inter Eos, ac Principem interuenit Contractus, quo Miles, ità obligat propriam Perſonam, vt non poſſit ampliùs Se

Militia eſt legitimũ, ac ſufficiens impedimentum, &c.

re-

retrahere, niſi Facultate obtenta. Ex quo fit, quòd niſi talem à Duce Facultatem obtinere poterit Miles, eximetur ab obligatione Apoſtolicã Sedem adeundi pro Abſolutione impetranda, ac proindè ab Epiſcopo, vel Priuilegiato in cauſa Duelli abſolui poterit.

Secunda Reſp.

3 RESPONDETVR *Secundò:* ad Quæſitum, prædictis Militibus, quandò abſoluuntur, imponendam eſſe obligationem, vt temporali elapſo impedimento, coràm Summo Pontifice, aut Eius Pœnitentiario compareant; vt in ſimili de Filiofamilias, ac Seruis docent Duardus, *in Bulla Cœna lib.* 3. *§.* 2. *quæſt.* 10. *num.* 14. Alterius, *lib.* 5. *de Cenſuris diſp.* 22. *cap.* 2. *dub.* 4. Silueſter, *verb. Abſolutio.* 4. *num.* 9. Nauarrus, *cap.* 27. *Manual. num.* 88. Sayrus, *lib.* 3. *de Cenſuris, cap.* 28. *num.* 22. Suarez, *diſp.* 22. *de Cenſuris ſect.* 1. *num.* 8. Graſſis, *de effectibus Clericorum, Effect.* 9. *num.* 167. Bellettus, *in diſquiſit. Cleric. tit. de Fauore Clericor. §.* 3. *num.* 3. Boſſius, *diſceptat.* 1. *Moral. num.* 186. Barboſa, *in cap. Relatum, num.* 2. *de ſent. Excommunicat. & de Poteſtate Epiſcopi, par.* 1. *allegat.* 41. *num.* 29. & Alios, apud quos etiam multa videri poterunt, quæ ad hanc Duelli materiam facilè applicari poſſunt. Nos ea breuitatis ergo omittimus.

(In the margin: Duard. Alterius. Silueſt. Nauarr. Sayrus. Suarez. Graſſ. Bellet. Boſſius. Barboſ.)

QVÆSITVM VLT.

Vtrùm poſſit Duellator in Articulo Mortis abſolui ab Excommunicatione ab aliquo Clerico non Sacerdote, vel etiam Laico?

SVMMARIVM.

1 *Ponitur prima ſententia negatiua triplici ratione munita.*

2 *Altera affirmatiua ſententia.*

3 *Summus Pontifex cuicumque fideli baptizato concedere poteſt facultatem abſoluendi à Cenſuris.*

4 *Poteſt quis in articulo Mortis abſolui à Cenſura, à quolibet ſimplici Sacerdote.*

5 *Abſolutio à Cenſuris conceditur, etiamſi abſolutio à peccatis dari non poſſit.*

6 *Quidnàm referat, talem Abſolutionem à Cenſuris dari in vita; & an vtilis, aut neceſſaria ſit ad bonum Animæ, ac corporis ſepulturam?*

7 *Facultas abſoluendi à cenſuris in articulo Mortis, præſumitur conceſſa etiam Laicis ex benigna mente Eccleſiæ.*

8 *Duellatores in Duellico conflictu morientes, extrà locum ſacrum ſepeliuntur, etiamſi abſoluti à cenſuris deceſſerint.*

9 *Duellatores ex tali Abſolutione à cenſuris, eſto non percipiant aliquod emolumentum, quòad Eccleſiaſticam ſepulturàm, percipiunt tamen quòad ſuffragia.*

Prima ſententia.

1 COMMVNIS eſt Negatiua ſententia, cui adhærere, bonum Mihi videtur; eamq; tuentur, & docent Sotus, *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 4. Couarruuias, *in cap. Alma mater, par.* 1. *§.* 11. *num.* 9. Suarez, *de Cenſuris, diſp.* 7. *ſect.* 6. *num.* 6. *& ſeqq.* Faber, *de Cenſuris in* 4 *ſent. diſtinct.* 25. *quæſt.* 1. *diſp.* 4. *cap.* 8. *num.* 257. Turrianus, *de Cenſuris, lib.* 2. *diſput.* 24. *dub.* 4. Præpoſitus, *in* 3. *par. quæſt.* 1. *de Cenſuris in communi, dub.* 14. *num.* 95. Villalobos, *tom.* 1. *tract.* 16. *difficult.* 20. *num.* 18. Hurtadus, *de Excommunicatione, diſp.* 15. *difficult.* 1. *num.* 3. Bonacina, *de Cenſuris, diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 3. *propoſ.* 1. *num.* 1. Laymann, *in Theolog. Mor. lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 2. Coninch, *de Sacram. diſp.* 14. *dub.* 16. *num.* 236. & Alij apud Suarez, aſſerentes: In Articulo Mortis non poſſe, nec ſimplicem Clericum, nec Laicum à Cenſuris abſoluere.

(In the margin: Sotus. Couarr. Suarez. Faber. Turrian. Præpoſ. Villalob. Hurtad. Bonac. Layman. Coninch.)

Ratio.

Probant *Primò:* Quia Abſolutio à *Cenſuris* in eo Articulo non

conceditur, niſì vt *præambula*, & quaſì *diſpoſitio* quædam ad Abſolutionem *à peccatis*. ergo &c.

Altera ratio.

Probant *Secundò*; Quia illa Abſolutio à Cenſura, non eſt neceſſaria *Corpori ad Sepulturam*, quia quòad hoc, dari poteſt talis Abſolutio poſt mortem; nec etiam eſt neceſſaria *Animæ ad gratiam*; quia ad hoc per ſe non prodeſt, ſinè Abſolutione à peccatis.

Tertia ratio.

Probat *Tertiò* Suarez; Quia neque *ex Iure aliquo*, neque *ex vſu* habetur, quòd Eccleſia hanc Poteſtatem Laico conceſſerit, etiam pro *Articulo Mortis*. Vndè cùm aliòqui per ſe ſit *odioſum*, & à Iure alienum, quòd Spiritualia per Laicos miniſtrentur; vt conſtat *ex cap. Decernimus, de Iudicijs, & cap. ſi verò, de ſent. Excomm. & cap. Benè quidem 96. diſt.* non eſt propter ſolas congruentias, abſque maiori fundamento, hæc Poteſtas ad Laicos extendenda. Eò vel maximè, quòd in re, quæ ſolùm ad quandam vtilitatem pertinet, & valdè accidentariam, ſatis eſt, vt moraliter loquendo, vix poſſit accidere caſus, in quo non poſſit per ſimplicem Sacerdotem huic incommodo prouideri; nàm & copia Sacerdotis ferè ſemper inuenitur, & caſus Cenſuræ reſeruatæ in Articulo Mortis, non eſt adeò frequens; ideoque raro accidere poteſt, vt ob defectum huius poteſtatis, Laico conceſſæ, detrimentum aliquod magni momenti Fideles patiantur. Quòd ſi interdùm id contingat, minus incommodum reputatur, quàm vt Poteſtas Laicis concedatur, qui facilè abuterentur ea, vel nimium illam extenderent.

Secunda ſententia.

2 ALTERA SENTENTIA eſt Affirmatiua, quam probabilem iudicant Auila, *de Cenſuris, par. 2. cap. 7. diſp. 1. dub. 3.* Silueſter, *verb. Abſolutio, num. 8.* Armilla, *nu. 39.* Tabiena, *verb. Abſolutio. 2. num. 8.* Panormitanus, *in cap. A nobis. num. 10. Gloſſa in cap. A nobis. 2. verb. Non potuerit. de ſentent. Excommunicat. in cap. Paſtoralis §. Prætereà. verſic. Præterquàm in morte*. Ioannes Valerus, *in Differentijs vtriuſque Fori. verbo Abſolutio. different. 13. num. 2.* Ioannes De la Crux, *in Directorio par. 2. de Excommunicat. dub. 4. concl. 1.* Ledeſma, *in Summa, tom. 1. de Excommunicat. cap. 8. dub. 4.* Sancius, *in Selectis, diſp. 44. num. 7.* Ragucius, *in Lucerna Parochorum, de Abſolutione, quæſt. 124.* alter Ledeſma, *par. 4. quæſt. 26. art. 1.* Diana, *par. 3. tract. 4. reſol. 133. & par. 5. tract. 9. reſol. 7.* Qui omnes aſſerunt, in Articulo Mortis, Laicum, etiam ſi ſit Hæreticus, & Præciſus, poſſe abſoluere Excommunicatum à quibuſcumque Cenſuris. Ex quo infertur poſſe quoque abſoluere à Cenſuris Duelli, cùm non ſit maior ratio de His, quàm de Alijs.

Auila. Silueſter. Armilla. Tabiena. Panorm. Io. Valer. Io. De la Crux. Ledeſma. Sancius. Raguc. Ledeſma. Diana.

Ratio.

3 Probant: Quia poteſt Summus Pontifex *concedere* Poteſtatem cuicũque Laico baptizato abſoluẽdi à Cẽſuris: ergo credendum eſt in tali caſu *conceſſiſſe*, & hanc eſſe eius voluntatem. Patet Conſequentia; Quia etiamſi Ille non poſſit à peccatis abſoluere; ipſa tamen Abſolutio à Cenſura per ſe valdè vtilis eſt, multumque ad Animæ Salutem conferre poteſt: ergo cùm Eccleſia omnibus modis hanc procuret Fidelibus, & propterea in illo Articulo det Iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis, omnibus, qui ſunt capaces Illius; eadem ratione credendum eſt dare Illam ad abſoluendum à Cenſura, omnibus, qui ſunt capaces talis Iuriſdictionis, cuiuſmodi ſunt etiam Laici.

Poteſtas abſoluendi à cenſuris in Articulo mortis, an detur ſolùm propter Sacramentalem Cõfeſſionẽ?

4 Confirmant: Nàm licet contingat hominem exiſtentem in Articulo Mortis, non poſſe abſolui à peccatis, quia nullo modo Confeſſus eſt, neque habet vſum rationis, aut ſenſuum, vt Confiteri poſſit: Nihilominùs à quolibet Sacerdote Simplici poteſt à ſola Cenſura abſolui: ergo ſignum eſt hanc Poteſtatem non dari ſolùm, ſeù præciſè *propter Confeſſionem Sacramentalem*,

ſed

ſed etiam *per ſe*, propter fructum talis Abſolutionis: ergo eandē ob cauſam concedi debuit hæc Poteſtas cuilibet Capaci Illius: eò vel maximè, quòd ſi de Iure ſcripto agamus, nullum eſt expreſſum, in quo hæc facultas concedatur Sacerdoti, extrà Sacramentum Pœnitentiæ; ſed ex benignitate Eccleſiæ colligitur: ergo ex eodem principio extendi poterit ad Laicos.

Soluuntur Oppoſita.

Prima ratio ſoluitur.

5 Ad *Primum* Oppoſitæ Sentētię Argumentum Reſpōdent præcitati Doctores, negādo Antecedens; Quia *Abſolutio à Cenſuris* per ſe conceditur, etiàſi *Abſolutio à peccatis* dari non poſſit, vt patet ex dictis. Et Concilium Tridentinum, *ſeſſ.14.c.7.* abſolutè dicit: Omnes Sacerdotes habere in Mortis Articulo Poteſtatem abſoluendi à Peccatis, & Cenſuris, non conſtituendo *ordinem*, nec neceſſariam *connexionem* vnius Abſolutionis cum alia, vt benè notauit Vgolinus, *tabul. 1. cap.4. ſ. vltimo, num.4. & 5*, vbi ait: Non ſolùm poſſe abſolui à quolibet Sacerdote Aliquem à Cenſura in Articulo mortis, etiàſi non abſoluatur à peccatis, ſi Contritionis Signa exibuit, ſed etiam ſi Illa non exibuerit, validam futuram Abſolutionem, quamuis Sacerdos peccet, Illam conferendo; quod etiam ſenſit Nauarrus *cap.27.nu.272*. Hoc igitur Argumentum ex connexione vtriuſque Abſolutionis deſumptum, nihil ſecundæ ſententiæ obſtat, ipſomet Suarez teſte, Negatiuam ſententiam tuente.

Côc.Trid.

Nauarrus

Suarez.

Quid referat, eam abſolutionem dari in vita?

6 Ad *Secundum* Reſpondent; Multum referre poſſe, (vt Panormitanus notauit) illam Abſolutionem in vita dari, nè cogatur hæres pro Abſolutione Defuncti ad Papam recurrere; vel ad Eum, à quo viuens fuerat abſoluendus: nàm poſt Mortem iàm non poterit à quolibet Sacerdote abſolui.

Quid prodeſt talis abſolutio quòad ſepulturā?

Vndè tàm ad effectum *ſepeliendi Corpus in loco Sacro*, quàm ad *bonum Animæ*, multum proderit illa Abſolutio; nàm ſi expectetur Abſolutio poſt mortem, ſæpè obtineri non poterit intrà multū tempus, ac proindè neceſſarium erit Corpus ſepelire, ſeù reponere *extrà locum Sacrum*, ex quo aliquod Scandalum, & aliquod genus Infamiæ oriri ſolet.

Quid quòad bonum animæ?

Anima etiam, licèt non priuetur gratia gratum faciente, priuatur tamen *Suffragijs communibus Eccleſiæ*, eamque ob cauſam, plus temporis in Purgatorio detineri poterit, quod parum detrimentum non eſt: Non eſt ergo dubium, quin illa Abſolutio in Vita obtenta *vtiliſſima ſit*, quæ, vt ait Suarez *loc.cit.* poteſt dici etiam *moralis quædam neceſſitas* ſufficiens, vt ea de cauſa Eccleſia prouidere potuerit, vel etiam debuerit aliquem faciliorem modum ad obtinendam Illam.

Suarez.

Facultas abſoluēdi à cenſuris an ſit fauorabilis quòad eos qui ſunt in articulo mortis?

7 Ad *Tertium* Reſpondent; Talem facultatem, quæ in Articulo Mortis, etiam Laicis conceſſa præſumitur abſoluendi à Cenſuris, eſſe *fauorabilem* reſpectu eorum, qui agētes Animam, Eccleſiaſticis irretiti Cenſuris reperiuntur, ac proindè poſſe rationabiliter præſumi ex benigna Eccleſiæ mente, quòd talis facultas Laicis concedatur. Et quamuis ingens ſit hac Ætate Sacerdotum numerus, poſſe tamen contingere (& ò vtinam non ſæpè contingeret) vt nec Clericus quidem, nedum Sacerdos, præſto ſit Morituro.

Quòd autem, ſi talis Poteſtas Laicis concederetur, facilè Ea *abuſuri eſſent*, hoc non obſtat; multi enim, etiam è Sacerdotum numero, facultate adminiſtrandi Sacramenta, in ſuarum, aliorumq; perniciē Animarum *abutuntur*; non per hoc tamen non conceditur Sacerdotibus Sacramentorum adminiſtratio.

Vltimum argumen.

8 Sed contrà hæc dicta Obijcies: Quàmuis ſecunda Sententia probabilis videatur, quòad Abſolutionem à *reliquis Cenſuris*, eius tamen Argumenta militare non videntur, quòad Abſolutionem à *Cenſuris Duellicis*; Quia Duellatores in Duellico conflictu morientes, etiamſi à Cenſuris abſoluti deceſſerint, neque unt tamen in loco Sacro ſepeliri iuxtà ea, quæ diximus *Tract.* 2. *de Prohibitione Duelli*: Ergo inutiliter Duellatori in Articulo mortis, talis Abſolutio conferretur.

Solutio.

Abſolutio à cenſuris quem ní effectum habeat in Duellatore?

9 Reſpondetur: Abſolutionem à Cenſuris, non ſolùm efficere, vt Abſolutus *in Sacro loco ſepeliri poſſit*, ſed etiã, vt *Eccleſiaſticis fruatur Suffragiis*: ergo licèt Duellator, nullum ex tali Abſolutione emolumentum recipiat, quòad *Eccleſiaſticam ſepulturam*, recipit tamen quòad *Suffragia*, quibus eius Anima, ſi in ſalutis loco reperiatur, multum adiuuatur, vt ſuprà dictum eſt. Et hæc De Abſolutione à Duelli Cenſuris dixiſſe ſufficiat; ſitque cum Abſolutione abſolutum Opus.

Quæ omnia hoc in Opere, Theologico-Morali calamo exaraui, humili obſequio Eccleſiaſticæ ſubijcio Cenſuræ, à qua nec latum vnguem Me vnquàm diſceſſiſſe arbitror; immò iuxtà germanum Eccleſiæ ſenſum, Summorum Pontificum Oracula, ac Tridentini Senatus Patrum Decreta, quæ ad rem Duellicam pertinent, vt vt potui, explanaſſe. At quoniam homo ſum, ac nihil à Me humani alienum puto; ideòque erratum ſi quid erit, non voluntati, ſed mei Intellectus tenuitati adſcribatur rogo, atque (quod Mihi gratiſſimum ceſſerit) corrigendum oſtendatur: Si quid verò boni hoc elucet in Opere, id *Patri Luminum, à quo omne bonum deſcendit*, acceptum refero. Tu interim (Amice Lector) his meis fruere laboribus, Meque in tui commodum, Scholaſticum in vniuerſam Theologiam Curſum parantem expecta; Teque Amantem redama. Et hic in Laudem DEI Exercituum, DEIPARÆ VIRGINIS PVRISSIMÆ, Bellatricis Eccleſiæ Signiferæ, ac Cæleſtis Militiæ Principis Archangeli Michaëlis, Meorumque Tutelarium D. Gregorij, ac B.P. Caietani, Noſtri Ordinis Inſtitutoris, totius ſit OPERIS DE DVELLO

FINIS.

INDEX
RERVM.

A

Abſolutio.

AN poſſit Epiſcopus abſoluere à Duelli cēſuris, quandò Duellum eſt occultum? pag. 437. num. 1. & ſeqq.

Quandò Duellum cenſeatur publicum, quandò verò occultum. pag. 437. n. 3.

Occulti Duellatores ab Epiſcopo abſoluti, an teneantur poſteà adire Papam, aut Legatum? 437. 5.

Epiſcopus, an poſſit talem facultatem abſoluendi, &c. alteri delegare. 438. n. 6.

An poſſit etiam Epiſcopus abſoluere occultum Duellatorem abſentem. 438. n. 1. & ſeqq.

Abſolutio à cenſuris, an validè conferri poſſit abſenti? 438. 1. & ſeqq.

Abſolutio à Cenſuris abſenti collata, quandonam ſortiatur ſuum effectum? ibid. n. 2.

Epiſcopus an abſoluere poſſit publicos Duellatores, quandò adire non poſſunt Sedem Apoſtolicam pro abſolutione. 439. 1. & ſeqq.

Quænàm ſint impedimenta excuſantia à recurſu ad Sedem Apoſtolicam. 440. 6.

Quid ſi impedimentum breue eſſet? ibid. n. 7.

Quid ſi ignoraretur quamdiù eſſet duraturum? ibid.

Quid ſi Duellator iuſtè impeditus, poſſet per Procuratorem, Sedem Apoſtolicam adire? 441. 1.

Quid ſi poſſet recurrere ad Legatum Apoſtolicum? ibid. n. 3.

Abſolutus ab Epiſcopo in tali caſu; An, & ſub qua pœna teneatur ſe præſentare Pontifici poſt impedimentum; & an Epiſcopus teneatur illi talem obligationem iniungere? ibid.

Quid in caſu, quo pro impetranda abſolutione à Cenſuris, Papæ reſeruatis; nec Summus Pontifex, nec Legatus, nec Epiſcopus, nec alius facultatem habens adiri poſſet? 442. 4.

Milites intrà Italiam, an abſolui poſſint à Duelli cenſuris, abſque obligatione adeundi Sedem Apoſtolicam. 446. 1. & ſeqq.

Duellatores in articulo mortis, an abſolui poſſint ab excommunicatione ab aliquo Clerico, vel etiam Laico. 447. n. 1. & ſeqq.

Regularium facultas abſoluendi. vide Regulares.

Acceptare Duellum.

Vide Duelli Acceptatio.

Actio.

In Actione aliqua ſecundùm ſe bona, licitum eſt perſiſtere, etiamſi ſit alteri nociua, modò talis actio neceſſaria ſit ad conſeruationem eius, ad quod ius habetur. 197. 17.

An, & in quo caſu teneatur quis ab aliqua actione deſiſtere, etiamſi talis actio ſecundùm ſe non ſit mala? ibid. n. 18.

Actiones Duellicæ.

Quænàm Duellicæ Actiones prohibeantur. 97. n. 1. & ſeqq.

An ſtatim ac præſtita eſt aliqua actio Duellica, etiamſi Duellum non ſequatur, contrahatur Clementina Excommunicatio. 126. n. 1. & ſeqq.

Actionum duplex genus diſtinguitur in Clementina Conſtitutione contrà Duellantes. ibid.

Actiones principaliter, & abſolutè prohibitæ, quænàm ſint. 127. 2.

Actiones minùs principaliter, & ſub conditione prohibitæ, quænam ſint. 127. 3.

Præſtita quacumque actione principaliter prohibita, an ſtatim contrahatur Excōmunicatio? ibid. n. 4.

Actiones minùs principales, non inducunt Excōmunicationis pœnam, niſi conditione adimpleta. 128. 6.

Actiones ordinatæ ad faciendas Duellicas denunciationes, &c. an ſint conditionatè prohibitæ. 133. n. 1. & ſeqq.

Cur aliæ actiones dicantur principaliter, aliæ ſecundariò prohibitæ in Clementina Conſtitutione? 134. n. 1. & ſeqq.

Repetitio, & Epilogus in Clementina conſtitutione, quo ſenſu intelligantur. ibid. n. 2.

Quo tempore dicantur excommunicationem contrahere qui minùs principaliter cooperantur ad Duellum? ibid. n. 3.

In dubio, ſitne adimpleta conditio, an non, Prudentis Viri iudicio ſtandum eſt. ibid. n. 5.

Adoleſcentuli.

An liceat Adoleſcentulis Inuaſorem pudicitiæ interficere? 225. 1. An teneantur potiùs fugere, ſi poſſint, quàm Inuaſori reſiſtere? ibid. n. 5.

Adſtantes Duello.

An teneantur Adſtantes impedire Duellatores nè dimicent. 309. 1.

An teneantur Proſtrato in Duello opem ferre, nè ab Aduerſario interficiatur. ibid.

An liceat Adſtantibus, interficere Duellatorem, qui ab oppugnando non deſiſtit, ac ſuum Aduerſarium ad necem vſque impetit. ibidem num. 2.

Aggreſſor.

Aggreſſoris à Duellatore diſcrimen. 53. num. 1. & ſeqq.

Aggrediens Inimicum etiam cum Duellandi animo, an ſit excommunicatus, ſi reuera non duellet. pag. 54. num. 4.

Aggreſſoris occiſionem per ſe, & principaliter intendere in defenſione, an liceat? 192.

Aggreſſoris occiſio, an ſit medium neceſſarium ad propriam vitam tuendam. 194. 3. & 198. 19.

Aggreſſoris occiſio dicitur actus humanus phyſicè, & materialiter, non moraliter. 198. 20.

Aggreſſorem, qui paratus eſt iniquè aggredi, an liceat præuenire? 181.

Aggreſſor, qui eſſet Ebrius, vel Phreneticus, vel etiamſi ſui compos; ſed aliundè conſtaret, eum eſſe in ſtatu peccati, an licitè occidi poſſit ab eo, qui dum inuaditur, moraliter credit ſe eſſe in ſtatu gratiæ? 199. 1. & ſeqq. & 202. 16.

Aggreſſorem repercutere; vide repercutere.

Quoad Aggreſſoris licitam, aut illicitam occiſionem vide plura, in verbo Moderamen; Defenſio, Vim propulſare, & occidere.

D. Almachius.

Cur D. Almachius Martyr, Dirimachius, vel Telemachus dictus ſit? pag. 7. num. 17.

Amicus, Amicitia.

An Amico eunti ad Duellum, præberi licitè poſſit pecunia, vt poſt Duellicam pugnam fugiens, nummos ſecum deferat? 117. 1.

An eidem licitè accommodari poſſit Equus, vel aliquod aliud exhiberi obſequium, quo tamen ſit vſurus poſt Duellum cōmiſſum. ibid.

Pro Amici vita conſeruanda, an liceat propriam temporalem vitam exponere? 260. n. 7. & 261. n. 11.

Fidelis Amicitia inter Damonem, & Pythiam, quos Lactantius refert inter ſe contendiſſe, alterum pro altero vitam exponere. 262. n. 16.

Simile quid cecinit Ouidius de Pylade, & Oreſte. 263. n. 17.

C. Gracchi vitam, teſte Valerio, ad necem vſque tutati ſunt Pom-

po-

ponius, ac Lætorius ibid. nu. 18.

Volumnij Charitas ergà M. Lucullum, item Terentij ergà Decium Brutum ab eódem auctore commendatur. ibid. n. 19.

Varij Gentium mores in ſeruanda Amicitia, ex Alexandro. 264. n. 20.

Chriſtus abſolutè & indefinitè dixit, eſſe maximam charitatem, animam ponere pro Amicis 265. 22. & 23.

Ordo charitatis, non plùs diligendi Proximum, quàm ſeipſum, an etiam neceſſariò attendendus ſit quoad temporalem vitam, nedū quoad ſpiritualem? 265. n. 24.

An liceat exponere propriam vitam pro honore, vel facultatibus Amici? 267. n. 1. & ſeqq.

Amico Duellaturo arma accomodare, vide Arma.

Arma.

Armis neceſſariò committendum eſt Duellum, ad hoc vt Duellatores in Cenſuras incidant. 96. n. 1.

Amico Duellaturo cum armis minùs idoneis, an poſſint accommodari arma magis idonea ad Duellicam pugnam, abſque Excommunicationis pœna? 114. n. 2.

Duellanti Amico non poſſunt alia accommodari arma diuerſę ſpeciei, ac illa, quibus duellare condictum eſt. 115. n. 2.

An gladium fractum cum integro, Equum ſaucium cum ſano commutare liceat in Duello? ibid. n. 3.

An, & quandò teneatur quis ex charitate, Duellatori arma accomodare? ibid. n. 5.

Armorum nomine, quænam arma veniant in Clementina Conſtitutione? 138. n. 2.

Arma deferentes Saracenis, quot Cenſuris afficiantur? 139. n. 3.

Armorum æqualitas an requiratur ad moderamen inculpatæ tutelę. 177. n. 1. & ſeqq.

Aurigæ, vel Baiuli.

An abſque Excommunicationis pœna poſſint deducere Duellatorem ad locum Duelli? 118. n. 1.

An abſque peccato ducere poſſint Meretricem ad locum, quò illa peccatura tendit? ibid. n. 2.

Auxilium.

Auxilium, aut Fauorem dantes in ordine ad Duellum, an ſint etiā Excommunicati, ſi fauore aut auxilio ſubtracto, nihilominùs prouocatio, aut Duellum ſequatur? 123. n. 1.

Auxiliari, & fauere in ordine ad Duellum, dicuntur actiones minùs principales. ibid. n. 1.

Auxilio, vel fauore ſubtracto non cenſentur ampliùs, qui auxilium, vel fauorem dederunt cooperari ad Duellum. ibid. n. 2.

Caſus aliqui ponuntur circà varias Duellicas actiones, in quibus nec contrahitur excommunicatio cū ſubtrahitur auxilium, vel fauor. ibid. n. 3.

Auxilians, & Conſulens, reuocato conſilio, auxilioque ſubtracto, quid differant inter ſe. 124. n. 4.

An ſi eodem tempore daretur vnū Auxilium, aut Conſilium multis in ordine ad multa Duella, contraheretur vnica, vel multæ cenſuræ? 143. n. 1.

Axioma.

Axioma, Qui vult antecedens, cenſetur velle conſequens, quo ſenſu ſit intelligendum? 44. n. 12.

B

Bellum.

BElli triplex Ethymologia explicatur. 33. n. 2. & 3.

Belli varia ſignificatio, ex Nonio Marcello, & Gellio. 34. n. 4.

Belli triplex definitio ex Lipſio, Alberico Gentili, & Alijs. ibid.

Belli communior definitio explanatur, & quid veniat nomine Exercitus. ibid. n. 5.

Belli à Duello diſcrimen, ex Bonacina, & Hurtado, ibid.num.6.
Belli, & Duelli, Bellonæ, & Duellonæ Synonimia, ex Liuio, & Cicerone. 33.num.1.
Antequàm bellum indicatur, tenetur Princeps, condignam priùs ab Aduerſarijs ſatisfactionem petere, eamque acceptare, ſi offeratur. 380.num.1.
Quid ſi Bellum ſit iam incæptum, aut ſit in medio, an tunc teneatur pars Læſa oblatam ſatisfactionem acceptare? ibid.à.n.2. vſque ad finem.
An liceat occidere Obſides, ſi qui eos tradiderint, pactum violauerint. 382.
An ad redimendam, propriam vexationem, tradere liceat Innocentem Tyranno comminanti Vrbis excidium, niſi Innocens tradatur. 383.n.1.&c. & 384.n.7.
An ad terminandum bellum, liceat die feſto inire Certamen. 386. à num.1.vſque ad 5.
Obligatio vacandi diuinis rebus die feſto, quouſque ſe extendat. ibid.num.6.
An in tali Belli euentu Miſſa priùs audienda ſit? 387.num.8
Quid ſi Miſſæ auditio, bello ſit allatura impedimentum. ibidem
An reliquo tempore liceat Certamen committere, & an contraria decreta fuerint vſu recepta. 387.num.9.
Conſultum eſt Militibus ante Prælium, Sacrificio intereſſe. ibid. num.10.
Miſſæ auditio confert ad reportandam ex bello victoriam. ibidem num.11.
Militiæ, malitia non ſolum nomine, ſed etiam re cognata eſt. 388.n.13

Beneficium.

Beneficiorum obtentorum priuatio, inhabilitas ad cætera obtinenda, an ipſo facto contrahatur; an verò requiratur Iudicis ſententia? 98.num.1. & ſeqq.

Bonum.

Commune bonum, particulari eſt præferendum. 207. num.8
Preferre commune bonum particulari, eſt lex potior, quàm ſit lex dictans, vim vi repellere licere cum moderamine inculpatæ tutelæ. ibid.num.9.

C

Capitalis Sententia.

Capitalem ſententiam petere à Iudice, an liceat Reo? 255 num.2.

Capite Damnatus.

An liceat capite damnato, haurire venenum iubente Iudice. 253. num.2.
Capite damnatus, an teneatur cibos occultè oblatos comedere, ſi damnatus eſſet, vt fame periret. 247. num.1. & ſeqq. plura vide Reus.

Cenſuræ.

Vnde vnitatem, vel multiplicitatem deſumant? 139. num.4.
Quot Cenſuras contrahant Duellatores. 138.num.1.
Quot contrahant, Deferentes arma Saracenis? 139. num.3.
Subiectum vnica excommunicatione affectum, affici poteſt alijs, & alijs eiuſdem, & diuerſæ ſpeciei excommunicationibus. 140 n.2
Quid amplius damni, ac pœnæ ſentiat Excommunicatus, cùm alias, & alias contrahit cenſuras, nondùm abſolutus à prima? ibid.n.3
Plura lethalia crimina, eandem diuinæ gratiæ priuationem, multiplici titulo inducunt. ibid.n.4
Colloquens cum pluribus excommunicatis eodem tempore, quot contrahat cenſuras? 145.n.2.
Percutiens plures Clericos eodem impetu, an pluribus ligetur cenſuris. ibid.num.4
Qui multos ſimul induceret ad peccandum, an multa quoque ſimul peccata committeret. ibid.n.5

Blaſphemans ſimul Deum, & Apoſtolos, an committeret tredecim peccata. ibid. num.6.

Percuſſor Clerici in duello, duas contrahit cenſuras. 145. num.1.

Quid ſi percuteret in duello Monachum, aliquo ordine initiatum. ibidem num.2

Quid ſi percuteret Clericum, qui ſimul eſſet Subdiaconus, Diaconus,& Sacerdos. ibid. num.4.

Cenſura incurritur ſolùm ob peccatum externum, prohibitum ſub cenſura. 427. num.3.

Charitas.

Charitatis ordine magis diligendã eſſe ſpiritualem ſalutem proximi, quàm propriam temporalem, quomodò intelligendum ſit.200 num. 6. & 201.num.8.& ſeqq.

Citatio ad diuinum Tribunal.

Vide Reus.

Clemens VII.

In ſua Conſtitutione refert quomodò Iulius II. duella prohibuerit. 82. num. 1.

Dicit eandem prohibitionem confirmatam fuiſſe à Leone X.& vtriuſque diplomata ſuo inſeri facit. ibid. num.2.

Confirmat præterita ſtatuta circà duella. ibid.num.3.

Decernit nihil velle in contrarium obſtare poſſe. ibid. n.4.

Clemens VIII.

Refert,& commendat in ſua conſtitutione cæterorum Pontificum Sanctiones contrà duella editas. 88. num. 1.& ſeqq.

Cętera diplomata Pontificia,& Concilij decretum, ſua conſtitutione approbat. ibid.num.4.

Extendit hanc prohibitionem ad omnia loca vbique terrarum, & ad perſonas omnes, etiam in caſtris, ſeu propugnaculis militantes, etiam vbi Chriſtianæ fidei hoſtes tyrannidem exercent. 89. num.5.

Scripta, & manifeſta in ordine ad duellum, quocumque modo exarata prohibet. ibid. num. 6

Innouat pœnas contrà tranſgreſſores dictarumconſtitutionum, ex compoſitò ſingulare certamen ineuntes.90.num.7

Hortatur Principes ad exterminanda duella, & duellatores puniendos.91. num.8.

Clericus.

Clerico duellatori, ſuſpenſionis pœna præter excommunicationem impoſita eſt. 146.num.1.

An talis pœna ſuſpenſionis, ſit ipſo facto lata; an verò inferenda. ibid. num.2.

Clericus non erit ſuſpendendus, niſi actu duellicam pugnam inierit. 147.num.3.

An ſi cogeretur Clericus ad duellandum, etiam ſuſpenſionis pœnam contraheret. ibid. n.6.

Clericus duellator, præter ſuſpenſionem, incurrit irregularitatem ob infamiam, & cœteras pœnas in Pontificijs diplomatibus contentas. ibid. num.7.

Clerici, ac Religioſi, an teneantur fugere ſi poſſint, potiùs quàm reſiſtere aggreſſori. 214.num.1.

In quo caſu licitè poſſint aggreſſori reſiſtere. 215. num.4.

Clerici inuaſorem occidentes cùm fugere poſſunt, an peccent contrà iuſtitiam. 216.n.1.& ſeqq.

Concilium Tridentinum.

Iubet toto ex orbe Chriſtiano exterminari duellã. 86. num. 1.

Subijcit excommunicationi, & alijs pœnis, etiam Imperatorem, & Reges permittentes fieri duella. ibidem num.2.

Duellatores, & Patrinos, perpetua infamia, homicidarum pœnis,& priuatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ puniri decernit. ibid. n. 3.

Spectatores,& fautores,&c. excommunicat, & maledicit. ibid n.4

Concilij Tridentini cap.19. declaratio facta à Cardinalibus ſacræ Congregationis Concil. in Vrbe. 50.num.1.

Conſilium.

An ſi eodem tempore daretur vnū conſilium, & auxilium multis in ordine ad multa duella, contraheretur vnica, vel multæ cenſuræ. 143. num. 1.

An ad contrahendas duelli cenſuras opus ſit vt conſilium, vel mandatum in ordine ad duellum ſit efficax; ità vt ex tali mandato, vel conſilio ſequatur duellum. 119. num. 1.

Quo ſenſu mandatum, & conſilium in ordine ad duellum ſint principaliter prohibita. 119. num. 1.

In dubio de efficacia, vel inefficacia conſilij, vel mandati, quid agendum. 119. num. 3.

Adducuntur duo modi ſciendi, vtrū conſilium in ordine ad duellum fuerit efficax, vel non. 119. n. 4.

Mandantes, aut conſilium dantes in ordine ad duellum, vel Prouocationem, an incidant in excommunicationem, ſi conſilio, vel mandato reuocato, etiam prouocatio, aut duellum ſequatur. 120. num. 1. & ſeqq.

Qui conſilium dedit ad furandum, an teneatur ad reſtitutionem furti, etiam reuocato conſilio. 120 num. 2.

Mandantes, & conſulentes puniuntur duellicis pœnis, quandò per ipſos non ſteterit, quominùs ſequeretur duellum. 121. num. 6

Mandatum, conſilium, & inſtigatio, quomodò differant inter ſe. 121. num. 7.

Mandantes non adſtringuntur duellicis pœnis, iuxtà Auctoris ſententiam, dummodò ſeriò, & opportunè mandatum reuocauerint. 121. num. 8.

Mandans homicidium, reuocato mandato, non erit Irregularis, etiamſi ſequatur homicidium. 122. num. 9.

Conſilio reuocato efficaciter, in excommunicationem non incurret conſiliarius. 122. num. 10.

Quid dicendum, ſi inefficaciter tantummodò reuocatum eſſet conſilium. 122. num. 11.

Non conſulentis, ſed duellatoris malitiæ adſcribendum eſt duellum, ſequutum reuocato conſilio. 122. num. 12.

Mandantes, vel conſulentes, an teneantur alio medio impedire duellum, quandò ſola reuocatione conſilij, vel mandati impediri nequit. 122. num. 14.

Cur ſola reuocatio conſilij excuſet ab excommunicatione, non verò à reſtitutione. 122. num. 15.

Contumelioſus, & Contumelia.

Ad purgandum ſe de obiectis contumelijs, an liceat dicere contumelioſo, Mentiris. 297. num. 1. & ſeqq.

Quid ſi contumelioſus obijceret vera crimina, ſed occulta. 300

An licitè poſſit aliquis obijcere contumelioſo alias contumelias, & vera crimina ad ſe purgandum de obiectis criminibus. 299. n. 1. & ſeqq.

D

Dauid.

Dauid, an fuerit temerarius duellum inire volens cum Goliath. 15. num. 1.

Iuuentus prudentiæ expers. 15. n. 1

Dauid vt ſuperbus à fratre increpatus fuit. 15. num. 2.

Audaciæ, & fortitudinis diſcrimen. 16. num. 3.

Dauid mitis, & humilis, mitiſſimo Moyſi comparatur. 16. num. 4.

Dauid impulſus zelo Diuini honoris ad tale duellum ſe obtulit. 17. num. 5.

Dauidis fortitudo aduersùs Gigantem duellaturi. 17. num. 6.

Dauid magnanimum ſe oſtendit, Regem, & populum hortando ad metum deponendum. 17. n. 7

Dauidis magnanimitas Gregor. Nazianzeni, & Ambroſij teſtimonio commendatur. 17. num. 8.

Magnanimos homines Natura produxit. 17. num. 7

Dauid cur interrogauerit de præmio dando percuſſori Goliæ. 18. num. 9.

Dauidicæ humilitatis commendatio. 19. num. 12

Dauid pugnandi peritus oſtenditur. 18. num. 11.

Dauid ſuam fortitudinem Deo acceptam retulit. 19. num. 13

Magnanima aggredi facinora commendabile eſt. 19. num. 14

Dauidis commendatio, ex Ambroſio. 19. num. 15

Dauidicum cum Golia certamen fuit in rigore formale duellum. 61. num. 7.

Diſcrimen inter Dauid, & Goliam pugnantes. 60. num. 1

Dauid quo ætatis anno ſingulare certamen contrà Goliam ſuſceperit. 60. num. 2

Dauid ad pugnã progrediens, quomodò à gigante deſpiceretur, ex Thalmutiſtis. 60. num. 3

Dauid, & Goliath quibus armis proceſſerint ad pugnam, & nùm arma Regia, quæ Dauidi aptabantur, fuerint propria Saulis, quatenùs Rex ipſe vteretur. Rabbinorum opinio. 61. num. 4.

Mos procedendi ad ſingulare certamen cum Armigero. 61. num. 5

An inter Hæbreos, & Philiſtinos præceſſerit mutua conuentio, vt deuicto Dauide, vel Goliath, Exercitus alter in alterius ſeruitutem, ac iugum iuiſſet. 61. num. 6. & 8.

Philiſtinorum clades proſtrato Golia, deſcribitur ex Ioſepho. 62. num. 9.

Dauidici duelli deſcriptio, ex Baſilio Seleucienſi. 63. in medio.

Dauid lapidibus ex torrente acceptis, quinque Heroum nomina inſcripſit. 63. in fine.

Archangelus Michaël Goliam percuſſit, ex Diuo Pantaleone. 63 initio.

Dauid cur etiam ſine funda, & lapidibus non proceſſit contra Goliam, ſicut contrà leonem, & vrſos progredi ſolebat. 64. initio.

Golias accepto lethali vulnere expirauitne ſtatim, an verò ſemianimis iacuit? 68. in fine.

Defenſio.

An iure naturæ ſit licita. 174. n. 1

An etiam iure gentium ciuili, & canonico. ibid. num. 2. & ſeqq.

Defenſio ad hoc vt ſit cum moderamine inculpatæ tutelæ, an requirat æqualitatem armorum, ità vt inermis cum inermi congrediatur. 177. per totum.

Defenſio vt ſit licita, an requirat, vt propulſatio in cõtinenti fiat, non autem ex temporis interuallo. 179. num. 1. & ſeqq.

An in ſui defenſionem liceat præuenire eum, qui paratus eſt iniquè aggredi. 181. num. 1. & ſeqq.

Defenſionis limites, an exceſſerit defenſor, quomodò deprehendi debeat. 190. num. 18

Defenſor, ſi vltrà offenſionem, adhùc propulſando inſiſtit, non eſt ampliùs defenſor, ſed vltor. 190. num. 19.

In licita defenſione, an liceat per ſe, & principaliter intendere mortem inuaſoris. 192. n. 1. & ſeqq.

Variæ adducũtur DD. ſententię.

In ſui defenſione Inuaſus dicitur cauſa phyſica, & moralis reſpectu defenſionis: reſpectu autem occiſionis aggreſſoris, tantùm phyſica. 197. num. 14

In licita defenſione licitum eſt inuaſo própriam conſeruationem per ſe intendere: Inuaſoris occiſionem, per accidens, & præter intentionem. 195. num. 8

Per ſe intendere inuaſoris cædem, non licet. 197. num. 15

Pro ſui defenſione, an liceat occidere aggreſſorem, qui ſit ebrius, vel phreneticus, vel in peccamiuoſo ſtatu exiſtens. 199. num. 1. & ſeqq.

Affirmatiua opinio authoris. 202. num. 16.

Licitæ defenſionis conditio, eſt moderamen inculpatæ tutelæ. In quo conſiſtat tale moderamen, & quid requiratur ad illud ſeruandum. 176. & ſeqq. Quæſitis: Vide verb. Moderamen.

Defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ, an ſit licita reſpectu cuiuſcumque aggreſſoris, etiamſi eſſet Rex, Dux, aut perſona Reipublicæ neceſſaria. 204. num.1. & 207. n.8.

Defenſionem ſuſcipere contrà Superiorem, & Abbatem, quinàm doceant licere. 206. n.6.

Ad mortem iniuſtè damnatis, an liceat ſe contrà Principes defendere. ibid. n.7.

An in defenſione occidens alium cum moderamine inculpatæ tutelæ, fiat irregularis. 217. n.1. & ſeqq.

Plura vide in verb. Irregularitas.

In defenſione, occidens inuaſorem proximi cum moderamine inculpatæ tutelæ, an contrahat irregularitatem. 223. n.1. & ſeqq.

Pro neceſſaria defenſione, an liceat filio occidere patrem, aut matrem, ſi ab eis iniuſtè inuadatur. 228. n.1. & ſeqq.

Licitæ defenſioni quænàm aduerſentur, ità vt moderamen non ſeruetur. 231. n.1. & ſeqq. Vide Moderamen.

Propriæ vitæ defenſionem prætermittere, licitum eſt inuaſo, nè inuaſorem occidat, ſi tamen aliter, quàm inuaſorem occidendo, ſe tueri nequeat. 257. n.3.

Pro neceſſaria pudicitiæ defenſione, an liceat puellis, atque adoleſcentulis aggreſſorem interficere. 225. n.1.

An teneantur potiùs fugere ſi poſſint, quàm inuaſori reſiſtere. ibid. n.5.

An cum aliqua iactura teneatur quis defendere proximum ab iniuſto aggreſſore. 268. n.1. & ſeqq.

An qui alium ex officio defendere debet, teneatur vitam exponere in defenſionem illius. 269. n. 1. & ſeqq.

Duelli Auctor.

An fuerit Diabolus. 2. num.1

Opinio Alciati circà duelli inuentorem. 2. num.1.

Pugna Michaëlis Archangeli, & Luciferi, an fuerit duellum. 2. n.3.

Altercatio inter Michaëlem, & Diabolum, de Moyſi corpore, an fuerit duellum. 3. num.9.

Contentio inter Principem Regni Perſarum, & Gabrielem, an fuerit duellum. 3. num.5.

Sententia Alciati de duelli Authore reijcitur. 3. num.6.

Angelus Regni Perſarum reſiſtens Gabrieli, an fuerit aliquis Dæmon. 3. num.7.

Cur Angelus Gabriel cum tali Principe contenderet. 3. num.7.

Cainus non fuit duelli Author. 3. num. 9.

Dij gentium vni nationi propitij, alteri infenſi erant. 3. num. 8.

Cain proditionis author extitit. 3. num. 10.

Eſau, & Iacobi colliſio in matris vtero, quid ſignificauerit, & an fuerit duellum. 3. num. 11

Mantinei in Græcia an duellum inuenerint. 4. num.12.

Romulus apud Romanos duelli author extitit. 4. num.13.

Duelli origo vetuſtiſſima eſt. 4. num. 14.

Goliath Philiſtinos prouocans, cum Dauid pugnans, probabiliter fuit duelli author. 4. num. 14.

Conſilium malum in authorem vertitur. 4. num.14.

Duelli Vſus.

Duellare conſueuerant variæ nationes.

Quænàm ſint, & cur duella inirent, 8. num.1. & 2.

Duelli vſum quinàm in Italiam introduxerint. 8. num. 3.

Duella quas ob cauſas Longobardi committerent. 8.num.4

Duella in Dania quomodò inirentur. 9.num.5.

Ad duellum etiam data ſententia datur prouocatio apud Moſchos. 9.n.6.

Duello dirimebantur in Germania diſcordię in comitijs ortæ. 9.n.7

Duellatorum ingens enumeratio. 9. num.8.

Duellum inierunt Imperatores, Reges, Principes, priuati, pueri, fœminæ; Quorum nonnulli ſolummodò prouocarunt. 9. num.9

Duelli imago quædam inter cæteras creaturas continuò exercetur. 10. num.10.

Duellum carnis aduerſùs ſpiritum perpetuum eſt in homine. 10. num. 11.

Duellum ſpirituale inter humanos affectus deſcribitur. 10. num.11

Duelli euentus, & exempla duellica.

Duelli euentus non ſecùs, ac belli varius, & incertus eſt. 11.num.1

Duellans Pittacus mitylenæus rete, & tridente armatus, victoriam retulit. 11. num.2.

Duellaturo Diuo Venceslao Angelus opem tulit. 11.num.3.

Cur duellum acceptauerit Diuus Venceslaus. ibid.

Quomodò eũ Angelus adiuuit. ibid.

Dictu duelli Exitus fauſtus fuit prouocanti. ibid.

Duellans Marcus Valerius Coruinus, Corui auxilio, & victoriam, & Coruini cognomen obtinuit. 12.num.4.

Duellum Iacobi Piccolominei cum Friderico Regis Daniæ filio. 12. num.5.

Duellum inter Horatios, & Curatios deſcribitur. 12.num.6.

Stratagema Horatij duellantis cum Coriatijs. 12.num.6.

Stratagema Melanthi Athenienſium Ducis in duello. 12.num.7.

Duellum Melanthi Athenienſium Ducis. 12. num. 7.

Duellum inſigne duorum Hiſpanorum. 12.num. 8.

Duellum cuiuſdam Iudæi cum Sene. 12.num.9.

Senex cum prævalido Iudæo duellans victoriam retulit. 12.n.9

Duellatores duo eodem gladio confoſſi perierunt. 13. num.10

Duellũ quidam Gallus pertinaciter inire volens, proprio ſanguine ſuæ pertinaciæ pœnas luit. 13. num. 11.

Duellare timet, ac fugit quidam eques, & alter inimicus, ſeù gaudio, ſeù ira ſtatim perijt. 13.n.12.

Mors inopina Io. Baptiſtæ Mirandulani in duelli Palæſtra. 13. n.12

Mors Henrici II. ex Haſtiludio. 14. num. 13.

Duellum inter duos nobiles iuuenes ſpectante Henrico II. initum. 14. num. 13.

Duella in dies crebrò committuntur. 14.num.14.

Periculo alieno quiſquis edoctus ſibi caueat. 14.num. 15.

Duelli deteſtatio, ex SS. Patribus. 14. num. 15.

Duelli Emblema, ex Areſio. 14. num. 15.

Duelli Priſtinus Ritus, Arma, & Duellatores.

Duellum Caius Marius detrectans quid duellanti reſponderit. 20. num. 1.

Duellantium æqualitas ex Alciato, & Puteo. 20.num.2.

Duellare detrectans cum delatore ignobili, delati criminis reus damnatus eſt. 20.num.3.

Duellantium æqualitas, an inter milites ſeruanda. 20.num.4.

Miles an prouocare poſſit quemcumque nobilem, nullo habito qualitatis diſcrimine. 20. num.4

Militaris virtus à Tullio celebri encomio commendatur. 21.num.5

Militum prouocationes contrà nobiles. 21. num.6.

Militaſſe decennio, nobilitatis, ac

ſplendoris cauſſa an ſit. 21.n.7
Prouocatus poterat alium ſuo loco Prouocanti opponere. 22. num.8
Duellans Puer pro fœmina de Gigante victoriam retulit. 22.n.9
Ad duellum præequirebatur prouocatio. 22. num.10.
Superioris authoritas neceſſaria erat ad duellum ineundum. 22. num. 11.
Patrinorum munus in duellis. 22. num. 12.
Duellatores iuramentum præſtare tenebantur. 22. num.13
Quænàm iuramenti formula. 22. num. 13.
Variæ circa duellatorum arma conſuetudines, & ſtatuta. 22. n.14
Sinè fraude, & dolo duella committenda erant. 23. num.15
Franciſci de Bologna, Patricij Neapolitani obedientia ergà Parentem pro duello ineundo. 23. num. 16.
In duello ſuccumbens, in feretro elatus ex duelli loco viuus diſceſſit. 23. num.17.
Duelli præcauendi admonitio ex Theodorico Rege. 24. num.15

Duelli Etymologia.

Etymologia, ſeu nominis origo à ſcientiarum Sectatoribus eſt indaganda. 29.num.1.
Duelli, & Monomachiæ Etymon in proprio rigore. 29.num.2.
Duellum, quasì duarum partium bellum. 29. num. 3.
Duellum, quasi durum bellum. 29.num.4.
Duelli durities, ſeù crudelitas oſtenditur. 29.num.4.
Duelli deteſtatio, ex Horatio ciuile bellum deteſtante. 29.num.5.
Duellum quomodò Italicè, & Hiſpanicè dicatur. 30.num.6.
Qui ſint perduelles dicendi, qui perduellionis rei, & quod crimen dicatur perduellio. 30.num.7.

Duelli definitio.

Duelli prima definitio, ex Hoſtienſi 30. num.1.
Duelli definitio, ex Io: de Lignano 30. num. 2.
Duelli definitio, ex Antonio Maſſa. 31. num. 4.
Duelli variæ acceptiones. 31.n.5.
Duelli definitio optima, & adæquata. 32.n.6.
Mulieres altercantes, capilloſque ſibi inuicem euellentes, an dici poſſint in rigore duellatrices. ibid. n. 7.
Duella rigoroſè committi, an intelligantur pugnis, fuſtibus, alioque non periculoſo inſtrumento. ibid.
Duellum committere an dicantur, qui ſaxa inuicem iaculantur. ibid.n.8.
Duellicæ definitionis explanatio. ibid. n.9.
Duelli diſcrimen à bello: vide Bellum.

Duelli prohibitio.

Duellum iure Diuino prohibetur. 66. n. 1. & ſeqq.
Duello Deus tentatur. ibid.n.2
Duellum iure Canonico prohibetur. 67.n.1.
Duellum à Iulio II. fuit primùm Pontificia Conſtitutione prohibitum, quòad ſubditos ſolùm Romanæ Sedi. ibid. n.4.
Duellica prohibitio confirmata fuit à Leone X. & nouo diplomate roborata, & innouata. 68. n.3.
Idem fecerunt Clemens VII. & Pius Quartus ante decretum Concilij Tridentini. ibid. n.4.
Greg.XIII. extendit pœnas Tridentini, etiam ad priuatum duellum. ibid. n.5.
Clemens VIII. omnes duellicas prohibitiones confirmauit, & abſolutionem Romanæ Sedi reſeruauit. ibid. n.6.
Duellum inter Carolum Andegauenſem, & Petrum Aragonum, an fuerit à Martino IV. permiſſum. 69.n. 1. & ſeqq.
Duelli inter dictos duos Reges condicti narratio ex D. Antonino. 70.n.4.

Gerar-

Gerardus Cardinalis Parmenſis Burdegalam cur fuerit miſſus à Martino IV. 70. num. 8.
Epiſtola Martini IV. ad Eduardum Regem Angliæ, cui prohibet celebri inter duos Reges duello, locum permittere. ibid.
Duellum Iure ciuili eſt prohibitum. 73. n. 1. & ſeqq.
Duellum Iure naturali prohibetur. 74. n. 1. & ſeqq.
Damna, quæ in duello oriuntur, naturali dictamini aduerſantur. ibid. num. 2.
Duellum iure gentium an ſit prohibitum. 75. n. 1.
Scipio Magnus, & Auguſtus, ad duellum prouocati, quomodò reſponderint. 75. n. 2.
Prouocanti Iudęo in obſidione Hieroſolymitana, Romani armis occurrere detrectarunt. ibidem num. 3.
Duelli deteſtatio apud Romanos. ibid. n. 4.
Duelli prohibitio apud Hiſpanos. ibid. n. 5.
Duelli prohibitio apud Gallos. ibid. num. 6.
Duella prohibentur in Neapolitano Regno. 76. n. 7.
Pragmatica, qua prohibentur duella in Regno Neapolitano. ibid.
Diploma Iulij II. duella prohibentis. 78.
Diploma Leonis X. contrà pugnantes in duello. 80.
Diploma Clementis VII. contrà pugnantes in duello. 81.
Diploma Pij IV. contrà pugnantes in duello. 83.
Decretum Concilij Tridentini, circà prohibitionem duelli. 85.
Diploma Gregorij XIII. contrà pugnantes in duello. 86.
Diploma Clementis VIII. contrà pugnantes in duello. 87.
Vide plura verbo Iulius, Leo, Clemens, Pius, Gregorius, &c.
Pontificijs duelli prohibitionibus omnes Chriſtiani adſtringuntur. 93. num. 3. & ſequentibus.
Pontificijs legibus vniuerſalibus omnes parere tenentur in his, quæ ad animæ ſalutem pertinent. 92. num. 1.
Poteſtas ſuprema Romani Pontificis in omnes, ex ſanctis Patribus comprobata, & commendata. 93. n. 2.
Duellicæ prohibitiones de omni duello ſunt intelligendæ. 94. n. 2.

Duellantes.

Duellatores an contrahant tot cenſuras, quot duellicas actiones exercent. 140. n. 1.
Plures duellicas actiones exercens in eodem duelli feruore, vnam contrahit excommunicationem. Idem aſſeritur de dante plura verbera eidem clerico eodem tempore. 141. n. 6.
Quid dicendum de pręſtante diuerſas actiones duellicas diuerſis temporibus. ibid. n. 7.
Exercens eodem tempore plures actiones duellicas ordinatas ad plura duella, an pluribus afficiatur cenſuris. ibid. n. 8.
Subripiens eodem tempore, ex eodem horreo plures frumenti modios, ex eodem grege plures oues quot peccata committat. 142. num. 9.
Duellum inter duos condictum, ſi tertio accedente iniretur, an eſſet formale duellum. 56. & ſeqq.
Diſcrimen inter duellatores, & Auxiliantes ad duellum. 112. n. 6.
Duellantes ſinè periculo cædis, vel vulneris, peccant, ſed non ſunt excommunicati in foro interno. 137. n. 1. & ſeqq.
Duellantes ſubulis, vel gladiolis, an incidant in excommunicationem. 138. n. 6.
Duellantes an contrahant tot cenſuras, quot fuerunt Summi Pontifices prohibentes ſinguli duellum ſub cenſuris. 138. num. 1. & ſeqq.
An duello oblato, & acceptato,

quàmuis pugna non fuerit commiſſa, pœnas contrà duellantes à Clemente VIII. inflictas contrahant. 155.n.1.& ſeqq.
Duellici Cooperatores quandò excommunicationis pœnam contrahant 158.n.1.& ſeqq.
Duelli Fautores, Spectatores, & Socij.
Adiuuantes duellatorem, non ex condicto, ſed per accidens, non contrahunt excommunicationem. 57.n.1.& ſeqq.
Conſcius ineundi duelli, ad duellicam paleſtram ſe conferens, alteri duellantium opitulaturus, an ſit excommunicatus. 58. initio.
Duellum formaliter acceptum, an inter centenos, & centenos committi poſſit. 58.n.1.
Duellatorum maior, vel minor numerus, dummodò ſit vtrinque condictus, duelli eſſentiam non mutat. 58.n.1.
Duellica prouocatio, & apparatus inter Carolum Andegauenſem, & Petrum Aragonum cum centenis, & centenis. 58.n.2.
Duellum inter tredecim Italos. & totidem Gallos in Neapolitano Regno commiſſum; Italis victoriam reportantibus. 59.n.3.
Duelli Species.
Quot ſint Duelli ſpecies, 163. n.1. & ſeqq.
Vtrùm omnes duelli ſpecies ſint illicitæ. 165.n.1.& ſeqq.
Vtrùm duellum ſit malum ex ſuo genere. 172.n.1.& ſeqq.
Prima duelli ſpecies.
Quid ſit duellum purgatiuum. 304. num.1.
Cur fuerit appellatum iudicium. 304.n.2.
Quinàm ex gentilibus, & qua de cauſa conſueuerint purgatiua duella committere. 304. n.4.
Pro mulieribus quinàm conſueuerint purgatiuum certamen ſuſcipere. 305.n.7.
Vtrùm purgatiuum duellum ſit licitum. 305. num. 1.& ſeqq.
An ſi quis innocens ab iniquo iudice damnaretur, vt vel in duello pugnaret ad obiecti criminis purgationem, vel mortem ſubiret, liceret ei duellum acceptare. 307. n.1. & ſeqq.
An poſſit Princeps reis capitis ſupplicium commeritis, purgatiuum duellum indicere. 308.num.1.& ſeqq.
Secunda duelli ſpecies.
Quid ſit duellum oſtentatiuum virium. 318
Duellum oſtentatiuum virium eſt illicitum, tàm offerre, quàm acceptare. 319.n.1.& ſeqq.
An liceat viatoribus tale duellum acceptare. 319.n.1.& ſeqq.
An liceat militibus. 323. num. 1. & ſeqq.
An liceat capite damnatis tale duellum, acceptare ad mortem euitandam. 324.n.1.& ſeqq.
Quid ſi per tale duellum, euitanda non eſſet mors, ſed tantummodò grauior mortis pœna. 325.n.1 & ſeqq.
Tertia duelli ſpecies.
An licitum ſit duellum honoris cauſa committere. 342. num. 1. & ſeqq.
An prouocatus debeat ſe domi continere. 344.n.7.& ſeqq.
An ſimplex complacentia duellandi ſit peccaminoſa. 345. n.11.
An abſoluta duellandi voluntas, poſſit non eſſe peccaminoſa. 345. n.12.
An voluntas conditionata duellandi ſit bona. 346.n.14.
An liceat acceptare duellum honoris cauſa. 347. n.16. & ſeqq.
Duellum non acceptans ob Dei timorem, nullam infamiæ notam contrahit. 355.n.38.
Animi fortitudinem, quinàm nobiles, & quomodò oſtenderint abſque acceptatione duelli. 355. num. 6.

Quarta duelli ſpecies.
An ſi innocens iniuſtè accuſatus. & damnatus, vel ad mortem damnandus, prouocaretur ab accuſatore ad duellum, poſſet certam mortem, quam per iudicem ſubiturus eſſet, in duelli periculum commutare. 368.n.1. & ſeqq.
Quinta duelli ſpecies.
An liceat bellum terminare duello. 392.n.1. & ſeqq.
Vtrùm Catholicus Princeps cum Hæretico, aut Pagano, aut Tyranno bellum gerens, poſſit rem committere ſingulari certamini. 395.n.1. & ſeqq.
Vtrùm Reges per ſe poſſint inire licitè ſingulare certamen. 396.n.1. & ſeqq.
Vtrùm in duello terminatiuo belli, teneantur adſtantes ſuccumbenti opem ferre. 396. n.1. & ſeqq.
Sexta duelli ſpecies.
An liceat acceptare duellum ad tuenda bona temporalia. 401. n.1. & ſeqq.
An ob defenſionem vitæ. 412.n.1. & ſeqq.
An liceat in tali duello apponere conditionem, vt nullus ex circumſtantibus alterutri opem ferat 415 n. 1. & ſeqq.
Offerre, & acceptare duellum ex odio, & ex inimicitia, an liceat. 416. n.1. & ſeqq.
An ob defenſionem fidei, vel honoris Dei liceat duellum acceptare. 418. n.1.

E

Ebrius.
Ebrius aggreſſor, quem conſtet repetiri in ſtatu peccati, an licitè interfici poſſit ab eo, qui dum inuaditur, moraliter credit ſe eſſe in ſtatu gratiæ. 199. n. 1. & ſeqq.
Eccleſiaſtici.
Vide Clerici.

Eleazarus.
Cur in ſacris litteris commendetur ex eo, quòd mortis periculo ſe expoſuerit. 241.n.20.
An ſibi necem intulerit. 242.n.1.
Epiſcopus quoad abſolutionem à cenſuris.
Vide Abſolutio.
Error.
Ex errore duellans cum altero, ac quocum duellare condixerat, an excuſetur à cenſuris duelli. 430. n.1. & ſeqq.
Idem quæritur de colloquente cum alia moniali, ac quacum colloqui intendebat. 430.n.3.
Legens librum canonicum, quem ex errore putet eſſe librum hæreticum, an ſit excommun. 431.n.5.
Percutiens alium Clericum, ac illum, quem percutere intendebat, an contrahat cenſuram Canonis. 431. n. 7.
Etymologia.
Etymologia Dirimachij, Almachij, & Telemachi, explanatur ex Baronio, & Theodoreto. 7.n.17.
Euchariſtia.
An ſuſpectus de crimine cogi poſſit ad ſumendam Euchariſtiam pro delicti, vel innocentiæ manifeſtatione. 295.n.1. & ſeqq.
Excommunicatio.
Excommunicatio à Pio IV. lata, ipſo facto contrahitur à duellatoribus. 98.n.1. & ſeqq.
Excommunicationis pœnam, ex Tridentino, ipſo facto contrahunt duellatores. 100. n.1. & ſeqq.
Vide verb. Cenſura.

F

Fautor in ordine ad duellum.
Vide Auxilium.
Ferrum candens.
Ferri candentis vſus. Vide Purgatio.
Filius.
Pro neceſſaria defenſione, an liceat filio occidere patrem, aut ma-

trem, ſi ab eis iniuſtè inuadatur. 228.n.1. & ſeqq.
Filius Patri vitam ademit, vt libertatem à iudice ſibi oblatam conſequeretur. 324.n.5.

Finis.

Finis operis, & operantis, quandò in actione diſtinguantur. 42.n.42 n.4. & 13.

Finalis cauſa.

Finalis cauſa prohibendi duella, quę nàm ſit. 95.n.5.
Conſtitutiones Principum, quo ſenſu ſint intelligendæ. 96.n.2.

Fuga.

Fugere an teneatur inuaſus, qui dedit cauſam iniuſtam grauem inuaſionis. 209.
An vir nobilis, vel miles fugere teneatur. 212.n.1.

Fur.

Furem an liceat interficere ob defenſionem bonorum. 398.n.1
An æquè liceat diurnum, ac nocturnum furem interficere, & an ad licitè interficiendum diurnum furem requiratur, vt ſe telo defendat. ibid. num.2. & 3. & 402. num. 6.
An ſola neceſſitas defendẽdi facultates ſufficiat, ad hoc vt licita ſit furis occiſio, an verò requiratur, vt ſimul adſit neceſſitas ſeipſum defendendi. 399.n.5.
Pro rebus minimis, licitum non eſt furem interficere. 400.n.10.
Quãtusnàm eſſe debeat rei valor, ad hoc vt pro eius defenſione, liceat furem interficere. 400.n.11.
Furem fugientem an liceat interficere. 401.n.1. & 2.
An occidens furem ob ſuarum rerum defenſionem, in vtroque foro excuſetur. 402.n.5.
Si res ablata aliter recuperari poſſet, non liceret furem interficere.
An occidere liceat furem pacificè ablata poſſideutem, quandò iuridice ea recuperari nequeunt, & adhuc in ſpecie exiſtunt. 403. n. 1. & 2.
Furem fugientem, ac ſecum deferentem rem, quam iniuſte detinuit, an liceat inſequi, ac occidere. 404. n. 5.
Fur, ac iniuſtus detentor, an poſſit interfici, quandò res ablata non extat eadem in ſpecie. ibid.
Furem interficere an liceat Clericis pro rerum ſuarum defenſione. 405. n.1.
An idem liceat Religioſis. 405.n.1. & 2.
Ex occiſione furis, an contrahatur Irregularitas. 405. n.3.
Furem an liceat interficere in caſu, quo res non poſſet aliter cuſtodiri, etiamſi poſſet poſteà recuperari. 406. n.6.

G

Gladiatorij ludi.

ORigo Ludicri duelli, ſeù ludi gladiatorij. 5.n.1.
Apud Romanos priuatim in Saturnalibus huiuſmodi ludi cœperunt. 5.n.2.
Campani frequenter in conuiuijs digladiabantur. 5.n.3.
Gladiatores publicè dati ſunt Romæ in funere illuſtrium virorum. 5. n.4.
Captiui olim apud Græcos immolabantur ànte defuncti Principis rogum. 6.n.5. & 6.
Gladiatorium munus, vbi & quinàm prima vice dederint Romæ. 6.num.7.
Gladiatores in funere illuſtrium fœminarum etiam dabantur. 6. num. 8.
Gladiatoria ſpectacula voluptatis cauſa paſſim exhibita. 6. n.9.
Gladiatorum decemmillia ſub Traiano Principe breui temporis interuallo, in arena pugnarunt. 6. num. 10.
Gladiatoria ſpectacula Perſeus Macedonum Rex in Græcia edidit. 6.n.11.
Gladiatorios ludos apud Iudæos

Herodes Rex dedit. 6. n. 12.
Gladiatoria ſpectacula priuati etiam viri, immò & artifices dederunt. 7. n. 13.
Gladiatorum ſeptingenta paria, vna commiſſione dedit Agrippa. 6. n. 12.
Gladiabantur in arena etiam fœminæ. 7. n. 14.
Gladiari prohibitum fuit poſteà fœminis ſub Seuero Principe. 7. n. 15
Gladiatorios ludos Honorius Imperator fieri vetuit. 7. n. 16.
Gladiatorijs ludis impoſitus eſt finis occaſione S. Almachij martyris. 7. n. 16.
Gladiatorij ludi priſtinus Ritus, Arma, &c. Perſonæ.
Gladiatorium ludum ſerui, & captiui primùm iniere, immò ad id vendebantur. 24. n. 1.
Ad gladiatorium ludum vendi quẽquam vetuit Adrianus Imperator. 24. n. 1.
Gladiatorio ludo deſtinabantur captiui in triumpho deducti. 25. num. 2.
Gladiabantur liberi, & ingenui ſponte, vel pretio conducti. 25. num. 3.
Gladiatores inter viles, etiam nobiles viri ſeſe immiſcebant. 25. n. 4.
Gladiatoriam pugnã inierunt Equites etiam, ac Senatores Romani, ſed Vitellius id poſteà vetuit. 25. num. 5.
Gladiatores mercede conducti, iurare cogebantur. 23. n. 6.
Gladiatorum iuramenti formula, ex Petronio Arbitro. 26. n. 7.
Gladiatores quinàm dicti Retiarij, Sequutores, Mirmillones; quanàm eorum origo, & arma. 26. num. 8.
Gladiatores, quinàm dicti Eſſedarij, & Andabatæ. 26. n. 9.
Gladiandi mos cæca nocte, apud Polonos. 26. n. 9.
Gladiatores quinàm dicti Dimacheri, & Laquearij. 26. n. 10.
Gladiatores Cæſariani Fiſcales, Cateruarij, Meridiani. 26. n. 11.
Gladiatorij ſpectaculi meridiani crudelitas, ac ſtrages, apud Romanos. 26. n. 11.
Duellum Georgij Caſtriotæ nudi, cum nudo Scytha. 27. n. 12.
Gladiatoriæ artis exercendæ ſomnia, ex Artemidoro obſeruata. 27. n. 13.
Nuptiæ duellicæ: lites, ac linguæ prælia inter quoſdam coniuges. 27. n. 14.

Gregorius XIII.

Refert in ſua Conſtitutione à multis priuatim committi duella, vt eludant pœnas publicè duellantibus impoſitas. 86. n. 2.
Extendit decretum Concilij etiam ad priuata duella, cum omnibus pœnis ab alijs Summis Pontificibus ſtatutis. 86. n. 2.
Derogat priuilegijs in contrarium conceſſis, & roborat cœteras Summorum Pontificum Conſtitutiones. 87. n. 3.
Gregorianam inter, & Clementinam excommunicationẽ, quodnàm ſit diſcrimen. 111. n. 5.

H

Homicidium.

An ob inuincibilem ignorantiam excuſari quis poſſit ab homicidio ſuiipſius. 249.
Plura vide verb. occidere ſeipſum.

Honoris cauſa interficere, aut Duellum committere.

Inuaſorem, qui fuſte, vel alapa minatur malum contrà honorem, an liceat occidere, ſi alia non ſuperſit defendendi ratio. 326. num. 1. & 2.
Ad honorem recuperandum, an liceat poſt impactam alapam, inuaſorem repercutere, fugientem inſequi, aut occidere. 328. n. 1. & ſeqq.

Auctoris ſent. 331. num. 10.
Offenſoris occiſio licita eſt in tali caſu, ſi fiat in continenti; non autem interpoſito tempore. 335. num. 26.
Lædere non licet offenſorem, ſi poſt illatam iniuriam, veniam petat. ibid. n. 27.
Pro honore, fama, & gloria conſeruanda, an liceat inuadentem lingua, ſeu detractorem interficere. 337. n. 1. & ſeqq.
Cædem, aut vulnera inferre non licet contumelioſo, ad contumeliam depellendam. 339. n. 1.
Contumelioſum dicentem: Tu mẽtiris, non licet occidere. 341. n. 1.
Honoris cauſa, an liceat duellum acceptare. 342. à n. 1. per tot. vbi plures, ac variæ afferuntur Doctorum ſententiæ.
Quinàm doceant probabile eſſe in aliquo caſu licere. 347. n. 16. & ſeqq. & 352. n. 32.
Oppoſitum quinam doceant. 353. n. 33. & ſeqq.
Non acceptando duellum, nulla infamiæ nota contrahitur. 355. n. 38.
Abſque duelli acceptatione, quinàm & quomodò animi fortitudinem oſtenderint. 356. n. 40.
Prouocator non acceptans duellũ, quomodò reſpondere poſſit prouocatori, vt ſuo honori conſulat. 353. n. 33. in fine, & 354. n. 35. & 355. n. 39. & 40.

I

Ieiunium.

IEiunium ſoluere volentibus, an abſque peccato poſſit cœna parari. 115. n. 4.

Ignorantia.

An dari poſſit ignorantia inuincibilis excuſans ab homicidio ſuipſius. 249. n. 1. & ſeqq.
In quonàm caſu interuenire poſſit ignorantia inuincibilis in eo, quod eſt de Iure naturali. 250. n. 3. & 4.
An ignorantia inuincibilis excuſet à cenſuris duelli. 420. num. 1. & ſeqq.
Explicantur prædictæ ignorantiæ. 423. n. 2. & ſeqq.
Ignorantia pœnæ, quæ ſit, & quomodò contingere poſſit. 425. num. 1.
An excuſet à cenſuris duelli. 426. num. 2.
An ab alijs pœnis. ibid. n. 3.
Ignorantia concomitans quænam ſit, & quibus modis contingere poſſit, præcipuè in duello. 427. num. 1.
An excuſet ab incurrendis cenſuris, & irregularitate proueniente ex delicto. 427. n. 2.

Impedire.

Qui poteſt impedire duellum, & non tenetur, peccat, ſi non impediat, at non eſt excommunicatus. 117. n. 3.

Infamia.

Infamiæ, & proſcriptionis pœna, ex Tridentino contrahitur ipſo facto, ſed non eſt in executione ante Iudicis ſententiam. 100. num. 2.

Innocens.

Licitum eſt Innocenti ſe manifeſtare Tyranno, à quo iniuſtè occidendus eſt, dummodò ſciat ſe aliter à Tyranno occiſum iri. 253. n. 5.
Quanàm cenſendæ ſint iuſtæ cauſæ, ratione quarum licitum eſt Innocenti offerre ſe Tyranno occidendum. 254. n. 7.
In caſu, quo nulla iuſta cauſa, aut vtilitas vrgeret, teneretur ex charitate Innocens, peccatum illud Tyranni euitare, non ſe manifeſtando. ibid. n. 8.
An liceat Innocentem tradere Tyranno comminanti Vrbis excidium, niſi Innocens tradatur. 383. n. 1. & ſeqq.
In iuſto bello, quinàm ex aduerſaria parte cenſeantur Innocentes. 389. n. 1. & ſeqq.

Pro-

Propriam Innocentiam probare tactu ferri candentis. Vide Purgatio.

Inuaſor.

An Inuaſorem, qui fuſte, vel alapa minatur malum contrà honorem, ſi alia non ſuperſit defendendi ratio, occidere liceat. 326. n.1. & ſeqq.

Vtrùm poſt impactam alapam, vel fuſtem, liceat ad honorem recuperandum Inuaſorem repercutere, vel fugientem inſequi, vel etiam occidere. 327. num.1. & ſeqq.

Vtrum Inuadentem non armis, ſed lingua, hoc eſt, Detractorem occidere liceat. 336. n.1. & ſeqq.

Plura vide Occidere, Defenſio, Moderamen.

Inuaſus.

An liceat Inuaſo præuenire eum, qui paratus eſt iniquè aggredi. 180.

Inuaſo an liceat repercutere aggreſſorem, cùm iam accepta eſt iniuria, & non ampliùs impendet. 186.

An licitè poſſit Inuaſus vim repellere, durante offenſione. 190. num. 17.

Inuaſo in licita defenſione non licet per ſe, & principaliter intendere Inuaſoris cædem. 147.n.15.

Inuaſus an peccet contrà Iuſtitiam, an verò contrà Charitatem occidendo Inuaſorem, ex cuius morte, notabile detrimentum ſequuturum ſit in Reipublica. 205.n.2.

Inuaſus, cuius vita eſſet Reipublicæ valdè neceſſaria, an teneatur Inuaſorem interficere ob ſuæ vitæ tutelam. ibid. n. 3.

Quid ſi ex eius interitu, vxor, filij, aut familia maximum detrimentum eſſent ſubituri. ibid.

Inuaſo an liceat interficere aggreſſorem, qui eſſet Rex, aut perſona, cuius vita ad bonum Reipublicæ ſpectet. ibid. n.4.

Inuaſus, qui togatam vitam profitetur, an moderamen excedat, ſi reſiſtendo Inuaſorem occidat. 208. n.1. & 3.

Inuaſus, qui dedit cauſam iniuſtam Inuaſionis, an teneatur fugere. 209. n.1. & 2.

Inuaſus occidens Inuaſorem, cui dedit cauſam inuaſionis, an teneatur ad reſtitutionem. 211.n.7.

Licitum eſt Inuaſo propriam vitam non defendere quandò illam non poteſt, aliter defendere, quàm Inuaſorem occidendo. 257.n.3.

Plura vide verb. Defenſio, Moderamen.

Irregularitas.

An Irregularitatem incurrat, qui occidit aliùm ob ſuæ vitæ defenſionem. 217.n.2.

Ad Irregularitatem contrahendam requiritur actio externa iniuſta; nec ſufficit praua intentio, & odium contrà aggreſſorem. 218. num.3.

An ſi Inuaſus dederit cauſam iniuſtam inuaſionis, irregularitatem contrahat, ſi Inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ interficiat. ibid. n.4.

An Irregularitatem contrahat, qui Inuaſorem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt ſe defendat à graui mutilatione, aut percuſſione. 219. n.6.

Occidens Iudicem parantem iniuſtam mortem, an incurrat Irregularitatem. ibid. n.7.

An captus ab hoſtibus, ſi vt mortis periculum euadat, carceris cuſtodem occidat, Irregularitatem incurrat. ibid. n. 8.

Clamans ad fures, ad fures, an contrahat Irregularitatem. 220. n.9.

An Irregularitatem contraheret, qui occideret Inuaſorem, vt ſe defenderet à graui deformitate vultus. ibid. n.10.

An qui non poteſt ſeipſum defendere, & tradit alteri arma pro ſui defenſione, Irregularitatem contrahat. ibid. n.11.

Quid ſi is, cui arma tradidit, ex tali defenſione occidatur. ibid. n. 12.
An, & quomodò in foro externo aut interno cenſeri poſſit quis immunis ab Irregularitate. ibidem n. 13. & 221. n. 14.
An Irregularitatem contrahat, qui in defenſione occidit aggreſſorem cum moderamine inculpatę tutelæ pro defenſione honoris, ac bonorum. 221. n. 1. & ſeqq.
An ſi quis in defenſione proximi, Inuaſorem occidat contrahat Irregularitatem. 223. n. 1. & ſeqq.
An qui ex officio tenentur alium defendere, & impedire eius mortem. ſi id non faciant, ſequuta morte ſint Irregulares. 271. n. 1. & ſeqq.
An in occiſione furis contrahatur Irregularitas. 405. n. 3.

Iudæi.

Iudæi affici nequeunt Eccleſiaſticis cenſuris. 95. n. 1.
Iudæi intrà ſtatum Eccleſiaſticum puniendi ſunt à Pontifice, ſi duellent. ibid. n. 2.
Extrà ſtatum Eccleſiaſticum duellantes, puniuntur à Principibus locorum, vbi degunt. ibid. n. 3.

Iudex.

Iudex, qui ſciat Reum capite damnatum, nolle contritionis actum elicere, nec confiteri, &c. non tenetur à condemnatione deſiſtere. 203. n. 20.
Iudex, licèt reus ſit mortis, non poteſt tamen contrà ſeipſum ferre, & exequi ſententiam. 238. num. 10.
Nemo poteſt eſſe Iudex ſuiipſius. ibid.
Iudex non poteſt ferre ſententiam, vt Reus ſeipſum interficiat. 239. n. 15.
Iudex an metuere debeat Rei citationem ad Diuinum Tribunal. 288. n. 1. & ſeqq.

Iulius II.

Quibus cauſis permotus fuerit ad duella prohibenda. 78. n. 1.
Sub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, prohibet fieri duella in locis S.R.E. mediatè, & immediatè ſubiectis, quouis prætextu, & cauſa, etiam à legibus permiſſa. 78. n. 2.
Decernit vbique impunè capi poſſe duellatores, ac prohibet in ſacris locis corpora morientium in duello, ſepeliri. 79. n. 3.
Imponit excommunicationis, Interdicti Eccleſiaſtici, & quatuor millium ducatorum pœnam pro prima vice, & priuationis ſeudi pro alia vice, Communitatibus, Baronibus, Ducibus, &c. permittentibus duellum. 79. n. 4.
Derogat contrarijs conſuetudinibus, & indultis, ac tempus præſcribit ad incurrendum in dictas pœnas. 79. n. 5.

L

Leo X.

Conſtitutionem edit contrà pugnantes in duello. 89. n. 1.
Refert prohibitionem duellorum factam à Iulio II. quòad Statum Eccleſiaſticum. 80. n. 1.
Approbat, confirmat, & innouat Iulij Conſtitutionem. 80. n. 2.
Duellatoribus, præter cœteras pœnas, addit perpetuam memoriæ damnationem, ac bonorum confiſcationem. 81. num. 3.
Præſtantibus Campum ad pugnãdum, imponit pœnam deuolutionis omnium Iurium, quæ obtinent in ſuis Territorijs, abſque alia declaratione. ibid. n. 4.
Spectatores duellorum excommunicatione, & pecuniaria pœna afficit, ac duelli locum Eccleſiaſtico ſubijcit Interdicto. ibidem, num. 5.
Decernit perpetuò ſeruandam eſſe Iulij II. Conſtitutionem. ibidem, num. 6.
Deputat exequutores Camerarium,

& Clericos Cameræ Apoſtolicę. ibid. n. 7.
Derogat quibuſcunque contrarijs priuilegijs. ibid. n. 5.

Lex.

Lex non ſe extendit ad actus præteritos, ſed ad præſentes, vel futuros. 94. n. 3.
Lex charitatis, in quo caſu obliget vitam exponere pro anima proximi. 200. n. 6. & ſeqq.
Legislatoris verbis ſtandum eſt in pœnalibus. 104. n. 10.

Libellus Prouocatorius.

Vide Manifeſta Duellica.

Licita defenſio.

Vide Defenſio.

Locus.

Loci, & temporis deſignatio, eſt de formali conceptu duelli. 36. n. 4. & ſeqq.
Loci deſignatio in genere, in ſpecie, an verò in indiuiduo fieri debeat, pro contrahendis duelli cenſuris. 39. n. 3.
Locum, & tempus in duello copulatiuè ſunt deſignanda. ibid. num. 4.
Locus duelli ex Tridentino non amittitur ante ſententiam latam. 101. n. 4.
Locus duelli ſtrictè ſumitur pro eo loco, qui ad pugnam duellicam conditus eſt. 110. n. 3.
Accedere ad duelli locum cum animo duellandi, licet non ſequatur duellum, an ſit ſub Gregoriana excommunicatione prohibitum. 111. n. 1.

M

Manifeſta Duellica, ſeù Libelli prouocatorij.

Manifeſti Duellici, aut Libelli prouocatorij affixio, vel intimatio, an inducat excommunicationem, etiamſi duellum non ſequatur. 128. n. 1.
Per ſolam affixionem, vel intimationem dicti Libelli, intelligitur conſummatum delictum, quòad excommunicationis pœnam ſubeundam. ibid. n. 1. & ſeqq.
Sola compoſitio, vel ſcriptio duellici Libelli, an ſit ab excommunicationis pœna immunis. 129. n. 1 & ſeqq.
Teſtificationes duellicæ, etiam ſinè ſcripto factæ, expreſsè prohibentur à Clemente VIII. 130. n. 1. & ſeqq.
Duellica manifeſta ſub excommunicatione prohibuit Clem. VIII. ibid. n. 1. & ſeqq.
Etſi ad dictam excommunicationem contrahendam non expectetur effectus duellici conflictus; requiritur tamen publicatio, vel denunciatio. ibidem, num. 1. & ſeqq.
Narratio alicuius facti, ex quo oriri poteſt duellum, an ſit ſub excommunicatione prohibita. 131. n. 1. & ſeqq.
Qui narrat aliquod factum, vt Auditorũ animos ſtimulet ad duellandum, duellicas cenſuras contrahit. ibid. n. 3.
Audire, vel legere duellica manifeſta, vel alia ſcripta ad duellum pertinentia, an ſit ſub excommunicatione prohibitum. 135. n. 1. & ſeqq.

Manifeſtare.

An liceat Reo manifeſtare ſe Iudici. 253. n. 2.
An liceat Innocenti manifeſtare ſe Tyranno. ibid. n. 5. Qua de cauſa id liceat Innocenti. ibidem, num. 7.
Nulla cauſa vrgente, an id liceat Innocenti, &c. ibid. num. 8.

Mandatum in ordine ad Duellum.

Vide Conſilium.

Metus.

An metus grauis excuſet à cenſuris duelli. 432. n. 1. & ſeqq.
Quænàm licita ſint ex metu graui cadente in conſtantem virum. 432. n. 3.

Metus grauis an excuſet, quando res eſſet intrinſecè mala. 433. num. 4.
Chriſtiani in Turcarum Triremibus contrà Catholicos, ex graui metu remigantes, an ſint à peccatis, & cenſuris immunes. 433. num. 6.
Turpiter loquens cum Monialibus ex graui metu, peccat, ſed non eſt excommunicatus. 433. n. 7.
Grauis metus incuſſus in contemptum Eccleſiæ, vel Fidei, &c. nec à peccatis, nec à cenſuris excuſat. 434. n. 9.

Milites.

An milites teneantur potiùs fugere, quàm reſiſtere aggreſſori. 212. num. 1. & ſeqq. & 215. num. 2.
Militibus, an liceat in nauali Prælio propriam nauim incendere, & ſe in mare proijcere, nè ipſi ſimul cum naui in hoſtium poteſtatem redigantur. 250. num. 1. & ſeqq.
An teneantur Milites Miſſam audire die feſto, cùm bellum eſt committendum. 387. n. 10.

Moderamen.

Moderamen inculpatæ tutelæ, quas conditiones requirat. 177. & ſeqq. Quæſitis.
Moderamen inculpatæ tutelæ, in quò conſiſtat. Variæ DD. ſententiæ. 176. à num. 1. vſque ad 6.
In quònam conſiſtat iuxtà mentem Auctoris, ac D. Thomæ. 177. num. 6.
Moderamen inculpatæ tutelæ, an requirat æqualitatem, itàut inermis cum inermi, armatus cum armato, nec diſpari, ſed pari telorum genere congrediatur. 177. per totum.
Ad moderamen inculpatæ tutelæ, an requiratur vt propulſatio in continenti fiat, non autem ex temporis interuallo. 179.
Moderamen inculpatæ tutelæ, an ſeruetur ſi cùm iàm accepta eſt iniuria, ac contumelia, & non vlteriùs immineat, repercutiatur aggreſſor. 186.
Moderamen inculpatæ tutelæ, an exceſſerit ſui defenſor, quinàm, & quomodò deprehendere debeat. 190. n. 18.
Moderamen excedit, qui aggreſſorem fugientem, ac deſiſtentem ab offenſione, adhuc iniuſtè inſequitur. 291. num. 20. Secùs ſi aggreſſor deſiſtat, vt iterùm aggrediatur. ibid. num. 21.
Quomodò conſtare poſſit eum eſſe iterùm aggreſſurum. ibid. num. 22.
An qui togatam vitam profitetur moderamen excedat, ſi reſiſtendo Inuaſorem occidat. 298. n. 1. & 3.
Quibuſnàm modis prætereà moderamen excedatur. 231. n. 1. & ſeqq.
Modus licitæ defenſionis an ſeruetur, ſi non illata, ſed imminens vis repellatur. 181.
Modum defenſionis an ſeruent Clerici, Religioſi, &c. ſi potiùs reſiſtere velint aggreſſori, quàm fugere. 214. n. 1. & ſeqq.

Mortui in Duello.

Pro Duellatoribus in conflictu mortuis, quænàm ſuffragia poſſint offerri. 107. n. 3.
An poſſint offerri ſacrificia. 107. num. 1.
An ſint nominatim excommunicati, & an in euidenti peccato mortali perijſſe cenſeantur. 107. num. 2.
Morientes vno, aut altero die poſt duellum, an ſint priuandi Eccleſiaſtica ſepultura. 108. num. 1. & ſeqq.
Morientes in Torneamentis, non ſunt ſepeliendi in loco ſacro, ſicut nec occidentes ſeipſos. 108. n. 2. & 3.
Mori in conflictu, in quo ſenſu accipiatur. 108. n. 5.
Morientes in duello, an ex diſpen-

ſatione Epiſcopi in loco ſacro ſepelliri poſſint. 109. n. 8.

Morientes non in loco conflictus, ſed in propinquiori domo, vel Eccleſia poſt duellum, an ſint priuandi Eccleſiaſtica ſepultura, etiamſi contriti, vel confeſſi moriantur. 111. n. 1.

Mutilare.

Seipſum mutilare, abſolutè, ac ſimpliciter loquendo, non licet. 254. num. 1.

Ad vitæ conſeruationem, an teneatur quis, ſe mutilare. ibidem, num. 5.

Perſona, cuius vita plurimum Reipublicæ prodeſt, an teneatur ad ſe mutilandum, quando talis mutilatio neceſſaria eſt pro vitæ conſeruatione. ibid. n. 6.

Religioſi an teneantur parere ſuis Superioribus præcipientibus ſibi mutilationem, cùm illam neceſſariam cenſent ad ſalutem. ibid. num. 6.

Quid ſi Tyrannus alicui præciperet, vt ſibi manum, aut pedem abſcinderet, & aliòquin minaretur mortem. ibid. n. 7. & 8.

N

Naufragium.

AN liceat in naufragio, tabulam quam habes dare alteri. 266. num. 1.

Antequam tabula accipiatur, licet eam alteri naufrago relinquere, non verò poſt, ex Soto. 266. num. 1.

Porrigere alteri tabulam in naufragio, non eſt ſeipſum interimere. ibid. num. 2.

Auferre non licet tabulam ab alio, qui priùs illam apprehendit. ibid. num. 3.

Quid ſi vna tabula à duobus fuerit occupata, & vtrique non ſufficiat. ibid. n. 4.

Neceſſitas extrema.

Quænam ſit neceſſitas extrema proximi, ratione cuius adſit obligatio ponendi vitam pro illo. 273. num. 4.

Quidam cenſent extremam neceſſitatem illam eſſe, in qua proximus abſque graui difficultate non poteſt ſuæ ſpirituali ſaluti conſulere. 273. n. 4.

Neceſſitas extrema, an phyſicè, an verò moraliter ſumenda ſit. 273. num. 5.

Nicetas.

Quomodò ſuam pudicitiam tutatus eſt Nicetas, cùm ab impudica muliere inuaderetur. 227. num. 9.

O

Obſides.

VIde Bellum.

Occidere.

An liceat occidere præueniẽdo inimicum irruentem in arma, atque inſidias parantem, quando aliud non ſupereſt euadendi remediũ. 183. num. 11. & 184. num. 14.

Quid ſi ſolum ſit ſuſpicio, quòd quis ſit aggreſſurus. ibid. n. 12.

Quid ſi talis inimicus, admonitus non deſiſtat, nec ſatisfaciat, nec quietos reddat animos timentium. ibid.

Occidens iniuſtum Inuaſorem ex odio, an peccet contra Iuſtitiam. 189. n. 14.

An liceat occidere aggreſſorem, poſt illatam vim fugientem. 191. num. 20.

An occidere liceat aggreſſorem, qui deſiſtit, vt iterum redintegratis viribus aggrediatur. 191. num. 21.

Occiſionem Inuaſoris per ſe intendere in ſui defenſione, an liceat. 192. per totum.

An occidere liceat aggreſſorem, qui ſit Ebrius, vel Phreneticus, vel in peccaminoſo ſtatu exiſtens. 199. per totum.

Ex Inuaſoris occiſione, an contra-

batur Irregularitas. Vide Irregularitas.
An liceat Puellis, atque Adoleſcentulis Inuaſorem Pudicitiæ interficere. 225. num. 1. & ſeqq. An teneantur potiùs fugere ſi poſſint, quàm aggreſſori reſiſtere. ibid. num. 5.
An liceat filio pro ſui defenſione, Patrem, aut Matrem occidere, ſi ab eis iniuſtè inuadatur. 228. n. 1. & ſeqq.
Pro defenſione alterius, an liceat Inuaſorem occidere. 406. num. 1. & ſeqq.
Occidere Furem. vide Fur.
Quòad occiſionem, vide plura in verb. Aggreſſor, Defenſio, Inuaſus, & Moderamen.

Occidere ſeipſum.

Seipſum directè occidere non licet. 235. n. 1. & ſeqq. fusè.
Occidere ſeipſum, an liceat, vbi Caſtitas periclitatur. 240. n. 17.
Qui ſeipſos occiderunt, quomodò excuſandi ſint, & qua de cauſa id fecerint. 241. num. 18. 19. & ſeqq. An excuſari quis poſſit ob ignorantiam inuincibilem. 249. num. 2.
Quibus pœnis afficiantur, qui ſeipſos occidere, vel mutilare attentauerint ob metum pœnæ. 277. num. 1. & ſeqq.
Quid ſi attentarent occidere ſeipſos ex tædio vitæ, vel dolore, &c. 280. n. 1. & ſeqq.
Occidentes ſeipſos priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, & ſuffragijs, iuxtà ſacros Canones. 281. num. 5.
Apud Ethnicos etiam ſui ipſius homicidæ, ſepultura indigni habebantur. 281. n. 5.
Homicidium ſui ipſius valdè execrabile eſt, & damnatur ex Hegeſippo. 282. n. 6.
An olim apud Hebræos inſepulti abijcerentur, qui ſeipſos occiderent. 282. n. 9.
An ſi aliquis in puteo mortuus reperiretur, ſacri loci ſepultura priuandus ſit. 282. num. 10.

P

Parochus.

CVm diſcrimine propriæ vitæ tenetur puerum moribundum baptizare, poſſet tamen in tali caſu conferre Baptiſmum, omittendo reliquas Eccleſiaſticas cæremonias. 776. num. 1.
Sacramentum Pœnitentiæ tenentur Parochi cum vitæ diſcrimine miniſtrare. 277. num. 6.
Sacramentum Euchariſtiæ non tenentur cum vitæ diſcrimine miniſtrare, niſi in caſu, quo dubitarent de ſpirituali ſalute proximi, ſi abſque Viatico è vita decederet. 277. n. 7.
Quid de Sacramento Extremæ Vnctionis. ibid. n. 8.

Peccator.

An teneatur Peccator propriam vitam exponere pro ſpirituali ſalute proximi, quandò ſentit ſe in mortali peccato eſſe. 275. n. 1.
Imminente periculo, quod ſit ab hominibus in odium fidei, teneretur in tali caſu peccator, tale periculum ſubire, vt proximo extremè indigenti opem ferret. ibid. num. 1.
Si tale periculum immineret, vel à rebus inanimatis, vel ab hominibus ob priuatum odium, non teneretur peccator ſe tali periculo exponere, niſi priùs exerceret actum amoris Dei ſuper omnia, & probabiliter opinaretur ſe eſſe Deo reconciliatum. ibid. n. 2.

Phreneticus Aggreſſor.

Vide Ebrius.

Pius IV.

Trium Summorum Pontificum edita diplomata circà duellorum prohibitionem denuò approbat. 83. num. 1.
Addit alias pœnas anathematis, maledictionis, perpetuæ infamiæ,

diffi-

diffidationis, criminis læſę Maieſtatis, ſeditionis, rebellionis, confiſcationis, & priuationis ſtatuum, ac feudorum, ac depoſitionis aliorum Bonorum, inhabitatis ad illa, & alia obtinenda, aliaſque pœnas addit. 83. num. 2.
Extendit prædictas pœnas ad pugnantes, prouocantes, locum præſtantes, adſtantes, & fautores; chartas Duelli ſubſcribentes, affigentes, & publicantes, ſimul cum maioris excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam eoipſo incurrant, & cuius abſolutionem ſoli Romano Pontifici referu..t. 84. n. 13.
Imponit Eccleſiaſticis pœnam priuationis Dignitatum, & Beneficiorum, & inhabilitatis ad illa. 84. num. 14.
Innouat Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Conſtitutiones, Duellum prohibentes. ibid. n. 5.
Reuocat omnes facultates obtentas, quæ prædictæ prohibitioni refragari poſſent. ibid. n. 6.
Hortatur Imperatorem, Reges, & quoſcumque Principes Chriſtianos, & alios ad non permittenda ſingularia certamina ſub pœna maioris excommunicationis, &c. omnibus, Imperatore, & Regibus inferioribus infligenda. ibid. n. 7.

Præuenire.

An liceat præuenire eum, qui paratus eſt iniquè aggredi. 181.

Princeps.

Permittens duellum an ſit excommunicatus. 103. n. 1. & ſeqq.
Permittens Lupanaria, an peccet. 104. n. 3.
Quandò poſſit permittere Monomachiam abſque eo, quòd contrahat excommunicationem. 104. n. 4. & ſeqq.
Princeps inter Chriſtianum, & Infidelem Duellum permittens, an peccet, & an ſit excommunicatus. ibid. num. 1. & ſeqq.
Permittens duellum in ſuo Territorio duobus Infidelibus, peccat, ſed non eſt excommunicatus. 105. n. 1. & ſeqq.
Princeps an teneatur proximo prouidere, cum ſuæ vitæ periculo. 274. n. 1.
Si ex morte Principum, Regnum eſt periclitaturum, vel publica imminerent damna, non tenerentur Principes mortis periculo ſe exponere. ibid. n. 2.

Prouocatio.

Prouocans Inimicum ad pugnandum extrà Eccleſiam, an contrahat excommunicationem. 40. num. 1.
Prouocans ad pugnandum ex publico in priuatum locum, an in cenſuras incidat. ibid. n. 4.
Prouocans Inimicum, vt ex propria domo in plateam deſcendat ad pugnandum, ibique pugnans, an ſit Excommunicatus. 41. num. 1.
Prouocator ob periculum præcauendum, eligens alium locum ad pugnandum, an verè locum condicere dicatur. ibid. num. 2.
Prouocans ſinè pugnandi animo, an ſit excommunicatus. 42. n. 1. & ſeqq.
Prouocans ſinè pugnandi animo, etiamſi non contrahat excommunicationem, peccat tamen, & in externo forò verus reputatur prouocator. 43. n. 6.
Prouocatus, ſi inermis reperiatur, an properare poſſit ad arma arripienda, & redire ad pugnam abſque excommunicationis pœna. 49. n. 1. & 2.
Quid ſi Prouocatus inermis illicò accipiat arma ab Adſtantibus, pro pugna ibidem ineunda. ibid. n. 9.
Quid ſi in alium locum tenderet ad pugnandum. ibid. n. 3.
Prouocatores, qui de naui in terram ad pugnandum deſcendunt, an ſint excommunicati. 50.

num. 2. & ſequentibus.
Prouocare ad duellum, an tacitè intelligatur, qui manum enſi apponit, viſo Inimico. 52. num. 1. & ſeqq.
Prouocans Inimicum non verbis, ſed factis an ſit excommunicatus. 54. num. 1.
Prouocatio facta quibuſdam actionibus, geſtibus, ac ſignis directis ad duellum, cenſetur duellica, & eſt prohibita. ibid. n. 2.
Prouocatus, ſi præfixo tempore ad conditum locum acceſſerit, ibique fruſtrà cum animo digladiandi expectato Inimico tandem diſceſſerit, an inciderit in excommunicationem. ibid. n. 1. & ſeqq.
Prouocator, & Prouocatus ad duelli locum accedentes, certi fore, vt duellum ab Amicis impediatur, an in cenſuras incidant. 55. n. 1. & ſeqq.

Proximus.

Pro ſalute ſpirituali Proximi, an teneamur vitam exponere. 272. n. 1. & ſeqq.
Cur proximi vita ſpiritualis, magis diligenda ſit, quàm proprium corpus. 272. n. 2.
Cum vitæ diſpendio, nemo tenetur eripere Proximum à malo, quod ipſe aliquo modo euitare poteſt, & ſua malitia non euitat. 273. num. 5.
Imminente periculo amittendi Dei gratiam, ac propriam ſpiritualem ſalutem, ceſſat obligatio ponendi vitam corporalem pro ſpirituali vita proximi. ibidem, num. 6.

Pudicitia.

Pro neceſſaria pudicitiæ defenſione, an liceat Puellis, atque Adoleſcentulis Aggreſſorem interficere. 325. n. 1.
An teneantur potiùs fugere, ſi poſſint, quàm reſiſtere Inuaſori. ibid. num. 5.
Nicetas, quomodò ſuam pudicitiam tutatus eſt, dùm ab impudica Muliere inuaderetur. 221. num. 9.

Pueri.

Impuberes duellantes, an ſint à duelli cenſuris excuſandi. 434. n. 1. & ſeqq.
Quænàm ſint cenſuræ ab homine, quæ à Iure. 434. n. 1. & ſeqq.
Pueri non contrahunt cenſuras ab homine latas, ante Pubertatis annos, ideſt ante annos quatuordecim completos. 435. n. 2.
Quid dicendum de cenſuris à Iure. 435. n. 4.
An communi Interdicto Ciuitatis ſubiaceant etiam pueri. 435. num. 3.

Purgare ſe de obiectis Criminibus, aut Contumelijs.

An de obiecto crimine liceat ſe purgare tactu ferri candentis, aut aquæ feruentis. 300. num. 1. & ſeq.
An licitum ſit à Deo ſignum petere in teſtimonium alicuius veritatis. 291. n. 5. 6. &c.
Accuſatus non tenetur parere Iudici præcipienti ſibi talem purgationem. 294. n. 15.
Iudex præcipiendo talem purgationem, grauiter peccat. ibid.
An ſuſpectus de crimine cogi poſſit ad ſumendam Euchariſtiam pro delicti, vel Innocentiæ manifeſtatione. 295. n. 1.
An ad purgandum ſe de obiectis contumelijs, dicere liceat Contumelioſo, Tu mentiris? 297. num. 1.
An coràm Iudice probari poſſit talem Contumelioſum fuiſſe mentitum, & dari opera vt puniatur. 298. n. 5.
Contumelioſum non licet ob illatas contumelias vulnerare. ibid. num. 6.
Licitum non eſt Contumelioſo dicere, Tu mentiris, quandò leuiora verba ſufficiunt ad iniu-

riam

criam depellendam. 298. n.7.
An ad purgandum ſe de obiectis, contumelijs, obijcere liceat Contumelioſo alias contumelias, & vera crimina. 299. num. 1. & ſeqq.
An ad ſe purgandum dicere liceat, Tu mentiris, poſito quòd Contumelioſus obijciat vera crimina, ſed occulta. 300. n. 1.
Sacerdoti reuelanti crimina, quæ audiuit in Confeſſione, an liceat dicere, Tu mentiris. ibidem num. 2.
Dicere liceat Contumelioſo, Mentiris, ſi reuelando aliquod occultum delictum, mortaliter peccet. ibid. num. 5.
Ad occulti criminis, aut Innocentiæ manifeſtationem, an liceat vti ſortibus. 301. n. 1. & ſeqq.
Plura vide in duelli ſpeciebus, verb. Duellum purgatiuum.

R

Ratihabitio.

AN Ratam habens prouocationem, vel pugnam, vel aliam actionem duellicam, ſuo nomine factam, incidat in pœnas contrà Duellantes inflictas. 125. num. 1.
Ratihabitio, quomodò dicatur retrotrahi, & mandato comparari. 125. n. 1.
Ratam habens Clerici percuſſionem, an contrahat cenſuram Canonis. 125. n. 2.
Ratificationem habere vim mandati, quinam DD. aſſerant. 125. num. 3.
Ratihabitio tacita, quenàm dicatur, & an ſufficiat in maleficijs. ibid. num. 5.
Ratihabitio ad hoc, vt inducat excommunicationem, debet exprimi in lege pœnali. 126. n. 8.
Ratihabitio homicidij, an inducat Irregularitatem. ibid. n. 10.

Razias.

An excuſandus ſit Razias ex eo, quòd necem ſibi intulerit. 242. n. 22. 23. & 24.

Regulares.

Regulares priuilegiati, an poſſint abſoluere à cenſuris duelli. 442. n. 1. & ſeqq.
An poſſint abſoluere à cẽſuris Duelli, quandò duellum eſſet occultum. 443. n. 1. & ſeqq.
An poſſint abſoluere à cenſuris ex duello, ſiuè occulto, ſiuè publico contractis, quandò tamen Duellatores adire non poſſent Sedem Apoſtolicam.
Plura vide Clerici.

Remigare.

An liceat Chriſtianis captiuis remigare contrà Catholicos. 118. num. 3.
In quo caſu peccarent, ſi remigarent, vel quid aliud agerent contrà Catholicos. ibid. n. 4.

Repercutere.

Repercutere non licet animo vindictæ, ſed tantùm animo ſe defendendi. 189. num. 13. Quid pro animo vindictæ intelligatur. ibidem.
An repercutere liceat aggreſſorem fugientem poſt illatam vim. 190. n. 19. & ſeqq.
Repercutere non licet aggreſſorem, qui vel ad alia diuertit negotia, vel domi ſuę quietus manet. 191. n. 24. Quid ſi aggreſſor irrogatæ iniuria, ſatisfacere negligat, aut ſuperbè ſe iactet. 192. n. 25.

Reſtitutio.

An occidentes, vel vulnerantes in duello, ad aliquam reſtitutionem teneantur. 147. num. 1. & ſeqq.
Damna ex duello voluntariè commiſſo, ſequuta, non ſunt ex Iuſtitiæ rigore compenſanda. 149. num. 1. & ſeqq.
Homicidium compenſationem exigens debet eſſe iniuſtè patratum. 150. n. 3.

Non adeſt obligatio reſarciendi damna in duello illata, etiamſi fuerit moderamen exceſſum. ibid. n. 4.
Inter Duellatores non adeſt vſus duellica damna compenſandi. ibid. n. 5.
Cogens alterum ad duellandum, ad compenſationem illati damni tenetur. 151. n. 1.
Coactè Duellans, ſi prouocatorem à quo fuit coactus, interemerit, à reſtitutione excuſabitur. ibid. num. 2.
Illicitè duellum acceptans, prouocante occiſo, homicidij reus erit, ſed à reſtituendi onere immunis. ibid. n. 3.
An arma, & ſpolia prouocatoris in duello proſtrati, diripere poſſit prouocatus. ibid. n. 5.
Hoſte cæſo in duellico conflictu, eius ſpolia diripere ad propriam defenſionem neceſſarium non eſt, ideòque ſi direpta fuerint, reſtituenda erunt. ibid. n. 6.
An Princeps iniuſtè Belligerans teneatur de damno illato, quandò Bellum redigitur in duellum. 152 num. 1.
Iuſtum Bellum gerens, hoſtili Principe in duello deuicto, ad quid teneatur. ibid. n. 1. & ſeqq.
Pro re aliqua Duellantes, eam victori reddere tenentur. ibidem, num. 4.
Duellantes in ludicro duello, an teneantur ad reſtitutionem. 153. num. 1.
Homicidium ex ludo prohibito ſequutum qua pœna puniendum ſit. 153. n. 3.
Pueriliter Duellantes, an teneantur ad reſtitutionem. 154. n. 1. & ſeqq.

Reus.

Non poteſt Reus contrà ſeipſum exſequi Iudicis ſententiam. 239. n. 15.
Reus damnatus, vt fame pereat, an teneatur cibos ſibi occultè oblatos comedere. 247. n. 1. & ſeqq.
Reo damnato, vt fame pereat, an teneatur quis cibos offerre. 248. n. 6. & ſeqq.
Reus capite damnatus, an licitè haurire poſſit venenum iubente Iudice. 246. n. 1. & 2.
An peccaret Reus ſi coactus, permitteret ſibi venenum applicari, merè paſſiuè ſe habendo. 247. num. 4.
An ei liceat os aperire, vt venenum immittatur. ibid. n. 5.
An liceat Reo ſua delicta Iudici manifeſtare, & capitalem petere ſententiam. 253. n. 1.
Reo an liceat citare Iudicem ad Diuinum Tribunal. 285. num. 1. & ſeqq.
Rei Iudicem citantes an fuerint, vt Innocentes habiti. ibid.
An dictæ Citationes fuerint quandoque adimpletæ. ibid.
An metuere debeat Iudex talem Rei citationem, & an ſuſpendere debeat executionem ſententiæ. 288. n. 1. & ſeqq.

Rixa.

Rixæ Ethymon, ex Iſidoro: ſignificatio ex Cicerone, & Liuio: Definitio, ex D. Thoma: Diſcrimen rixæ à duello explanatur. 45. num. 1.
Rixæ ſæpè ſunt multæ pugnæ, quæ duella putantur. 45. n. 2.
Rixa inter aliquos orta, an duellicam inducat excommunicationem, ſi locus deſignetur ad Pugnam. 46. n. 1. & ſeqq.
Vota, & iuramenta in iracundiæ calore præſtita, an obligent. 47. n. 3. & 5.
Rixa, & Duellum, quam animi deliberationem requirant. ibidem num. 4.
Rixa, an etiam per horas durare poſſit. 51. n. 4.
An qui putet rixam eſſe ſub excommunicatione prohibitam, tanquàm duellum, & rixetur, ſit ex-

com-

communicatus. 328. num. 1. & ſequentibus.

S

Sampſon.

Diuino inſtinctu ſibi vnà cum Philiſtæis mortem conſciuit. 241. n. 18. Quomodò conſtet ad id fuiſſe diuinitùs inſpiratum. ibid. n. 19.

Scripta Duellica.

Scripta, & manifeſta Duellica, quarè prohibita. 42. num. 2. Plura vide Manifeſta.

Scriptura incerta quid probet. 39. num. 3.

Sepultura Eccleſiaſtica.

Priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, eſt pœna diſtincta ab excommunicatione. 106. n. 1.

Sepultura Eccleſiaſtica, an ſint priuandi duellatores, etiamſi in ipſo conflictu deceſſerint à duellica excommunicatione abſoluti. 106. num. 2.

Sepeliri in loco ſacro, cur non poſſit Duellator, poſſit tamen à cenſuris abſolui. ibid. n. 3.

Sepulturæ Eccleſiaſticę priuatio largè accepta quid importet, quid verò in proprio rigore. ibid. n. 1. & ſeqq.

Morientes extrà Duellicum conflictum, an priuandi ſint Eccleſiaſtica ſepultura, quandò tamen eorum mors ſequuta non eſt ex lethali vulnere accepto in conflictu, ſed ex imperitia, vel defectu Chirurgi. 160. num. 1. & ſeqq.

Vide occidere ſeipſum.

Serui.

An ſerui Duellantium in Gregorianæ excommunicationis pœnam incidant, ſi duellaturo Domino equum, arma, aut alia ſeruilia obſequia exhibeant, vel eum comitentur. 116. n. 1.

Serui quandò nec peccarent, nec contraherent cenſuras: quandò peccarent, & non contraherent: quando denique, & peccarent, & contraherent. ibid. n. 1.

Seruus an teneatur cuſtoditam pecuniam reddere petenti Domino, qui ſit illa abuſurus. ibid. num. 2.

Scribentes, & non deferentes ſcripta Duellica, an ſint excommunicati. 132. n. 1.

Quid verò ſi non ſcriberent, ſed deferrent. ibid. n. 1.

Serui amatoriam epiſtolam, hero dictante, ſcribere in aliquo caſu poſſent abſque peccato, at non deferre ad Amaſiam. ibid. n. 2.

Socij Duellantium.

An contrahant excommunicationem, etiamſi duellum non ſequatur. 113. n. 9.

Sortes.

Sors dicitur, cùm aliquid fit, vt eius euentu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat. 301. n. 1.

Sors triplex eſt, Diuiſoria, Conſultoria, Diuinatoria, ibid.

Licitum non eſt vti ſortibus ad occulta crimina indaganda. ibid. num. 2.

An in aliquo caſu licitum ſit Iudicium ſortium. 302. num. 5. & ſeqq.

Quid requiratur, vt licitum ſit tale Iudicium. ibid. n. 6.

Spectatores Duelli.

Spectatores duelli, ſi iuſtam habeãt ſpectandi cauſam, an incidant in cenſuras. 101. n. 1.

Spectatores duelli, quinàm puniantur, ex Tridentino. 101. n. 2.

Sacerdos duellum ſpectans, excepturus Confeſſiones Duellatorum, ſi vulnerati ceciderint, non eſt excommunicatus. 102. n. 1.

Famuli, aut amici, vt Chirurgum accerſant, in Duellica Palęſtra immorantes, nec cenſuris ligantur. 102. n. 2.

Famuli deferentes arma, an contrahant dictas pœnas. ibidem, num. 3.

Spe-

Spectare à longè duellum, an ſit ijſdem pœnis prohibitum. ibid. num. 4.
Spectare duellum cur ex Tridentino prohibeatur. ibid. n. 5.
Spectarores duelli per accidens, an ſint excommunicati. ibid. num. 5.
Qui curioſitatis gratia aſpiceret duellum, an eſſet excommunicatus. 103. n. 2.
Quid ſi accederet ad videndum, ſed poſteà non ſequeretur duellum. ibid. n. 3.
Qui duello adſtat animo dirimendi certaminis, non contrahit has pœnas. ibid. n. 4.
Quid de Socijs comitantibus Duellatores, animo impediendi duellum. ibid. num. 5.

Suſpenſio.

Vide Clerici.

T

Tactus ferri candentis.

Vide Purgare.

Tauriludia, & Torneamenta.

An licita ſint. 310.
Apud Romanos viguit olim vſus pugnandi cum Belluis. Cæteræ Nationes hunc pugnandi morem à Romanis didicerunt. 311. n. 1. & ſeqq.
Pius V. quodnàm Taurilludij genus prohibuit. 313. n. 1.
Taurilludia permittentes, exercentes, & ſpectantes, an peccent, & ſint excommunicati. 315. n. 1. & ſeqq.
Torneamentorum variæ ſpecies enumerantur. 317. n. 1.
Haſtiludium quid ſit, & an abſque periculo exerceatur. 317. n. 2.
Torneamenta cruenta illicita ſunt, ac prohibita: Per ſacros Canones Torneatoribus Eccleſiaſtica ſepultura denegatur. ibidem, num. 3.
Cur Torneamenta Nundinæ, & Feriæ dictæ fuerint. 318. n. 4.
Incruentis Torneamentis, tàm corpus, quàm anima periculo exponuntur. ibid. n. 5.
Incruenta Torneamenta non ſunt illicita, nec in eis vlla militat prohibitionis ratio. ibid. n. 6.
In Extrauaganti 1. de Torneamentis permiſſa ſunt hæc incruenta Torneamenta, nec in ijs locum habent pœnæ contrà Torneatores inſtitutæ. ibid. n. 7.

Tempus.

Temporis, & loci deſignatio, eſt de formali conceptu duelli. 36. n. 4. & ſeqq.
Temporis determinatio ad voti eſſentiam non pertinet. 38. n. 7.
Temporis deſignatio ad duellum requiſita an ſufficiat ſi ſit in genere facta. 39. n. 3.
Tempus, & locum non diſiunctiuè, ſed copulatiuè deſignare opus eſt pro duelli cenſuris contrahendis. ibid. num. 4.
Temporis mota inter prouocationem, & pugnam duellicam, cur requiratur. 47. n. 6.

Teſtis falſus, & Accuſator.

An falſum Teſtem occidere liceat. 358. n. 1. & ſeqq.
An iniuſtum litigatorem, & calumniatorem occidere liceat. 365. num. 1. & ſeqq.
Quid de iniuſtis Iuſtitiæ miniſtris. 365. n. 1. & ſeqq.

V

Vim propulſare.

Vis propulſatio, an in continenti ſit facienda, ad hoc vt ſit cum moderamine inculpatæ tutelæ. 179. n. 1. & ſeqq.
An vis propulſatio fieri poſſit in aliquo caſu ex temporis interuallo, & qua de cauſa. ibid. n. 3.
Quantum temporis ſit indulgendum ad talem propulſationem faciendam. 180. n. 4.
Ad vim imminentem legitimè pro-

pulſandam, an ſufficiat impetus offendentis, & armorum terror. 184. n. 15.
Vim repellere licet Inuaſo durante offenſione. 190. n. 17. non tamen offenſione ceſſante, tunc enim etiam propulſatio ceſſare debet. ibid. n. 19.
Plura vide, Defenſio, Moderamen.

Vitæ defenſio, aut Diſcrimen.

Propriam vitam non defendere, licitum eſt Inuaſo, quandò illam non poteſt aliter defendere, quàm Inuaſorem occidendo. 257. num. 3.
An liceat propriam vitam exponere pro conſeruanda vita Amici. 259. num. 1. & ſequentibus.
Spiritualem vitam proximi, propriæ temporali eſſe præferendam, quomodò intelligendum ſit. 200. num. 6. & 201. num. 8 & ſeqq.
Vitam propriam, alienæ præferre licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. 203. n. 21.
Plura quòad vitæ defenſionem, vide in verb. Defenſio.

Votum.

An votum in ſuo eſſentiali conceptu includat temporis determinationem. 38. n. 7.

Vſus ferri candentis, aut aquæ feruentis.

Vide Purgare.

FINIS. h.17

AT 1742202

F 62.